THEODORI
BEZAE VEZELII
VOLVMEN
TERTIVM
Tractationum Theologicarum,

IN QVIBVS PLERAQVE CHRISTIANÆ Religionis dogmata aduersus hæreses nostris temporibus renouatas solidè ex Verbo Dei defenduntur.

Additi sunt Indices: Prior rerum & sententiarum, quæ hoc volumine continentur: Posterior verò locorum vtriusque Testamenti, quos ipse Auctor explicat, aut appositè ad ea quæ tractat accommodat.

Editio prima ab ipso Auctore recognita.




EXCVDEBAT
EVSTATHIVS VIGNON.

M. D. LXXXII.



ILLVSTRI VIRO, ET AMPLITVDINE AC DIGNITATE PRAESTANTISSIMO D. VVALTERO MILDMAYO, EQVITI AVrato, Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis ab intimis conſiliis, Gratiam ac pacem à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto.



HAEC quoque fraus eſt Satanæ aſtutiſſima quòd ſummiſſis lupis, qui ſuis vlulatibus greges territent, fidos paſtores à quotidiano ſuo munere auocatos variis in communi pro tuenda veritate certaminibus fatigare non deſinit: qui labor etſi non tantùm vtilis eſt, ſed etiam interdum neceſſarius, tamen multiplex ſecum incommodum trahit. Sic enim ille ſibi militantes obfirmat, vt veritati tanto reſiſtentes pertinacius, multò magis noceãt, quàm ſi conatibus illorum ſic occurreretur, vt tot ſcriptitationum occaſio, quibus iſtiuſmodi homines ad quærendum ſibi nomen, & rem faciendam apud nimium credulos ſeſe venditant, vel nulla vel perexigua ipſis præberetur. Quos enim aduerſariis ludos iſtis mutuis concertationibus præbeamus, nemo non videt: & hoc videtur iam Satan his ſuis artibus quod præcipuè captat aliquatenus conſequutus: vt nimirum, qui fuit veterum illarum inter Philoſophos diſceptationum exitus, veritas apud nimium multos primùm quidem in Academicam ἀκαταληψίαν ſenſim euadat, & in apertam tãdem ἀθεότητα deſinat. Deinde quantulum, obſecro, iã ab eo abſumus, vt pro vera Theologia quam ex pulpito ſonare palam apud omnes oportuit, nouam quãdam Scholaſticam Theologiam in Eccleſiam inuehamus? Denique quàm iſtud eſt præpoſterum, vnum ſacræ huius vrbis, Eccleſiæ videlicet, latus, (præcipuum quidem illud, fateor, at non vnum tamen) ſic videri velle propugnare, vt apertam interim hoſtis in alterum irruptionem negligamus? Nam & hæc quoque Satanæ callidiſſima cauenda fraus eſt, ne in tuendâ δογματικῇ religionis Chriſtianæ parte ſic occupentur, vt πρᾶξιν, quæ eſt illius finis ac ſcopus, non modò non curemus, ſed etiã vltrò amittamus. Id enim iis Eccleſiis eueniat neceſſe eſt, vbi eiectis doctis ac piis paſtoribus, & euerſis Scholarum columnis, non luxus, non ebrietates, non fœnerationes, non blaſphemiæ, non verbi diuini contemptus

reprehendũtur, ſed ſumma pietatis eſt, Omnimaieſtatici mõſtri præſtigiis Deo & hominibus illudere, tribunitiis cõcionibus & ſcriptis omnẽ cõcordiæ ſpẽ infringere, quantumuis denique impudentibus mendaciis omnes ab ipſis diſſentientes apud imperitam plebem onerare. Quid igitur? Mihi quidem certè cõſtitutum eſt deinceps ab hac inſanabili ſcabie ſcalpenda vngues abſtinere, & quibuscunque conuitiis petar, maledicos ſilentio, vitæq́; (fauente Deo) honeſtate, non verbis nec ſcriptis coarguere: veritate quidem minimè quandiu mihi Dominus huius vitæ vſuram concedet, neglecta, ſed ita ſuſcepta, vt de re ipſa, quantum neceſſitas requiret, dicere contentus, & meorum omnium tum factorum tum dictorum rationem coram quibuſvis non iniquiſſimis iudicibus reddere paratus, quid me potius deceat ſpectem, quàm quid iſtorum petulantia mereatur. Itaque etſi me ne nunc quidem earum ſcriptionum pœnitet, quæ à me neceſſitas ipſa mei muneris extorſit, tamen alterum mearum qualiumcunque lucubrationum tomum nunc recuſum & tertium nunc demum excuſum, vt & cætera mea huiuſmodi ſcripta, maluiſſem (ita me benè Deus amet) obrui ſilentio, quàm rurſum legendos præberi, ſi res integra fuiſſet, id eſt niſi quum ſemel iam antea ſeorſim, neque, vt opinor, abſque fructu prodierint, nũc cõiunctim emendatiora legi, & hac moleſtia defungi maluiſſem. Diſcerpere verò quæ ſemel eſſent à me fauſto quodam omine tibi cõſecrata, religio mihi quædam fuit. Itaque vt hæc etiam in tuo nomine apparere ſinas, Illuſtris mi Domine, vehementer etiam atque etiam te rogo. Geneuæ, Idibus Martiis, anno temporis vltimi CIↃ. IↃ. LXXXII.

Illuſtri & Ampliſſimæ dignitati tuæ
addictiſſimus
THEODORVS BEZA.



LIBRORVM THEOD. BEZÆ
hoc volumine contentorum ordo & catalogus.

*. iii.

THEODORVS BEZA G. N. IN FORO PARISIENSI CAVSARVM PATRONO S. P. D.



VLTVM debere me tibi profiteor de re nihili, qui magnum illud Claudij nostri volumen tam diu post eius etiam editionem à me expectatum miseris, id est γοητειῶν καὶ λοιδοριῶν ἀμάξας. Auebam enim scire ecquid iste tandē post tot terra marique discursationes, proferret quod non esset ab alys dictum & à nostris refutatū, qua in re meā opinionem ne in hoc quidem fefellit quod pleraque ex malis deteriora fecit. Iure an iniuriā hoc dicā aequum est ut ex re ipsa æstimetur. Sed vide, quæso, quanta iam mihi dignitas ex istius insectatione accesserit. Scis enim istic non deesse, qui me Episcopatum nescio quem hîc gerere, imò etiam in Gallus regnum quoddā affectare, tum voce tū scriptis clamitēt. Sed quid si Papa iā euasit? Est istic moribus iampridem receptum ut uni Romanæ pontifici fas sit Episcopos creare, etsi hāc potestatem cum Regibus postea Antichristus est partitus, nescio an militū exēplo, qui crucifixi Domini vestes inter se diuiserunt. Quæris quid hoc rei sit? Dico ingratum istum iā, & fratrē (siue Monachum) simul & Episcopum, quē episcopatum ait sese heri sui intercessione, regum duorum nominatione, prioratus sibi in hunc vsum ab eodē hero suo Cardinali donati cōmuneatione, post alios multos frustra captatos cōsequutū, nobis propriè referre acceptum debuisse, sicut meministi factum superioribus annis, ut Archipoeta ille vester Abbas crearetur. Negas? imò ut ipsemet testatur, quāuis præda iā esset ab ipso irretita: nō est tamē ad Cardinaliū collegium de admittēda regis nominatione prius relatū, quàm de librorū in nos Caluinianos editione, duobus prioribus præ arrhabone missis, fidē fecisset. Imò (ut etiā videas, quàm ille sacer Antichristus in nostri gratiā benignus & liberalis esse cōsueuerit) quas alijs solet bullas magno pretio addicere, gratuitò est isti largitus. An illa porro adipiscēdi Episcopatus ratio sit veteribus canonibus cōsentanea, & quo pudore à duobus nostris regibus in sui ipsius gratiā factū probet quod à S. Ludouico vsque adeò laudat fuisse repudiatū ut etiā pōtificis diploma quo nominādorum episcoporum potestas ipsi tribuebatur in ignē cōiecerit, ipse viderit, quod sine ipsius detrimēto fiat. Illud quidē certè ipsi exprobrari nō posse fateor, quòd cōtra veteres Canones saltu, sicut loquūtur, nō ordine in istā sedē ascenderit, ut qui prius Cardinali suo totos, ut ait, sedecim annos fuerit ἀκόλουθος. Sed ne iocari me quisquā in re tā seria putet, & ne cui videar hāc illi offam inuidere, quā per me sanè totā illi fas sit absorbere, quid tibi de hoc videtur, quod ab ipso Christo dicit Petrū fuisse causæ suæ quasi iudicē ac cognitorē cōstitutū? *annō, quæso, tibi, quū istud tā nefariū dictū legeres, illud Pauli in mentē veniebat,* Aduersarius & efferens sese supra omne id quod dicitur Deus ac numē? *I nūc & istum perditū mirare sese à nemine iudicandū iactare, qui suorū mācipiorum suffragijs sedeat ipsius fily Dei iudex. Miror autē ab isto non etiā illud proferri, quòd Christus Petri pedes lauerit. Sic enim quàm optimè suā illā subscriptionē defenderit,* Ad humillima beatissimorū pedū vestrorū oscula Fr. Cl. de Sainctes Episcopus Ebroicensis. *Atqui ne Euangelizātium quidē pedes Esaias beatos nedū beatissimos: sed pulchros duntaxat vocauit. Et hæc est scilicet Ecclesia Catholicæ fides, hæc Petri Cathedra, hæc arca Noe extra quā nō est salus. Quid verò? quū istum videres longū illum Cardinalium catalogum veluti indigitare* quos ad miraculū vsque probos & sanctos vocat, *in quibus nostra gētis quosdā omnibus notissimos nominat: & quum istud legeres vbi de moribus Romanis agēs,* In omnibus, *ait,* Romana Ecclesia seipsam præbet bonorum operū exemplū, *risum an lachrymas cōtinuisti? Rectè tamē istud inter multa tā mala, quòd Montanos illos pōtificum catamytos præteriit. Deinceps verò illius ad Brunechildem epistola Gregory particulam ab isto citatā legēs, quod sit istius adulatoris iudicium, & vinam nostrorum tēporum historiam non animaduertisti, nisi duas in vnā conflatas experiremur? Sic olim nimirum Dominus, & inuiti Bileami, & Caiapha imprudentis linguam non animum rexit. Ἀπειροκαλίαν ipsius in historia Capeti prætermitto. Nam Monachum scilicet ista ἱστορικὰ nefas est curare. Sed quàm est, obsecro, facetus homo iste quum ex perpetua Gallorū pro Rom. pōtificib. sollicitudine, progressum monarchiæ Gallica metitur? & quū illū narrātē audis præliū illud vnum & alterū ipso spectatore & alterius Mosis partes scilicet agēte, an nō lōgè iucūdissimū spectaculum cernere tibi videris, monachū videlicet post*

principia & inter sarcinas secum de fuga potius quam de fide catholica cogitantē, parta demū victoria mortuis, ac præsertim Illustrissimi principis cadaueri insultantē? Nec enim dubito quin istius carnificis instigatione factū sit (quidni enim sic vocauerim qui carne & sanguine quotidie pascatur?) vt cōtra quàm iste cōminiscitur, nō modò nō sit indignissima illius principis morti illacrymatū, quo nullū ætas hæc nostra neque pientiorē neq; generosiorē tulit, sed etiam illi quãuis perfidiosissimè cōtra belli iura, perfosso sclopeti ictu capite trucidato, modis omnibus insultatū: abiecto etiam in coquinā tanti regij sanguinis principis cadauere, cuius tanquā mortui leonis barbā pueri vellerēt donec affinis est repertus, qui sicut Nicodemus à Pilato mortuū reposceret. Et nos scilicet propterea pessimam causam tutatos esse cōstiterit, si modo mētiti sunt qui Psalmo 79 his verbis de hostiū barbarie cōqueruntur, Dederūt cadauera seruorū tuorū escā volatilibus cœli, & carnē eorū quibus beneficus fuisti, bestiis agrestibus. An iste verò quū ista & alia eiusmodi scriberet, obliuisci potuit cōtrouersia inter Iobū & amicos ipsius agitata, in qua Dominus secundū Iobū cōtra ipsius amicos eodē prorsus, ac iste argumēto vtētes, iudicium tulit? Bis superata à Beniamitis reliqua tribus an propterea malā causam tuebātur? an nō iā pridē Satan istud occinuit, Hæc omnia tibi dabo si prostratus adoraueris me? Sed nō omnes Christi spiritu ducuntur quos Satan cōpellat, quos tamē nunc saltē meminisse oportuit esse ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, nec esse vt Dei, ita etiā Satanæ, munera ἀμεταμέλητα. Quinetiā hoc iste vt singulare quiddā annotat, (ego planè omninosum dixerim,) quòd à Carolo quidem rege sit vltimus, ab Henrico verò primus Episcopus nominatus, scilicet (sicut ipsemet in causa sua dicit, ne quid ad blasphemiā deesset) vt esset ipse quidā duorū regnorū nexus & lapis angularis. Egregium sanè cōmentum, & Monachi blasphemi cerebro conueniens, qui quoniā fortasse papatum iā spe deuorauit, iā sibi nō dubitat filij Dei propriam appellationem vēdicare. Quidni enim id faciat Christinorus Episcopus, ipsummet Christi corpus intra domicilium pectoris sui circungestās vt Christus nō modò viuat in eo scilicet, sed etiā quasi ἐγγαστρίμυθος loquatur? Rectè tamē, fateor, & iustè fecit iste, si modò valet vestra Iustitiæ suum cuique tribuētis definitio, quum libros pro istius Eucharistiæ Cyclopica defensione scriptos, Antichristo Romano, vnico illius mōstri creatori, consecrauit, id est, fumos fumorum venditori rependit. Quę enim nomine potius istorum nugas sanctissimas appellem? qua de re vt planè liqueat age quàm putida sit ista σοφίσματα videamus.

Sacramentum corporis & sanguinis à quibusuis accedentibus accipitur,
Ergo à quibusuis accipitur corpus ipsum Christi.
Deus nunquam offert Sacramentum absque re Sacramenti,
Ergo nunquam illud absque ista accipitur.
Deus non est mendax,
Ergo quisquis Sacramentum accipit, corpus etiam Christi accipit.
Christus dixit, Hoc est corpus meum,
Ergo panis transsubstantiatur in corpus, vel consubstantiatur realiter cum corpore.
Ex vnico pane non possunt edere omnes Christiani penè innumerabiles.
Ergo qui panis dicitur ab Apostolo, ex quo omnes edimus, est ipsum corpus Christi.
Deus est omnipotens,
Ergo nec transsubstantiatio neque Consubstantiatio neganda.
Victimæ adumbrantes Christum, corporaliter mactabantur & comedebantur,
Ergo nō satis est Christum corporaliter immolatum esse, sed etiā corporaliter est mãducandus.
Moses demonstrauit solum sanguinē typicum quum diceret, Hic est sanguis fœderis,
Ergo Christus quum diceret, Hic est sanguis meus suum sanguinem nec aliud quicquam demonstrauit.
Panis & vinum sunt corpus Christi & ore sumuntur,
Ergo corpus & sanguis Christi ore sumuntur.
Fides non ambigit de veritate & potentia verbi diuini,
Ergo simpliciter credendum panem esse substantialiter corpus Christi.
Ratio humana & sensus falluntur in plerisque rebus diuinis,
Ergo nec ratione nec sensibus vtendum in re Sacramentaria.
Deus potest omnia,
Ergo potest efficere vt panis euadat corpus Christi.
Qui Christi participationem vrgent in Cœna Domini, inter se dissident.
Ergo falluntur omnes.

Maxima pars hominum tuetur τὸ ῥητὸν in verbis institutionis,
Ergo vera est hæc sententia.
Allegorijs deceptus est Origenes cum multis alijs,
Ergo nullus tropus in verbis Cœnæ Domini admittendus.
Spiritualis verborum Christi explicatio magnas turbas parit in Ecclesia,
Ergo est falsa & impia.
Multi viri boni defenderunt τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ,
Ergo qui sic sentiunt boni sunt.
Multi ex iis qui τὴν διάνοιαν in verbis Cœnæ tuentur, impiè viuunt,
Ergo sententia hæc est impia.
Sacramentum Cœnæ Domini habet aliquid peculiare,
Ergo ad huius Sacramenti naturam explicandam nihil attinet aliorum Sacramentorum collatio.
Corpus Christi non est exangue,
Ergo sanguinis potus in calice non est necessarius.
Christi caro vbicunque est, est adoranda,
Ergo Eucharistia est adoranda.
Et ista vbiquitarum portentosa argumentationes cuiusmodi tandem sunt?
Christus est Deus & homo inseparabiliter & hypostaticè,
Ergo vbi diuina est natura (est autem vbique) ibi quoque est humana.
Christus sedet ad dextram patris secundum naturam humanam,
Ergo est vbique secundum naturam humanam.
Ascendit Christus in cœlum, vt impleret omnia,
Ergo caro Christi est vbique.
Omnis plenitudo deitatis habitat in Christo,
Ergo caro Christi est omnipræsens.

Nec verò facerem ineptiendi finem, si hæc persequi liberet, quæ quum videamus à mundo non modò recipi, sed etiam suscipi, & quidem tanto cum ardore vel etiam furore, vt quiduis potius passuri plerique videantur, quàm non dico ab istis apertissimis mendaciis discessuri, sed passuri vt alij oculos aperiant, quis non animaduertat in ijs impletum quod ait Apostolus de erroris spiritus efficacia, & hominibus εἰς τὸν ἀδόκιμον traditis? Quod si quis roget, cur igitur hac in re operam ponam, dicam quod res est. Erat hoc iampridem mihi constitutum, istos semel missos facere. Quia tamen ex nonnullis intellexi non deesse, qui quòd nostra non legerint, per hunc Sophistam in mendacio confirmentur, apud quos ipse quoque sic sese venditet, vt sua refelli non posse tum sibi tum aliis persuadeat: vorandam hanc quoque molestiam mihi credidi, partim ne quis infirmus in errorem ab istis abducatur, partim vt si qui ex illis sanabiles sunt, agnita ipsorum fraude veram sententiam sequantur: cuius nostræ qualiscunque opella hoc tibi principium habeto, tantisperdum, quod breui, Deo fauente, sum facturus, ad cætera respondeam. Quod ad cæteros desperata peruicacia homines attinet, habeant sanè sibi similes labra lactucas, & qui sordescit sordescat magis ac magis, donec is in iudicio appareat, qui paleam à tritico separatam in horreum suum congeret. Bene vale. Geneuæ XIX. Februarij, quo ipso die homines hoc anno apud vos in porcos sese penè transsubstantiant, quæ istic est pœnitentiæ ad Cyclopicum pascha celebrandum, [illegible]. Anno temporis vltimi M.D.LXXVII.

INDEX RERVM INSIGNIVM QVAE IN his Th. Bezæ Tractationibus continentur.

*.i.

corporis

Nuptia

T

V

Z

FINIS.



LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ QVI IN HOC tractationum Th. Bezæ volumine diligentius explicantur, Index.

Antecedentes numeri caput & versiculum locorum, subsequens verò numerus paginam indicat

Errata sic restitue.

*Pag.*24.*lin.vlt.lege* nulli. *pag.*46.*lin.vlt.dele* coniugium.*pag.*100.*lin.*10.*lege* quæ sicut. *pag.*129.*lin.*64.*lege*.me nimium parcè.*pag.*307.*lin.*66.*lege* ex perpetuo.

¶ Pag 66, annotatione tertia ad marginem libri, lin. 1. adde, *& l. adoptiuus §. vlt.* D. Ibidē lin. 17. post *fuisse*, adde, Imò si propius & leges illas & C. ad audientiam, De sponsal. spectemus, comperiemus in illis agi de sponsalibus non morte sed repudio solutis. Nam turpe sine fuerit, eundem virum duarum sororum, vel matris & filiæ superstitum sponsum, aut eandem duorum fratrum, aut patris & filii superstitum sponsam videre, etiam si altera sponsalia repudio sint soluta, quòd altera persona prius defuncta, locum non habet. Pas autem Romanis legibus sub Ciceronis tempora perfectissimo etiam coniugio per mortem soluto fuisse cuipiam sororis quoque vxoris defunctæ filiam ducere (quod citra controuersiam, coniugio per diuortium soluto, incestuosum fuisset) apparet ex eo quod de Cæcilia Metelli nobilissimi viri vxore Cicero commemorat lib. De Diuinat. 1. & repetit Val. Max. lib. 1. cap. 5. pag. 211. Lin 39, lege, *discerne*. pag. 230. lin 60. lege, *Benne*.



Typographus Lectori.



Vandoquidem iam secundo aggressus sum hanc D. Theod. Bezæ Tractationum Theologicarum editionem, plurimis locis ab ipsomet castigatam, volui te breuiter admonitum, me ne idem tibi bis obtrudatur, ac proinde frustra sumptus facias, ita hos tomos distinxisse, quibus iam tertius accessit, vt si qua iam antè priore editione prodierunt, habueris, nunc possis ea quæ separatim tertio volumine continentur, minori pretio tibi comparare. Adhac scito me in hunc finem secundum & tertium tomum minoris formæ characteribus voluisse excudi, vt, abbreuiato opere, omnia commodiùs simul in vnum volumen possent compingi: atque adeo tibi etiam hac in parte consuleretur.





AD REPETITIONEM PRIMAM F. CLAVDII DE SAINCTES DE REBVS EVCHARISTIÆ CONTROVERSIS,

THEODORI BEZÆ RESPONSIO.

CAPVT PRIMVM.



MAGNO illi tuo volumini, Santesi, quod tu Repetitiones aptißimè vocasti, quàm optimè fieri à me poterit, responsurus, vti tua quanuis non recta sanè methodo cogor. ne fortè si singula tua vestigia non persequar, dißimulasse nonnulla vel subterfugisse videar. Agimus enim in speciem de vnico Eucharistiæ Sacramento. Sed quum huius controuersiæ decisio magna ex parte posita sit in recta Sacramenti definitionis explicatione, ea si non improbè, at certè imperitè à te prætermissa est, vt & illa quæ cum definitione cohærent. Nihilo rectiùs autem à te proponuntur tres, vt tu inquis, quæstiones, de quibus inter nos agi scribis, quas scholastico more tuis verbis, & secundum à te popositam seriem, sic dispono.

1 *De verborum significatione, quibus Christus Eucharistiam instituit.*

2 *De existentia corporis & sanguinis Domini sub specie panis & vini.*

3 *De eiusdem corporis esu & sanguinis potu, statne debeant spirituales duntaxat, vt per fidem solam fiant, an reales & substantiales, vt ipso facto corporis & sanguinis natura recipiatur à nobis, & immissa corpori nos totos alat ad vitam immortalem.*

De his autem perpetuò sic sensisse dicis Ecclesiam per totum orbem diffusam, vt asseruerit

1 *Sensum institutionis, quem litera gignit mordicus esse retinendum.*

2 *Panem & vinum transire in corpus & sanguinem Domini, quæ loco illorum succedant: ac proinde,*

3 *Corpus & sanguinem Domini re vera sumi.*

Huic autem veritati repugnare nos omnes, quos in factiones quinque, nempe Lutheranos, Cinglianos, Bucceranos, Caluinistas, Brentianos denique diuidis, in eo conuenientes, quòd singuli in aliquam figuram verbum institutionis Eucharistiæ detorqueamus. Sed Lutheranos, & Bucceranos in secundo & tertio capite ita consentire vobiscum, vt transsubstantiationem tamen negantes doceant præsentiam corporis & sanguinis Domini, nõnisi in vsu & sumptione Sacramenti inesse.

Cinglianos verò, & Caluinianos boc corpus, & hunc sanguinem dicere tam lõgè remota esse à Sacramento, quàm cælum à terra, neque aliter percipi, quàm pura fide, neque aliud quicquam ex ipsis ad nos peruenire, quàm gratiam, & nescio quid aliud spirituale.

Caluinianos tamen claudicantes modò ad Lutheranos, modò ad Cinglianos propendêre, sed omni detracto fuco nouum modum præsentiæ excogitare, vt dicant panẽ & vinum esse efficia signa corporis & sanguinis Domini: vt non solùm per fidem, sed etiã reipsa corporis Christi substantia cum pane (sed tamen extra panem) manducetur, & sanguis bibatur à spiritu nostro, quoties cum fide panem illum edimus, & vinũ illud bibimus, adeò vt etiam indignè manducantibus offeratur corpus Christi cum pane, tametsi extra ipsum panẽ, & quanuis ab eis non manducetur. Itaque verba Domini, *Hoc est corpus meum* interpretari, *Hic panis est signum efficax corporis mei*, neque interea corpus & sanguinem propius nobis admouere quàm cælum terræ, sed spiritu, seu potius stultitia (vt tu scilicet sapiens loqueris) cælum peti iubere vbi Christi caro defixa residcat.

Brentianos contrà contendere Christi humanitatem toto cælo & terra, ac quocunque loco spargi & diffundi, eíque æqualem diuinitati omnipotentiam & vbiquitatem tribuere.

Quum autem in omni controuersia primùm omnium sit animaduertendum, quibus de rebus quæratur, accuratè quænam ista tua sint nobis peruestigandum puto. Dicis tribus de rebus à nobis disceptari. Imò sanè multò plura sunt in bac ipsa cõtrouersia, de quibus inter nos contenditur, sicut inter disputãdum apparebit. Quòd si particulares quæstiones tibi libuit ad præcipua quædã capita reuocare, debuisse te dico istas potiùs quæstiones ponere, *Sítne corpus Christi nunc in terris situm*: &, *Si situm est in terris, num in hoc Sacramento situm sit. Et, si situm est, sítne cum*

hoc pane & hoc vino, an verò in illorum expulsorum & ad nihilum redactorum locum succedant. His enim expositis nullus erit tertiæ tuæ quæstioni locus relictus. Quæstio verò prima à te posita non ad rem ipsam sed ad eius probationem pertinet, quò etiam plurima alia Scripturæ loca spectant, de quorum interpretatione nihilo magis inter nos conuenit.

Secunda denique quæstio quam ponis, explicari commodè nisi nostra prima disceptata: non potest. Itaque videre omnes opinor negotium esse mihi cum eo homine, qui veritatem in disputando quærere minime videri possit. Age tamen constitui per hæc quoque deuia te persequi, & ad illa sic tibi respondeo. Lutheranos quos vocas, nunquam tibi concessuros mordicus magis à vobis quàm à se *τὸ ῥητὸν* retineri. Agite igitur, si vobis placet, cum Geminiano, vt Iurisc. loquuntur. Nam ego quidem quin vtrique plurimùm in tribus istis à vero aberretis non dubito.

'Quod Buceranis tribuis, *Sacramenta* esse in ipso duntaxat vsu Sacramenta, omnes nos (quos hæreticos appellas, ipse potiùs verè artolatra) vt verè dictum amplectimur.

Quod ad nos quos Caluinianos appellas attinet, agnoscimus verè hæc nobis abs te tribui,

Humanitatem Christi tam procul nunc abesse à signis quàm cælum à terra, quum illa sit in cælis & non alibi, signa verò sint in terris & non alibi.

Signa panis & vini esse efficacia symbola corporis & sanguinis Domini.

Præter signa panis & vini, quibuscunque accedentibus offerri quoque corpus & sanguinem Domini, quæ tamen à solis fidelibus percipiantur.

Non tantùm quæ in Christo nobis obtinenda proponuntur, sed imprimis ipsum Christum nobis in hac actione sacra spiritualiter per fidem communicari.

Hæc, inquam, vt verbo Dei & perpetuo Apostolicæ ac orthodoxæ Ecclesiæ consensu confirmata contra Apostaticam Romanam Ecclesiam tuemur, cuius fermento conspurcata adhuc est Lutheri doctrina non in hoc modò capite, sed etiam in aliis nonnullis. Sed in his te planè sycophantam esse dicimus.

Quòd illam humanitatis Christi in illis æternis Tabernaculis vsque ad vltimum illum diem commorationem transformes conclusionis & affixionis nominibus.

Quòd nos vtrinque propendere falsissimè confingas. Deinde quid istud sit tu videris, *non modo per fidem sed etiam reipsa.* Tuū enim hoc est non nostrum, qui hæc inter se minimè sic comparamus. Nam illud *per fidem* ad instrumentalem causam, *Reipsa* verò ad materiam, siue ad illud ipsum refertur quod fidei instrumento percipitur. At tibi eruditissimo scilicet theologo *per fidem* idem atque *imaginariè* declarat, neque quod fit spiritualiter, reipsa fieri videtur.

Illud quoque *ad nos peruenire* ambiguè abs te dicitur, qui nihil nobis admoueri, siue nihil ad nos peruenire putas, nisi si quid corpus nostrum contingat. At nos verè nobis ac reipsa quoque insinuari dicimus, quod animo etiam solo percipitur, ac verissimam quoque ac realissimam esse credimus nostram cum Christo capite *κοινωνίαν*, quod ex effectis ipsis sensibiliter dignoscitur.

Illud autem quod de cælo per fidem & spiritum in his mysteriis petendo dicimus, si stultitia est, quid vobis quoque stultius est, qui sursum corda illos attollere iubetis, quos tamen Christi carnem inter sacrificorum manus quærere docetis?

Postremò Sacramenti vox quum modò symbola per se considerata, modò symbola cum rebus ipsis, modò sacram ipsam totam actionem designet, homonymiam hanc distingui abs te oportuisse dico.

Brentiana deliria: id est, conflatam cum altera Eutychetismi parte Nestorii blasphemiam, nos quoque detestamur & priores refutauimus.

AD CAPVT II.

Vnde petenda institutionis Eucharistiæ explicatio.

CONTENDIS in hoc capite petendam esse veram Eucharistiæ explicationem ex institutionis verbis, quod etiam Christi de coniugio aduersus Pharisæos disputantis, & Pauli Corinthios hûc reuocantis exemplo probas. Atqui, mi homo, tute hîc tibi monstrum confingis quod oppugnes. Ecquis enim nostrûm (Brentianos vnos siue Vbiquitarios excipio, qui à nobis exierunt, quia ex nobis non erant) hoc ipsum non sensit, scripsit, docuit? Itaque non potuisti certiùs ostendere quanto nos calumniandi studio exarseris, quàm quum nos scriberes, *omni studio id conari, vt verba institutionis ex animis hominū paulatim eripiamus, pro quibus alia substituamus etiam nunquam in scripturis audita.* Illud autem de quo controuertitur, quoniam tu eodem pudore retices patefaciam oportet. Tu ex vnis institutionis verbis decidendam omnem controuersiā arbitraris. Nos assentimur: sed hæc ipsa institutionis verba quòd variè intelligi possint, partim cum nostræ fidei articulis cohærentibus & indubitatis, partim cum iis quæ de aliis Sacramentis eodem Verbo Domini traduntur comparari volumus, vt ea demū interpretatio vera censeatur, quæ nihil habeat ab istis dissentaneū. Denique valere hic quoque certissimā illam discernendorū omniū errorum normā obseruandam dicimus, vt ex locorum Scripturæ collatione controuersis omnibus quæstionibus veluti lux inferatur. Hoc verò te hic faciendum negantem quis tandem toleret? Affers tamen has sententiæ tuæ rationes.

Vnam, *quòd alia sit ratio Sacramentorum, quàm reliquorum dogmatum, quæ ferè sunt perpetua, ho-*

munium naturæ ac rationi insita, cum alijs articulis fidei coniuncta, ab omnium temporum sacris Scriptoribus tractata, & quæ possint ex sese mutuò illustrari. Sacramenta verè certo tempore, loco, certísque ac conceptis Scripturæ verbis institui, nec tantùm describi, sed etiam quasi formari. Itaque nec posse nec debere ex alijs Scripturæ locis, sed ex proprijs duntaxat suis sedibus explicari. Ego verò multa hîc abs te falsa poni affirmo, ex quibus tamen ne hoc quidem quod tu vis efficiatur, id est, vt in scholis loquimur, nego antecedens, & ipsam quoque consequutionem. Falsissima hæc duo esse dico, *Sacramenta esse noua quædam dogmata, & dogmata fidei, esse ferè naturæ & rationi hominum insita.* Affirmo contrà, idcirco esse instituta Sacramenta, vt sint dogmatum, id est, eorum quæ nobis credenda sunt, σφραγῖδας: nec minus illud abs te ineptè dici, quàm si diplomatibus appendi sigilla diceres, vt aliquid præter id quod in ipso diplomate descriptum est homines docerent. Aio & illud ex ipsis Christi verbis, carnem & sanguinem nobis non patefacere quæ Dei sunt, id est fidei nostræ placita, imò τὸ τῆς σαρκὸς φρόνημα esse verũ Dei odium, & quæ Dei sunt ne cogitare quidẽ nos ex nobis posse. Sumamus pro exẽplo creationẽ mundi, quæ sanè videtur ex ipsis naturæ principiis peti posse, dicit tamen Apôstolus & verè dicit fidei esse quòd ea quę cernimus, ex non apparentibus, id est, ex nihilo esse condita credamus: id quod vel vnicum illud Aristotelis de mundi æternitate dogma confirmat. Sunt scilicet sacræ triadis mysterium, hypostatica deitatis filii & nostræ naturæ vnio, conceptio ex Spiritu sancto, partus virginis, petenda ex morte vita, resurrectio carnis, naturæ & rationi hominum insita. Sed hoc nimirum fundamentum monstris illis & Chimæris vestris nempe accidentibus sine subiecto, corpori non quanto, transsubstantiationi denique substernere voluisti, qua in re pudendum illum errorem admittis, quem petitionem principii in scholis appellant. Sed quid si ne illis quidem concessis illud quod tu contendis consequatur? Sint igitur Sacramenta noui alicuius dogmatis tradendi causa instituta: sint certo loco, tempore, certis denique verbis constituta, descripta, efformata: an propterea efficitur dogmata ista noua, nihil prorsus cum aliis fidei articulis suapte natura cohærens, ac commune habere, ad cuius normam horum quoque nouorum dogmatum explicationem exigi oporteat, ac non potius perpetua est quædam omnium religionis Christianæ partium inter se, sicut in naturali ac minimè monstroso corpore, symmetria, analogia, connexio? Imò vt hoc quoque tibi largiamur, nihil habere coniunctum sacramenta cum aliis fidei articulis, an tu tamen inficiaberis cõmunem ac generalẽ esse quandam omnium inter se Sacramentorum rationem ac definitionem, in qua proinde conuenire singula Sacramenta, quæcunque tandem illa sint, necessariò oporteat, ac proinde falsum esse quicquid de singulari aliquo Sacramento sic dicitur, vt à generali definitione dissentiat? Nec enim vel specierum notiones διαιρετικαὶ, vel indiuiduorum proprietates notionem συστατικὴν tollunt, sed ei potius superstruuntur, nisi fortasse vis hominem sic esse rationis participẽ, vt in animalis genere cum equo non consentiat. Restat igitur comparandas saltem esse inter se Sacramentorum instituriones vt eo deprehenso quod tum inter se commune tum proprium habent, ad eam normam postea singulorum explicationes exigantur. Sed hoc nimirum malè vos habet, quòd tum ex generali Sacramentorum definitione, quam studio prætermisisti, tum ex proprio cuiusque discrimine vestras illas Chimeras vanissimas esse probamus.

Altera tua ratio hæc est, *Res alias siue dogmata sint siue præcepta, magna ex parte præ se ferre quiddam naturale, perpetuum & per se existens: Sacramenta verò importare tantùm quiddam arbitrarium, non perpetuam rationem includens, nec per se existens. Esse enim arbitraria, subitanea, & temporaria, sicut circuncisio antequam institueretur, & Baptismus & nostra Eucharistia tempore Abrahæ, nihil fuerunt. Non debere ergo quod ad essentiam eorum attinet, ex alijs rebus & dogmatibus & locis Scripturæ alienis iudicari: sicut absurdissimum iudicaretur ex creaturarum efficacia & medicina iudicare de luto & sputo, quo Christus illeuit cæci oculos, aut de illa piscinæ aqua.*

Respondeo rursum absurdissimam esse istam concludendi rationem. Quid enim obstat quominus aliquid sit arbitrarium, subitaneum, temporarium, & tamen aliquid commune & planè consentiens cum naturali & perpetuo quopiam habeat? Nec enim ista repugnantiam in ipsam rei naturam necessariò inuehũt. Deinde quantulum tute abes ab ea quã nobis impingis hæresi, si Eucharistiã esse rem per se existentẽ negas? nisi fortasse ideo per se non existere arbitraris quoniam talis non nascatur, sed vi institutionis aut consecrationis conficiatur, quod si tu sentis, in aliud incommodum rursus incidis. Cogeris enim aut Eucharistiam facere ab ipso corpore Christi diuersam, quod de signis tam verè nos dicimus, quàm vos perperam negatis: aut vni corpori Christi duo planè diuersa existendi principia tribuere, vnum videlicet in vtero virginis ex Spiritus sancti virtute, alterum ex certorum verborum pronũtiatione. Deinde si tibi concederem quod tu vis, nempe Sacramentorum essentiam toto genere à reliquis siue placitis, siue præceptis Christianæ religionis dissidêre, an tamen propterea inter se quoque adeò repugnabunt, vt inter se conferri nullo respectu possint? Quod si possunt, cur non itidẽ debent conferri, vt inde falsarum explicationum vanitas deprehendatur? Ex alienis verò scripturæ locis fieri diiudicationem hanc debere quis tandem nostrum docuit? Denique quàm bella hæc tua est conclusio? *Quum diiudicari Christi miracula ex naturæ ordine non debeant, stultum etiam esse de Sacramentis, vel ex eorum cum alijs fidei articulis seu præceptis collatione, vel ex ipsorum mutua inter se comparatione statuere?*

Tertia verò hæc tua ratio est, *Latam esse differentiam inter ipsa institutionis verba, quæ Sacramentorum essentiam describunt, & alia extra tam dicta de Sacramẽtis, quæ vel eò alludunt tantùm vel alij*

quam eorum circunstantiam aut abusum perstringunt, veluti si quis de circuncisione vellet non ex eius institutione statuere, sed ex scriptis Pauli quum circuncisionem pro nihilo habet, aut inter signa maledictionis cum praeputio deputat. Sic hallucinantur (inquis) *qui de nostris Sacramentis non ex eorum institutione, sed ex 1.Corinth. 10. decidere studem & tum ex veteri testamento corradunt, Agnus est pascha & similia, tum ex nouo alia congerunt ad opprimenda institutionis verba.*

Assentior tibi perperam facere qui aliena, vel nihil ad rem pertinentia inter se comparant: tale verò quicquam à nostris admissum esse pernegamus, nec tu sanè vnquam ostenderis. Certè quod de Circuncisione profers, quasi ex vnis institutionis verbis quid de ea sit statuendum diiudicare oportuerit, non rectè abs te dicitur, quum ex aliis demum vtriusque fœderis locis quæ fuerit illius analogia & quis vsus multò plenius & vberius, quàm ex ipsa institutione paucissimis verbis per Mosen descripta intelligatur. locum autem illum Apostoli & alios tum veteris tum noui fœderis an ineptè cum ipsis institutionis verbis ad vestra refellenda comparemus, suo loco disceptabitur.

AD CAPVT III.

Figuratum dicendi genus magis esse proprium Sacramentorum institutioni quàm natiuam vocum significationem.

HOc capite de retinenda verborum institutionis Eucharistiæ proprietate disserere incipiens contendis quatuor ob causas eam retinendam nullo figurarum velamento inuolutam. At contrà tute capite tertiæ repetitionis tertio agnoscis panem & vinum posse figuras, signa, similitudines vocari propter maximam eorum cōuenientiam cum effectis corporis & naturalis & mystici. quod si verū est, certè vel contra id quod superiore capite docuisti istam conueniētiam aliunde quàm ex ipsis institutionis verbis petas necesse est, in quibus tale nihil commemoratur: vel duplicem vocum corporis & sanguinis interpretationem admittas oportet, itémque verbū EST totidem modis exponas: propriè videlicet quum corpori naturali, figuratè verò siue significatiuè quum mystico tribuetur. Itaque quanta sit vis veritatis vtinam nunc tandem animaduertas. Deinde si quid propriè dici putes, ex te quæsiuero, respondebis, opinor, natiuam significationem vocum sic abs te intelligi, quæ translatitiæ opponatur. At ego dupliciter dici posse dico voces propriè vsurpari: vno modo quum natiua sua significatione accipiuntur: altero quum ipsarum rerum subiectarum de quibus agitur peculiaris natura spectatur. Sic exempli gratia, si de picta sculptáue imagine loquens dixerim, Hic est ille Simson hostium Ecclesiæ domitor, certè verbum ESSE aliam significationē induit quàm si de ipso vero Simsone ageretur, vt esset propositio identica. Vtra igitur in hac enūtiatione propria censebitur? non illa certè essentialis, quæ tametsi natiua est, tamē maximè impropriè & falsissimè rei pictæ vel sculptæ tribueretur, sed ista quæ ascititia est. Videtur igitur proprietatē vocum non ex ipsarum natura semper, sed ex rebus subiectis, siue de quibus agitur æstimari? adeò quidem vt quæ per se vera & propria est vocis significatio, falsa & impropria euadat si ad rē ipsam subiectam referatur: & contrà quæ suapte natura est falsa & impropria, vera tamen & propria esse incipiat. Ergo, inquies, Sacramenta vultis inanes esse imagines? nequaquam id verò. quanuis ne tu quidem, eo quod citaui capite, imaginis & figuræ vocem repudies. Quo enim iure id facias? Sed imagines esse dicimus veritate rerum quas significant minimè vacuas, quoniam id quod intellectui & fidei suggerunt, verè quoque à Deo spirituali modo participandum offertur. Ergo vt tandem hunc locum concludamus, scito nos quum verbum ESSE dicimus figuratè, id est metonymia sacramentali explicandum natiuam quidem illius voculæ significationem cum hac trāslatitia cōparare: sed eam tamē quæ rei de qua agitur maximè propria est aduersum vos vrgere, quum is demum propriè de re quaque loqui sit censendus, qui vocibus ad eam rem significandam appositissimis vtitur. Sunt enim voces rerum, non res vocum gratia institutæ. Dico igitur nos quum quæ de Sacramentis dicuntur sacramentaliter intelligenda docemus, etiamsi id fieri nisi natiua vocabuli alicuius significatione ad translatitiam accommodata non potest, tamen maximè propriam significationem si rem ipsam spectes tueri: vos autem quum essentialiter intelligenda docetis quæ sacramentaliter dicuntur, maximè impropriam proprietatem ineptissimè, &, quum de religione agatur, perniciosissimè defendere. Propterea si hæc quæ tu dicis (quod postea suo loco faciemus) persequi nunc liberet, cuius tu tandem voculæ in institutionis formula proprietatē penitus obseruare compereris? pronomen enim HOC quomodo ad aliud quàm ad hoc ipsum quod manibus acceptū Christus frangebat & distribuebat, id est, quomodo vel ad indiuidui vagi somnium vel ad sola accidētia, de quibus ne vobis quidem constare potest (nisi fortasse rotunda & alba fuisse panis illius fragmēta probaueris) seruata vsitata loquendi forma, transtuleris? Et quo tandē proprietatis genere, vel corpus essentiale Christi pro mystico corpore, vel indiuiduum illud vagum, aut accidentia panis, pro re quapiam ex multis granis, & multis acinis coadunata acceperis? Sed de his aliâs. Nunc causas istius proprietatis retinendæ à te prolatas audiamus. *Si*, inquis, *argumenta de Sacramentis peti oportet ex institutione, necesse est eius rationem certissimam esse & propriam.* Rectius dixisses perspicuam esse oportere. De proprietate antea dixi, esse nimirum sæpenumero ex rei subiectæ, non ex ipsa per se voce diiudicandā. Id enim maximè perspicuè dici cōstat quod rei subiectæ maximè conueniat, siue propria siue trāslatitia significatione voces ipsæ vsurpentur. *Ergo*, inquis, *minimè figuratā esse*

oportet

oportet. Repugnat enim institutionem esse fundamentum veritatis & ipsam figuratam esse, quia in figurata loquutione nulla veritas fundari potest. Distinguo figuræ appellationem, quam si accipis pro merè allegorico aut parabolico sermone, quid hoc aliud est quàm nobis illudere? Num enim metonymia sacramentalis, aut alius eiusmodi tropus, allegoria est vel parabola? Quæ tu hîc igitur ex Irenæo & Augustino citas vt allegorica ostendas aliunde illata luce indigere, non contra nos sed contra vestra illa deliria faciunt; quibus vniuersam scripturam sacram in fabulas verè γελοίως transformastis. Figuratè verò dicta esse non posse certa veritatis fundaméta, ne in allegoriis quidem perpetuum esse dico. Quæ tu postea garris de nostra in explicandis institutionis pauculis verbis repugnantia cuiusmodi sint suo loco expendemus. Sed quod scribere ausus es, *nolle nos rem Cœnæ ex institutione indagari, adeóque institutionis verba subsannare, & ea nobis obijci molestè ferre*, falsissimè & impudentissimè à te confingi Deum & homines testamur. Declamitas postea, quum res noua traditur, & in qua nemo sine summo periculo possit hallucinari (cuiusmodi est Eucharistia) non esse admittendas improprias & ambiguas phrases. Concedo, & improprium esse rursum nego quod optimè rei subiectæ conuenit. Ambiguũ autem si vocas quod plures sensus admittit, vide quousque progrediaris. Dogma fidei Christianæ vel præcipuum est, Verbi æterni ἐνανθρώπησις. At illud *Verbũ caro factum est* homonymiæ in singulis vocibus obnoxium esse, ideóque ab hæreticis exagitatum non ignoras. & à quibus hæreticis? ab iis qui natiuam illarũ vocum significationẽ sectati sunt, cõtra quos ostenditur Filiũ Dei similitudine quadam aptissima λόγον non tamen προφορικὸν sed ἐνδιάθετον, vocari: carnis autem appellatione totam humanam naturam συνεκδοχικῶς declarari: factum denique non transmutatione sui ipsius, sed alterius assumtione dici. Et quàm multa alia possent similia proferri? Res autem sic habet. Etiam si voces per se ambiguæ & diuersam interpretationem admittentes vsurpentur, tamen pro non ambiguis censentur, quoties alterius sententiæ absurditas ex rei ipsius de qua disceptatur natura non obscurè dignoscitur. Sic verbi appellatione non significari prolatum sermonem ex eo manifestum est, quod Filius Dei quum sit Deus, & per quem Pater omnia condidit necessariò sit aliquid ὑφεστηκός. Synecdoche verò in dictione carnis vel ex cõmuni Hebræorum vsu intelligitur. *Factum esse* denique accipi pro transmutatione eius naturæ dici non potest, in quam nulla cadat mutatio. Sic quoque in Sacramentis si signum dicatur illud ipsum esse cuius Sacramentum est, miserabilis est seruitus ac planè carnalis, literam sequendo, signa pro rebus ipsis accipere, vt scitè scribit Augustinus de Eucharistia ipsa differens, sicut signa inutiliter accipere vagantis est erroris. *Rhetorum ais, præceptum est τὰ καινὰ κοινῶς, τὰ κοινὰ καινῶς. At Cœnæ historia rerum antea incognitarum & insolitarum constitutionem & diuulgationem complectitur. Necessarium igitur fuit Christum dilucidè quod vellet effari.* Concedo hoc quoque, & dico non potuisse dilucidius aut expressius declarari sacræ illius actionis mysticæ naturam & finem. Hoc enim dari quod Christus ipse manibus tenens tradebat, doceri verbis Apostolos non oportuit. Sed quorsum hæc darentur, quarum rerum signa & cuiusmodi signa essent, id verò ipsis declarari oportuit: quod multò dilucidius fecit Christus quum signis tribueret ipsarum rerum appellationes, quàm si signa illarum esse simpliciter dixisset. Deinde etsi noua prorsus fuit hæc noui fœderis obsignandi ratio tunc primùm à Christo instituta, tamen neq; incognitum prius erat nouum ipsum fœdus, cuius exhibendi cognitione suo modulo imbuti & virtute seruati fuerunt quicunque Christi aduentum fideles antecesserunt: neque etiã ipsum nostræ cum Christo κοινωνίας mysterium translatitiis vocabulis edendi & bibendi significatum, erat discipulis inauditum, vt qui hoc idem dictum & spiritualiter explicatum ex præceptoris ore audierant in ea concione quæ Ioan. 6. perscripta est. Itaque neque obstupuerunt: neque vt Capernaitæ durum hunc sermonem esse dixerunt: neque, vt de ambiguo sermone dubitarunt, quoniam hæc mysticè & spiritualiter intelligenda esse antea didicerant, sicut alicubi Chrysostomus obseruat. Denique elige vtrum voles. Si καινὰ ista fuisse vis, καινῶς loquutus fuerit Dominus, quum vix aliter de Sacramẽtis vnquam sit loquutus Spiritus sanctus: sin κοινὰ fuisse mauis, κοινῶς sanè fuerit loquutus, ac proinde ineptè facis quum vulgatam & tritam significationem verborũ in his mysteriis defendis. Itaque quod in sanctæ memoriæ virum P. Martyrem dixisti, improbum & impudentem fuisse Christianarum scripturarum deprauatorem, quin tibi potius ad amussim quadret, obscurum esse non potest.

AD CAPVT IIII.

Ex circumstantijs institutionis Cœnæ Domini non rectè colligi τὸ ῥητὸν retinendum.

INCIPIS tuam istam impropriam proprietatem tueri argumentis à circunstantiis Cœnæ Dominicæ desumptis. Et quoniam quæ de Sacramentis dicuntur sacramentaliter intelligẽda dicimus, negas ex institutionis verbis erui posse hanc circunstantiam quòd Eucharistia sit sacramentũ (quod tamen verum esse concedis) quũ nullũ verbum de Sacramẽto faciat. In his verò paucis vide quàm multipliciter pecces. primùm enim admodũ ineptè facis, quum illud ipsum quo res ipsa vel an sit, vel quid sit constituitur inter circunstantias numeras. Deinde quum Eucharistiam esse Sacramentum colligi ex institutione posse negas, certè & illud fateris, id quod primarium & præcipuum est in hac cõtrouersia (rei videlicet de qua quæritur naturam & definitionẽ, quæ τὸ τί ἐστι vocatur) aliunde quàm ex ipsa institutione petendum. Itaque fundamentũ illud abs te antea positum, quòd videlicet ex vnis institu-

tionis verbis hæc omnis controuersia sit decidenda, tutemet euertis. Præterea quum Sacramentum hoc esse non neges, & pro natura rerum intelligenda sint quæ de rebus dicuntur (nec enim res verborum, sed verba rerum causa sunt inuenta) quid ad nos attinet tantopere quærere quo ex scripturæ loco id eruatur? postremò & illud dico, planè cæcum esse oportere qui ex illa tota Christi actione non videat mysterium siue Sacramentum institui, quum regnum Dei, remissio peccatorum, fœdus denique illud nouum, sicut à Ieremia describitur, propriè loquendo, in esu & potu situm esse nō possit. Reponis postea nobis rancidam illā & millies recoctam crambem, summum videlicet Euangelistarum & Apostoli in describenda Eucharistia consensum, quum alioqui soleant Euangelistæ mutuas operas tradere, & quod ab alio obscurius & figuratè est traditum, id alius magis propriè & plenius enarret. Atqui perpetuum hoc esse nego, nec tu vnquam probaueris. Dico præterea Euangelistas & Apostolum neque totidem neque iisdem verbis vsos, quod ex ipsorum locorum collatione liquet. Affirmo & hoc tertium, Euāgelistas & Paulum mutuas hîc sibi operas tradidisse. Verbum enim εὐλογῆσαι verbo εὐχαριστῆσαι & τὸ διδόμενον verbo κλώμενον, & τοῦτο sine adiectione positū adiectione vocis ποτήριον: & illud *Nouum testamentum in sanguine meo* per illa, *sanguis meus Noui testamenti* explicatur. Et additur tum à Luca tum ab Apostolo mandatum, à Mattheo & Marco prætermissum. Tu verò quid velles præterea ab eorum aliquo expressum vt nostra sententia valeret? nempe vt pro EST scriberet SIGNIFICAT, vel HOC EST CORPVS MEVM SACRAMENTALITER siue IN MYSTERIO, siue FIDE PERCIPIENDVM, siue SIGNVM aut SACRAMENTVM CORPORIS MEI. Quid si verò nos vicissim exciperemus, vt vestræ illi quamuis inuisibili, tamen verè Cyclopicæ, manducationi locus aliquis relinqueretur, oportuisse aliquem Euangelistarum pro Hoc scribere ISTA ACCIDENTIA SINE SVBIECTO, vel ECCE CORPVS MEVM, & pro EST scribere TRANSSVBSTANTIATVR, & CORPVS SIMVL ET SANGVIS, & pro OMNES scribere VOS SACERDOTES? Quid igitur? nempe neque Christus sic loquutus, neque Euangelistæ & Apostoli sic scribentes, obscurè, aut ambiguè aut inusitatè, sed sacramentaliter de Sacramēto loquuti sunt: neque causa vlla iusta fuit cur de vestris illis tam absurdis tam monstrosis, tam denique à Sacramentorum fine alienis figmentis deuitandis laborarent, quæ iure existimarunt non magis cuipiam Christiano in mentem venire posse, quàm naturalem petram fuisse Christum, quoniam dicitur petra fuisse Christus: aut agnū reipsa Christus esse quoniam à Ioanne Baptista sic appellatur. Ista denique quæ tandem calumnia est, *Carnem, sanguinem, substantiam, edere, bibere, altare, sacrificium, sacerdotium à nobis in ignotas & translatas significationes trahi?* Quid amplius? etiā, si tibi creditur, *spiritum in Baptismo pro aqua interpretamur, & Patrem quoque & Filium negamus.* Imò quis carnem & sanguinem in spectrum cum Martione transformat, nisi qui inuisibile & quantitatis expers corpus Christo tribuit? Quis Christum priuat vera carnis substantia, nisi qui panis crustulo, imò etiam accidentibus sine subiecto illum includit? Edendi autem & bibendi vocibus an non vos quoque nobiscum vtimini, quum de vnius virtutis Christi participatione merè spirituali loquimini? altare quidem fateor nullum in Christiana Ecclesia, nec sacrificium nec sacerdotium ad Christum rursus pro peccatis reipsa Patri offerendum relinquimus, quæ non sine manifesta impietate ponitis. Spiritum pro aqua in Baptismo à nobis exponi falsissimum est, quum è cōtrario, Aquæ interdum vt & Ignis nomen pro Spiritu, ad eius in nobis effecta significanda poni dicamus. Neque tu id potes iure inficiari, quum sic passim loqui Prophetas & Apostolos ipsūmque Christū non ignores. Filii veram hypostasin à Patre esse tantùm abest vt inficiemur, vt cōtrà, stertentibus vobis, & teterrimos illos Seruetum Gentilem, & Postellum in sinu fouentibus, hanc veritatem aduersus renatos Samosatenianos & Arrianos primi defenderimus. Quòd si Filii essentiam (quam tu perperam cum substantia hîc confundis) vis ab altera Patris essentia propagatam, quam nos vnicam esse in Filio & Patre tuemur, quamuis in Patre vt à nullo, in Filio vt à Patre per generationem communicata spectetur, iam te Ditheitam factum affirmo. neque id sanè mirū ab eo fieri qui tot nobis Christi corpora realia & essentialia fabricetur.

AD CAPVT V.

Ex circunstantia Christi ipsius Cœnam instituentis colligi non posse simpliciter τὸ ῥητὸν in verbis institutionis retinendum.

IAM accedis ad circunstantias personæ ipsius Christi & sic argumentaris, *Christus est omnipotens nec mentiri potest: Ergo potest efficere quod in Eucharistia testatur.* Istud verò quis vnquam nostrûm negauit? Sed hoc efficere vel potuisse vel voluisse quod tu dicis, id demū tibi probandū est. Rursum igitur id ipsum de quo ambigitur vt probatum assumis, quod est impudentis Sophistæ factum. Noluisse autem illū ac ne velle quidem potuisse quod dicitis, ex eo ipso colligimus quòd mentiri ac proinde contradicētia velle non possit: quod autē velle se testatus est idcirco efficere illū posse credimus, quoniam sit & verax & omnipotēs, nēpe vt verè ac reipsa sese nobis in terra positis quamuis in cælis manēs, ad vitā æternam cōmunicet, quod esse verè admirabile omnipotentiæ diuinæ mysterium Apostolus meritò testatur. Ad illam autem vestram naturalem præsentis & intra manus positæ substantiæ manducationem quæ tandē, quæso, omnipotentia diuina requiritur? Non igitur simpliciter vestra illa

commenta

commenta inficiamur quod cogitationi humanæ ſint abſurda, ſed quia præter quàm quòd admitti humana ratione non poſſunt, placitis fidei & Filii Dei veritati repugnant. Quorſum ergo aduerſum nos detorſeris illud Tertulliani dictum aduerſus Marcionitas, ad quos ipſi proximè acceditis, quum corpus ſuapte natura quantum tamen pro modo non quanti reipſa adeſſe contenditis?

Reſtat, inquis, *vt videamus an Chriſtus ſingularem aliquam cauſam habuerit cur in promulganda Eucharistia obſcurius & incertius loqueretur quàm communiter ſoleret. Tantum abeſt vt habuerit, vt ei adfuerint cauſæ grauiſſimæ cur planius, certius & dilucidius quàm ſoleret de alijs rebus, de Eucharistia pronuntiaret: nempe graue & periculoſum dogma præceptum & articulum noui fœderis.* Atqui tute hîc rurſum tibi monſtrum comminiſceris quod nuſquam eſt: & rurſum principiũ petis. Vis enim tibi conceſſum omnes tranſlatas loquutiones eſſe natiuis obſcuriores, quum tranſlationes ſæpe nõ minus pateant quàm propriæ ſignificationes, & venuſtiores ac expreſsiores meritò habeantur. Deinde, quod coactus aliquoties repeto, proprietatem non ex rerum ſubiectarum natura, ſed ex ipſis vocibus perperam metiris: & nullam incidere potuiſſe grauiorem cauſam particularem cur à communi ſignificatione diſcederetur affirmo, quàm quod non de re communi, ſed de Sacramento ageretur. Denique rurſum pernego vllum dogma nouum fuiſſe in Eucharistia traditum, aut vllum fœdus inſtitutum, ſed fidei Chriſtianæ & noui fœderis σφραγῖδα conſtitutam: nec te minus ineptè iſta ſcripſiſſe, quàm ſi diceres nouum aliquod teſtamentum fieri, quum de ſigillo ei apponendo ſtatuitur aut ipſo appoſito ſigillo obſignatur.

Poſtulas etiam tibi produci exemplum alicuius fœderis vel Sacramenti à Deo vel Chriſto eius imperati vt credendi & cum ſalutis periculo agendi, etiam in vetere teſtamento figuris obnoxij, quod aliter ſonet quam ad verbum ſit intelligendum, aut è veſtigio non ſit explicatum.

Aſtutè tu quidem credendi & agendi voces adiecisti vt tibi caueres. Sed quid ſi tu ſic quoque mihi aditum ad te refellendum aperuiſti? Ritus igitur in ipſis obeundis myſteriis ſeruandus, ſicut externus eſt per ſe & à communi nihil differens, ita etiam communibus vocibus explicetur oportet. Sic nudis verbis Circuncifio, Phaſe, cæremonialis vniuerſus cultus declarantur & præſcribuntur. Sic quoque Baptiſmus & actio Cœnæ Domini deſcribuntur. Communia enim ſunt aqua mergere vel aſpergere, panem accipere, frangere, comedere, & vinum infuſum bibere. Sed quod in illis ritibus credendum ipſi menti & fidei offertur, ſiue quæ ſit res Sacramentorum, & in quem finem præcipuè inſtituta ſint, id verò ſicut in figura proponitur, ita etiã vix aliter quàm figurato dicendi genere proponitur, nempe ne ſigna vel inania putentur, vel pro rebus ipſis accipiantur. Sic Circuncifio externa fœdus vocatur, quũ tamen propriè non ſit ipſum fœdus, ſed (vt eodem loco dicitur) fœderis ſignum ſit. Ergo, inquis, *oſtendite vbi ſimiliter ſit dictum panem & vinum eſſe ſigna corporis & ſanguinis.* Quaſi verò hæc lex ſit perpetua vt ſi quod per ſe ſatis intelligitur ſemel tamen eſt quamuis citra neceſsitatem explicatũ, ſemper quoque in re ſimili declaretur. In ſacrificiis quoties additur promiſsio expiationis peccatorũ, id eſt non quid agatur exterius, ſed finis & vſus ſacrificiorum declaratio, ſiue quid fuerit in iis credendum, toties ſigno tribuitur quod eſt rei ſignificatæ, id eſt, Chriſti, qui vnus tollit peccata mũdi, quũ ſanguis hircorũ & taurorum, ne vt Sacramenta quidem, emundare conſciẽtiam vnquam potuerint. Quid? quum τὸ ποτήριον dicitur nouum fœdus in ſanguine (quod quidem non ſpectat ad id quod foris agitur, ſed ad id quod per id quod agitur credendum proponitur) vt in omnes partes te cõuertas nunquam tamen cuiquam homini non inſano perſuaſeris natiua vocum ſignificatione ſeruata id eſſe exponendum. Et ne ab ipſis à te propoſitis exemplis diſcedamus, in hac ipſa formula, *Renaſci ex aqua & ſpiritu* niſi Metaphoram multiplicẽ agnoſcis, reuoco te ad introitum Miſſæ Dominicæ quam Quaſimodo vocatis. Num tu verò arborem vitæ aut ſcientiæ boni & mali putas aliter quàm ſacramẽtali Metonymia appellatam? niſi fortaſſe vis à ſucco ipſius arboris, vel immortalitatis donum, vel boni & mali ſcientiam pependiſſe. Sed de iſtis ſuo loco. nec enim ignoro tam verè nihil poſſe dici, quin à ſophiſtis in ſpeciem falſi adulteretur.

An non, inquis, *offendiculum eadem de re apud Capernaitas exortũ Chriſtum admonuiſſet, vt ſermonem temperaret ſi aliter res haberet quàm pronuntiaret?*

Imò quòd Capernaitas alloquens ſatis ſupérque explicarat, cur obſecro Cœnam inſtituens, rurſum ageret? Quamuis enim illic de verbo nudo dicatur quod in Cœnæ inſtitutione de pane & vino dicitur, tamen hactenus hæc duo conueniunt, quòd & verba & corporea elementa myſteriorum ſigna ſint, illa quidem aurium, hæc verò oculorum quoque ſenſui obiecta.

Comminiſceris poſtea Chriſtum à Paulo de Corinthiorum diſsidiis interrogatum, fuiſſe illi expoſiturũ ſi qua laterent ſacramentalia ænigmata in Euchariſtiæ Sacramento. Et vnde quæſo myſterium Cœnæ dices Apoſtolum ex aliqua ſpeciali reuelatione didiciſſe? quoniam nimirum hæc dicit ſe à Domino accepiſſe, quod etſi non tibi primùm aut ſoli in mentem venit, tamen parùm probabiliter dicitur. Quorſum enim hoc ex Chriſti peculiari reuelatione percontaretur Apoſtolus, quod ſaltem ex Luca ſuo comite perinde atque ex ipſius Chriſti ore cognoſcere potuit? Quod ſi etiam dicamus peculiari reuelatione id illi fuiſſe patefactum, at certè ſtultè abs te dicitur tum ei patefactum fuiſſe quum de diſsidiis Corinthiorum intellexiſſet. Nec enim id ait ſe illis tradere, ſed antea tradidiſſe, quod antea nimirum à Domino ſiue reuelatione peculiari, ſiue (quod multò probabilius eſt) ex diſcipulorum ipſius ore aut ſcriptis cognouerat. Sed hoc mittamus. Quantò rectius dixerim ſi veſtras illas monſtroſiſsimas & fidei articulis ex diametro repugnãtes chimæras ſtabilire illis inſtitutionis verbis Dominus voluiſſet, hoc fuiſſe

Apoſtolo ſuo expoſiturum: idcirco verò nullam addidiſſe explicationem, quòd ſacramentaliter interpretanda eſſe, quæ de Sacramentis dicuntur, omnes non prorſus inſani per ſe intelligant?

Vis etiam cōſiderari à nobis ipſam nocturni temporis circunſtantiā, admirabilis ſanè Theologus, qui tuos aliter nocte quàm luce loqui velis. *Quia* (inquis) *voluit ea nocte Dominus lucem inferre figurarum tenebris ideo eo nihil fuit figuratè loquutus*. Et quid eſt in re tam ſeria Eccleſiæ Dei illudere ſi hoc non eſt? *Sed*, inquis, *fatentur Apoſtoli Chriſtum in ea nocte palàm effari, & nullum prouerbium quod non declararet loqui*. Imò hoc dicunt diſcipuli non de tota, ſed de extrema duntaxat illa concione quæ tota penè figurata eſt, & tunc ab Apoſtolis videtur parum intellecta. *At*, inquis, *quum Apoſtoli non ſinerent vel minima elabi quæ non interrogarent ſi viderentur obſcuriora, nemo hic eum in re tanti momenti in verbis à literali ſenſu remotis percontatur quicquam: nempe (vt dicunt Chryſoſtomus & Cyrillus) ideo nec obſtupuerunt nec obmurmurarunt Apoſtoli ad tantum prodigium, quoniam antea corripi viderant qui ad eius promiſſionem obſtupuiſſent: & rem prius ſibi confirmatam meminerant quæ tum exhibebatur*. Imò certè ad tam prodigioſum commentum, quo & carnis Chriſti veritas deſtruitur, & ſpiritualia in corporalia transformantur, & pro fide quæ eſt regeneratæ mētis actio, corporalis manducatio ſtatuitur, & Chriſtiani in Cyclopas transmutātur toti cohorruiſſent Apoſtoli. neque idcirco tantùm nihil interrogarunt quòd per incredulitatem obſtupefactos & obmurmurantes audiſſent reprehendi, ſed quia ex reprehenſione ſpirituale hoc eſſe myſterium, nec ventris ſed mentis cibum hunc eſſe cognouerant & crediderant. Credentibus enim hoc dictum fuiſſe disertè dicit Cyrillus eo ipſo loco quem citas. At cur credentibus, niſi quòd quid illud eſſet antea fuerant edocti? Fides enim eſt ex auditu. Immeritò igitur quæris *vnde potuerint nec prius admoniti Sacramentum inſtitui, nec tum ita ſubtiles Apoſtoli, ſuſpicari ſacramentalem eſſe loquutionem*. Nam & prius rem ipſam fuerant edocti, quid illis eſſet daturus Chriſtus & Capernaitarū exemplo fuerant admoniti, ne Cyclopicam σαρκοφαγίαν animo conciperent: & Sacramētum inſtitui res illæ ipſæ quas illis præbebat Chriſtus oſtendebant. Et ne quid hîc à me confingi clamites, ecce tibi hæc quoque Chryſoſtomi verba ex eadem illa quam citas homilia octogeſimaquinta quæ tu aſtutè præteriiſti.

Quomodo turbati non fuerunt quum hæc audiſſent? quoniam multa iam & magna de hac antea diſſeruerat.

Sed & illud omnino expendendum eſt quod ex eodem Chryſoſtomo attingis, *priorem videlicet Chriſtum ad ſuos confirmandos corpus ſuum delibaſſe & cepiſſe ſe quod alijs porrigeret, ne præ horrore viſum Domini de manducanda carne detrectarent*. Quod igitur hic vnus ex patribus fortaſſe primus dixit, quæri poteſt an probabiliter dicatur. Nec enim in inſtitutione Cœnæ tale quicquam exprimitur. Ex eodem tamen pane comediſſe & ex eodem vino Chriſtum bibiſſe ambigi non poteſt: neque magnopere laboro poſt an ante conſecrationem hoc fecerit. Sed illud certum eſt ſi Sacramentum hoc Chriſtus ipſe ſumpſit, non propter ſe ſed propter alios ſumpſiſſe: Quid igitur? Certè ſi (vt vult Chryſoſtomus) ille ſumpſit Sacramentum, & transſubſtantiationi locus eſt, ille ſeipſum realiter & ſubſtantialiter ore ipſo comederit. Cautius loquitur Auguſtinus quum dicit Chriſtum QVODAMMODO ſeipſum ſuis manibus geſtaſſe, vt myſterium à re naturali diſtingueret. Quod ſi ille verè, reipſa ſubſtantialiter, corporaliter ore ſuo ſine vllo tropo vel figura comedit ſeipſum primus, non oportuerit, quæſo, maiorem hoc horrorem incutere diſcipulis, quàm ſi aliis duntaxat ſe vorandum & bibendum præbuiſſet? Neque his obſtat quòd inuiſibiliter id factum comminiſcimini. Manet enim ipſum factum, realis inquam σαρκοφαγία, quæ ſi inuiſibilis erat, in alterum etiam magis abſurdum prodigium erat diſcipulos abductura, eò videlicet vt ſpectrum ſe videre & audire multò magis exiſtimarent quàm quum illum antea ſuper mare ambulantem, & poſt mortē ſecum præſentem adeſſe & loqui cernerent. Seipſum enim quempiam ore vorare, & tamen eodem modo integrum ac ſolidum & illæſum aliis itidem comedendum præbere multò magis veritati carnis repugnat quàm ſuper mare ambulare, aut poſt mortem repentè clauſis ianuis apparere. Et tu tamē Apoſtolos ne ad figuratas quidem loquutiones abſque interprete intelligendas exercitatos fuiſſe vis. Quantò verò minus hæc falſiſsima & toti doctrinæ quam ex Chriſto audierant repugnantia commenta ſine vlla diſceptatione mente comprehenſuros fuiſſe exiſtimabimus?

Cur, inquis, *Chriſtus contra omnium gentium morem minus puro & ſincero ſermone quàm ſolebat Apoſtolis mentem ſuam exprompſerit?*

At ego hunc omnium gentium ipſiúſque adeò Spiritus ſancti perpetuū morem fuiſſe & eſſe dico vt ad ſignorum vim oſtendendam, rerum ſignificatarum nomina eis attribuantur: quod autem de minus puro & ſyncero ſermone Chriſti ſcribis, putidam eſſe calumniam quæ vni tibi in mentem venit.

Quæris poſtea, *an iis verbis caruerit quibus nunc vtimur, vt intelligentiam aliam quàm verba ſonent ſubſtituamus*.

Reſpondemus Chriſtum non potuiſſe ſignificantius aut expreſsius de Sacramentis loqui.

An voluit, inquis, *ſerere hæreſes per ambiguam teſtamenti interpretationem?*

Nequaquam: planiſsima enim eſt & Sacramentis accommodatiſsima, & vſitatiſsima formula qua Chriſtus vſus eſt: nec minus monſtroſa ſunt veſtra quàm Anthropomorphitarum commenta. Neſcio certè an reliquis tuis vaniſsimis clamoribus ſit aliquid à me reponendum.

Cur nos, ais, *dubitemus credere quod Chriſtus non dubitauit aſſerere?*

Imò, mi homo, cui perſuadebis contradictoria Chriſtum dixiſſe? credendum autem quod Chriſtus

Christus docuit quinam fortius affirmant quàm qui nihil nisi qnod Christus nos docuit, credendum in salutis negotio dicunt?

Qui verbum est(ais) *pro significat accipiunt verborum significationes ignorant*? Bella scilicet allusio, quamuis eam aliunde desumpseris. *Qui veritas est, vera loqui nesciuit?* Imò sciuit, ideóque vestras chimeras monstrosissimas repudiamus.

Qui tot modis idololatriam vetuit, an factus caro vt nos ab idololatria liberaret, moriturus nobis idololatriæ occasionem maximam præbuerit, quum paucis verbis mutatis nos ab ea liberare potuerit?

Nequaquam profectò, ideóque vestrum crustaceum Deum vt idolorum omnium quæ vnquam extiterunt maximè execrabile toto pectore oréque ipso detestamur: & vos in bestias penè transformatos credimus, qui Deum ipsum id esse credatis quo vescamini. Id autē etsi venturum præsciuit Dominus quem nihil latet, noluit tamen propterea de Sacramentis aliter quàm vsus ipsorum & natura ferat, id est, non sacramentaliter loqui. Hæc sunt igitur in quibus clamitas à nobis aduersus Christi diuinitatem peccari, quasi quia de recta & cum articulis fidei consentiente verborum institutionis explicatione quærimus, propterea ipsius sermonem in controuersiam & dubitationem adducamus.

Denique placuit etiam tibi nos triplicis in Christum *vt hominem & virum bonum* (sic enim loqueris) admissi peccati arguere: quorum illud primum est, *Illi iniustam à nobis esse notam, quòd contra bonorum patrumfamilias prudentiam Testamentum non simplicioribus verbis condiderit, quum bonus ille Iacob, quamuis figuras, prostat in prophetia, testamento admiscuerit, tamen de re, de qua in testamento vaticinabatur dilucide dixerit, & clarius quàm vnquam antea sermonem habuerit.* Atqui, bone vir, in vno isto quod in nos hîc dicis tripliciter peccasti. Neque enim Eucharistia est ipsum testamentum Domini, sed eius ἀῤῥαβὼν, vt antea quoque dixi: sicut Circuncisio nōnisi figuratè vocatur fœdus, propriè verò est fœderis signum, vt ipsemet Deus interpretatur: nisi fortè eousque odio nostri abriperis, vt sigillum testamento appositum velis esse ipsas testamenti tabulas aut ipsum testamentum tabulis perscriptū. Neque dubito quin hîc sis mihi obiecturus illud *Nouum testamētum in sanguine meo*, cui vicissim regeram illud, *sanguis meus noui testamenti*, de quibus nos suo loco, ne, tuo more, vel quæstiones permisceamus, quod facere tamē nos tua ἀμαθία cogit, vel principiū petere videamur. Deinde tātùm abest vt ex eo quod tuemur, efficiatur Christū obscurius loquutū esse, vt cōtra nisi nobiscū sentias, absurdissima &, quoniā sibi contradicētia, ideo falsissima ipsum enunti asse oportuerit, vt tu ipse longè maioris sceleris reus meritò deprehēdaris, quàm illud sit quod falsò nobis impingis. Denique quis tuus hic pudor est? deligis pro testamēti vllo figurato dicēdi genere carentis exēplo illud Iacobi testamentum, in quo penè vno plura, quàm in reliquis totis historicis libris omnium troporū & figurarū exempla deprehendūtur, adeò vt in eo explicādo nunc quoque noui interpretes cognitione linguarū instructiores quàm illi ex veteribus Græcis aut Latinis, desudēt. Et ne longius abeamus, illas ipsas voces, in quibus planius quàm vnquam loquutum illum, temerè profectò scribis, (nempe illud, opinor, *Non auferetur sceptrum ex Iuda*, &c.) libenter ex te velim intelligere quomodo interpretari tam planè possis, vt quicunque in eo loco explicando laborarunt nodum in scirpo quæsiuisse videantur.

Alterum nostrum peccatum esse vis, *quòd ius illud testamentarium inuiolabile corrumpamus, & quidem non cuiusuis sed Filij Dei, cuius testamenti ipsas etiam singulares voces expendere iubeat Apostolus, admonens scriptum esse, semini eius non seminibus*: quod nostrum horrendum scelus miris postea modis exaggeras. Et certè si quid tale vel cogitare ausi essemus, nulla nostro sceleri pœna par reperiretur. Sed dic, quæso, qui in testamento scripto ne literulam quidem immutat, sed de verborum quibus testator vsus est, sententia contendit, idque totum & ex præcedentibus, & ex consequentibus, & ex clarissimis aliis ipsius voluntatis testimoniis, adeóque ex ipsa rerum de quibus agitur natura, postulat vt diiudicetur, num meritò istorum scelerum accusabitur: an is potius qui accusationem talem instituerit, in manifesta calumnia deprehendetur? Dicam autem etiam aliquid amplius. Testamentum illud in quo iubet illam vocem Apostolus obseruari itáne fuit planè & perspicuè conceptum & explicatum? Quære hoc saltem ex Hieronymo qui locum illum sic exagitat, vt Paulum etiam videatur nolle ab omni sophistices culpa vindicare: cui tamen cur in hoc vt in multis aliis non assentiar, alibi vbi oportuit non dissimulaui. Quid si etiam regeram nos in institutionis Eucharistiæ vera explicatione quærenda sequi Apostoli vestigia? Nam ille quid seminis appellatione intelligatur, in his verbis, *Ero tibi Deus, & semini tuo*, eruit ex altero loco, *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes*, quod inficiari nō potes. Qua igitur in re peccamus, si huius quoque institutionis verborum sententiam ex cohærentibus eiusdem authoris spiritus sancti scriptorum locis petendam docemus? Aut igitur nos absolue: aut quòd aliter faciamus quàm Paulus ostende: aut nobiscum quoque Paulum coargue, vt ab omnibus piis coarguaris.

Tertium denique longè maximum vestrum est peccatum (inquis) *quòd sentiatis nihil noui Ecclesia legatum à Christo & eius testamento nobis derelictum, sed panis duntaxat aridi frustulum, & vini pauxillum in sui memoriam.*

Imò verò vos ii estis qui panem verè aridum quotannis, & quidem tantùm semel, laicis vestris administratis, erepto ipsis calice (in eo quidem manifesti præstigiatores, quòd illis persuasistis panem id non esse quod omnes sensus panem esse renuntiant, vt eius loco inuisibilem carnem quæ nihil sit minus quàm caro, id est Marcionis phātasma statueretis) & quotidie vestram miseram & famelicam plebeculā inani solo spectaculo pascitis. At eos qua tandem ratione ista

criminatio reos tenebit qui veri illius corporis & sanguinis *κοινωνίαν* in Cœna sanciri profitentur? *Sed*, inquis, *quodcunque spirituale per Cœnam nos assequi taltatis, per alia iam donata à Christo & Deo, nos & Patres nostri etiam sub lege assequebamur, & quotidie sine Cœna per Euangelij auditionem & mentis ac fidei eleuationem in Deum assequimur, vt vos inculcatis.* Dicis sanè aliquid non tamē omnia, vt suo loco ostendemus. Sed quod hinc vis effici, inutilem videlicet à nobis reddi Eucharistiam nisi per eam aliquid penitus nouū & prorsus aliud quàm Verbo & cæteris omnibus Sacramentis nos assequi tecum dicamus, id ego pernego. Quid enim prohibet quominus res prorsus eadem dissimili tamen ratione & impari efficacia præbeatur? Illud quidem certè non inficiaberis, efficaciam Christi eandē nobis in Baptismo & in verbo offerri. Num propterea inutilis est vel nudi verbi auditio Baptismo succedens vt in adultis, vel hic illi præcedens vt in infantibus? Iustificatus est gratuito fœdere Abraham in præputio, an propterea inanis fuit Circuncisio, an potius fuit illius gratuitæ iustitiæ fidei *σφραγίς*? Cornelius Messiā in vetere fœdere amplexus quem venisse nesciebat, ideóque iustus, etiam adhuc incircuncisus, an frustra audiuit Petrum ei annuntiantem illum ipsum venisse quem adhuc venturum sperabat? Nam *Venisse & venturum esse* duos Christos non cōstituunt. Quid? illapso iam spiritu in Cornelium, an frustrà baptisatus est? Si perrexero & ex te quæsiuero, num superuacanea sit Eucharistia baptisatis & fide iam iustificatis, excipies, sat scio, idcirco vanam non esse quoniam ipsa carnis Christi manducatio ad illam spiritualem duntaxat eius energiæ ac beneficiorum perceptionem accedat, quod non rectè abs te dici alio loco declarabitur. Sed vt ita esse tibi largiar, dic, quæso, si inutile est Sacramentū nisi aliquid nouum afferat: quid attinet Cœnam Domini repetere? an quòd existimes Christi quoque carnem vt corruptibilem cibum effluere? Denique negamus ineptā istam consequutionem, nihil eos arbitrari tradi in Eucharistia, qui doceant verbo nudo & Sacramentis tum veteribus tum nouis, rem prorsus eandem (Christum videlicet) nobis per fidem spiritualiter participandum dari. Deinde respondeo non temerè vocari nouum fœdus quod veteri fœderi successerit, sitque eo præstantius: neque noua meritò præ veteribus dici: neque suam cuique Sacramēto formam nouam, qua à reliquis discernitur, adesse inficiamur. Idem tuus est pudor in citando Augustini loco aduersus eos qui Christi vocem non audiunt: quasi verò nos potius hoc præcipuè principium, aduersum vos non tueamur, standum nobis esse in vno Christi per Prophetas & Apostolos prodito verbo: vel quasi nos ab Ecclesia profugerimus, ac non potius ex Cyclopum antro in Ecclesiam Dei nos receperimus.

AD CAPVT VI.

Finem institutionis Eucharistiæ non efficere vt τὸ ῥητὸν in eius explicatione sit seruandum.



Ic ostendere conaris finem institutionis Cœnæ postulare vt proprietate τοῦ ῥητοῦ penitus seruata, realem carnis Christi situm in Eucharistia statuamus, & quadruplicem hunc finem statuis, *commendationem charitatis Christi, memoriam eorum quæ nostri causa fecit, remissionem peccatorum in rerum oblatarum perceptione positam, intimam denique nostri cum Christo communctionem.* Concedimus hæc omnia, sed ita vt quod vltimo loco statuis, nos primarium ac præcipuum esse, cęteráque antecedere dicamus. prius enim ordine causarum nos ipsum possidere quàm ex ipso quæ in ipso nobis communicantur hauriamus, & prius inesse oportet in memoriæ penu reconditum quod recordando depromitur: prius denique percipi beneficium, quàm de eo percepto gratiæ agātur. Deinde per res oblatas nequaquam vt vos (quod tu versutè significatum voluisti) alteram Christi carnis reipsa Patri faciendam oblationem (id est detestandum illud vestrum pro viuis & mortuis sacrificium) sed ipsummet Christum sese nobis magis ac magis in hoc mysterio insinuantem intelligimus. Hęc igitur probamus totóque pectore amplectimur. Sed quod realem illā tuam præsentiam inde statuis, absit vt tibi concedamus. Neque enim huius actionis finis est, vt membra caput suum quasi in terris adhuc situm quærant aut manibus complectantur: multò minus vt ore deuorent, sed vt potius fide ad illum supra cælos conscendant. Caput enim in cælis est, membra verò in terris, & cibus iste non est ventris sed mentis, vt scitè inquit Augustinus. Nostrum, inquam, *πολίτευμα* est in cælis, quanuis adhuc in terris corpore versemur. Audiamus tamen quid dicas, *Quum*, inquis, *fide credimus Christum adsistere Sacramento quod sumimus, mirum in modum flamma diuinæ dilectionis cor nostrum accendit, & Christi passi memoriam dulcius recolimus, & illic in cælis apud Patrem regnantem adoramus, & hic in terris manere apud nos non ambigimus, & gloriamur nullam esse tam grandem gentem, quæ deos habeat appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* Hæc quoque omnia comprobamus, modò carnalia cum spiritualibus non cōfundantur, & *totus Christus à toto Christo* cōtra Eutychetis dogma discernatur. *An nescimus*, inquis, *quod Ioannes in Cœna præfatur, Patrem omnia illi dedisse in manus, vt nihil sit ei impossibile?* Imò probè hoc scimus, Dei beneficio, neque quicquam quod vult Filius, ei impossibile ducimus, quum sit Deus omnipotens quatenus Deus, & nomen acceperit supra omne nomen quatenus est homo. Sed negamus eum velle aut etiam posse velle contradicentia, quoniam mentiri non potest: neque propterea omnipotēs esse desinit. Dicimus hoc quoque articulis fidei & omnibus scripturis consentaneam esse sententiam quā tuemur quòd verè videlicet Spiritus sancti omnipotentia & fidei organo Christum ipsum participemus, quæ sententia multò plus omnipotentiæ Christ tribuat quàm vestra, vt qui fieri id non posse nisi reali corporum contactu somnietis.

tis. *An ita Christi osores sumus*, inquis, *vt corpoream eius præsentiam abhorreamus?* Nequaquam verò, sed eum quærimus & inuenimus vbi est, iam cum eo per spem sedentes in cælestibus non autem quærentes viuum inter mortuos, & hac per fidem spirituali præsentia Christi sic contenti sumus, quandiu à Domino peregrinamur, vt ad eum sursum magis ac magis contendamus. Denique in Eucharistia mortem eius profitemur donec veniat. An non igitur quod nobis exprobras vos potius estis sermonis Christi corruptores qui præsentem eam carnem in terris esse dicitis, quam vltimo demum die venturam è cælis credunt Christiani?

Sed & istud cuiusmodi tandem est? *pugnant*, inquis, *fortius milites præsente duce, sic præliantur animosius Christiani si præsentem suum ducem habuerint, secúmque esse vsque ad consummationem seculi crediderint, non solùm spirituali præsentia sed etiam corporea, qua homo ipsis in Sacramento præsto est.*

Illud vero nos concedimus, & decertamus vt in oculis nostri agonothetæ nos è cælo & quatenus Deus & quatenus homo est intuentis, sicuti sese non deorsum sed sursum Stephano & Saulo etiam visibiliter patefecit, nec hominem à Deo separamus, etiamsi secundũ humanitatem eum ibi demum esse credimus, vnde venturus est. Nemo enim eò loci dicitur venturus vbi iam est præsens. Illud verò corporeæ tuæ præsentiæ spectrum, idcirco abhortemus quoniam dixit Christus, *Expedit vobis vt ego abeam:* & testatur Apostolus nos à Christo abesse peregrinantes, ideóque ad eum suspirare.

Nihil, inquis, *sublimius hoc Sacramento potuit Ecclesia à Deo suscipere, non modò propter substantiæ mutationem quæ in eo fit, & alia dona quæ ab eo capit, sed quòd in vnum corpus cum suo pastore redigitur non tantùm spiritu, quod recta fides & syncera charitas consequitur, sed vt simus membra corporis eius ex carne eius & ossibus eius.*

De substantiæ ipsius panis & vini in ipsum corpus, & ipsum sanguinem Christi transmutatione quod nugaris, quàm idoneis argumentis probes postea viderimus. Nos autem non modò Christi beneficia tum nobis imputata tum intra nos collata consequi, sed imprimis Christi ipsius participes fieri, quis vnquam nostrûm est inficiatus? & magnum illud esse coniunctionis Ecclesiæ & Christi arcanum dicenti disertè Apostolo quis nostrûm non assentitur? Sint igitur hæc diuersa, modò nunquam sint deiuncta: & corporis quidem sit munus verbum externum audire & symbola terrena sumere: mentis autem fidelis opus ipsa Christi apprehensio & omnium quæ in eo sunt ad nostram salutem comparata. Denique noris hoc semel oportet, nón hoc esse argumentari, sed conuitiari, quod refutationem nullam meretur. Sic autem vno verbo respondemus. Neque ipsius Sacramenti, id est, carnis Christi veritatem, neque finem cuius causa est tota hæc actio instituta (spiritualem videlicet Christi ipsius ad æternam obtinendam vitam adeptionem) magis posse cum vestra reali & corporali corporis Christi in hoc Sacramento in terris præsentia, quàm mendacium cum veritate, & lucem cum tenebris cohærere.

AD CAPVT VII.

Non posse ex institutionis textu, & figura veteris Agni probari verba institutionis absque tropo vllo esse accipienda.

PROMITTIS hoc capite excusionem verborum institutionis Cœnæ Domini, quæ tu sanè mirabiliter succutis & excutis, vt ex re ipsa apparebit. Commendas Euangelistarum miram in circunstantiis designandis diligentiam mira cum verborum breuitate, & rerum ac mysteriorũ copia, quasi videlicet ea de re ambigatur, aut Spiritus sancti scripta collaudationibus tuis apud nos egeant. Hinc exorsus dicis *tria tum fuisse à Christo instituta & inchoata, nouum pascha, nouum testamentum & nouum Euangelij regnum, quorum vnumquodque figurarum nebulas depeilit ne in eorum institutione figuras substituas somniemus.* At tu quæso, annon somniabas quum hæc ipsa figuratè enuntiares? Nam Paschæ nomẽ neque Christo neque his mysteriis aliter quàm figuratè tribuere posis. Sed ad rem. Si per nouum Pascha intelligis nouum ritum, tu videris cur tunc inchoatum tam ambiguè dicas. Nec enim suspicio vana est vsum esse te hac voce, vt quæ postea illis mysteriis à vestris pontificibus adiecta sunt & quotidie adiiciuntur, adiicere licuisse significes, quasi tum videlicet Christus inchoarit quæ vobis perficienda relinqueret. Deinde tum institutum & inchoatum fuisse nouum testamentum nunquam tibi concessero ob eas causas, quas aliquoties repetii. Postremò quòd in figurarum vocabulo ludis, qua conscientia nobiscum agas ostendis. Si figuras appellas ea quibus venturus Christus adumbratus est, annon ad vos id propriè pertinet, qui maximam rituum vestrorum partem ex Iudaismo hausistis? Sin vero sic vocas Sacramenta, túnc audebis negare veteribus Sacramentis noua successisse, & quidem re paria, vt testatur Augustinus, quãuis faciliora, pauciora, feliciora? Sin (quod potius arbitror) quas Grãmatici figuras, & quos tropos appellant sic intelligis, quis te vsque adeò impudenter mentientem ferat? Sed audiamus cætera.

Euangelista, inquis, *his verbis Ante diem festum Pascha, ostendit causam institutionis fuisse Christi erga nos charitatem immensam, cuius potentiam quoque amplificat. Temporis denique circunstantiã attingit veteris Cœnæ ac paschatis adimpletionem.*

Atqui ne de istis quidem inter nos quæritur. Quod si hinc colligis retinendum τὸ ῥητὸν in institutionis verbis, quis te sic argumentantem non deriserit? Saltem verò quid sit *Abite ad Patrem* expendisses, vt eum qui secundum carnem à nobis abiit, quærere secundum carnem inter

nos desineres. Quod autem subiicis de loco, id est, de cœnaculo illo superiore, vbi Apostoli liturgiã celebrarint & vnde virgo Maria mortua sit asportata, quorsum quæso à te dicitur? quem etiam miramur nõ adiecisse fuisse istam dilecti discipuli domum vt ex Papia fortasis Eusebius, & ex hoc alii postea, ne verisimiliter quidem descripserunt. Sed ista, mi homo, quorsum nisi vt tibi indulgeres? Ais etiam lotionem pedum à Christo adhibitam ante Eucharistiæ confectionem, vt doceamur non esse ad illam illota conscientia accedendum. Et hoc rursum quorsum abs te profertur, allegoricum profectò & præter Christi institutum. Dicis postea, consentientibus nobis, Christum triplicem Cœnam peregisse, typicam quam stando & calceis non detractis festinanter iuxta legis præscriptum manducarit cum Apostolis: alteram communem quum mensæ accubuisset, in qua poculum libatorium propinauit, à qua surrexit vt suorum discipulorum pedes lauaret: tertiam mysticam à duabus aliis prorsus differentem & alienam. Sunto sanè vera hæc omnia (ne primo quidem excepto, vt tibi gratificer) quorum te velim meminisse, vt in his quæ subiicis manifestæ calumniæ conuictus tenearis.

Iam ad insigne quiddam accedo. *Cogor*, inquis, *duabus de Christi facto opinionibus occurrere antequam progrediamur.*

Imo tu nondum controuersiæ nostræ vel limen ingressus es. Et quęso, quid te hîc coegit hanc quæstionem non mouere modò, sed etiam tam verbosè & quidem cum maledicentia tanta persequi? An videlicet cum cæteris Iudæis, an verò post vel ante alios Iudæos Christus Pascha celebrarit? Nam siue illud siue istud verum sit, nõ magis hoc pertinet ad id de quo inter nos quæritur (sitne videlicet natiua singularum institutionis Eucharistiæ vocũ significatio retinenda, an verò sacramentali metonymia mysterium hoc explicandum) quàm si vestri Antichristi principatum ex eo colligeres quòd Christus sit natus in Bethlehem.

Quid ergo te impulit vt in hanc quæstionem vltrò te ipsum dares? ambitio nimirum & nostri odium, quibus ducibus fretus non potuisti non à vero aberrare. Age igitur, quandoquidem tu nos cogis ab instituto tecum digredi, quid hoc rei sit videamus.

Quidam (inquis) *placet, Pascha Iudaicum nõ fuisse à Christo celebratum, quòd tardius venerit quàm vt ab ipso posset agnus immolari & apparari. Caluino cõtrà & Bezæ placet Christum vno die anteuertisse Iudæos, qui Pascha eo anno in quintamdecimam lunam procrastinarunt, quoniam coincideret Sabbatho in magnum, & ex traditione habebant vt duo festa in vnum diem conferrẽt quoties vnum alteri succederet, quam sententiam si eo Nicephorum, Munsterum, Osiandrum & alios non indoctos sequi. Verane an falsa sit non pugno, tantum nego ex Euangelistis liquere quòd vno die Iudæos anteuerterit.*

Dic igitur sodes, cur tantos de hac re clamores excitas de qua, vera an falsa sit non pugnes? Dic & istud, cur Caluinum & Bezam, quos illius sentẽtiæ non auctores, sed ab aliis acceptæ approbatores duntaxat esse confiteris, hac occasione arrepta vt arrogantes, vt imperitos, vt impudentes, vt stultos accusandos tibi putaris: annon vt egregii istius commenti obtrusione magnam aliquam ingenii & iudicii singularis famam aucupareris? At vide ne tibi tam facile hęc larua detrahatur, quam tu temerè illa personatus in hanc scenam, omissa de Cœna Domini cõtrouersia, prodiisti. Prioris illius sententiæ quòd Christus Iudaicum Pascha nõ celebrarit, auctorẽ edis ad libri tui marginẽ, polyphemũ illum Vilagagnonẽ, quem quũ non in hac re modò, sed & in aliis plurimis insanientẽ vltrò foueritis vos boni Parisienses Doctores, vt & ipsum Postellum adhuc fouetis, nẽpe vt nobis malediceret, tu videris qua nunc ratione mortuum exagites. Hoc quidem ego testari possum, nisi fortius oppugnetur illa ipsius opinio quàm facias, non facilè illius adstipulatores, inter quos aiunt esse quendã Benedictum vestrum sodalem & illius familiarem, tibi hac in re cessuros. Sed illum insanum vestrum alumnum omittamus. Causam Caluini & meam nunc ago quandoquidem illam tu nostram esse vis.

Pugnant, inquis, *Christum Pascha Iudaicum cum patrefamilias celebrasse, & vno die anticipasse Paschatis apud Iudæos celebritatem. Quis enim credat patrẽfamilias, contra morem gentis traditionibus addictissima Christo acquieuisse?*

Respondeo non vrgere nos quod ais de patrefamilias, quia neque tale quicquam narrant Euangelistæ, neque id necessarium fuit. Sed vt ita esse demus, cur non potius ex verbis Euangelistarum contrarium collegerimus? Apparet enim ad notum quempiam, & qui Christũ valde reuereretur missos fuisse discipulos: Is verò quum contra interdictum Synagogæ cuius fit mentio Ioan. 9. 22. non vereretur Christum domum admittere, cuius etiam illa hebdomade antequàm caperetur quanta fuerit auctoritas ex historia liquet, cur non meritò credatur Christo hac in re quoque libenter obsequutus? Nec certè frustra Christus hoc illi inter cætera dici iussit. *Tempus meum prope est.*

Putant etiam, inquis, *Christum defunctũ fuisse agni paschalis officio stando antequam cœnaculum ascenderet: & tamen de eodem agno dici, desiderio desideraui hoc pascha edere vobiscum antequàm patiar, quod dictum ab illo fuit postquam discubuissent in cœnaculo.*

Respondeo totum istud *Antequam in cœnaculum ascenderet*, à te esse excogitatum, ac proinde te in manifesta falsitate deprehendi. Deinde ineptè hîc à te statui repugnantiam quæ nulla est. Quid enim obstat quominus illa vox, *Desiderio desideraui*, &c. etiam ad Cœnam typicam recens peractam tam commodè referatur, quàm ad peragendam, aut quæ eo ipso momento perageretur? Postremò quum dicas triplicem Cœnam à Christo fuisse peractam, aut nobis assentiaris oportet, aut ostendas accubuisse Iudæos quum agnum comederent. Quod autem adiicis mirari te *quinam Iudaicas traditiones agnoscamus, mandato Dei expresso cõtrarias, nullas tamen Christianorũ etiam*

scripturę

scripturis concordes, admittamus, rursum abs te cõfingitur. Tantùm enim abest vt hanc Iudæorum traditionem approbemus, vt contrà meritò à Christo neglectam tueamur. Tu verò, sycophanta, perinde nobiscum agis ac si Iudæos quidem excusaremus, Christi autem Filii Dei factum reprehenderemus. Deinde vbi tandem inuenies vllam Ecclesiasticam traditionem Dei verbo accommodatam & Ecclesiæ Dei vtilem, à nobis reprehensam?

Pugnant itidem, inquis, *à Christo Pascha Iudaicum cum patrefamilias fuisse perfectum quartadecima luna, priusquam in cœnaculum sui ministerij causa secederet: & eundem Christum iam profunda nocte cum solis suis duodecim accumbentem inter duas vesperas Iudaeorum pascha fecisse, quod vtrunque docet Caluinus, & perinde est ac si diceret Christum bis agno paschali operam dedisse.*

At tu demonstres oportet vbi illud prius scripserit Caluinus. Ad posterius quod attinet manifestè corrumpis Caluini verba Math. 26.20. Nec enim profunda iã nocte, sed primo vespere Pascha celebrasse Christum tradit, vesperas duas statuens cum Iudæorum doctissimis. Nam Christum quoque vix probabile fuerit profunda iam nocte in hortum extra vrbem exiuisse.

Itaque quod ineptè quoque Caluinum ais, *duas vesperas decimaquarta luna definiuisse à Solis occasu eiusdem diei ad primam lucem consequentis, quasi prior vespera à Solis occasu eiusdem diei vsque ad obscuram noctem produceretur, & posterior cum Solis subsequentis ortu coniungeretur, vt inter duas vesperas prebet Christum vacasse agno immolando & manducando: nihil autem fingi posse stultius quàm vesperas decimiquarti diei quas occasus Solis excludit, nocti decimiquinti attribuere*, hoc inquam impudentiam rursum tuam prodit, quum hac de re ne verbum quidem apud Caluinum extet. Itaque non ego Caluini errorem studui emendare qui nusquam est, sed hîc rursum tuam extremam impudentiam patefaciam oportet. Nec enim scripsi ego Christum quartadecima luna celebrasse pascha, sed Matthęum dixi decimum quartum diem vocare primum Azymorum diem ex Romanorum more, qui noctem præcedenti diei accensent, quum alioqui ab occasu decimiquarti diei, ex lege & more Iudæorum, qui noctem subsequenti diei annumerant, numerandus esset primus Azymorum dies, nempe decimus quintus. En quo nos iure (bone vir) vt arrogantes, impudentes, imperitos, ineptos, stultos appelles. Quid tu verò doctissime Domine Doctor hac de re arbitraris?

Nihil verè, inquis, *tot argutijs opus est, quũ actio Christi prorsus cum lege conueniat.* Ergo nobiscum hactenus tu quoque ineptis. Quid enim aliud diximus? *Immolabatur*, inquis, *agnus quarta decima luna mensis primi ad vesperã, id est, vsque ad vesperam qua ingruebat nocti decima quarta, qua tota nocte licebat agnum edere, ita vt celebritas agni paschalis diem decimum quartum & noctem decimi quinti occuparet: sed illam ad immolationem, hanc verò ad esum.*

Imò verò Moses agens de immolatione siue præparatione ipsius agni, iubet id fieri non ad vesperam sed inter duas vesperas, edi vero vespere: quorum locorum collatio ostendit non totam diem sed postremam partem, nempe à nona ad duodecimam exactam horam siue ad occasum Solis immolationi & præparationi datam fuisse, esui verò horã primam noctis, à qua decimus quintus dies, qui primus erat Azymorum incipiebat: & ita intelligendum esse illud *Inter duas vesperas* potius quàm de crepusculo vespertino & plena nocte didici non tam ex Kimhi quàm ex collatione loci Exod. 29, 39. de iugi sacrificio inter duas vesperas peragendo, cum loco Actor. 3. 1. vbi horam nonam (tertiam videlicet ante occasum) vocat horam precationis, quòd eo tempore accensis lucernis fieret suffitus Exod. 39. 57, foris stante populo Luc. 1. 10. Itaque tripliciter hîc peccas, nempè quòd quartam diei partem pro toto die accipias, *& in vespera pro vsque ad vesperam* interpreteris, nec quid sit illud *Inter duas vesperas*, intelligas. Et quod ais te ex Rabinis & Iosepho intellexisse de duplici vespera festorum, imperitè vel abs te dicitur, vel ab illis traditur. Neque enim ista formula *Inter duas vesperas* fuit duorum festorum propria, sed singulis diebus communis, vt apparet non modò ex tempore quod erat iugi sacrificio quotidiano destinatum, sed etiam ex loco Exod. 16. 12. ex quo & illud liquere potest, tempus illud diei ferè fuisse apparatui cœnæ & cœnationi, quotidianæ (sicut & apud nos) destinatum. Sed tibi homini acutissimo non fit verisimile tribus horis potuisse trecenta millia agnorum immolari, & eorum viscera adoleri, quot ferè in Paschæ festo solita fuisse mactari scribit Iosephus. Atqui (vt tibi concedam in templo à Leuitis solitos fuisse agnos singulares paschæ iugulari, quod fortassis non ita facilè euiceris) vt tantùm tria millia Leuitarum fuerint (fuisse autem sæpè illos multò plures ex historiis sacris liquet) quid obstat quominus tribus horis singuli iugulare centũ agnos & interanea decerpere altarique imponere potuerint? consumi autem tribus horis illa minimè necesse fuit. Viden' igitur quantò sit facilius hominibus arrogantibus & odio percitis aliena reprehendere, quàm sua defendere? Sed quid hoc rei est quæso? vt nostram imperitiam, arrogantiam, stultitiam patefaceres, tibi necesse fuit non tantùm Christum ostendere secundum legem Pascha celebrasse, qua de re frustrà disputasti quum in eo minimè dissentiamus, sed ostendere quinam sit falsum quod diximus, Iudæos videlicet non decima quinta die, vt oportuit, sed decima sexta nocte demum ex traditione, Pascha eo anno celebrasse: quod vt eludas contendis, quod etiam amplecti videtur Stapulensis, quòd dicuntur Iudæi nõ ingressi prætorium ne contaminarentur, sed vt manducarent pascha, de Azymis panibus dictum: & totos etiam illos septem dies Paschæ quoque nomine appellari consuetum fuisse. Hoc posterius tibi concedo, illud prorsus nego, vel consueuisse Israelitas alio tẽpore quàm nocte decimum quintũ diẽ inchoante Pascha mãducare. *At enim*, inquis, *Lucas sic explicat. Inquit enim, Appropinquabat dies festus Azymorũ*

qui dicitur Pascha. Imò hoc testimonio iugularis. Nec enim septem illi dies erãt festi, sed primus duntaxat & vltimus: neque ipsos Azymos panes, vel eorum esum vocat Lucas Pascha, nisi fortè sic ineptis vt illos quoque velis immolari consueuisse. Nam subiicit Lucas, *Aduenit autem dies Azymorum primus in quo oportebat mactari Pascha.* Primum autem diem Azymorum illîc vocari decimum quartum diem, quum tamen Azymales illi dies à nocte decimi quinti inciperent: idque idcirco fieri quòd nox quadam vulgi consuetudine antecedenti diei non consequẽti (vt factum oportuit) accenseretur, num tu inficiari ausis? Certè vt arbitror, vt qui ita etiam ineptias vt celebritati Paschæ diem decimum quartum & noctem decimi quinti tribuas, quod esse falsissimum vel illud arguit quòd die primo Azymorum erat conuocatio sancta, erant autem Azymorum dies omnino septem. Quod si septem illos dies ab ipso decimo quarto numeres, terminaretur festum vicesimo die mensis Nisan. At contrà vltimum diem Paschæ quo & ipso sacra erat conuocatio terminat die vicesima prima Moses Exod. 12. 18. & quidem ad vesperam, à qua videlicet incipiebat dies 22. mensis Nisan, ex Iudęorum more. Sed quid ad hæc Ioannis verba respondes, *parasceue autem erat Pascha hora quasi sexta?* nempe ita es impudens vt illic quoque nõ àgnum, sed Azymos panes velis significari, adeò vt me in hoc quoque reprehẽdas quòd maluerim apud Matthæum vertere, *Scitis intra duos dies Pascha fore*, quàm cum vetere interprete, *Scitis quia post biduum Pascha fiet.* Quasi verò inter *esse* & *fieri*, aliquid hoc loco intersit: & ipse Marcus 14. 1. nõ scribat ἦν δὲ τὸ πάσχα μετὰ δύο ἡμέρας, *erat autẽ pascha duobus pòst diebus*: & quasi nõ optimo iure barbarũ illud *quia* vitarim: quasi denique res ipsa nõ ostendat, Latinè dici post biduũ fieri quod tertio demũ post die eueniat, quum hîc de ipso altero die mox consequente agatur, vt omnino vel *intra duos dies, vel biduo pòst*, non autem *post biduum* conuertere hoc loco oportuerit, quemadmodum illud μετὰ τρεῖς ἡμέρας, quum de Christi resurrectione agitur, non *post tres dies*, sed *tribus pòst diebus* interpretandum esse docui. Sed ad rem. Dic tu nobis censor acerime, cur non dixit ibi Iohannes simpliciter *parasceue*, vel *parasceue Sabbathi*? nempe quia non de septimo vulgari Sabbatho, sed de magno & extraordinario Sabbatho, die videlicet Azymorum primo agebatur. Nam de totis illis septem diebus id intelligi non posse ex eo liquet, quòd etiamsi ingressu in prætorium fuissent contaminati, non durasset tamen totis septem diebus immundities: neque nomen παρασκευῆς aliò quàm ad præparationem agni & diem festum respicit, in quo demum ab omni seruili opere abstinendum erat. At prius parari quàm edi pascha oportuit. Quoto autem die fuit hæc parasceue? nempe quinto decimo, quoto crucifixus fuit Dominus. Efficitur ergo quo die passus est Dominus Iudæos agnum apparasse, quem ea demum nocte quæ decimã sextam inchoabat comederint, ac proinde ex traditione proculdubio, festum diem in proximè cohærens Sabbathum (sicut & vos in vestris vestra authoritate introductis festis factitatis) transtulisse. Aut igitur Christus Pascha non celebrauit omnino, aut vno die (quod nos defendimus) non traditionem Iudaicam, quæ irritum faciebat Dei mandatum, sed legem, cui se propter nos subiecit, sequutus, vno die integro Iudæos anteuertit. Et sanè si hoc Sabbathum ordinarium erat, ac non potius (vt vestro quodam Iudaismo loquimini) festum duplex, cur magnum vocatum esset? & cui persuaseris passuros fuisse Iudæos iudicium fieri, & summi supplicium ram (vt ita loquar) exosum die primo, & grandi illo festo Azymorum, si eum, id est, decimum quintum ex lege celebrassent, quum ne corpora quidẽ eo die remanere in cruce sustineant, non modò quia lex in genere vetabat, sed imprimis propter sabbathi illius magni diem? Restat ergo falsum esse *ex Euangelista non liquere quòd vno die Iudæos Christus anteuerterit.* Hanc autem disputationẽ quum his verbis concludis, *Ne reuocemus in dubium de quo vt opinor, nemo antiquorum Patrum dubitauit An Christus Iudæorum Pascha cum suis discipulis tanquam paterfamilias fecerit tempore & ritu legitimo, cui post expletas de more epulas communium ciborum sacrosancta Eucharistiæ institutionem subiecit*, prodis rursum quò vsque te odium nostri, vel pseudoepiscopatus ambitio abduxerit: qui postquam nos dixisti multa arroganter, ineptè, stultè, imperitè, repugnanter de Paschate Iudaico dixisse, tandem id ipsum concludis quod nos sentimus, nempe Christum neglecta meritò traditione Rabinica, hîc quoque vt in cæteris præscriptam cui sese vltrò nostri causa subiecit, legem seruasse. Sed agè tecum tandiu expatiati tandem domum redeamus. Subiicis hîc demum, vt re ipsum videlicet vendites, verbosam collationem & analogiam agni paschalis cum sacra domini Cœna ex Caluino & aliis nostris penè ad verbum descriptam, in qua vltrò tibi, sicuti par est, assentior. Addis postea frustra iugulatum fuisse agnum à Patribus nisi etiam fuisset comesus, imò idcirco iugulatum fuisse vt comederetur, quod & ipsum extra controuersiam est. *Ergo*, inquis, *ad implendam figuram, sicut non satis fuit occidi Christum spiritualiter, sed corporaliter debuit vitam profundere, sic etiam non satis est ipsum spiritualiter, sed etiam corporaliter oportet manducari.* Et vt hoc ænigma interpreteris, subiicis. *Christus occisus est ab origine mundi fide tenus & spiritu, nec ea occisio potuit agni Iudaici explere veritatem, nisi reipsa agnus ille fuisset occisus. Itidem manducatus fuit ab origine mundi, sed fide tenus ac spiritu & multò minus talis manducatio potuit exhibere agni Iudaici veritatem, quàm spiritalis occisio quandoquidem ratio agni paschalis non propriè consistit in mactatione agni, sed in esu quadam ceremonia præscripto.* Hæc tua verè, mihi quidem, ænigmatica experiar an planius possim explicare. Tu videris an à me satis sint percepta. Duplex esse mihi videtur tuum argumentum, & quod posteriore loco statuis fuisse priore collocandum. Esse autem arbitror eiusmodi. *Non satis fuit Patribus fide & spiritu occisum esse Christum, sed eum corporaliter & reipsa quoque occidi oportuit. Ergo non satis etiam fuerit manducari spiritualiter Christum sed corporaliter quoque oportet edi.*

Itaque

Itaque in agno paschali reipsa quoque & corporaliter agnus tum occidebatur tum mãducabatur. Atqui (mi homo) si spiritualis seu fidei esus ille Christi, reipsa & corporaliter tãdem venturi & occidendi, nõ satis fuit Patribus ad salutem, sed corporaliter illum quoque comedi semper oportuit: aut Patres nunc quoque beatæ vitæ sedibus excluseris aut ostendas oportet vbi & quo tandem tempore corporaliter quoque Christũ manducarint. Quod si corporaliter quoque non manducarunt sed tantùm spiritualiter, & tamẽ (quandocunque tandem id factum esse velis) seruati sunt: nempe falsa fuerit, quod ad illos attinet, illa quam ponis manducationis corporalis necessitas, quæ si illis nõ fuit necessaria: cur nobis potius fuerit, vt grauius sit nostrum quàm illorum iugum? Res autem ita se habet, Caro Christi quamuis reipsa existeret in sese, erat tamen fidei Patrum præsentissima, quòd fides esset illis rerum etiam quæ nondum extabant hypostasis, sicuti mors Christi quæ iam præteriit, nostræ quoque fidei præsens est. Sed vana tamen & mendax fuisset Patrum tum ante legem tum sub lege fides & spes in venturum & passurũ Christum, nisi reipsa corporaliter tandem Christus venisset & passus esset. Corporalis autem manducatio & perceptio inde statui nec potest nec debet, quia vt corporaliter & reipsa extare tandem oportuerit fidei obiectum, & reipsa ac corporaliter præstari pœnas quas alioqui corporaliter ac reipsa lui à Patribus ipsis necesse fuisset: tamen non efficitur corporalem esse quoque vel olim oportuisse, vel nunc oportere illius obiecti apprehensionem & perceptionem cui significandæ nomen manducationis tum demum inditum est quum Sacramenta manducabilia instituta sunt, aut mox erant instituenda: ex quo etiam illud colligendum est Manducationem propriè quidem signis, rei autem significatæ translatitiè conuenire. Ratio est, quia manducatio est propriè corporis actio non animi, & huius vnius vitæ vsui accommodata: Christi autem ipsius perceptio, quum ad spiritualem & æternam vitam spectet, spiritu quoque & animo, fide denique fiat oportet, quæ tamen fides, sensibus quoque corporeis per Sacramentorum obiecta commotis, ad energiam excitatur. Alterum autem tuum argumentum sic accipio. *Corporaliter & reipsa occidebatur & comedebatur agnus typicus, adeò quidem vt potissima essent esus partes, vt pote cuius causa instituta erat immolatio. Ergo vt figuræ respondeat veritas, sicut oportuit verum agnum corporaliter quoque & reipsa occidi, sic oportet quoque à nobis corporaliter & reipsa comedi, quamobrem etiam Paulus quum dixisset Christum Pascha nostrum immolatum esse, addit ἑορτάζωμεν, id est, solenniter epulemur in Azymis synceritatis.* Ego verò concedo sicut agni typici, sic quoque agni veri corporalem ac realem mortem esse oportuisse. Concedo & illud carnem Christi crucifixam non magis prodesse nisi verè à nobis sumatur, quàm prodest famelico cibus optimè præparatus, quo tamen non vescatur. Sed quod analogiam eò vsque vrges vt corporalem quoque modum istius sumptionis esse velis, sicut corporali modo typicus agnus edebatur, id ego, ob eam causam quam ante retuli, pernego. Nec enim vt sua signis, ac figuris veritas constet, hæc inter se conferenda sunt in omnibus, sed hactenus comparanda quatenus fert eius consilium & voluntas à quo signa & figuræ instituuntur: & quatenus tum signorum tum rerum significatarum natura patitur. Verbum autem ἑορτάζωμεν ineptissimè ad paschatis & Eucharistiæ epulum detorques, quãuis eò Paulus alluserit. Epulũ enim ad quod nos adhortatur, vniuersæ vitæ Christianæ cursus est, id quod ex Azymorum allegoria apparet. Itaque ex hoc quoque Pauli loco statuitur quod illam tuam consequutionem apertè conuellit, nempe in ipso Eucharistiæ solenni ritu non alia ratione à nobis Christum quàm tota nostra vita, syncera nimirum fide sese per opera bona exerente, comedi.

Disputas postea multis verbis aduersus eos, *qui vt figuræ respondeat veritas tempus etiam vrgent, ideóque contendunt, sicut agni caro post mactationem demum apposita est, sic Christi carnem non debuisse nisi post passionem apponi.* Quod enim rursus perobscurè tuo more scripsisti, sic planius scripsisses. Respondes inter cætera: *in agno typico antecessisse mortem, quoniam edi communis caro nisi mortua nequit ab homine: nos autem credimus & edimus carnem Christi viuam & viuificatricem, cui mors tantùm sit dominata quandiu voluit.* Fateris ergo hactenus vrgẽdam analogiam istorum rituum cum re significata, quatenus rei significatæ natura & finis ipse institutionis patitur. Rursum igitur nobis hoc responsum pari ratione suggeris, agnum quidem alium corporali modo fuisse (ore videlicet) comesum, quia communis caro nisi ore comedi ab homine non potest: nos autem credere & edere viuam & viuificatricem carnem Christi non in istam animalem, sed in æternam vitam ac spiritualẽ, ideóque fidei esum hunc esse non oris, neque ventris sed mentis cibum. Istud verò dogma de quo disputas, ad nos quidem nihil pertinet. Instituis rursum postea verbosam Cœnæ dominicæ & esus agni Paschalis collationem, ex Caluino & nostris maxima ex parte desumptam, ideóque minimè à nobis repetendam. Sed quod inde colligis, age expendamus. *Si spiritualiter tantùm,* inquis, *& per fidem Christus percipitur in Eucharistia Cœna, neque loquutio qua instituitur Eucharistia, alia est quàm Sacramentalis & eadem qua dicitur agnus esse pascha, Christus operam perdidit.* Bene est sanè quod conditionem & quidem duplicem apposuisti, sed vereor vt tuo more id facias siue inscitia, siue improbitate. Nam si tibi illud *Spiritualiter*, & *per fidem* idem declarat atque *Sola energia & efficacitate, aut imaginatione quadam*, exclusa ipsius Christi communicatione, nobis iniuriam facis. Nam istud *Spiritualiter* non ad id quod percipitur (ipsum enim Christũ totum oportere nostrum fieri dicimus, quoniã neque diuisus, neque sibi non insitos nos seruaret) sed tum ad Spiritus sancti potentiã, & fidem (animi habitũ gratis nobis datũ:) tũ ad ipsum perceptionis modum, atque adeò ad totum hoc mysterium minimè imaginarium quanuis merè spirituale, referimus. Deinde si comparationem harum duarum formarũ *Hoc* siue *Hic panis est corpus meum* &, *agnus est pascha* perinde interpretaris ac si panem illum nõ aliter esse corpus Domi-

ni diceremus quàm agnus fuerit pascha, sycophantam agis. Citari enim à nobis hoc exemplum non ignoras vt idem in vtroque dicendi genus esse probemus, non quòd sententiam vtriusque parem, ac multò minus eandem esse arbitremur. Agnus enim dicitur esse Pascha, id est, transilitio, vt & panis vocatur corpus, sacramentali metonymia: sed non consequitur Pascha idem valere atq; Corpus illud traditum pro nobis. Postremò ne si verum quidem esset quod ais, consequeretur quod tu contendis, nisi putas operam lusisse Deum, quum figuras figuris ad eundem penitus scopum collimantibus cumularet: aut quum eadem iisdem aut aliquantulum variatis verbis inculcauit tardis discipulis. Sed age probationem istius tui paradoxi audiamus. *Si sic est,* inquis, *nec rerum nec verborum figura desierunt, nec noui testamenti vt noui regni Christus in Cœnam initium fecit.* Mira certè narras, mi homo. Si vis rerum figuras desiisse Christi aduentu, id est, sic exhibita regni cælestis mysteria vt nullis iam figuris tectum sed prorsus nudum mysterium nostræ salutis nobis exhibeatur, tolle igitur ex Christiana religione Sacramenta, nec Baptismus saltem successerit Circuncisioni, nec amplius Deum per ænigma cognoscamus, sed sicuti est aspiciamus. Et quorsum vos igitur pro duobus Sacramentis tot adiunxistis Sacramenta, & Sacramentis tot sacramentalia quæ vocatis, de quarum rerum figurata significatione garrire nũquam desinitis? Iam verò quod ad verborum figuras attinet, si sublatas illas esse vis, expũgas sanè omnium Euangelistarum & Apostolorum scripta necesse est. De initio autem noui testamenti & noui regni quod ab Eucharistiæ institutione ducis, quod toties dixi iterum dico, nimiùm esse te hoc in delirio ineptum ac importunum. Nam siue promulgationem ipsam primam Euangelii, seu noui fœderis respiciamus, extra quod nemo vnquam seruatus est, ad primam Euangelicam promissionem mox peccatum subsequutam, ac deinceps ad promissionem Abrahamo factam retrocedendum est, vt facit Apostolus ad Galatas de vtroque testamento differens: siue ipsam realem Christi exhibitionem, & eorum præstationem per quæ recõciliatio facta est, spectemus, à Christi conceptione exordium facere oportet: sin ad completionem mysterii salutis nostræ, ad resurrectionem veniendum est, quo tempore demum se à Patre omnem potestatem accepisse Christus ipse testatur, quod tamen plenissimè per assumptionem in cælos ad dextram Patris reipsa completum in ipso fuit, & in nobis vltimo demum die complebitur. Quid igitur, inquies? an non hoc est nouum illud testamentum in sanguine ipsius? nempe quod ad nouam eius fœderis σφραγῖδος institutionem, non quod ad ipsius fœderis initium ac prçstationem attinet. qua de re vt tandem aliquando tibi liqueat age Apostoli vestigia, deinde Sorbonicam istam theologiam sequamur. Negare non potes quin Circuncisio fœderi appensa, Apostolo authore sit iustitiæ fidei sigillum, quæ contigit Abrahamo, in præputio. Vos quoque Scholastici quum veteribus cæteris Sacramentis omnem gratiæ collationem detrahitis, Circuncisioni tamen idem in genere atque Baptismo tribuitis. At Circuncisio, quum fœdus illud gratuitæ salutis per Christum venturum imò etiam eius effectum, id est, iustificationem in Abrahamo non præcesserit, sed aliquot pòst annis sequuta sit, certe fœdus ipsum non inchoauit, sed Apostolo teste obsignauit: ideóque sic fœdus vocatur, vt addatur idcirco fœdus vocari quia sit fœderis signaculum. Quantò minus verò Baptismus tot post annis Circuncisionis loco introductus, ipsum fœdus inchoauit? Quod si velis noui fœderis exhibitionem à Baptismo incboatam quò videtur Ieremias cap. 31. respexisse, ergo Cœna Domini 4. circiter post annis sequuta, non fuerit Noui testamenti initium. Quod enim nonnulli vestrûm Baptismi institutionem primam referunt ad missionem postremam Apostolorum, ne refutatione quidem indiget. Et ne obiicias in infantibus saltem fœdus inchoari à Baptismo ne id quidem ego concessero. Aio enim idcirco baptisari sanctorum liberos quod sint in patrum fœdere ex hac formula comprehensi; Ero Deus tuus ac seminis tui: nec minus vos ineptè facere dico quum Iudæorum aut Turcarum infantes insciis aut non postulantibus parentibus temetè baptisatis, quàm si puræ chartæ sigillum apponeretis. Audiamus cætera.

Quid alioqui Eucharistia affert aut præ se fert quo Cœnam typicam excellat siue quo ad rem siue quo ad sermonem? Certè Christus significantius & expressius per agnum assum & eius sanguinem postibus illitum repræsentabatur quàm per panem aridum aut vinum purum: & spiritualiter pro mensura fidei tam participabatur Christi caro in manducatione agni, quàm pro eadem mensura participatur spiritualiter in Eucharistia. Et sermo Christi in sua Cœna idem esse ab aduersariis defenditur, atque is quo agni Iudaici Cœna comprehenditur, quoniam in re vtraque aiunt parem esse loquutionem.

Respondeo tibi verbis ab Augustino sæpe, quod tu non ignoras, inculcatis, *re paria* videlicet fuisse veterum Sacramenta cum nostris, id est, rem eandem eodémque modo, quãuis sub diuersis figuris, sacramentaliter, (id est minimè vanè aut inaniter) significasse, sed pari nequaquam mensura & effectu, nisi quidem per nos steterit. Nostra enim sunt multò significantiora & efficaciora, qua de re suo loco plenius disseram, vt omnes intelligant quàm falsò dicas expressius significatam Christi participationem in Iudaica Cœna quàm in Christianorum Eucharistia. In summa dico insulsam esse hanc consequutionem. Res eadem in typica & Domini Cœna datur eodem modo nempe spiritali, & pro mẽsura fidei participanda, ergo nihil amplius datur in Eucharistia quàm in Iudaica Cœna. Nam & hoc paucis dico quod postea plenius, vbi ad discrimen istorum Sacramentorum vẽtum erit, Deo fauente, explicabo. Res eadem tradi impari in sese ratione potest. Plus enim est rem ipsam existentem tradere, quàm ius in rem nondum existentem quanuis certò futuram tribuere, etiamsi interea fructus ex ea re percipias, quam iure tantùm non ipso facto possideas: & idem instrumentum quanuis in genere similiter motum, tamẽ non

pari ſemper motu mouetur,ac proinde non pariter ſemper agit. Quod ad ipſum autem dicendi genus attinet, quid obſtat quominus de rebus etiã diuerſiſsimis,nedum κατὰ τὸ πλεῖον ἢ τὸ ἧττον duntaxat imparibus,eadem dicẽdi formula diſſeram? Inanes autem illos clamores quos in reliqua huius capitis parte profundis, vt id de quo minimè ambigitur, id eſt Euchariſtiæ dignitatem oſtendas,cur tandem repetierim? per me igitur ad rauim vſque vocifereris licet.

AD CAPVT VIII.

Neque ex verbis Chriſti quibus Euchariſtia inſtituitur, neque ex inchoatione ac proprietate Noui teſtamenti euinci retinendum τὸ ῥητὸν in inſtituitionis Euchariſtiæ explicatione.

SVSCEPISTI in primis hoc capite demonſtrandum quàm multis modis contextum inſtitutionis Euchariſtiæ in Latina tranſlatione corruperimus.

Primam noſtram deprauationem in eo ponis, *quòd verba εὐχαριστεῖν & εὐλογεῖν ex verbis tranſitiuis reddiderimus abſoluta*. Vnde verò de verbo εὐλογεῖν illud conicis? Num enim illi aliquem caſum in Euchariſtiæ verbis expreſſum ademimus? num aliter quàm tu ipſe verbum hoc conuertimus? Nam tua hæc eſt interpretatio, *Cœnantibus illis accepit Ieſus panem, & benedixit* (ſiue *gratias egit*) *ac fregit dedítque*, &c. Alteram autem partem ſic tu ipſe conuertis. *Accipiens calicem gratias egit & dedit illis*, &c. Quis tuus igitur hic pudor eſt, quum per tuam interpretationem nobis liceat ipſum benedicendi verbum ex priore parte expungere (quod tamen minimè fecimus) & tu ipſe in poſteriore expunxeris: quum denique illud tu quoque nullo addito caſu expreſſeris, audere nos tamen accuſare quòd illud ex tranſitiuo abſolutum reddiderimus? Quod ſi non de ipſa huius vocis in Latinum ſermonem conuerſione, ſed de explicatione conquereris, fateor quidem à nobis veſtrum illud magicum conſecrationis commentum damnari, ſed vt diiudicetur an propterea benedictionem ac conſecrationem aboleamus, perinde acſi benedictio ſacramentalis à communi & vulgata gratiarum actione nihil differret, æquum eſt, vt quum tu ſis actor, ego verò reus, ex meis potius quàm ex tuis ſcriptis ſtatuatur. Mea verò hęc totidem verba ſunt in illum locum Pauli. 1.Cor.10.16. τὸ ποτήριον ὃ εὐλογοῦμεν. *Puto εὐλογεῖν idem hic declarare atque infinitis locis veteris teſtamenti* קדש, *id eſt* ἁγιάζειν καὶ καθαίρειν, *id eſt, ſanctificare & conſecrare, quia nimirum recitata & expoſita Dei ordinatione, panis & vinum huic vſui ſacro deſtinantur, vt ſint veri & naturalis corporis & ſanguinis Chriſti Sacramenta, id eſt, ſymbola & teſſeræ, & ita quidem vt id quod ſignificatur, verè quoque nobis ſpiritualiter per fidem participandum offeratur.* Hæc mea verba ſunt ex quibus conſtare iam arbitror quo pudore nobis impudentiam & mendacium attribuas. Iam verò quod ad verbum εὐχαριστεῖν attinet, annon tu quoque conuertis per *Gratias egit*? Ergo abſolutè non tranſitiuè. Nec te pudet id ipſum nobis obiicere, quod ipſemet vel inuitus facis. Nec enim aliter conuertit etiam veſter Canon, in alterius partis conſecratione. Nos verò etſi Euangeliſtas ſequuti εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν pro eodem ſumimus, tamen ſic explicari à nobis hanc gratiarum actionem vt à vulgata & communi ciborum ſanctificatione diſcernatur, & ipſam ſacramentalem conſecrationem includat, quæ cum peculiari Dei collaudatione ſit coniuncta: à nobis denique probari illam Oecumenii explicationem ὃ εὐλογοῦμεν, id eſt, ὃ εὐλογοῦντες καθαγιάζομεν, vt benedicere idem valeat atque cum gratiarum actione ad ſacramentalem vſum præparare, ne tu quidem niſi impudenter inficiari potes.

Alterum hoc in nobis reprehendis quòd pronomen *Hoc* interpretemur *Hunc panem, omnium*, vt inquis, *noſtrarum fallaciarum fundamentum*. Quinetiam ais *ſic à nobis Lutheranorum oculos quaſi cornicum configi*. Iſti certè quos Lutheranos vocas, panem veſtro more nuſquam ex Domini Cœna excludunt, etiamſi de huius pronominis vi à nobis diſcrepant. Tibi itaq; cum illis non minus quàm nobiſcum certamen eſt. Sed tu libens nimirum, vt tuam illam non ſanè bellam tranſſubſtantiatam Helenam ſerues, noſtris, vt olim Troiani Agamemnonis & Achillis, diſſidiis delectaris, quæ te ſpes (vt ſpero) tandem fallet. Ad nos autem quod attinet, quoniam te alibi probaturum polliceris *neque textum ita habere* (quod vltrò confitemur) *nec pati ſcripturas vt ita habere poſſit*, quum dictum potius à te oportuerit. *Vt ita explicari poſſit*, age nos in eum locum iſtam diſputationem differamus.

Audiamus iam grande & inexpiabile Bezæ facinus, qui τοῦτο τὸ αἷμά μου vertit, Hoc eſt ſanguis meus, quoniam Lucas τὸ ποτήριον nomen ipſi pronomini τοῦτο adiunctum expreſsit. Quid tu verò contra? *Si*, inquis, *apud Lucam τοῦτο demonſtrat ποτήριον, ſiue poculum cui affigitur, quare non demonſtrabit αἷμα ſiue ſanguinem, cui ſimiliter annectitur*? Atqui mi acerrime cenſor, ne ſi quidem meam verſionem ſeu interpretationem ſequaris, præiudicium attuleris identicæ quam mox ſtatuis, enuntiationi. Nec enim adieci apud Matthæum aut Marcum poculi nomen, quia mihi ſumma religio fuit contextum vllo modo violare. Iſta verò ſi tuo ſenſu accipiantur, annon idem valent *Hoc*, id eſt, *Hæc res, eſt ſanguis meus*. &, *Hic eſt*, vel *Ecce ſanguis meus*? Sed heus tu bone vir, cur hîc non valeat quod tute antea dixiſti, Euangeliſtas videlicet mutuas inter ſe operas tradidiſſe? Quod autem factum negabas in Euchariſtiæ inſtitutionis verbis quaſi per ſe penitus perſpicuis, ecce falſum hic eſſe cõuincitur. Proſpiciens enim Spiritus ſanctus fore vt ambigeretur nõ tam ab hominibus quàm à ſtipitibus, quid per pronomen τοῦτο demõſtraretur (quãuis id ſatis non penitus inſanis liqueret ex eo quod pręcedit, quòd Chriſtus videlicet poculum manibus ſuis acceperit) ipſum antecedens ποτήριον expreſsit. Affers hanc alteram quoque in me rationem. *Quum Moſes dicens τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης Hic eſt ſanguis teſtamenti, nihil aliud voluerit indicare, quàm ſanguinem ipſum,*

qui tamen hyssopo seu vasculo continebatur, cur eodem prorsus stilo vtens Christus, existimabitur vasculum aliquod præter sanguinem indicasse? Agnosco Illyrici illius infelicis memoriæ discipulum, fortaßis à vobis quoque ad turbandas Ecclesias conducti: & simul agnosco iustum in te excæcando diuinum indicium. Obsecro enim, si pares sunt istæ formulæ, ea quidem quam tu vis ratione: & Moses nihil nisi illum ipsum sanguinem in hyssopo contentum demonstrauit, quid etiam demonstrauerit Dominus? nempe sanguinem solum suum, in calice contentum. Ergo plurimùm à Mose dissentit Christus. Nam ille duntaxat signum, Christus rem ipsam significatã duntaxat expresserit. At cur ille quidem rem significatã (illum videlicet Christi fundendum sanguinem, vt auctor epistolæ ad Hebræos ostendit, id est, illud ipsum quo fœdus sanciebatur, & quò respicere Israelitas oportuit) sciens prætererit: Christus verò signi quod eo ipso tempore instituebat, nullam fecerit mentionem? Res autem ita habet. Nec Moses nec Christus signum aut rem significatam prætermisit. Nam ille sanguinem fœderis nominans, sacramentum à re communi discernit, &, quanuis obscurè (vt sub lege) tamen satis innuit hunc sanguinem quem fundebat, esse alterius non communis fundendi Sacramentum, quum sanguis ipse taurorum & hircorum conciliare homines Deo nunquam potuerit: Christus verò tum signum demonstrat pronomine τοῦτο, tum rem Sacramenti quum illi sanguinis sui nomen attribuit. Inter Mosis verò dictum & Christi verba illud interest, quòd apud illum vnus sanguis signum est alterius: in Christi verò sententia vinum est sanguinis Sacramentum. Cæterum tertiam quoque rationẽ profers eiusmodi *Poculum*, inquis, *pro vase aut vini potione non potest esse nouum Testamentum, neque tessera noui Testamenti quod exigit sanguinem Filij Dei. Ideoq; nõ aliud quàm ipsemet sanguis designatur per poculum.* Respondeò quòd vas ipsum dicis neque nouũ Testamentũ esse, neque tesseram noui testamenti, in eo me tibi assentiri. Quis enim hoc vnquam dixit aut dixerit? sed quod inde cõcludis planè inficior, nempe nihil hîc præter ipsum sanguinẽ demonstrari. Etenim si nullum signum hîc est neque rei significatæ ἀνάλογον, nullum est Sacramentum. Quòd si signum hîc aliquod esse dixeris, quæram nimirum cur nulla sit eius à Christo facta mentio. Denique scito nõ deesse editum istic exemplar, ac etiam manu scriptum Cypriani apud quem Epist. 63. totidem verbis legatur. *Hoc est sanguis meus*, quomodo vertenda fuisse græca illa contendo.

Accedo ad tertium accusationis tuæ caput longè grauißimum, nempe *quòd in his Lucæ verbis, τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, ausus sim eu solœcismi accusare, quasi dictum oportuerit τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ: & contra omnium exemplarium fidem conuerterim. Hoc poculum est nouum testamentum in sanguine meo qui pro vobis effunditur.*

At ego rursum quæro qua conscientia hæc in me scripseris. Fateor me ita (vt tu dicis) cõuertisse, sed an textum ipsum Lucæ corrupi, ac non potius sum testatus τὸ ἐκχυνόμενον in omnibus nostris exemplaribus scribi, &, allatis meis coniecturis, omnia lectori salua & integra reliqui? Hoccine verò est agere quod librorum corruptores solent? Quid si protulissem codicis cuiusdam manuscripti mei Græcolatini lectionem, adeò vetusti, vt ipsius Irenæi fuisse videri poßit? Est autem in monasterio quod Irenæi dicitur Lugduni repertum, & nunc penes me est, in quo totum istud non legitur quod apud Lucam de poculo posteriore loco dicitur. Tibine verò impium aut blasphemum videtur dicere in Luca esse solœcophanes aliquod, quum Hebraicè potius quàm Græcè sacri illi scriptores sæpe loquãtur? Oblitúsne es illam duram Hieronymi vocem, Paulus solœcismos loquitur? Atqui meæ coniecturæ eò inclinant, vt potius quàm solœcophanes sit à Luca admissum, vel hanc particulam τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον ex aliis Euangelistis insertam esse in Lucæ contextum contendam, vel casum perperam à librariis, quanuis consentiẽtia exemplaria, mutatum. Illius cõiecturæ hanc rationem habui, quòd apud Paulum, qui probabiliter putatur hunc ex Luca locum totũ desumpsisse, illa particula tota omittitur: quæ ratio maximi est momenti, quanuis à te negligatur. Cur enim Apostolus hoc præteriisset? & vel vnica oratio Dominica qualis in veteribus codicibus apud Lucam legebatur, ostendit multa ex Euãgelistis fuisse (nulla tamen sensus iniuria) interiecta, quæ probabile tamen est ex albo libri in ipsum contextum irrepsisse. Adieci alterius scripturæ nempe τῷ ἐκχυνομένῳ testem locupletißimum Basilium cui τὰ ἠθικὰ attribuuntur, qua in re quum me dicis aut falli, aut impudentißimè fallere, audeo multò verius dicere, te potius omnem pudorem exuisse. *Non enim*, inquis, *Basilius sic asserit legi in Euangelio, sed textus Euangelici sensum explanat.* Audi acerrime censor, Aio te vel Basilii locum non inspexisse (extat autem in Ethicis ὅρῳ κα.) vel omnium hominum in hac mei criminatione impudentiam superare, quum in toto illo libello, exceptis quæstionibus ad quas singulis definitionibus ex mero Dei verbo respondetur, ne vocula quidem ne dum explicatio aliqua ipsius Basilii, vel scriptoris illius, quicunque tandem fuerit, inueniatur. Negas? librum saltem inspice vt te tui pudeat. Cur verò sit solœcophanes si recepta lectio seruetur, idcirco dixi, quod τὸ ποτήριον siue pro ipso vase, siue pro vino intus contento accipiatur, dici non poßit pro nobis effusum. *Imò*, inquis, *poculum effusum pro nobis denotat sanguinem qui in poculo pro nobis effunditur.* Saltem verò potius infusum dixisses. Quin enim hoc dicatur de illo ipso sanguine pro nobis in cruce fuso, ambigi à sanis hominibus non potest: à te fortasse potest, qui tot locis & momentis creari sanguinem propriè acceptum censes, quot locis illa vestra sacra peragitis. Nam sic quoque Cyprianum alicubi de veracißimo Christi corpore verbum Creandi fateor vsurpasse, sed sensu à tua transsubstantiatione multùm diuerso. Sed dic, quæso, bona fide, si iam tũ in illo poculo ipsamet illius sanguinis materia & substantia continebatur, certè intra venas ipsius Christi non erat. Bis itaque fuerit effusus, ac proinde bis passus Christus, semel in institutione

Eucharistiæ,

Eucharistiæ, ac denuò postridie in cruce: & hic certè infusum potius quàm effusum dicere debuisti. Denique ponamus id verissimum esse quod tu ais, Potio, inquam, illa fuerit ille ipse sanguis. Igitur pro *Hoc poculum* substituamus, *Hic sanguis*: quid erit absurdius hac oratione, *Hic sanguis est nouum testamentum in sanguine meo*? nisi vis fortasse repetitum esse antecedens pro referente pronomine, ex Hebræorum idiotismo. Et rursum quid ineptius est quàm Testamentum propriè & sine tropo dici velle testatoris sanguinē, aut id quo fœdus sanciatur? Nec enim ignoras Hieronymo in Epistolam ad Galat. magis placere pacti seu fœderis nomen.

Accedis postea ad vocem ipsam τὸ ποτήριον, quam *ineptè dicis à Caluino & à me pro vasculo accipi, vt inducēda metonymia rimam inueniamus, & transsubstantiationem magis ineptā reddamus, quasi vasculum afferamus in sanguinem conuerti: quum tamen nemo nesciat τὸ ποτήριον Græcè, & poculum Latinè, tam potum complecti quàm vasculum, quamobrem etiam Paulus & Lucas ne erraremus, addunt. Quod pro vobis effunditur, sicut etiam Ioan. 18. 11. eadem vox accipitur.*

Atqui (quod obiter hic dictum sit) rursus hic te ostēdis codicem non inspexisse. Neq; enim apud Paulum istud postremum inuenies. Sed hoc est duntaxat ἁμάρτημα μνημονικόν. Ad rem autem ipsam quod attinet, nō ita certè ineptimus vt tu somnias. Nusquā enim diximus τὸ ποτήριον hic accipi pro vasculo per se. Sed hoc diximus & dicimus, cogi vos ad alterutrum istorum duorum, nēpe vel transsubstantiatum ipsum poculum dicere, vel per metonymiā continens pro cōtento accipere. Nam vt in omnes partes te conuertas, & omnes Grammaticos consulas, nunquam probaueris τὸ ποτήριον Græcè, siue poculum Latinè (quæ nomina sunt ὀργανικά.) rem contentam propriè significare. Nec rursum vnquam euades extremæ peruicaciæ crimen, si contenderis potionem poculo contentam, quæcunque tandem illa sit, vel fœdus ipsum vel confœderationis actum, vt ita loquar, declarare. Si hoc non agnoscis, age nega etiam Solem meridie nondum exortum.

Postremò, inquis, *Beza contra morem suum abstinuit ab exprimendis articulis ne cogeretur fateri quòd ex emphasi & excellentia denotata, verum Christi corpus, & verus sanguis demonstretur.* Quasi verò aliud in hoc mysterio corpus, quàm illud ipsum traditū pro nobis, aut alium sanguinem quàm illum ipsum pro nobis effusum ponere mihi vnquam in mentem venerit. Sed tu nimirum excludi putas à nobis quicquid eo loco non est situm vbi nos versamur. Sed quod ad articulos attinet, si illos non expressisse flagitium est, quis est potius quàm vestri Canonis interpres accusandus? Quanquam hic rursum in manifesta calumnia deprehenderis. Sum enim interpretatus ἡ καινὴ διαθήκη Nouum illud testamentum, vt tu ipse alibi agnoscis, nempe vt à vetere nouū istud apposito articulo Euangelistam distinguere voluisse ostenderem, quod cur in corporis vel sanguinis vocibus facerem causam nullam iustam habui, vt iampridem improbo illi Illyrico respondi, ex quo mirum est excerpere te istas rancidas calumnias, quàm culpa carere maluisse.

Et hactenus, inquis, *de corruptelis illatis Euangelistarum textui*, &c. At tu (si placet) nunc audi quæ tibi sic obiiciam vt illa negare nullo modo possis. Dico igitur vestri illius Canonis auctorem, à cuius syllabis pendere miseras tot hominum mentes iubetis, hæc addidisse Euangelistarum textui & literę in priore parte, *Eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem.* Et duorum istorum, alterum,

Gratias agens benedixit Et
ex hoc omnes. In altera verò parte,
Hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas. Et
æterni testamenti mysterium fidei.

vt taceam de vocabulo μου, id est, *Meus* in *Mei* conuersus qua de re vester Bielus valde laborans tandem in hanc vocem erumpens, *Magis videtur*, inquit, *quòd forma præfata verborum quam seruat Ecclesia, fuit forma tradita à Domino, quàm alia posita in Euangelijs, quæ post scripta sunt & narrata secundum diuersitatē traditionum & translationum:* NEQVE IPSI EVANGELISTAE IN FORMA CONVENIVNT. Aut igitur (boni magistri nostri istum vt hæreticum damnate, aut nos nihil istorum ausos absoluite, aut tantam in singulis voculis vim verborum vrgere, aut denique tantum per omnia Euangelistarum in verbis institutionis consensum (nam alioqui summam in re ipsa consensionem esse minime dubitamus) iactare desinite.

Postea polliceris te de verborum significatione & reipsa dicturum, ac imprimis quæris quid detur. *Si consulas*, inquis, *sensus externos, non poterunt aliud respondere, quàm dedisse Christum discipulis suis panem & vinum. Sed non est alio muta, & declarauit Christus disertis verbis mentem suam his verbis, accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Idem probas postea *à communi hominum de verborum significatione iudicio, & scripturarum communi loquendi vsu, & Christi apud Ioannem facto promisso de carne sua in esum præbenda.*

Quorsum autem aut aduersum quos ista? nempe aduersus eos qui verum & vnicum illud Christi corpus negant nobis in Cœna tradi, ex quo numero quum tu ipse Caluinum expungas, vt qui minimè ferat eos qui dicant figuram tantùm corporis à Christo nobis in Cœna dari, tu quidē certè præuaricaris. *Verùm*, inquis, *non dicitur, Hæc est efficacia sola, aut fructus, aut quid aliud corporis mei, vt valeat Caluini opinio.* Quasi verò centies millies hoc non sit à nobis inculcatum, causarum ordine prius oportere nos cum ipso Christo vnum fieri, siue Christum ipsum participare, quàm ex ipso quæ ipsi vt subiecto insunt, id est, omnia ad salutem necessaria, hauriamus. Tu verò sicut Sophistam decuit, quæstiones permisces. Aliud enim est quærere. Quid detur, quàm quomodo detur: item quod datur, quo obiecto percipiendū detur. Dari nobis teucra

verum illud corpus traditum pro nobis Christo id asserenti planè credimus, sed dari eo modo quo panis & vinum res naturales & reipsa situ loci præsentes (nimirum in manus) cõsueuerunt, aut ore corporis percipi, id verò inficiamur. Id enim merè spirituali cælestique modo fieri, & mentis non ventris opus esse illam perceptionem dicimus. Negamus etiam idcirco nos Christo vel per verbum simplex, vel per Sacramenta incorporari, vt realiter corporum substantiæ sese mutuò coniungentes, non mysticum sed monstrosissimum corpus reale conflent, sed vt vitæ succum cum cæteris donis ex Christo hauriamus. De his igitur quæstionibus controuersis, non de illa prima (de qua quantùm intelligere possum inter nos conuenit) laborare te oportuit. Falsum est ergo, vna saltem ex parte quod dicis, *primam inter nos esse controuersiam quodnam suum corpus Christus à se tradi intellexerit, & in qua re ipsum nobis porrexerit.* Nam etiamsi dicimus corpus non nisi sacramentali metonymia de pane illo dici, ac proinde id quod in manus datur quum dicitur corpus, non esse illud ipsum reale corpus, sed ipsius duntaxat realis corporis Sacramentum: tamen non consequitur ita nos insanire, vt plura corpora Christo tribuamus. Quod si vnicum est Christi corpus, vt certè est, cuius amentiæ quæso fuerit, quod Christi corpus nobis in Cœna detur disceptare? Per has autem voces *in qua re* si signorum duntaxat externorum adhibitionem, & per verbum *porrigendi* spiritualem ipsam præbitionem intelligis, rursum tibi assentimur. Sin verò externam in manus vel in os traditionem corporis intra ipsa signa contenti sic significas, hac in re planè à te dissentimus.

Subiicis *quadruplici significatione legi Christi corpus in scripturis: primùm pro corpore naturali nato de Maria virgine: deinde pro corpore mystico siue fidelium cœtu: tertio pro veritate Euangelij antiquis vmbris respondente. Adde quartum,* inquis, *si placet, pro qualitate & proprietate corporis Dominici: aut gratia & merito ab eodem corpore effluente, quæ significatio licet naturalis corporis significatione includatur, attamen eam per me liceat distinguere. Eo sensu Apostolus negat iam cognosci Christum secundum carnem. eòdem plerisque videtur apud Ioannem commendari cibus & esus carnis Dominicæ.*

Imò plenius multò & enucleatius corporis appellationem distinguimus. Nam corpus illud naturale interdum declarat totam humanam naturam à verbo assumptam: interdum alteram tantùm eius partem, corpoream videlicet ab anima distinctam: interdum etiam huius corporeæ partis alteram seorsum à sanguine, cogitatione seiunctam, quæ significationes etiã Carnis voci tribuuntur. Est autem nominatim obseruanda vltima illa significatio ad refellendum vestræ concomitantiæ commentum, quo sacrilegium illud ingens, ereptam videlicet populo alteram Eucharistiæ partem, obtegere consueuistis. Sed & in ea significatione quam quartam constituis plurimùm peccas. Primùm in eo quòd qualitatem & proprietatem corporis Domini eandem facis, deinde quod hæc eadem esse vis atque gratiam & meritum ex Christi carne effluens, itémque quòd vtranque hanc significationem dicis naturali corporis acceptione includi. Nam quod ad primum istorum attinet, si indefinitè qualitas corporis naturalis est eiusdem proprietas, efficietur mutatione qualitatis corpus exuere corporis naturam, quum sua proprietate quæuis natura constituatur. Neque hoc temerè dico. Nam hoc tuum figmentum eò spectat, vt corpus illud naturale doceas corpus esse non desinere, etiamsi proprietas corporis, id est, loci circunscriptio ei adimatur: quò etiam illum Pauli locum detorques, quòd Christum amplius non cognouerimus secundum carnem. At nos qualitates accidentales, tum naturales & inseparabiles tum per peccatum (peccato tamen excepto) inuectas à proprietatibus distinguimus. Naturales enim & inseparabiles in Christo nostro capite per Resurrectionẽ & Ascensionem in statum infinitè excellentiorem commutatas, per peccatũ autem inuectas prorsus abolitas, proprietates denique in æternum retentas dicimus. Deinde qua tandem ratione, quæso, gratiam & merita & quæ ex ipso Christo dona haurimus, cum illa siue proprietate siue qualitate cõfuderis? & rursum ἀσύστατα loqueris quum corpus naturale dicis hæc intra se includere, quum tamen existimes hæc posse absque ipsius corporis perceptione percipi, sicuti nõ negas plerisque videri accipiendum carnis esum & sanguinis potum cap. Ioannis sexto. Nos igitur hanc significationem facimus quintam, & à prima quidem distinguimus, vt ab antecedente consequens, nunquam autem separamus. Sed videamus quomodo hæc in nos contorqueas. *Sacramentarij* (inquis, quam vocem libenter amplectimur) *ad funditus abolendam Eucharistiam & resistendum Dei verbo expresso, in duobus peccant. Nam quum in Cœna aiunt Edere corpus Christi nihil aliud esse quàm Christo vniri per fidem & fieri membrum corporis eius, tum corpus capiant oportet pro mystico & non naturali.* Imò te oportet mentis compotem non fuisse, quum hæc in nos scribere te non puderet. Etenim qui sentiunt ex esu & spirituali apprehensione ipsius Christi pẽdere corporis mystici Christi constitutionem, siue fideles edendo Christi corpus euadere corpus Christi mysticum, quomodo dici possunt sentire corpus Christi quod edunt, illud ipsum esse quod ex illo esu efficitur? Deinde edere Christi corpus non dicimus idem esse atque vniri Christo, sed ita significari sacramentali loquutione, fideles ritè vtentes panis & vini illius esu, sibi Christum magis ac magis adiungere, vt fiant os ex ossibus eius & caro ex carne eius. Aliud autem est ipsa actio, quàm quod illam cõsequitur, ac proinde aliud est Christum edere, quàm per hunc esum Christo vniri, sicut aliud est panem edere, quàm pane nutriri. Sed alterum errorem audiamus. *Rursum,* inquis, *quum verba Christi de Cœna explicant, nouum significatum nusquã in scripturis repertum imponunt corpori Christi, & suadent pro figura siue pro Sacramento & signo corporis accipi: quum nusquam in Scripturis corpus Christi absolutè positum occurrat nisi pro substantiali & naturali.* Respondeo rursum quum panis ille dicitur à nobis esse symbolum corporis Christi siue sacramentaliter esse corpus Christi non

ſti non aliud corpus à nobis quàm illud verũ & naturale intelligi: neque hîc cõtrouerti quódnam corpus dicatur eſſe panis, ſed quo ſenſu potius ille dicatur eſſe verũ illud corpus, reipſa videlicet & ipſa panis exiſtentia, aut ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis transmutata, an verò ſacramentaliter duntaxat, ſiue propter vſum ſacramentalem, ſicut res naturales ad res prorſus alias quàm natura & ſubſtantia ipſarum ferat, ſignificãdas, ex pacto ſiue inſtitutione Dei vel hominum, accommodantur. Sic exẽpli gratia, vox illa *Agnus* propriè animal illud quadrupes & lanigerum declarans, ſi ad Chriſtum ſignificandum adhibeatur, vt ſi dixero Pauli veſtigia ſequutus & agnum paſchatis intelligens. *Agnus paſchatis erat Chriſtus*, neque in Agno ſubiecto, neq; in Chriſto attributo vlla fuerit ſignificationis mutatio: ſed Agnus ille verus non fictitius, non reali ſed ſacramentali attributione Chriſtus ille verus fuiſſe intelligetur. Hinc apud veteres Theologos non duplex vnius Chriſti corpus ſed duplex eſt iſtius vocis *Corpus* acceptio: vna videlicet qua in ſeſe conſideratur naturale illud & eſſentiale corpus quod pro nobis in cruce pependit: altera verò quatenus relatè illud ipſum ſpectatur, ſiue quatenus de pane illo dicitur, velut quum corpus Chriſti creari, in terram cadere, cõſumi dicitur, ſicut ex Patrum penè omnium diſertis verbis ſuo loco demonſtrabitur. Ac ne longius abeam, quum veſter Lombardus contendit in Euchariſtia corpus eſſe & rem Sacramenti & ſignum, id eſt, & rem ſignificatam & rem ſignificantem, etiamſi (perperam id quidem ac prorſus ineptè) velitis eſſe corpus ſui ipſius ſignum, tamen agnoſcere cogimini quod hîc in nobis reprehendis, nempe Corpus quoque pro ſigno in Euchariſtia intelligi. Nec te, quæſo, iſtarum ineptiarum vnquam pudebit? Nam ne id quidem quod tu ais nuſquam corpus Chriſti abſolutè poſitum niſi pro naturali Chriſti corpore ſumi ſi *Abſolutè* & *Relatè* abs te opponũtur, in nos dicitur. Sed & iſta quàm abſurde ſcribis? *panem quidem ſæpe inueniri pro Chriſti corpore, vt in illis Ieremiæ verbis, Mittamus panem in lignum eius, & ſæpe apud Ioannem: ſed nuſquam legi corpus Chriſti pro pane.* Nam (vt omittam illam non literalem ſed allegoricam loci Ieremiæ interpretationem, planè indignam quæ à te repeneretur quanuis à veteribus non vno loco ſit inculcata) quoties panis dicitur corpus, annon toties corpus dicitur panis, ſi identicæ ſunt illæ enuntiationes, quales omnes illas eſſe vultis? Imò etiam in attributione ſacramentali, quanuis non identica) ſicut ſigno attribuitur (teſtibus Theodoreto & Auguſtino) rei ſignificatæ nomen: ita quoque reciprocè rei ſignificatæ tribuitur ſigni nomen vt tam dicere liceat *Chriſtus erat illa petra, Chriſtus erat Paſcha, Chriſtus eſt ille panis* quàm *petra erat Chriſtus, Paſcha erat Chriſtus, Panis ille eſt Chriſti corpus.*

Vrges poſtea illã adiunctionẽ. *Quod pro vobis datur, & qui pro vobis effunditur*, vt doceas de vero & naturali corpore & ſanguine accipienda inſtitutionis verba. Concedo, ſed ita vt ſacramentaliter attribuantur, quam attributionem antea oſtendi nullam in rem ipſam quæ attribuitur mutationem inuehere.

Magnos poſtea clamores excitas de articulis à me prætermiſsis, quod ex Illyrici fœtida cloaca hauſiſti. Velles igitur, ſicuti me apud Lucam & Paulum conuertiſſe fateris, *Hoc poculum eſt nouum illud Teſtamentum*, ita etiam me interpretatum eſſe *Hoc eſt corpus illud meum, & Hic eſt meus ille ſanguis*, At enim ſi articuli hoc loco non exprimi ſine tanto piaculo non potuerunt, cur non potius illum veſtrum ſanctiſsimum interpretem à Conciliabulo Tridentino, cæteris expunctis, comprobatum flagellas? imò cur in veſtrum illum ſacratiſsimum Canonem non inſurgis? Res autem ita habet. Articulos credidi & adhuc credo non ſemper neceſſariò exprimendos excellentiæ ſignificandæ cauſa, & idcirco non vbique expreſsi: quod ad *ἀνάφορον* autem attinet, nunquam facilè prætermiſi: ideóque non imprudens (vt tu calumniaris) neque quòd ad noſtram hæreſim non faceret (vt tu conuitiaris) articulum adiunctum Teſtamenti vocabulo expreſsi apud Lucam & Paulum, ſed vt vnum teſtamentum ab altero ſic diſcerni indicarem: quod in alteris illis de corpore & ſanguine enuntiationibus neceſſe non fuit, quoniam ſufficit ad diſcrimen ſignificandum illa adiũctio, *Quod pro vobis datur, & Qui pro vobis effunditur*, tantùm abeſt vt iſtarum adiunctionum vim & pondus non animaduerterim. Quæ verò ſ[illegible] biicis de articulis quoties pronominibus demonſtrantibus ſubiiciũtur, vt ſic euincas per *τὸ* non poſſe aliud demonſtratum videri quàm hoc ipſum corpus, ita ridiculum eſt vt refutatione quidem egeat, quam tamen ſi quis requirat, ex noſtra aduerſus impurum illum Illyricum apologia petat licebit. Denique vt ſemel de hoc tranſigam, quum ex articulorum expreſſione effici velis non poſſe corporis vocem aliter quàm de vero illo corpore pro nobis tradito intelligi, babes reum confitentem, at non tamen erroris conuictum, niſi ſi tutemet in eodem verſaris errore.

Sed hæc tua conſequutio falſiſsima eſt, *Si proprium corpus ſignificatur, orationem quoque iſtam Hoc eſt corpus meum, propriam eſſe ac minimè tranſlatitiam.* Quid enim obſtat quominus in eiuſmodi enuntiationibus non modo attributum ſed etiam ſubiectum, nedum eorum alterum, propria natiuáque ſignificatione accipiatur, & tamen tranſlatitia ſit oratio, qua vnum de altero dicitur? Neque enim ex attributi duntaxat aut ſubiecti aut alterius iſtorum ſignificatione, ſed etiam ex ipſa attributionis natura diiudicandum eſt, totáne ipſa enuntiatio figuratè ſit an propriè accipienda. Sumamus ſi videtur hoc exemplum. *petra illa erat Chriſtus*. Hîc dico petram propriè ſignificare rupem illam naturalem, ſiue naturalem fluuium inde profluentem, Chriſti autem appellatione non alium quàm ipſummet Chriſtum nobis in Euchariſtia propoſitum declarari, quum idem illorum potus fuerit qui noſter. Dicitur tamen non ſubſtantialiter ſed typicè Chriſtus naturalis de petra naturali, quum, teipſo iudice, petra non ſit tranſſubſtantiata, petra verò & Chriſtus ſint diſparata, vt vnũ propriè de altero dici nequeat. Sic Circuncisio realis eſt reale fœdus,

ſed ſacramentaliter ſignificans,id eſt, quia fœderis realis ſignum eſt. Sic Chriſtus ipſemet erat illud ipſum Paſcha,ſed ſacramẽtali ſignificatu non propriè. Sic verus Chriſti ſanguis dicitur de vero vino, ſed ſacramentali metonymia. Denique tam frequentes hæ loquutiones tranſlatitiæ quàm alteræ propriæ occurrunt.

Ex hoc etiam liquet quàm impudenter & inſciẽter in nos torqueas quod in Marcionem ſcribit Tertullianus. Verba Tertulliani hæc ſunt integra nec decurtata,ſicut à te verſutè proferuntur. *Chriſtus acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, dicendo Hoc eſt corpus meum, id eſt, figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis fuiſſet corpus. Cæterum* (id eſt, Tertuliani idiotiſmo, quoniam) *vacua res quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.* Confutat hîc eruditiſsimus ſed obſcuris argutiis plenus ſcriptor, delirium Marcionis, non verum ſed phantaſticum ſiue imaginarium corpus Chriſti aſſerentis: & ſic argumentatur. Panis ille quem Dominus corporis ſui figuram effecit, dicens, hoc eſt corpus meum, figura eſt corporis. Ergo corpus Chriſti verum eſt corpus,non imaginarium. Nam figura nulla eſſe queat rei merè imaginariæ. Et ne regerere poſſet Marcion voluiſſe Chriſtum figuram viſibilem & verè corpoream imaginario & non exiſtenti corpori illi ſuo affingere,excipit Tertullianus. Si propterea Chriſtus panem corpus ſibi finxit, quia corpus carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro oobis. Faciebat enim ad vanitatem Marcionis vt panis crucifigeretur. Id eſt plurimum faceret ad commentum Marcionis ſtabiliendum,vt ſpectrum illud in cruce potiſsimum panis ſubſtaotia tegeretur, ac ſic panis traderetur & crucifigeretur pro nobis. Subiicit denique Tertullianus hæretico iam conuicto inſultans,*Cur autem panem corpus ſuum appellat, & non magis peponem quem Marcion cordis loco habuit,non intelligens veterem fuiſſe figuram?* Nam pepones, prouerbiali dicendi genere,dicuntur vecordes & ſtolidi, etiam apud Homerum. Dicit ego irridens Marcionẽ Tertullianus,tam potuiſſe peponis quàm panis figuram Chriſtum illi corpori ſuo phantaſtico affingere, quod fuiſſet ipſi Marcionis ingenio conuenientius. Addit demom in eo quòd panem potius,quàm aliud aliquid delegerit vt corpus ſuum figuraret,impleuiſſe Deum quod iam olim prædixerat per Ieremiam quo tamen teſtimonio(quod ſine taoti viri contumelia dixerim) planè abutitur.Hæc igitur ille,quæ quum in nos citares,quis te non animaduertat, iuſto Dei iudicio fuiſſe excæcatum?Nam vt hæc argumenta ſibi conſtent,primùm oportet panẽ manere panẽ, quoniã alioqui retorto argumẽto dixiſſet Marcion,non eſſe panẽ ſed mera accidentia qni panis eſſe videbatur.Deinde corpus audis exponi corporis veri figurã quũ pani attribuitur in his ipſis verbis,Hoc eſt corpus meum,contra id quod paulò antè dicebas in Scripturis non inueoiri.Audis etiam veritatem corporis eo aſtrui quòd vera & ſubſtantiali figura repræſentetur, vt ſublata panis ſubſtantia efficiatur corporis quoque veritatem io Sacramento deſtrui. Et quinam, obſecro,palàm Marcioniſant?Annon vos qui panis ſubſtantiam, ſolis manentibus ſine ſubiecto accidentibus,in nihilum redigi & in corpus oon quantum tranſmutari ſomniatis? & ad tegẽdum realis σαρκοφαγίας horrorem, accidentibus panis & vini tegi quaſi figura & velamento réale Chriſti corpus docetis? quod delirium ne Marcion quidem ille præſtigiator, opinor, toleraſſet. Sed illud planè omnem impudentiam ſuperat,quòd pro verbis Tertulliani quibus contendit quod propheticè prædixerat Ieremias,panem dicens in lignum mittendum reipſa impletum qunm Chriſtus iam crucifigendus & Euchariſtiam inſtituens corpori ſuo nomen panis inderet: pro verbis, inquam, illis Tertulliani perſpicuis (quibus noo panem in verum corpus mutatum, ſed è contrario corpori ſuo nouam panis appellationem inditam ſignificat quoniam panis ſit corporis illius figura ſeu Sacramentum) ſubſtituis,*intelligẽs figuras præteriiſſe* quo nihil dici minus ad Tertulliani conſilium appoſitè potuit.

Pergis poſtea, & inquis, *Alluſit Chriſtus ad veteres hoſtias quæ reuera ad edendum tradebantur ſicuti reuera offerebantur: quamobrem ſignificatur tam verè exhiberi Chriſti corpus ad eſum, quàm verè pro nobis eſt oblatum.* Item, *in menſa ſacrificiorum eadem caro reuera apponebatur in eſum, quæ offerebatur in ſacrificium. Ergo idem Chriſti corpus tam verè præbetur à Chriſto in edulium, quàm eſt ſacrificatum in cruce.* Concedimus hæc omnia,& dicimus,non magis nobis prodeſſe crucifixam niſi etiam ſpiritualiter & fide edatur carnem Domini,qoàm appoſitas dapes quibos tamen non veſcaris: neque de carnis magis qoàm de ſignorum panis & vini veritate,&, licet ſpirituali,vera tamen perceptione dobitamus. Sed quoniam aliud eſt cibus ille ſignificans corporis ſenſibus præbitus, quàm cibus iſte ſignificatus, & menti & fidei porrectus,idcirco illius qoidẽ corporalem, iſtius verò ſpiritualem præſentiæ dationis,& receptionis modum per fidem ſtatuimus:ſic ferente tum ipſa rerum ac ſignorum corporalium natura, tum corporis Chriſti veritate,fideíque analogia & ſpirituali ſacramentalis ritus fine.

Reponis poſtea nobis rancidum hoc argumentum. *Si omnia ferè vocabula contenta in Cœnæ hiſtoria propriè & de externis actionibus à vobis ipſis accipiuntur, vt panis, vinum, accepit, fregit, dedit, accipite, comedite, bibite: cur quæ ſunt potiſſima, id eſt, ipſa demonſtratio rei quæ traditur, à ſuo genuino ſignificatu transfertur?* Quæro ego verò primùm cur particula ferè à te adiiciatur. Certè ſi verum fateri ſuſtines,hoc adiecisti propter verbũ *fregit*, quod vel inuitus cogeris fateri,ex proprietate panis ad corpus ſit tranſlatum,vt tamen ipſummet non frangatur.ne comperiamini videlicet illis ipſis carnificibus Chriſti immaniores. Sed ne ſic quidẽ mihi elaberis. Nam præterquàm quòd accidentia diuidi niſi ipſius ſubſtantiæ ſubiectæ ratione non poſſunt, dic, quæſo,vtrum minus conuenit carni Chriſti, an io aliquot fruſta diuidi, an verò minotatim: infixis etiam (vt veſter Nicolaus loquitur)ipſi carni reali realiter dentibus, ſub dentium mola comminui?quod ſcelus

vt vitaret

vt vitaret ὁ ille καλλιγράφος, cuius ſtercora tu ſtudioſè collecta nunc depaſcere velle videris, maluit ſolidum corpus vorari. Nec vos iſtorum ſaltem deliriorum vnquam pudebit? Sed ad rem. In Sacramentis aliud videri, aliud intelligi negare non potes: Signum quoque fatearis oportet illud eſſe quod ſenſibus externis obiectum facit vt aliud quàm quod natura eſt in mentem veniat. Hoc, inquam, eſt diſcrimen ſpecificum, quo omnia ſigna, etiam quæ Sacramenta ſunt, à rebus ſignificatis differunt. Túne verò corporis & animi actiones confuderis? Quod hîc autem videtur, certè oculis videtur: quod autem intelligitur, mente intelligitur. Quid ſi verò vtrique actioni ſignificandæ vnum & idem verbum adhibeam? Nam & videre oculus & animus quoque dicitur, ſed ille quidem propriè, hic verò tranſlatitiè. At quod de vno ſenſu de cæteris quoque eadem ratione dici vſque adeò conſueuit, vt vix vſitatior ſit propria, quàm tranſlatitia ſignificatio. Nam & guſtare, & olfacere, & accipere & pungi dicitur animus. Quid ſi igitur, inquam (vt in hac narratione factum eſt) vno eodémque verbo & id quod corpore geritur, & id quod mente intellectum apprehenditur ſignificaro? nempe propriè ſimul & tranſlatitiè diuerſo reſpectu, eandem vocem vſurpauero. Sic igitur concludo. Quū vt ſua Sacramentis conſtet ratio, etiamſi duæ res extantes præbeantur, tamen earum vna corporis ſenſibus, altera menti fide præditæ obiiciatur, inſtitutionis verba ita concepta ſint vt vnis iiſdémq; vocibus præcipuè corporeis rebus conuenientibus cuiuſmodi ſunt Frangere, Dare, Accipere, Comedere, Bibere, vtrunque declaretur: illud quoque neceſſariò conſequitur vt eædem voces, quū ad ſigna in ſenſus incurrentia & corpoream actionem referuntur propriè intelligantur: quum autem ad res ſignificatas & fidei actionem accommodantur, tranſlatitiè accipiantur. Cur verò vnis & iiſdē vocibus rebus corporeis conuenientibus, intellectuale etiam arcanum illud ſignificetur, cauſa duplex eſt. Vna quòd Sacramēta corporea idcirco ſint inſtituta vt à corporeis ad ſpiritualia, ſic natura noſtra ferente, aſſurgamus. Sic enim etiam inuiſibilia Dei in rebus aſpectabilibus ordinario modo docemur contemplari, & ipſi Philoſophi docent prius in phantaſia eſſe oportere quæ intellectu percipimus. Altera cauſa eſt (vt inquit Theodoretus) quòd iſta commutatione vocum docemur nobis eſſe res illas corporeas Sacramentorum vſui dicatas, & ſacramentales actiones contemplandas, non vt res naturales, ſed quaſi res illas ipſas ſpirituales, quarum veluti ſenſibus ipſis præſentium conſpectu fruamur.

Eadem ratione refellitur veſtrum illud ἄλυτον ſcilicet argumentum quod tam verboſè exponis *Mutua eſt inter Dationem & Receptionem conuenientia. Datio illa facta eſt Chriſti manibus in os & manus diſcipulorum. Ergo & receptio. Quod autem fecit Chriſtus faciunt & nunc ſacerdotes.* Sanè ita eſt. Itaque vt dantur ſigna corpori, ſic corpore recipiuntur, & vt menti dantur res ſignificatæ ita mente fidei percipiuntur. Sed ſignorum dationem cum diuerſæ rei receptione tum demum iure comparaueris, quum id quod videtur, & id quod intelligitur in Sacramentis, rem vnam & eandem eſſe euiceris, id eſt, falſum eſſe, aliud in Sacramentis videri, aliud intelligi. Rides iſta fateor, ſed quæ quò magis ridebis, eò ſanè magis te deridendum propinabis.

Expendamus autem & tuum iſtud. *Quum negetis Chriſtum vobis amplius polliceri quàm verbis inſtitutionis contineatur, & Cœna ipſa non plus eroget quàm conſtituentis verba teſtentur: ſi ipſa tantùm metaphoricum aut metonymicum Chriſti corpus ſine nihil aliud quàm veri & naturalis corporis Sacramentum & ſignum enuntiant, nihil amplius ex Cœna reportatis.*

Reſpondeo corpus attributione metonymica (nam metaphoræ commentum tuum eſt) pani attributum, non eſſe aliud quàm verum illud corpus, quoniam attributio nihil in re ipſa variat quæ attribuitur. Reſpondeo & iſtud, quum Sacramenta minimè inania ſint ſpectacula aut nuda μιμήματα, ſed (quod ad Deum quidem promittentem attinet) nunquam ſignum abſque re ſignificata præbeatur, ineptiſſimam eſſe conſequutionem quam nectis. Dico poſtremò vos eos eſſe ex quorum Cœna nihil reportetur. Accidentia enim ſine ſubiecto, & corpus quantitatis expers, quid aliud ſunt quàm renatum Marcionis phantaſma?

Progrederis deinceps ad alteram vocabuli Teſtamenti ſignificationem pro pacto ſeu fœdere, ex qua etiam conuincere nos ſtudes violati diuini pacti, niſi reipſa ore comedi corpus ipſum Domini & bibi eius ſanguinem fateamur, ac primùm ſic definis illud fœdus de quo agitur vt dicas *eſſe pactum quod Deus contraxit cum hominibus vt ipſe promiſſa faciat, hi verò debitam præſtent eius mandatis obedientiam, ex illis Exodi verbis, Omnia quæcunque fecit Dominus faciemus & erimus obedientes.* Nos verò didicimus præſertim ex Paulo, duplex eſſe pactum Dei cum hominibus, Vnum legale quod eſt ad mortem, vtpote quod conditionē contineat impoſſibilem, præſtandæ videlicet legis quàm perfectiſſimè. alterum Euangelij, quo gratis in Chriſto reconciliati ſeruamur: Hoc autem fœdus partim vetus dicitur, ſub quo videlicet Patres in Chriſtum venturum & obſcurè adumbratum reſpicientes ſeruabantur: partim nouum appellatur, in quo nobis Chriſtus verè exhibitus, reipſa præſtitis quæ ad reconciliationem noſtram requirebātur, fide amplectendus præbetur. At tu contrà neque vetus neque nouum iſtud, ſed legale nobis pactum definis. Vtriuſque autem fœderis tum legalis ad mortem, tum alterius ad vitam, teſſera fuit diuerſis reſpectibus lex ceremonialis, vtpote quæ & chirographum fuerit mortis, & Chriſtum ſimul cum omnibus ipſius beneficiis veteri populo adumbrarit. Sic igitur de vtroque illo fœdere ſentire & loqui ex Dei verbo didicimus. Quoniam autem inter vetera Sacramenta tibi viſum eſt tria ſeligere, nempe ſanguinem, agnum paſchalem & victimam illam fœderalem cuius ſanguine partim altare partim populum Moſes aſperſit, age videamus quàm bellè ad tuum illum oris eſum ac potum illa traducas. *Vetus teſtamentum*, inquis, *requiſiuit verum ſanguinem præſentem,*

Ergo itidem ad noui confectionem in Cœna verum & præsentem sanguinem adhibere necesse fuit. Respōdeo vt veterum Sacramentorum cum nostris comparatio (cuius ob causam illa vocantur ἀντίτυπα) ritè fiat, oportere signa cum signis non cum re per nostra Sacramenta significata comparare. Nam & illa vetera & nostra re paria imò eadem sunt, vtpote quæ, teste Apostolo 1. Corinth. 10. totáque ad Hebræos Epistola, eundem Christum, nempe illa quidem venturum adumbrarint, ista verò exhibitum ostendant. Itaque re non possunt nisi κατά τι inter se conferri. Est igitur ista consentanea consequutio vestram illam panis & vini destructionem planè iugulans. Verus præsens sanguis adhibitus est in vetere fœdere sanciendo, sanguinis videlicet Christi symbolum, & Cœnæ Domini ἀντίτυπον. Ergo verum quoque vinum præsens adhiberi Cœnæ oportet, eiusdem veri sanguinis Christi effusi sacramentum illi ἀντιτύπῳ correspondens. Sic cataclysmi typum cum nostri Baptismi aqua Petrus, sic Paulus maris transitum cum Baptismi nostri ritu, Mānam cum illo pane quem frangimus, petram fluuium effundentem, cum poculo ex quo bibimus confert, vt signis diuersa, quæ tamen re sint eadem esca & idem potus. Viden' igitur quàm ineptè veteris Sacramenti symbolum cum re noui Sacramenti conferas? Quid si hoc ipsum in te sic liberet retorquere? Sicut sanguis ille pecuinus erat veri illius Christi sanguinis verum Sacramentum, quamuis reipsa minime cum sanguine pecuino realiter sed fide tantùm præsentis, necdum in rerum natura extantis: ita etiam quum mysterium re prorsus idem in Eucharistia celebretur, vinum nunc est veri illius sanguinis, nunc quidem in rerū natura existentis, sed tamen sola itidem fide efficacissimè præsentis, Sacramentum. Sed & in eo valde falleris aut fallis, quòd vel sanguine Christi vetus fœdus sancitum putes necesse esse (vt sanè fuit) vel inanes fuisse figuras patribus institutas arbitreris, quasi ipsis patribus nihil sed nobis duntaxat Christum repræsentarint. Id autem sentire non potes quin patres aut regno Dei excludas, aut absque Christi ipsiusmet communione seruatos constituas, quod vtrunque nefarium esse affirmo.

Alterum argumentum à victimarum oblatione simul & esu sumis, vt concludas *quemadmodum in veteris testamenti sanctione pars sanguinis Deo fuit oblata, pars in populum sparsa, & sanguinis agni paschalis pars applicabatur ad eum postibus, agnus autem ipse primum Deo immolatus & oblatus populo edendus exhibebatur: sic decuisse in nouo testamento fœderalem victimam, id est, Christum partim offerri Deo, & partim populo, vt mutua fieret promissio, obsignatio, & obligatio. Idcirco sanguinem Christi realiter externo ritu crucis exhiberi necesse fuisse, ac proinde externo quoque ritu Cœna eiusmodi sanguinem tam verè populo præberi quàm fuit oblatus Deo.*

Respondeo rursum hîc à te vt in superiore collatione peccari in eo quòd antitypū vetus non cum nouo typo correspondente, sed cum re per vtrumque significata non rectè comparas. Fuit igitur primùm antitypi & nostri Sacramenti talis sicut mox dicam instituenda collatio vt omnia ad amussim quadrarent, Sicut victima Christum adumbrās Deo prius immolata postea à populo edebatur, sic panem quo Christi corpus pro nobis in ara crucis mactatum & Deo Patri oblatum repræsentatur, à nobis edi ex ipsius Christi institutione oportet. Itē sicut fœderalis illius victimæ sanguine verum sanguinem illum Christi adumbrāte partim altare aspergebatur, partim etiam populus: sic vinum illud verum illum sanguinē Christi, quo pro nobis aram crucis aspersit, à nobis ex eius instituto bibi oportet. Deinde vtrumque tum antitypum vetus, tum Sacramentum nostrum nouum cum ipsa re & veritate sic fuit comparandum. Sicut in veteris fœderis obsignatione victima iugulata offerebatur Deo à sacerdote, quo ritu vera illa Christi in ara crucis ab ipsomet facienda oblatio animis credentium repræsentabatur: sic panis illius fractio & vini illius effusio, factam illam à Christo cruentam in ara crucis oblationem quasi oculis nostris subiicit. Item, vt illi sub vetere fœdere, victimæ fœderalis sanguine exterius aspersi, & agni carnem edentes, simul spiritualiter per fidem intus Christi venturi & passuri fiebant participes: ita & nos sub nouo fœdere quod est veteris impletio, panem illum ritè edentes, veri illius Christi corporis pro nobis oblati, & vinum illud ritè bibentes, veri illius pro nobis effusi sanguinis per eundem spiritum eandémque fidem participes simus. Nihil ergo te ista comparatio ad corpoream illam & Cyclopicam σαρκοφαγίας statuendam iuuat, quæ neque sub vetere neque sub nouo fœdere locum habuit, quum spiritualem illam Christi κοινωνίας qua & illi seruati sunt & nos seruamur, sacramentalis illa mirificè illustret. Imò etiam istud planè vestram illam detestandam & sacrilegam audaciā coarguit, quòd sublato poculi vsu non minus in Deum & Ecclesiam peccastis, quàm si sanguinis aspersionem sustulisset Moses aut ipsius successores, in cuius aspersionis locum (ad quam etiam alludit Petrus prioris Epistolæ initio) vini potio est à Christo omnibus mandata. Bibite enim, inquit, ex eo omnes, Christo iā tum scelus illud, quod multis postea seculis ausi estis, prædicente, ac simul etiam sic ostendente, eandem quidem fidem & eundem Christum patrum olim fuisse, & nostram nunc esse. (vidit enim Abraham diem Domini & gauisus est: & eandem escam ederunt & eundem potum biberunt patres quia nunquam fuit extra Christi κοινωνίας salus) sed tantò tamen significantiora, expressiora, efficaciora esse Sacramenta exhibiti quàm venturi Christi quantò plus est intus etiā signo externo rigari quàm foris aspergi. En inuictum tuum argumentum quo nos conuictos fuisse gloriaris.

Disputas postea contra nos quòd dicamus *nouum fœdus non in Cœna, sed in ipso crucis patibulo conflatum* (sic enim loqueris) *quum sine sanguinis effusione non potuerit coalescere.*

In hac autem quam nobis tribuis sentētia rursum vel sciens fallis, vel imprudens falleris. Dicimus enim fœdus illud recōciliationis inter Deum & homines per Christum venturum, mox post peccatum fuisse cum Adamo initum, & deinceps cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo expressius re-

siùs renouatum, cuius Sacramenta varia & multiplicia fuerunt, re cum nostris eadem vt signis diuersa: Patrum autem illorum spiritui ac fidei præsentem fuisse tum Christum ipsum, tum quęcunque pro nobis suo tempore erat impleturus, ac proinde quod ad ius attinet, fuisse illos tum ipsi Christo nasciturο insitos, tum reipsa in eo iustificatos, sanctificatos, & seruatos. Hoc idem fœdus (in eo tamẽ diuersum quòd Patribus venturus Christus prænuntiabatur, nobis verò Christus præsens exhibitus est) dicimus primùm Iudæis Ioannis Baptistæ ministerio, quasi tubæ præconio, promulgatum: deinde reipsa per os ipsiusmet Christi cum iisdem Iudæis primò initum, ac eiusdem fœderis tesseras ac obsignationes duas ab eo institutas, Baptismum & Eucharistiam: cuius etiam fœderis cõditiones ipse mox in cruce reali sui sacrificio impleuerit. Apostolos denique humano generi fœdus istud promulgasse, docemus, quod iidem veri ipsorum successores quotidie, addita illis Sacramentorum obsignatione, faciunt. At tibi, homini scilicet acutissimo, idem valent Fœdus inire, Sancire, Eius sigillum instituere, Ipsum denique obsignare, quę inscitia certè pudenda est. Sed illa etiam multo est apertior, quòd quum rectè sentias sanguinem Christi illud ipsum esse in cuius effusione fœdus ipsum positum est, tu tamen sanguini, id est ei rei cuius interuentu facta est fœderalis illa reconciliatio, tribui posse putas absque tropo ipsius fœderis nomen. Atqui res ipsa clamat aliud esse natiua significatione sanguinem fœderis (sicut Moses loquitur de vetere signo, de re ipsa verò Matthæus & Marcus) quàm fœdus in sanguine, quod à Luca & Apostolo nõnisi per tropum tribui illi vino potuit. Neque negamus igitur vetus fœdus à Mose per aspersionem illius sanguinis symbolici, neque per Cœnam semel institutam & celebratam nouum obsignatum: sed hæc non magis ad Cyclopicam tuam manducationem facere dicimus, quàm veritatem ad statuendum mendacium.

Cuiusmodi verò hic clamor est, & in quos tandem hæc tela dirigis? *Quum à Mose figurarum parente in promulgatione veteris testamenti sanguis propriè sit vocatus, quis à Christo figurarum illustratore sanguinem positum cogitabit pro sanguinis figura, in noui testamenti compositione, quod figurarum nebulas dispellit?*

Nemo certé. Quis enim nostrûm alio quàm verissimo Christi sanguine nos reconciliatos: quis poculum quod benedicimus alterius quàm dominici illius pro nobis effusi sanguinis κοινωνίαν esse dixit? Non de hoc igitur agitur, non hoc, inquam, quæritur. Sed an signum in rem significatam essentialiter trãsmutetur, illud ipsum est quod non prius probabis, quàm tenebras conciliaris cum lucę. Quantò igitur rectius sic in te hoc ipsum telum retorsero? Si propriè sanguinem vocauit in vetere Sacramento Moses sacri noui populi ἀντίτυπον, propriè quoque Christus in Eucharistię mysterii institutione panis & vini nomen acceperit, quod illi ἀντίτυπον ex aduerso respondet. Denique aliud esse memineris figuras veteris fœderis illustrare, quam omnem figurarum vsum ex Ecclesia abolere: quem errorem vt alios plurimos & maximos si tueri pergis, quid superest nisi vt pro eo quòd septem nobis Sacramenta imò infinita pro duobus quoties libuit, obtruditis, nulla esse Ecclesiæ Sacramenta dicas, vel ipse tibi manifestè contradicas?

Aliud tuum est istud argumentum. *Fœdera & Sacramenta ad confirmandas promissiones oculis subijciuntur, ergo non internis & spiritalibus beneficijs, sed externis notis, ritibus & veluti sigillis ac rebus illa celebrari oportet.* Probas antecedens ab absurdo, *quoniam alioqui nemo indignus fuisset vnquam circuncisus vel baptizatus si spiritali actione credendo perfecta illa fuisset, aut nunc Baptismus perficeretur: & tamen illis externis actionibus fœdus imbuatur non autem internis propriè, quum tales nullæ fuerint in paruulis, nec fuerint vnquam necessaria nisi in adultis, ad fœderis fructum & finem adipiscendum.* Et sic tandem concludis. *Ergo quum in Cœna sanguis sit qui testetur in terra corã hominibus de fœdere Filij Dei, vt aqua in Baptismo, sanguis, inquam, sit tessera qua contrahitur fœdus: oportet ipsum exterius adhiberi & conferri in terra coram hominibus, vt prius contingatur, ac per ipsum fœdus confirmetur, quàm fructus fœderis spiritualiter percipiatur: nec rectè Caluinus* (hunc enim facis huius sententiæ authorem) *quod postremo loco aduenit post confirmatum fœdus, primo loco adferri ad constituendum fœdus.*

Antequam autem ad hæc tria ordine respondeam, quid de hac re tota sentiamus explicari necesse est, vt ineptiæ simul & calumniæ tuæ omnibus pateant. Hæc igitur vt Verbo Dei prorsus consentanea docemus.

Christum esse illum vnicum in quo, ex gratuito fœdere, iustificati & sanctificati seruamur, ad quæ duo capita reuocamus præcipua quæ in Christo adipiscimur beneficia.

Eos demum fieri beneficiorum illorum participes qui Christum ipsum obtinuerint.

Vnicum esse Christi apprehendendi instrumentum, Fidem.

Hanc fidem gratis creari in nobis per Spiritum sanctum, veram illius causam efficientem.

Sicut verbum prædicatum foris per hominẽ, intus per Spiritus sancti gratiã audiẽdo, creatur fides: sic eandem in nobis foueri eodẽ verbo & Sacramẽtis, quæ proinde ritè sumpta, sicut Christum ipsum sic etiam eius beneficia in nobis obsignent.

Hæc Sacramenta duabus partibus constare nempe rebus in externos sensus incurrentibus, quas signa vocamus (cuiusmodi sunt præcipuè illa materiata, vt Aqua in Baptismo, panis & vinum in Cœna Domini) & re significata interna & intellectui soli obiecta, quam vocamus Rem Sacramenti, quoties Sacramenti vox angustiore significatione pro sacris illis signis accipitur. Hæc autem res significata est Christus ipse, cum omnibus beneficiis quæ ex ipso depromuntur.

Rem istam Sacramentorum à suo effecto distingui, id est, Christum ipsum & quæ in ipso & cum ipso nobis offeruntur, ab ipsa eorũ perceptione: quòd aliud quiddam sit Percipere aliquid

& Rei perceptæ fructibus frui, quàm sit ipsa res quæ percipitur, & fructus qui inde percipiuntur.

His positis quæ prius quàm illis argumentis vtereris à te subuerti oportuit (subuertes autem nunquam) quod ad tuarum rationum basin attinet prorsus assentior fœdera celebrari oportere notis rebúsque visibilibus. Idcóque vestram transsubstantiationem, qua notæ illæ résque visibiles in chimæras transformantur, prorsus abominor. Sed si existimas excludi res internas, & (vt planius quàm tu ex animi tui sensu loquar) merè intellectui obiectas, eo quòd Sacramenta notis externis celebrentur, & quasi sigillo constabiliantur, in eo monstrosam tuam inscitiam patefacis. Nec enim essent Sacramenta si signis, notis & rebus duntaxat ob oculos positis constarent, teste saltem Augustino, signum definiente quod exterius obiectum, faciat vt aliud in mentem veniat.

Quod autem adiicis, *si solis internis perficiuntur neminem vnquam indignum fuisse circuncisum aut baptisatum*, calumniose in nos dicitur, qui nunquam Sacramentorum vsum diximus sola vel signorum vel rei significatæ receptione perfici, sed è contrario, quæ Deus coniunxisset non posse legitimè separari: atque adeò sacramentalem perceptionē, id est, in qua signa illa visibilia verbo adiuncta sunt, longè maioris (nisi per nos steterit) efficaciæ esse docemus, quàm vbi simplex verbi auditus proponitur.

Sed hoc quidem verum est nos tueri ex Dei verbo, idem nos in simplici verbo atque in Sacramentis fide percipere, ac proinde extra Sacramenta quoque Christum percipi: quemadmodum è contrario & verbum auribus audiri, & Sacramenta sumi possunt ad iudicium, absque illa re eâdem quæ & simplici verbo & Sacramentis nobis proponitur. Sed hoc ne tantillum quidem te iuuat. Illud verò quod subiicis de paruulis olim circuncisis, & nunc baptisatis, quibuscum fœdus nihilominus fuerit initum & confirmatum externis ritibus, quamuis internis actionibus puta notitia, assensu, fide caruerint, quoniam proculdubio sic abs te ponitur vt operis operati dogma illud non minus impium, quàm ridiculum stabilias, penitus quoque detestamur: neque tamen negamus (illo etiam posito infantes dum baptisantur fide prorsus carere) fœdus in illis obsignari, sed alia prorsus ratione quàm tu sentias: qua de re quoque quum voles inter nos disceptabitur. Nunc autem, obsecro, quid tandem tibi in mentem venit vt quæstione de Eucharistia omissa, quam ne tu quidem paruulis dandam censueris, ad paruulorum Circuncisionem & Baptismum sueris delapsus? Mirum hoc certè in eo qui non ferat de Eucharistia aliunde quàm ex ipsis vnis institutionis verbis quæri. Accedo ad totius tui argumenti conclusionem qua nihil ineptius fingi potuit, etiamsi tibi priora omnia concederem. Vis enim sanguinem ipsum Christi esse illam fœderis tesseram testificantem in terris vt aquam in Baptismo; id est, ineptissimè & inscientissimè signum Baptismi cum re significata Eucharistiæ comparas. Vis loquar apertius? Nego sanguinem Christi esse Sacramentum siue signum fœderis, sed esse dico illud quod per tesseram, signum, figuram, Notam, Symbolum, Sacramentum, σφραγῖδα, (per illud vinum videlicet) significatur. Scio fore vt hîc nobis obiicias illum Ioannis locum de tribus in terra testibus, itémque de Sacramentis quæ ex Christi latere defluxerint, quod vtrunque vt verissimum amplector, & turpiter abs te ad probandum tuum delirium dico detorqueri. Negas? De hoc igitur inter nos quæritor, vt & de eo si libet quod magister ille vester dicit carnem Christi esse simul rem & Sacramentum: At tu interea ne illud pro concesso assumito, aut te sophistam agere confitetor. Sed illud miror qua frōte scribere ausus fueris *oportere sanguinem ipsum Christi in terra exterius adhiberi, conferri, contingi* (nam extra contactum nulla est vobis vera rei ipsius *κοινωνίᾳ prius quàm fœdus per ipsum confirmetur.* Nam si hoc verum est, quo tandem loco vestri Laici statuentur, quos à calicis potu prohibetis? Scilicet ad carnis & sanguinis concomitantiam refugies. Sed quum in institutionis verbis corpus seorsim à sanguine, & sanguis à corpore discernatur, cui sanæ mentis homini persuadebis vel temerè hoc factum, vel corpus pro carne & sanguine, aut sanguinem pro sanguine & carne citra tropum accipi posse?

Inculcas & illud iam antea refutatum, *Sunt ista reciproca vt qualis sit datio talis sit acceptio.* Ergo, inquam, talis quoque fractio, quod tamen dicere (vt opinor) non ausis. Et certè omnes ritus sacramentales verbis institutionis declarati, cuiusmodi est Præbitio, Fractio, Effusio, Comestio Potatio, similiter omnino inter se accipiātur oportet, vt qualis est vna sit & altera: sed ex eo minimè consequitur similiter illa de signis & de rebus significatis intelligi. Nam quum signa externis sensibus, res autem significatæ fidei & menti obiiciantur, in illis quidem corporeæ & externæ natiua significatione verborum, in his verò incorporeæ & internæ actiones intelligantur oportet: translatione videlicet facta à corporeis sensibus ad animum, vt vsitatè solemus, quum videre quoque & capere, & gustare, & audire, & pungi animus dicatur.

Quæris rursum, *quum eâdem forma Moses & Christus dixerint, Hic est sanguis testamenti, quare apud Mosen sanguis de externo vero sanguine accipiatur, in Christi verbis vero nequaquam.* Respondi antea & iterum respondeo, & à Mose & à Christo verum sanguinem demonstratum, sed Mosen quidem signum externum suo tempori accommodatum, nempe sanguinem pecuinum, visibilem, & externis sensibus oblatum, demonstrasse ita vt rem significatam, id est, sanguinem ipsum Christi, soli fidei præsentem, vt ferebat legis pædagogia, innueret potius quàm indicaret: Christum verò, vt antiquitatum illuminatorem (sicut loquitur alicubi Tertullianus) clarè tum signum (id est poculum externis sensibus propositum) tum rem menti non corpori significatam, (nempe sanguinem illum suum verum) expressisse.

Iterùm eâdem oberrans chorda sic colligis, *Si populo, secundum Caluinum, satis fuit spiritualiter*

sanguinem

sanguinem Christi applicari, satis etiam fuisset ipsum spiritualiter offerri Deo.

Respondeo spiritualem perceptionem quam dicimus vnicam esse apprehendendi siue nobis applicandi Christi rationem, minimè excludere Sacramentalis & externæ acceptionis vsum qua fides ipsa & animus noster ad suam illam actionem exerendam commouetur, sicut externis sensibus obiecta facultates illorum excitant. Respondeo & illud *Spiritualiter & reipsa* non rectè abs te opponi, quasi Spiritualiter idem valeat atque sola quadam vana imaginatione. Itaque ne patrum quidem, qui solo animo & vnica fide diem Domini nondum reipsa exortum viderunt, inanis fuit illa spiritualis applicatio, vt qui eandem escam edisse & eundem potum bibisse dicantur. Multò verò minus id dici de fide Apostolorum & nostra potest, quæ in rē ipsam extantem sic fertur, vt non magis re ipsa nata & crucifixa sit illa caro, quàm nunc credentibus reipsa communicatur. Sed vt illa scilicet, sic etiam ista sensibus externis fieri ac patêre velles, quod fieri nec potest nec debet, quoniam vt vera esset corporis Christi passio, exterius quoque fieri illam necesse fuit: at vt vera sit & ipsius Christi & eius perpessionū applicatio, nequaquam id requiri, non modò ex eo liquet quòd & merè spirituale est hoc mysterium, & spiritualis vitæ causa institutum, ac proinde spirituali ratione, fide videlicet illud peragi oportet: verumetiam ex eò quòd alioqui quoties corporali actione & ore ipso Christum à vobis edi censetis, toties illum quoque non sola spirituali commemoratione (quam certum est vetustiores patres nomine incruentę oblationis intellexisse) sed etiam crucifigi & patri reipsa offerri oporteret. Sic enim demum fuerat omnibus modis ἀντίστροφος cōsequutio corporalis oblationis ad corporalem esum, & corporalis esus ad corporalem oblationem. Quod si excipias illud ipsum esse quod dicitis, nempe vt corporaliter quotidie reipsa editur Christus, sic quoque corporaliter illum in Missalico vestro sacrificio patri reipsa offerri, sed oblatione incruenta id est absque interueniente passionis repetitione, nihil dixeris. Etenim vt in oblationis cruentæ argumento maneamus (quam vnam realem esse certum est) si eius recordatio & commemoratio spiritualis per fidem perinde sufficit acsi vel coram oculis nostris passus esset realiter Christus, aut iterū quotidie reipsa cruci affixus sese patri repetito sacrificio offerret, si, inquam, spiritualiter pati Christum nunc satis est, cur nō & spiritualiter comedi, id est, sola fide applicari satis est? Nam ne passum quidē Christum sed passurum comederunt Apostoli, spiritualiter id quidem nec multo aliter quàm patres, quanuis mox passurum: & vt illa consequutio inter realem oblationem & manducationem sibi prorsus constaret, neque passurum neque passum, sed patientem adhuc Christum comedi oporteret. Nam neque futura neque præterita passio corporaliter adest, sed sola animi fidelis cōtemplatione: Christi autem carnis in sese, id est, absque ipsius passione considerata perceptio, siue illam corpoream siue spiritualem facias, nullius prorsus est momenti.

Pudet me verò in eo quod sequitur confutando operam ponere. Comparas nouum fœderis sanguinem cum victimarum veterum sanguine, quasi sub vetere fœdere nulla fuerit peccatorum remissio. Itaque non fuerint seruati patres, quum tamen beatificationem tot ante Christum seculis definierit Dauid peccatorum remissione. Concedo igitur non fuisse expiata peccata sanguine hircorum. Sic neque ipsa nos sacramentalis aqua abluit, sed sanguis agni vnici tollentis peccata mundi: neque panis ille aut vinum illud (multò minus vestræ Chimericæ species) nobis vitam conferunt. Sed re certè paria fuisse illorum & nostra Sacramenta, aut inania spectra fuisse dicas oportet. Quid igitur? nempe eodem sanguine, sub diuersis Symbolis, licet impari expressione & efficacitate, in eodem Christo & illi potiti sunt & nos potimur: venturo quidem illi & solo iure, nos vero exhibito & de facto quod aiunt. Rursum ergo inscitè signum verus non cum signo nouo, vt oportuit, sed cum re vtriusque Sacramenti comparas: neque verò nos ipsius Christi sanguinis reali in cruce effusione præstitum nobis fœdus nouum diffitemur quod patribus erat promissum. Sed quod dicis *Christi sanguinem in Cœna fuisse exteriore actione & Deo & hominibus oblatum* tale est vt nihil ineptius dici possit. Nam (vt de oblationis voce taceam quæ ἀκύρως prorsus hominibus abs te tribuitur) aut Christum quoque facis idololatram qui hominibus & Deo sacrificarit, aut Christus non vnica, vt ait Apostolus, sed duplici oblatione suiipsius nos redemerit, vna videlicet in Cœna, altera in cruce. Est autem illud perbellum sanè commentum quod homo peracutus excogitasti vt absurdum illud vitares: *quòd videlicet vnica tamen fuerit oblatio, quoniam sicut Moses vnica oblatione partem sanguinis in crateras instillauit, parte verò altare aspergebat, ita Christus partem sui sanguinis in calicem miserit, partem in cruce profuderit.* Itaque si tibi credimus, aut penè exanguis ab illa sacra Cœna surrexerit Christus, aut realiter potatum à discipulis suis sanguinem re sumpserit, quem partim in horto, partim inter carnificum manus rursum cum reliquo effuderit. Sed quid de carne ipsa dices, bone vir? num partem quoque illius pro panis substantia substituit, partem verò reliquum in cruce obtulit? & quis istius quæso, sanguinis substantiam partim à discipulis realiter potati, partim realiter à carnificibus profusi, resumpsit, vt rursum realiter toties biberetur? Nec vos vnquā, rogo istarum ineptiarum pudebit quibus Christiana mysteria deridenda quibusuis propinatis?

Exagitamur abs te postea miris modis *quòd Matthæi & Marci verba Hic est sanguis meus* (Nam Bezæ scilicet interpretationem antea vt falsam conuicisti) *ex illis Lucæ & Pauli verbis Hoc est nouum testamentum in sanguine meo interpretanda censeamus.* Magnum scilicet piaculum, velle scripturam ex scriptura interpretari, quod tamen tu ipse facis. Vis enim in summa, *Euangelistas mutuas sibi operas tradere, & quod Matthæus & Marcus subobscurius indicant, à Luca & Paulo illustrari: & contrà quod illi apertè dixerant, ab his vt satis perspicuè dictum, omitti. Clarè igitur illos*

quid detur expressisse, obscurè verò significasse dari ineundi testamenti causa: istos contrà clarius docuisse quid eo corpore & sanguine fiat, quando & vbi istud nouum testamentum ineatur. Atqui in huius tuæ repetitionis capite quarto, vt perspicuitatem verborum institutionis Eucharistiæ summam demonstrares, negabas Euangelistas mutuas hîc sibi operas tradere sicut facere in obscurè dictis solerent: quum nunc tamen fatearis in hac Cœnæ narratione alias ab aliis particulas adscribi, quæ ab aliis prorsus omittantur, atque ita alium aliam particulã vel immutare vel clarius explicare. Sed age hoc tibi detur quiduis comminiscenti, vt esse perpetuò tot deliriorum memor non poßis.

Sed in hac varietate, inquis, *discers hac concordia non officis veritati, imò magnum affert adiumentum. Nam si aliter fuissent intelligenda quæ omnes* (id est duo) *Euangelistæ retinent immutata, Lucas & Paulus in illo studio variandi detexissent latentem obscuritatem aut tropum.* Illud quidem concedo. Quis enim nisi planè blasphemus, Spiritum sanctum dicat repugnantia loquutum? imò cur scripturæ locos inter se ad diiudicandas falsas interpretationes vestras comparamus, nisi vt ex fidei analogia & sententiarum congruentia falsitatem vestram redarguamus? Sed istam tuam consequutionem quis ferat? *Quædã Matthæi & Marci in Cœnæ narratione Lucas & Paulus non declarant, qui tamen obscuritatem quorundam aliorum dictorum illustrarunt, Ergo illa κατὰ τὸ ῥητὸν absque vllo tropo accipienda sunt.* Quid si enim excipiam, idcirco hæc non esse ab his declarata quòd tropus prorsus esset perspicuus, imò quòd sacramentaliter de Sacramentis loqui sit maximè propriè & dilucidißimè loqui? Iam autem videamus an Lucas illud Matthæi & Marci, *Hoc est sanguis meus noui testamenti*, his verbis *Hoc poculum est nouum testamentum in sanguine meo* sit interpretatus. Hoc quidem negas. Vis enim de re diuersa Lucam diuersißimo sensu loquutum. Illos enim de eo quod datur, id est, de ipso sanguine loquutos, Lucam verò quid agatur, quando & vbi ineatur istud testamentum. Sed vt hęc omnia tibi concedam, quid hoc ad institutã quęstionem, Síntne verba illa per sacramentalem vulgatam metonymiam an natiua significatione accipienda? Nam siue rem eandem illi, siue diuersa diuersis verbis explicarunt, tam potest vtrinque tropus quàm proprietas defendi. Ineptißimè igitur concludis. Sed ad rem. Tu vis apud Matthæum & Marcum pronomine τοῦτο demonstrari quod dabatur. Volo & ego. Sed tu solum Christi sanguinem & quidem eiusdem Christi manibus in discipulorum manus datum, ego vinum quidem illud in poculo contentum Christi manu traditum dico, naturali & corporali modo in discipulorum manus: rem autem significatam, id est, verum sanguinem mox pro nobis fundendum à Spiritu Christi simul traditum discipulorum menti, spiritualiter, fide participandum. Apud Lucam & Paulum autem contendis *per τοῦτο τὸ ποτήριον pronuntiari hac potionis ceremonia & ritu nouum illud testamentum per sanguinem verum Christi institui.* Ergo nomine poculi, si tibi credimus, non vas ipsum, non vinum in eo contentum, non sanguis ipse Christi, sed ipsa bibendi actio significabitur, de quibus singulis videamus. Omnes illos Euangelistas inficiari non potes vno consensu dicere Christum ante benedictionem accepisse, ac deinceps dedisse τὸ ποτήριον. Num verò sic ineptus fueris vt non vasculum ipsum sed bibendi actionem aut ritum ab eo acceptum dicas? Quod si vas accepit, certè & vas ipsum porrexit, vt illa tua regula quam nobis antea præscripsisti, hîc quoque valeat. Tam enim verum est quod manibus tenebat Christus, id quoque præbuisse discipulis, quàm verum est quod præbuit Christus, fuisse à discipulis acceptum. Perridicula igitur est hæc tua commentitia diuersitas, &, vt obtineat tua interpretatio, poculum ipsum momento oportuerit in bibendi actionem noua & tuæ quoque factioni inaudita μεταμορφώσει transsubstantiatum. Fateor tamen quanuis ipsummet propriè poculum Christus & acceperit & discipulis porrexerit, cum tamen non ad ipsum vasculum sed ad liquorẽ sacramentalem in eo comprehensum discipulos propriè attendere iußisse. Nec enim Sacramentum est poculum ipsum, sed vinum eo contentum. Sed hoc neque causam tuam vel tantillum iuuat, neque sine metonymia continentis pro contento dici potuit, neque vllam essentiæ transmutationem requirit. Imò transmutata illius liquoris essentia, nihil superesse dico quod habeat signi rationem. Iam verò sanguinem ipsum quasi in poculo contentum (vt antea velle videbaris) à Christo demonstratum fuisse per pronomen τοῦτο ex Lucæ verbis nunquam nisi ineptißimè collegeris, vt antea probaui. Quid enim fuerit hac oratione absurdius aut certè inusitatius, *Hic sanguis est nouum testamentum per meum sanguinem?* Denique quum subiicit Apostolus, *Et ex poculo illo bibat* quæso an vocem poculi poteris de ipsa bibendi actione intelligere, aut aliter in hac periodo, quàm in ipsa institutione exponere? Sed age, ponamus veram esse tuam interpretationem & perinde loquutos fuisse Lucam ac Paulum ac si scripsisset, *Hic potionis ritus est nouum testamentum per meum sanguinem*, quæ stultitia est nullum hîc tropum in ipsa attributione agnoscere? Nam (vt prætercam quod toties iam dixi, non tunc primùm institutum, non etiam propriè tunc primùm initum fœdus, sed eius sigillum nouum institutũ fuisse & vsurpatum) quis fœderis ipsius nomen propriè competere dixerit aut sigillo ipsi, aut eius appensioni, aut ipsi ritui, qui pactis conuentis adhibetur? Cõcludo igitur apud illos omnes nomine τοῦ ποτηρίου in illa historia significari vas ipsum vini liquore plenum à Christo acceptum, discipulísque porrectum: non tamen vt in poculum attenderent, sed vt ad id animos ac fidem conuerterent quod illis in poculo porrigebat: ad vinum illud videlicet, non iam vinum commune corpori in hac vita fouendo destinatum, sed Vinum, verum veri illius pro nobis effusi sanguinis Sacramentum, nouíque illius vitæ æternæ testamenti animis nostris obsignandi sigillum.

Sequitur vobis syllabarum & dictionum aucupibus planè conueniens disputatio, *Matthæúsne*

thæisse & Marcus an Lucas & Paulus formalia (vt tu loqueris) *Christi verba sint eloquuti, quum semel duntaxat nec diuersis modis loquutum esse Christum credibile sit*: Et concludis tandem *Lucam & Paulum pro verborum Christi explanatoribus habendos in altera, id est, posteriore, institutionis parte.* Nobis vero etsi religio est à verbis institutionis discedere, multò sanè maior quàm vobis qui in vestro Canone (vt antè dixi) nequaquam hoc seruastis, tamen nequaquam ita vt vobis syllabæ & voces videntur numerandæ, quasi & eas ipsas totidem voces enuntiarit Christus, & in totidem præscriptorum verborum enuntiatione mysterium istud sit positum. Clamitabis nimirum magnum hoc esse facinus, atque non modò nos obiurgabis quod institutionem Cœnæ ex Paulo potius quàm aliis recitemus (cui accusationi suo loco respondebimus) sed etiam illud impudentissimum mendacium inculcabis, *nihil magis cupere nos quàm hominum animos ab institutionis verbis auocare.* Sed quo sæpius hoc repetes, eo maiore te crimine coram Deo ac sanæ mentis hominibus alligabis. Vin' igitur Euangelistas siue in hac siue in alia narratione historica non summam sermonum Christi sed illa ipsa totidem Christi verba religione quadam certa expressisse? Dic ergo nullam habuisse concionem Christum quæ vel dodrantem horæ durarit. Quod si in hac saltem narratione hoc ab eis tam præcisè obseruatum censes (quum tamen maioris esse momenti constet dogmata ipsa quàm sigilla fidei) age quomodo Matthæum cum Marco, aut vtrunque cum Luca conferens, ab omissionis culpa illos liberabis? Nam hic plura & alia quàm ille vterque, & Marcus rursum plura & aliud quiddam dicit quàm Matthæus. Res autem ita se habet. Vetustus hic mos fuit vetustis scriptoribus, præsertim sacris, imò etiam profanis historias scribentibus, vt eos ipsos quorum dicta & facta narrant, loquentes introducerent δραματικῷ quodam dicendi genere: in quo etsi nonnulla inesse verisimile est quæ totidem verbis illi dixerint, attamen certum est scriptoribus fuisse propositum summam rerum dictarum perscribere, non autem verba præscripta numerare, nisi fortassis id peculiarem ob caussam factum legatur, vt in decalogo certum est euenisse quod sua veluti manu tabulis consignauit Dominus, vt & in legibus plurimis. Hinc quoque factum non dubito vt Euangelistæ sacræ istius institutionis historiam texentes, non quot verba dixerit, sed quæ quorsum dixerit Christus, præeunte Spiritu sancto scripserint, sic illos vt in aliis historiis gubernante Christi Spiritu, vt mutuas operas hîc quoque sibi tradiderint, & an his potius quàm illis ipsis totidem verbis Christus sit loquutus, quærere non modò sit curiosum, sed etiam incantatoribus quàm Christianæ religioni conuenientius. Si tu aliter sentis, tua sententia fruitor. Nos certè tibi subscribere non cogimur, qui perinde Lucæ & Pauli & aliorũ verba, vt diuinitus enuntiata amplectimur.

Ista verò cuiusmodi tandem sunt? *Aduersarij*, inquis, *non constituunt in potione sanguinem Christi, sed tantùm eius symbolum.*

Imò verò tu videris quo iudicio ista scripseris. Nam si per potionem vinum intelligis, & credis sanguinem in vino realiter constitutum siue cum vino adesse: planè cum iis facis quos Lutheranos vocas, & pro hæreticis habes: sin verò sanguinem ipsum potionem vocas, quid absurdius quàm in sanguine, sanguinem constituere? sin verò sic intelligis vini accidentia sine subiecto, quid ineptius rursum quàm substantiam dicere accidentibus inesse?

Sed in istis præterea quæ totidem verbis scripsisti vide annon manifestè præuariceris, *Sicut Circuncisionis actio vocatur fœdus, sic potio dicitur fœdus propter eandem caussam, quia nimirum est tessera testamenti.* Euge, igitur, bone vir, si ita est vt dicis, id est, si hæc enuntiatio *Hoc poculũ* (quid autem poculi nomine accipias nunc quidem nihil moror) *est nouum testamentum*, idem valet teipso interprete, atque *Hoc poculum est tessera noui fœderis* saltem vel in Lucæ ac Pauli verbis metonymiam sacramentalem agnoscas, vel vel à teipso dissentias necesse est.

Agis postea contra nos quasi Cœnam Domini censeamus *ideo tantùm institutam vt memoria passionis animo recolatur, & illa verba. Hoc facite in mei commemorationem huc detorqueamus*, quæ accusatio nec vera nec verissimilis est. An enim vsque adeò nostri obliti fuerimus? Imò quid aliud potius inculcamus quàm Paulinum illud dictum de corporis & sanguinis communione, & illo mysterio quo fit Ecclesia os ex ossibus eius & caro ex carne eius? neque tamen propterea solennem illam gratiarum actionem propter quam hæc actio Eucharistia vocatur, & publicam veræ nostræ fidei in publico cœtu professionem præterimus, propter quam σύναξις etiam dicitur. Frustra igitur probare studes duo diuersa hîc præcipi, nempe *Comedite, & Recordamini*, siue *Annuntiate Mortem Domini.* Nec enim à quoquã nostrûm id negatur. Sed quod tu inter disputandum recoctum iam toties illud argumentum nobis reponis de corporali esu agni & victimarum, totum illud inficior, neque noua refutatione egere puto, quum iam semel atque iterum ad istud responderim.

Placet tamen hîc tua quædam expendere, *Christus*, inquis, *duo tradit aut vnum ex duobus conflatum, corpus suum verum & sanguinem, cuius effectum qui est in remissionem peccatorum apponit: & signum externum ac visibile, quod est Sacramentum & monumentum: exhibens ipsummet corpus cum suo effectu, & de vtroque nos commonefaciens.* Permane verò, vt in vestris scholis loquimini, in his terminis rectè intellectis & inter nos conueniet. Nos enim vsque adeò minimè vanam aut inanem esse sacramẽtalem coniunctionem arbitramur vt penè verius ipsum Christum nobis offerri quàm illa signa fateamur. Remissionem autem peccatorum in illius solius Christi pro nobis passi communione ponimus: & signa idcirco proponi externis sensibus vt animus eò efficacius ad ipsius Christi & omnium eius beneficiorum perceptionem excitetur, credimus. Qua in re ergo dissentimus? quòd negatis coniungi rem & signa nisi vbi vnum est sit ipso situ etiam

alterum: quòd sublato corporis nostri cum corpore Christi cõtactu reali, somniatis tolli ipsius Christi veram communionem: quòd denique signa visibilia in meras chimeras, nempe accidentia sine subiecto transformetis. Hæc sunt de quibus probandis laborare te oportuit, nec tibi monstra quæ debellares comminisci.

Si Christus, inquis, *panem & vinum nudum exterius instituisset & præbuisset, longè inferius & obscurius antiquis sacrificiis passionem Domini repræsentaremus in Cœna, imò periret ratio Sacramentorum & analogia inter signum & signatum.* Obsecro verò si signum est aliquod in Cœna, quodnam illud est? species, inquies, panis & vini. Credideram quidem hoc te dicturum. Sed audiamus quid ipsa tibi veritas extorserit. *Nam*, inquis, *quæ congruitas est inter passionem Domini & inter* PANEM ET VINUM, nisi VNA CVM ISTIS *adsit corpus quasi diuulsum à sanguine qui in passione effusus est, quíque eam repræsentat quàm efficacissime?* Ergo, mi homo, vt retineatur analogia signi & signati, à te extorsit veritas, vt panem & vinum adesse oportere in ipsa Eucharistia fatearis, vt verum quoque corpus & verus sanguis Christi in ea verè statuantur, itémque corpus in Eucharistia proponi veluti diuulsum à sanguine in cuius effusione passio Christi efficacissimè repræsentetur. Prius autem illud quomodo cum transsubstantiatione, posterius quomodo cum calicis Ecclesiæ Dei erepti sacrilegio conciliare sic possis vt sophistam non agas, tu videris. Sed quod ad rem ipsam attinet, dico tum demum nuda & vacua statui Sacramenta quum vel duntaxat σημαίνοντα esse, vel externæ tantummodo Christianorum societatis testificandæ causa adhibita statuuntur, vel talis eis tribuitur significatio, vt quod significatur non etiam verè fruendum detur: quæ quoties nobis obiicis, toties in veritatem peccas. At tu contrà nuda esse vis nisi rerum significatarum ipsa realis substantia simul eodémq; loco adsit: quod si verè abs te diceretur, quid tandem, quæso, nobis de Baptismo statuendum esset? nempe aut nudum & inane esse signum, aut aliquid aliud quàm sanguinem Christi per aquæ Sacramentum significari, aut in aqua etiam Baptismi, sanguinem ipsum Christi realem adesse. Deinde & illud falsissimum consequetur, nempe nuda fuisse vetera Sacramenta, quæ tamen nisi re paria nostris fuisse cum Augustino, imò re eadem fuisse, cum Apostolo ipso statuas, nihil aut parum admodum inter verum Deum & illum Marcionis præstigiatorem intererit. Quòd si fortè excipias re, id est, efficacitate & spirituali energia, paria vetera cum nostris fuisse, primùm vide etiam atque etiam ne à tuorum magistrorum placitis discedens inter hæreticos censearis: deinde circunspice in quod præcipitium ruas, id ipsum statuens quod euertere conaris. Nam si absque illa reali situs præsentia (quod sanè verum est) vetera illa Sacramenta efficacissima tamen instrumenta seruandis patribus fuerunt, aut plus illis tribues quàm nostris, aut spiritualem quoque præbitionem nobis à Deo factam, & vicissim fide credentium factam ipsius iam existẽtis corporis & sanguinis Christi perceptionem, sufficere ad hoc fatearis oportet vt sua Sacramentis veritas constet. Postremò quum dicis potiorem futuram veterum Sacramentorum analogiam si corporalis illa coexistentia tua tollatur, vide quantopere fallaris. Carnis, dices, planior est quàm panis cum carne, & sanguinis quàm vini analogia cum sanguine. Sed quid hoc ad vestrum dogma stabiliendum attinet, qui panis & vini accidentia sola manere censetis? Verum enim illud esse fateamini necesse est, substantiæ quàm nudorum accidentium maiorem infinitis partibus esse cum altera substantia quauis significanda conuenientiam. Verùm alia quoque ratione falsissimum est quod existimas. Neq; enim quò crassior & magis terrena eò accommodatior est sacramẽtali significationi analogia, idcirco instituta vt ad rerum cælestiũ considerationem animos nostros subuehat. Alioqui non modò quo crassiora, sed etiam quò plura habuit Sacramenta vetus fœdus, eò præstãtius foret nouo. Cur verò crassioribus signis egerent homines ante exhibitũ Christum ratio est quòd cælestia mysteria multò minus patribus quàm nobis essent patefacta. Quinetiam vide quàm sit ineptum quòd hîc affers, de corpore quasi à sanguine diuulso. Etenim si hac in re positum est analogiæ veteris & nouæ discrimen quis non videt illam isti præstare? Victima enim ipsa coram iugulata, effuso palàm ipsius sanguine, quomodo non fuerit expressius exanguis corporis signum? Imò illæ quas remanere vultis species, albedo videlicet & rotunditas, & gustus panis, quidnam habent cum accidentibus corporis humani commune, quod cernentibus oculis faciat vt corpus illud pro nobis crucifixum in mentem nobis veniat? Sic enim, & rectè quidem, Augustinus signo quoque sacramentalia definit. Res autẽ ita habet. Caro quidem carnem cognatiore analogia quàm panis, & sanguis propiùs quàm vinum sanguinem repræsentat, si in sese simpliciter caro & sanguis spectentur. Sed corpus & sanguis in Cœna Domini, nobis non simpliciter qualia sunt in sese, sed vt æternæ vitæ cibus nobis proponuntur. At panis vt corporis alimentum, longè accommodatior est ad æternæ vitæ cibum significandum quàm caro. Et quod ad alterum signum attinet, sanguis plerumque solis oculis à patribus vsurpabatur, postibus in vnico duntaxat sacro ritu illinebatur, nec semper eo populus aspergebatur, eius autem cibus lege tam seuerè interdictus erat, vt ne suffocato quidem vesci domi liceret, nec eum potare fortassis alia gens vnquam sustinuit, quàm Satur epoto Sarmata pastus equo: & vos reales ipsius Christi αἱματοπόται. At vinum, verum sanguinis Domini spiritualiter per fidem participandi Sacramentũ, non spectandum, non illinendũ, non aspergendũ, sed bibendum, & quidem omnibus Christianis propinatur. Hæc est igitur congruẽtia, quæ vt vera sit, fateor quidẽ hoc requiri vt verè quoq; res significata detur: at non eo quem somnias modo: & qui si admittatur, non iam erit in hoc duplici esu analogia sed ταυτὸν. Nam vterque corporalis fuerit, & eodem instrumento, ore videlicet ac dentibus, peragetur, éritque in ipso tantùm cibo discrimen.

Dicis

Dicis placere Caluino & Occolampadio *vt apud Ioannem per aquam & sanguinem testificantes in terra intelligatur Baptismus & Cœna Domini, vnde colligis sicut realiter præsens est aqua Baptismi sic præsens statui Christi corpus in Cœna Domini.* Prouoco ad Caluini commentarium in locum Ioannis ex quo impudentia tua summa redarguatur. Nec tamen propterea inficiamur scitè scripsisse Augustinum, Sacramenta Ecclesiæ ex latere Christi profluxisse. Allusit ergo Ioannes ad legales purificationum & sacrificiorum ritus, significaus veram sanctificationem & expiationem ex Christo crucifixo manare: quod vtrunque beneficium & veteribus illis Sacramentis significabatur, & nobis nunc exhibiti Christi effectibus, nouísque Sacramentis quasi ob oculos statuitur. Non est, inquam, vsus aquæ & sanguinis nominibus Euangelista vt signa nostrorum Sacramentorum exprimeret, quanuis aqua videatur aquæ Baptismi respõdere: sed alludens ad veterum Sacramentorum symbola ostendit eorum vim omnem in Christo nobis verè ac reipsa præstari, quod & ipsa effecta & Sacramenta nobis in terra nunc clarissimè testificantur. Id autem ita esse apparet tum ex eo quòd sanguis olim quidem erat signum, nunc verò non est signum sed res significata in Cœna Domini: tum etiam quòd alterum quoque signum nempe panem Ioannes alioqui expressisset. Sic igitur sunto refutata illa tria vestra commenta, corporis Christi veritati, ipsiúsque in cælis collocationi, & ipsi Sacramentorum fini ex diametro repugnantia: quorum primum est, panem & vinum non esse Cœnæ Domini symbola, sed in ipsum Christum transsubstantiari: alterum sacramentalem coniunctionem idem esse atque ipsius carnis & ipsius sanguinis Christi substantiam realiter ad panem & vinum reipsa accedere: tertium meras proponit chimeras, nempe species, siue accidentia sine subiecto, corpus quantum non quantum, circunscriptum & non circunscriptum, præsens & absens, introiens nostrum corpus & mox euanescens, dentes quidem murium at nequaquam hominum euadens & quid non?

AD CAPVT IX.

Ex priore ad Corinthios Epistola nihil minus quàm transsubstantiationem aut realem coexistentiam carnis & sanguinis Domini cum sacra Cœna Symbolis elici posse.

HIc verò quoniam acumen ingenii tui venditare præcipuè studuisti, age placet tua Enthymemata ordine disponere.

Apostolum, ais, non fuisse taciturum Corinthijs verborum institutionis sensum si quem alium à Domino didicisset. Concedo vt eius rei probationem quærere te minimè oportuerit. Sed hoc addo: quæ luce penè ipsa clariora sunt iis qui vel prima Christianæ religionis elemẽta tenẽt (quòd Christus videlicet illud verum suum circunscriptum corpus supra cælos intulerit, vnde non prius sit venturus, quàm viuos & mortuos iudicaturus veniat: & quæ de Sacramentis sacramentaliter dicuntur, esse quoque sacramentaliter accipienda) nulla expositione vel illustratione noua indiguisse. Quod autem comminisceris *hæreses de Cœna Domini fuisse inter Corinthios agitatas, de quibus etiam Apostolus Dominum consuluerit qui tamen nihil noui ab eo retulerit,* quo tandem pudore cogitare nedum scribere ausus es? Nam hac de re ne voculam quidem apud Apostolum inuenies, vnde id suspicari vel leuissimè potueris. Quis autem illum arbitretur tale quidpiam fuisse dissimulaturum? Es tu, quæso, quorsum ista? nempe vt postquam hominibus persuaseris *Corinthios* (ita enim scribis) *in eo errore versatos vt non pluris panem eucharistiæ æstimarint quàm alium communem, aut saltem alium cibum, Deo aut idolis sacratum,* tu nos postea facias illorum similes. At quo tandem iure? num enim sacrum panem eundem atque communem faciunt, qui illum vocant efficax veri corporis Christi Sacramentum, & nostræ cum Christo veræ consociationis sigillũ? Imò quod de Eucharistiæ pane dicis quomodo cum tuæ transsubstantiationis dogmate consentit, quod nullum pani locum in Eucharistia relinquit? Necesse est ergo vt per panem intelligas panis speciem, sed quamnam tandem? rotunditatémne an albedinem? atqui non sunt hæc accidẽtia eiusmodi vt ex iis panem adesse necessariò conicias? panes autem illos Azymos quos tunc edit Christus, quis te docuit albo colore & rotundos fuisse? Gustum autem miror quem tandem habeant accidentia, sine subiecto, id est, reipsa merum nihil: quo vno cibo si vester clerus pasceretur, næ plerique non tam pingues essent ventres. Hoc scilicet Euangelium est quod Corinthios Apostolus docuerat. Denique quum ex illa Epistola liqueat inter Corinthios sic fuisse de idolothytis disceptatum, vt corrigendus eorum quoque error fuerit quibus erat religio idolothytis nullo modo vesci: quo iure illis hunc fœdissimum errorem impingis, qui si valeat, nullum inter Christianæ religionis tanta Sacramenta & idolothyta discrimen ponetur? Sed qua tandem coniectura niteris vt hanc illis immerentibus impietatem obiicias? *quoniam,* inquis, *addit Apostolus panis, quem frangimus nonne communicatio corporis Domini est? & Non dijudicans esse corpus Domini.* Obsecro verò quæ hæc confidentia est? Vix enim credibile est, in quo etiam aliquoties antea peccasti, locum Pauli à te fuisse conspectum quum hæc tibi exciderent. Comperisses enim Paulo non fuisse propositum in decimo capite (vnde prius illud testimoniũ depromis) agere propriè de aliquo Corinthiorum in Cœna Domini errore, sed de eo quòd nõnullis religio non esset conuiuiis idololatrarum in ipsa idolorum æde celebratis, id est, impiorum sacrificiorum appendicibus interesse, eo prætextu quòd idolum nihil esset, ac proinde polluere cibos non posset, quum præsertim ipsi melius essent instituti neque idololatriam approbarent. Illorum igitur perniciosum errorem corrigens Apostolus, inter alia argumenta hoc

etiam nititur longè grauissimo, quòd conuiuia illa essent partes idolorum cultus, quo sese idololatræ dæmoniis addicebant. Hoc autem probat ex ipso eiusmodi conuiuiorum fine, exemplum sumens à legalibus sacrificiis à Deo institutis, & quibus qui sacris epulis (parte videlicet oblatæ victimæ) vescebantur, suam cum vero Deo consociationem sic testabantur & obsignabant. Et quia in locum illorum sacrificiorum legalium successit Cœna Domini, hoc quoque vrget Apostolus, quasi his verbis vtens, Sacrum illud Christianorum epulum quorsum & in quem præcipuè vsum ac finem à Domino institutum est? nempe vt cum ipso Christo vniamur & coalescamus. At Christo cum dæmoniis nulla prorsus est societas. Ergo si vultis in Christo permanere, & communionem cum eo seruare, necesse est vt ab iis conuiuiis abstineatis, quibus hominũ cum dæmoniis societas sancitur. Quod igitur ait de Cœna Domini Apostolus, vt concessum assumit, sicut fieri in argumentando oportet: nedum vt Corinthios docere velit discrimen esse statuendum inter Cœnam Domini & idolorum epulas. Sic & nos hodie nostrorum aliquos eodem prorsus argumento à vestro Idolomanico toto cultu deterremus non vt illos doceamus quod satis norunt, aliud esse sacram Domini Cœnam, quàm vestram execrabilem oblationem, sed vt quum hoc norint, simul attentè considerent illius nullam appendicem esse *ἀδιάφορον*, nec se posse mensæ Domini, simul & vestrorum dæmoniorũ fieri participes. Iam verò quod ad alterum locum attinet, *Non dijudicans corpus Domini*, primùm deprehẽderis corruptarum sacrarum tabularum reus. Nec enim scripsit Apostolus *Non dijudicans esse corpus Domini*, sed, *Non discernens sive non dijudicans corpus Domini*. neque verbum *διακρίνειν* pati potest vt verbum *Esse* subaudiatur, vt pote quod in ea significatione semper sit transitiuum. Sed id voluisti nimirũ ad tuum commentum accommodare, quasi Corinthii non diiudicarent (id est non iudicarent neque apud se existimarent) cibum illum esse corpus Domini sed perinde vt cibum vulgarem haberent, adeòque non pluris quàm idolothytum facerent. Verùm, præter quàm quòd absoluta est à Paulo superiore capite quæstio de Idolothytis, cui tandem sano homini persuaseris, vel Corinthios, quibus se tradidisse dicit Apostolus quod à Domino acceperat, in illam impietatem decidisse aut si decidissent, Paulum qui leuiculum præ ista impietate delictum tam acriter in ipsis reprehendit, vt etiam hoc quod agebant Cœnam Domini esse neget, istud fuisse penitus dissimulaturum? penitus, inquam. Nam in cõtextu ne voculam quidem inueniri dico vnde hoc coniici possit. Si mihi non credis crede Chrysostomo in hunc locum non aliter scribenti, quàm si ad tuas ineptias respondendum sibi putaret. Non minus autem ineptè scribis factum illud Corinthiorum in eo situm fuisse quòd sese ad Cœnam Domini non ea qua decet veneratione præpararent. Neque enim hac indecentia quanuis minimè ferenda Apostolus ad tam grauem illam sententiam pronuntiandam esset commotus. Hoc ergo Corinthii non *εἰς τὸ σῶμα* duntaxat, sed contra ipsius Cœnæ Domini institutionem, atque naturam faciebant, quòd & lautitiis indulgerent & pauperes fratres aspernarentur, quum Cœna Domini non ad pascendum, nedũ ad saginandum corpus, sed ad vitæ æternæ verum & vnicum alimentum percipiendum, & ad mutuam cum fratribus in vno Christo sanciendam coniunctionem sit instituta: quamobrem etiam monet Apostolus vt deinceps domi potius (sublatis communibus Agapis) cibum capiant. Quanuis igitur Apostolus ab hypothesi ad thesin ascendens generalem in eos sententiam ferat qui indignè ad Cœnam Domini accedunt, non debet tamẽ hoc Corinthiis nisi in eo in quo peccabant applicari: ac proinde quicquid hîc profers, præterquàm quòd falsò in nos dicitur qui nũquam Cœnam Domini cum vulgari cibo aut cum nudis figuris comparauimus, audaciam simul & imperitiam tuam patefacit.

Sic corruunt quæ tam putri fundamento imponis, Apostolum videlicet in tam magna difficultate, id est, in Corinthiorum dubitatione tollenda de fide Eucharistiæ non fuisse fundamentum iacturum à figurata loquutione, sed suo more fuisse præfaturum aliquid, veluti, *Sacramentum hoc magnum est, dico in pane & corpore Domini*, vel *Istud in figura corporis sui tradidit Dominus*. Certè quum his nugis tuum illud ingens volumen farcires, iusto Dei iudicio excæcatum fuisse te oportet: nec alio te responso dignum arbitror.

Subiicis tot penè calumniarum quot verborum plenam disceptationem de verbo *Frangendi* in illo Pauli loco *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, Quod pro vobis frangitur.*

Prima igitur hæc calumnia est quòd dicis *censere nos ex fractionis appellatione, nomisi symbolum corporis & panẽ à Christo demostrari, & tradi, quoniã fractio fuit à Christi corpore in passione prorsus aliena.*

Altera calumnia est *quòd Frangere accipiamus pro distribuere vt apud Esaiam, Frange esurienti panẽ tuum, vnde etiam colligamus non obseruari rite institutionem Cœnæ Dominicæ, nisi præter quàm quòd panis porrigitur, etiam frangatur.* Quod vtrumque ex eo confutas *quòd hoc non dicitur nobis sed pro nobis, id est, pro nostris peccatis dari & frangi.*

Respondeo vtranque calumniam ex tuis ipsius verbis patêre, qui fatearis Caluinum vocem *κλώμενον*, pro immolatione accipere. Num enim ita nos ineptire cuiquam persuaseris, vt dicamus symbolum corporis pro nobis immolatum? Te ipso igitur iudice non solùm panem nobis frangi, sed etiam pro nobis corpus ipsum immolatum nobis verè dari docemus, quia ne si in manus quidem ipsas millies (ita vt vultis) daretur, nobis tamen nisi semel pro nobis immolatum, nunquam prodesset. Ideo Paulus Euangelii prædicationem paucissimis complexus, quum sese dixisset vnicum apud Corinthios Christum nosse, addit *& quidem crucifixum.* & in institutione Cœnæ additum est, *Quod pro vobis datur*, & *Qui pro vobis funditur.* Manifestus es igitur hîc in re calumniator, vt & in altera. Neque enim fractionis ritum sacramentalem ea qua dicis ratione

conqueri-

conquerimur à vobis prætermissum, sed quòd nos Christus facere quod fecit, ideóque panem cui benediximus, frangere iusserit. Túne enim hoc negabis? Imò quum in alia repetitione tantopere vrgeas panis fractionem, vt etiam in historia duorum illorum viatorum Emaunte post resurrectionem proficiscentium, pro Cœnæ Domini actione accipi velis, hoc in nobis reprehendere audes, quo sublato, Cœna Domini nullo modo possit per fractionem panis intelligi?

Reprehendis quoque Caluinum vt contextus deprauatorem, *quòd existimet ex Hebraica linguæ proprietate tempus præsens in futurum commutandum, neque Frangitur dicendum sed Frangetur.*

Debuisti ergo locum Caluini citare. Nam in harmonia Euangelica & Paulo præsens tempus seruauit. Sed quod ad rem ipsam attinet, quæ hæc rursum impudentia est, quum tu ipse eadem pagina fatearis Latinos maxima ex parte legere futuro tempore *Tradetur*, proculdubio pro διδόμενον vt etiam (quod astutè præteriisti) *Fundetur* pro ἐκχυνόμενον, audere tamen Caluinum vt diuini verbi corruptorem accusare, quòd κλώμενον vertendum censeat Frangetur? Hoc quidem verum est, etsi non temerè Christus præsenti tempore vsus est, vt fidei vim & energiam ostendat, qua olim factum est vt veteres quasi præsentem diem Domini in veteribus Sacramentis viderint, & nunc fit vt rem præteritam (mortem videlicet Domini & corpus ipsius quanuis lōgissimè à nobis dissitum) velut ipsis oculis in nostris Sacramentis intueamur, & veluti manibus palpemus: tamen illud διδόμενον & κλώμενον ad rem mox sequuturam respicere, ac proinde non modo ineptè sed etiam impiè à te scribi, *sacrificium corporis & sanguinis Domini in ipsa Eucharistia eo fundari quòd dicatur corpus in ipsa dari, frangi, & exhiberi pro nobis, & poculum effundi pro nobis.* Quid enim est ineptius quàm ex Sacramento sacrificium facere? & quid magis impium quàm Christum dicere sese Deo Patri sæpius pro peccatis hominum in sacrificium expiatorium obtulisse? Quid? quòd supra capite septimo tu ipse hac quæstione proposita *an potuerit Christus apponere corpus suum loco agni paschalis ante mactationem & passionem*, non refugisti ad hoc duplex sacrificium, sed his verbis rectè respondisti, *Respondemus Christum quasi mortuum habitum fuisse & sepultum, ideóque à Magdalena perunctum, atque alia nonnulla per anticipationem dicta factáque.*

Sed age de ipso Frangendi verbo dicamus. Rides Caluinum (Monachus videlicet vrbanus) qui nouum significatū excogitauit quum Frāgi de corpore ipso Christi dicatur, declararet accipi pro Immolari, quia pro peccatis nostris in cruce sit attritus, aut, vt vult Petrus Martyr, propter animæ à corpore in cruce factam separationem. Hanc autem interpretationem duplici ratione refutas. Vna *quòd inusitata sit scripturis, ipsísq; adeò Grammaticis hæc significatio verbi κλᾶσθαι:* altera, *quoniam neque corporis symbolo fracto conuenit, vtpote quod non sit pro nobis fractum neque symbolo corporis fracti, quoniā fractio corporis competere in se nequit, nec ista particula pro vobis pani aut symbolo conuenire.* Caluini autem hæc verba sunt, *Ego, sicuti Paulum ad panis fractionem allusisse fateor, ita hic Frangi positum interpretor pro Immolari, impropriè quidem, at non absurde. Nam vtcunque nullum ipsius os mutilatum fuerit, corpus tamen ipsum tot tormentis & cruciatibus, deinde crudelissimo mortis supplicio expositum, non potest illæsum dici. Hoc frangi vocauit.*

Cedò verò quid in his verbis meritò reprehenderis? Frangendi verbum bis positum esse ab Apostolo inficiari non potes, ac priore quidem loco vbi de pane dicitur, pro distributione siue dispensatione accipi non posse, illud ostendit, quòd alioqui esset ineptissima ταυτολογία in *fregit dedit*: propriè denique fractionem ibi intelligi & de ipso signo dici res ipsa clamat, & vos ista cantiuncula testamini, *Nulla rei fit scissura, Signi tātum fit fractura:* posteriore verò loco quin de re significata, putà corpore dicatur, ne tu quidē negare possis: propriè tamē id non conuenire corpori tutumet fateris. Translatitiè igitur sumatur oportet. Quid ergo declarabit? Tu quidē his verbis Catholicorum tuorū sententiam explicas, *Catholicorum,* inquis, *præstat sententia & fides qui credunt, in Cœna non tantùm nobis sed etiam pro nobis Christi corpus frāgi ac dispensari.* Tibi ergo *Frāgi* posteriore loco idem valet atque *Dispensari.* At cui tandem dispensari dices pro nobis? Nempe aut nobis aut Deo pro nobis. Illud tu quidem innuere videris, sed paulò pòst transformans Sacramentum in sacrificium (quæ sanè μεταμόρφωσις dura est, quum Sacramenta instituta sint vt à Deo promissa accipiamus, sacrificia verò vt à Deo mandata offeramus) mauis *Frangi* verbum explicare pro *Dari* & *Exhiberi*. sed cui? nēpe Deo: sed à quo? nēpe à Christo ipso, aut à sacrifico, idq; pro nobis. Sed quînam à sacrifico nisi quia prius à Christo? Ergo duo vnius Christi fuerint sacrificia & quidem realia, duo, inquam, & quidem tempore diuersa: vnum prius videlicet in Cœna, alterum posterius in cruce. Deinde quum certum sit allusione ad signi fracturam facta dici de corpore quòd frangatur: & res ipsa clamet in signi fractura verbum *fregit* non posse accipi pro *dispensauit* siue *distribuit* (quia scriptum est *Fregit, Dedit*) cuius tandem analogiæ fundamento nitetur illa tua interpolatio, *Quod frangitur*, id est, *Quod dispensatur pro vobis*? Præterea quînam factum putas vt *Frangere* pro *Dispensare* accipiatur? nempe ex patrisfamilias more qui non solidos cuique panes discumbenti familiæ, sed frustum cuique suum distribuere consueuisset, ídque fractū potius quàm cultro sectum, quòd planioribus panibus vti solerent Hebræi. Hoc ita esse si mihi non credis, eruditos istic Hebræos consule. Vobis igitur qui sublato sacramentalis fractionis ritu crustula illa vestra in os ingeritis, quînam constabit illa translatitia interpretatio? Præterea si *Frangi* quum de ipso corpore dicitur, pro *Dispensari* siue *Distribui* accipitur, quo pudore ausus es omnem tropum ab institutionis Cœnæ verbis paulò antè tam seuerè excludere? Denique quum in posteriore tua interpretatione, *Frangi* accipias de sacrificio, annon eam ipsam affers interpretationem quam in Caluino reprehendis? sic tamen vt in eo pluri-

mùm inter vos intersit, quòd tu quidem in ipsa quoque Eucharistia Christum reipsa sacrificatum fuisse & quotidie sacrificari cõtendis, Caluinus verò vnica eáque semel peracta Christi oblatione cum Apostolo contentus, datum velit in primà Cœna mox sacrificandum, & nunc nobis iam olim Deo semel sacrificatum dari. Quod igitur garris in illis verbis, *Quod frãgitur pro vobis, non conuenire frangendi verbum symbolo, id est, pani, vt qui non possit dici fractus pro nobis, sed nobis detur & frangatur*, verè à te diceretur de participio κλώμενον, nisi in nos à te diceretur perinde acsi non ipsum corpus, sed eius duntaxat symbolum nobis in Cœna dari cẽseremus. Sed & in eo peccas quòd *Dari* & *Frangi* de pane dicta ponas tanquam synonyma, quum (vt antea dixi) diuersa sit à datione fractura, & dationi etiam præeat. Et quod demum negas Frangi cõuenire ipsi corpori in sese, tuam ipsius interpretationem conuellit. Es enim illud antea pro *dari* & *dispensari* interpretatus: quod si negas corpori in sese conuenire, teipsum ergo totum retexe, qui toties iam affirmaris nihil in Cœna præter ipsum corpus demonstrari, & sub speciebus panis dari. Quid quòd tandem veluti superiora omnia expungens, in hæc tandem verba desinis? *Rectè omnia congruunt*, inquis, *si hoc esse corpus Christi dixerimus quod in Cœna pro nobis sub specie panis frangatur*. Ergo *frangere* non iam pro *dispensare*, nec pro *Deo offerre*, sed propria significatione acceperis, nisi fortasse fallor. Verum hic tibi explicandum illud supererit, quinam tandem partibilia esse velis accidẽtia quæ nulli partibili materiei, id est, nulli subiecto insint. Nam si corpori ipsi Christi inesse dixeris, frangi imprimis id oportuerit. Postremò irridere quoque nominatim bellissimam quandam (vt tu ais) meam interpretationem, tu scilicet bellissimus homo, voluisti, qui *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, interpreter, Hoc est symbolum corporis, quod corpus pro vobis datur. *Nam*, inquis, *Paulus non tantum scribit datum pro nobis in mortem, sed frangi quod est in morte non accidit, quum κλᾶσθαι sit proprietas panis & non corporis*. Refellens ego rancidam & centies millies refutatam illorum calumniam qui sacramẽtalem metonymiam perinde in nos retorquent, acsi inde consequeretur censere nos symbolum corporis, non autem ipsum corpus, pro nobis esse traditum, dixi in illis verbis *Quod pro vobis traditur seu datur*, relatiuum *Quod* non ad symbolum siue panẽ, sed ad nomen corporis à nobis referri. Nec enim docere nos panem illum esse corporis symbolum, quod symbolum pro nobis datum sit: sed panem illum esse symbolum eius corporis, quod corpus pro nobis sit datum. Hæc tu igitur quum sic detorques acsi locum Pauli propriè fecissem interpretatus, quid aliud quàm sophistam agis? Sed benè est quòd *Frangi* dicis esse *panis proprietatem*, panis videlicet illius. Nam alioqui quid prohibet quominus corpus etiã aliud omne sit partibile? Obsecro enim si ita est, annon fractionem omnem à Cœna remoues, qui nec corpus in sese fractum in frusta fuisse velis (& quidem rectè) nec panis substantiam materiámue vllam in Eucharistia statuas? Nos verò sic sentimus, verè ac propriè frangi panem, cuius ritus verè sacramentalis, ac proinde in Ecclesia obseruandi, analogiam vt Paulus declararet maluit pro διδόμενον substituere κλώμενον, ostendens fractione signi repræsentari ingentes & nobis incomprehensibiles illos cruciatus quos & corpore & animo redemptor ille noster in cruce sustinuit. Addo nunc & illud, allusisse videri Apostolum ad sacrificandi morem, quo victima non modò iugulabatur, sed etiam post omnem effusum sanguinem detracto corio in aliquot partes & frusta, ne exceptis quidem holocaustis, dissecabatur. quo ritu dubium non est quin in illa truculenta corporis Christi laniena cum terribili animæ ipsius veluti laceratione coniuncta, fuit adumbrata. Sed ad scripturam, imò & ad Grammaticos prouocas. Atqui non dixit simpliciter Caluinus *Frangi* positum pro *Immolari*, *sed tormenta & cruciatus quos Christus in crucis sacrificio sustinuit ita significari*. Tibíne verò durius non videtur quempiam fractum, contritum, attritum, etiam animo dici, quod decem minimum vocibus hebræis significatur. Quinetiam, quod insolentius multò videri possit, τὸ σπαράττειν, quod discerpere & dilacerare declarat, de dæmoniaci acerbissima vexatione dicitur Lucæ 9. 42. & allusione quoque ad victimarum dissectionem factà iubet Paulus Pastores τὸν λόγον ὀρθοτομεῖν. Apud Latinos verò simili translatione nõ modò lacerandi vox ita vsurpatur, sed etiam secare dicitur podagra, nisi fortasse tibi non satis Romanè loquutus videtur ille tam respurcissimus quàm loquendi formulis tersissimus poeta.

Sed hoc quod subiicis argumentum planè mirificum est. *Paulus*, inquis, *recitata Eucharistiæ institutione subiicit, Itaque quicunque indignè manducauerit panem hunc. Certè per Itaque aliquid ex præcedentibus inferre voluit. Quomodo verò contra natura & suum morem, si figuris & tropis scateat oratio, ex figurato sermone quem antea proprio sensu non reddiderit, aliud probabit?* Nouus certè & inauditus disputandi canõ, vt ex figurato sermone nisi quem prius proprio sensu explicaris, conclusio necti non possit. Dele igitur omnes parabolarum non explicatarũ conclusiones. Sed minimè necesse est vt huc deueniamus. Tantùm enim abest vt tropus Metonymiæ sacramentalis sit inusitatus & obscurus, vt cõtrà vix aliter homines signis vtentes loqui cõsueuerint, & sicut ante ex Chrysostomo obseruaui, ideo non fuerint turbati hoc sermone discipuli quoniam multa iam hac de re & magna cum eis Christus disseruerat.

Contendis præterea *corporis & sanguinis nomen similiter & eodem significatu, proprio videlicet ac natiuo in ipsa institutione accipiendum atque in his verbis, Reus erit corporis & sanguinis Domini, in quibus nos fateamur pro naturali & substantiali positum.*

Id ego verò totum concedo, &, vt omnem tibi semel istarum ineptiarum occasionem præcidam, scito nos, quum panem dicimus siue esse sacramentaliter corpus Domini, siue esse symbolum corporis Domini, non aliud quàm verum illud & vnicum substantiale Domini corpus

pro nobis

pro nobis traditum intelligere, quod tamen neque de pane aliter quàm Metonymia sacramentali dicatur, neq; aliter quam Sacramentaliter in terris adsit, neque alio quàm fidei organo, spiritualiter nimirum percipiatur. Scito & illud, Quum ad Cœnam Domini indignè accedentes dicimus eos fieri corporis & sanguinis Domini, verum illud Christi corpus & verum sanguinem Christi à nobis intelligi. De his igitur tribus non de illo priore quæri abs te oportuit.

Rectè ergo postea de ipsa manducatione corporis incipis disserere, quam vt duplicē in Eucharistia esse probes (vnam videlicet præsentis reipsa corporis quæ ore ac dentibus, alteram spiritualem realiter præsentis, quæ nonnisi spiritu & fide fiat, quarum hæc sit ad illam rectè & vtiliter agendam præparatio) hoc argumento vteris. *Si corpus tantùm spiritualiter ederetur in Cœna frustra requireretur probatio sui ipsius quia nemo posset illud nisi dignè, fide videlicet praditus edere. At Apostolus probationem & dyudicationem requirit, proposito grauissimo aduersus indignè accedentes iudicio. Ergo alium esum prater illum spiritualem requirit, corporalem videlicet, ad quem oporteat vnumquemque sese per illum spiritualem disponere ac praparare, vt iram Domini ex indigno videlicet Christi corporis esu conciliatam vitare possit. Denique si spiritualiter duntaxat edi potest Christi corpus, si fides defuerit aut vires suas non obierit, non tam indigna erit corporis manducatio sed nulla.* Hoc tuum igitur est argumentū cuius nullam à me prætermissam partem opinor. Sed quàm ineptè, quæso, disputas? *Si sola fide, spiritualiter corpus Christi editur, non edunt illud qui fide carent.* Concedo. *Ergo non est ista manducatio indigna sed nulla.* Concedo. *Non rei sunt igitur isti corporis & sanguinis Domini.* Nego. Nam qui ne sumere quidem dignatur, & sacra quæ sumere se simulat, tanquam canis & porcus conculcat, annon magis peccat quàm qui sumit quidem, sed non ita prorsus vt debuit comparatus? Sed tu præsupponis quod falsissimum est, nempe, *Edere indignè panem hunc atque bibere hoc poculum* idē valere atque *Edere ipsum reale corpus Domini & Bibere ipsum realem sanguinem Domini indignè*, quod tu Paulo affingis: ridiculè id quidem ac etiam impiè, quum Sacramentum, id est signum, & res Sacramenti significata, duæ res sint, semper quidem à Deo minimè mendaci, duobus tamen diuersis modis & duobus obiectis, propositæ: signum videlicet corpori, corporeo & externo modo accipiendum, res autem significata menti, spiritu & fide spiritualiter sumenda. Deinde etiāsi sola fide corpus ipsum editur, non tamen consequitur dignè semper edi à fide præditis, ac proinde superuacaneam esse Pauli doctrinam de suipsius probatione, & inanem illam grauissimi reatus denuntiationem. Nam qui ipsam quoque rem Sacramenti, fideli quidem, at non ita vt decuit comparato animo percipit, grauem pœnam meretur: neque ex eo tamen altera ista tua commentitia præsentia vel manducatio idcirco statuitur. Sed tibi videntur quicunque panem hunc edunt, & poculum hoc bibunt, siue dignè siue indignè accedant, corpus Domini accipere, & Domini sanguinem bibere. Ego verò quid tibi videatur non laboro, sed quid Apostolo videatur, id demum probo. Apostolus verò non corporis, non sanguinis, sed panis huius & poculi huius indignè sumpti meminit: ita videlicet significans vnde hic reatus promānet, nempe ex eo quòd & Sacramenta (panem hunc videlicet & hoc poculum) & rem ipsam Sacramentorum, id est, sacramentaliter oblatum Christum, vel prorsus infidelitate sua sint aspernati, vel socordia ac non satis accurata pœnitentia sumentes, Deum non leuiter offenderint. Audiamus tamē quibus pigmentis spectrum istud tuum adornes.

Ex commixtis, inquis, *corporis & signi proprietatibus liquet nusquam à Paulo separari signum à corpore, nec contrà, quoties de Eucharistia loquitur.* Enimuerò, mi homo, vel tace, vel sic loquere vt intelligaris. Quas tu verò mihi panis, quas corporis proprietates narras, qui panem quidem sua substantia, corpus verò sua visibili specie, & organici veri corporis humani dimensione spolies? Sed hoc voluisti significatum opinor, sic inter se signum (siue sit illud verus panis substantialis, siue panis in chimæram transformatus) & corpus Domini conflari, vt reipsa vnum cum altero sit eodem loco inseparabiliter situm, ac proinde vnum cum altero corporeis organis necessariò sumatur. Sed quomodo tandem id probabis? nempe postquam veritatem corporis Christi, & ipsius veram à nobis emigrationem, vsque ad alterum ipsius aduentum, Sacramentorum denique finem funditus euerteris. Ne quid tamen hìc tuo more calumnieris, quasi vestra illa reali & substantiali exclusa coniunctione seu ferruminatione, signa vacua statuamus, scito nos vsque adeo veracem esse Christum agnoscere, vt in legitima Cœnæ ipsius actione nunquam corporaliter offerri corporalia signa credamus, quin id quoque quod verbo sacramētali exprimitur, & externorum symbolorum analogia repræsentatur, verissimè quoque menti spiritualiter per fidem sumendum proponatur: quod nostrum responsum quò magis ridebis, eò magis omnibus exercitati in sacris iudicii hominibus deridēdū te ipsum propinabis. Pergis tamen & inquis. *Paulum dicere in eo peccari, quòd panis non existimetur corpus Domini, sed aliquid aliud ab ipso corpore censeatur.* Imò nequaquam fuit vecors vestro more Paulus qui signum pro re acciperet; quod meritò ridet Augustinus: neque *Non discernere corpus Domini* apud Apostolum declarat *panem aut panis speciem pro ipso corpore Domini non habere*, sed propositum sacramentaliter Christi corpus, quantæ sit dignitatis munus non attendere: neque Sacramentum, rem tanto vsui destinatam, à re aliqua vulgata distinguere.

Quid plura? Contendis etiam aduersum nos *multò minus peccare qui Christum repellat, quàm qui indignè recipiat.* idque probas *centurionis exemplo qui Christum repellendo ne peccarit quidem quum multi etiam ac digni censeantur in quos puluis pedum excutiatur qui admissum hospitem Christum indignè exceperint.*

Deus te compescat Sophista. Nam quæ hæc impudentia est? Agimus de iis qui Christum in

mensa ad quam accedunt oblatum non sine impietate aspernātur: tu verò nobis Centurionem, quo nullus maiorem in Israele fidem habuit, pro exẽplo proponis. Sed diuino planè iudicio factum video vt hoc exemplum sumeres, quo vix vllum profectò ad vestrum delirium redarguendum magis appositum deligi potuit. Nam à vobis quidem Christus, nisi realiter præsens eius corpus non modo inter manus & dentes, sed etiam intra vestra viscera, certè non admodum honesta domicilia, statuatur, absens & inutilis existimatur. Quid verò contrà Centurio? Non opus est, inquit, vt domus meæ tectum corpore subeas, sed quanuis corpore absens, iube tantum quid fieri apud me velis, & mox fiet: quod Centurionis dictum Christus, & verbo & re cõprobauit. Et certè tantùm abest vt Centurio Christum sic loquens repulerit, vt contrà vera fide totum sit illum amplexus quæ in nobis hodie quoque requiritur, siue ad verbum nudum, siue ad Sacramenta accedamus. Contrà quum eos dicis pulueris pedũ excussione multari qui Christum hospitem indignè receperint, rursum confidentiam tuam summam ostendis, vt qui ne hîc quidem locos illos Euangelistarum consulueris vt qui disertè de iis loquantur qui missos à Domino non exceperint, neque sermones eius audierint. Rursum igitur pudendum errorem hic admittis, ea videlicet conscientia qua miseræ plebi quiduis quasi ex Dei verbo depromptum dictare consueuistis. Cæterum illud ego non inficior turpius eiici quàm non admitti hospitem. Sed rursum hic fucum facis. Nec enim de iis tantum agimus qui exceptum repellunt ad vomitum reuersi, quorum conditio posterior plerunque est priore deterior & quorum fidea est [illegible] vel fidei potius simulachrum, quique Christum vix in vestibulum ipsum intromittũt: verùm de iis etiam qui vera fide præditi, domum ipsam vsque, at non ita vt fieri potuit ac debuit ornatam, Christum admittunt, & postea castigati agnito errore, domi retentum colunt & obseruant. Quod autem subiicis, *Caluino auctore, Sacramentum fieri ex pane & corpore Domini seiunctis quantum cœlum abest à terra, per fidem & intentionem sumentis, non autem verbis Christi prolatis ex quo consequatur infideli seu fide carenti ne effici quidem Sacramentum nedum vt ei offeratur*: in eo planè Diabolum, id est, mendacissimum calumniatorem agis. Nam docemus quidem ex certissima Euangelii historia, corpus Christi nunc alibi non esse, neque alibi ad alterum vsque ipsius aduentum futurum quàm supra omnes cælos, in quos ascẽdit, siue (vt ait Augustinus) vsque adeo hîc in terris nunc non esse (secundum corpus) vt etiam è cælis venturus speretur, ac proinde si de præsentia locali agatur, tanto nunc spatio corpus Christi, quod in cælorum cælis est, à pane qui in terris adest abesse, quanto cæli cælorum à terris absunt. Docemus & illud, magicæ incantationis esse prolationi certorum verborum cõfectionem Sacramentorũ tribuere. Sed quę tu calumniator ex istis colligis, nempe seiungi à nobis panem à corpore vt vacua signa sint, & confectionem Sacramentorum siue, vt apertius loquar, mutationẽ rei communis in Sacramentum, fidei sumentis à nobis tribui vt absque fide sumentis ne signa quidem sint, abs te impudentissimè confingitur. Primùm enim, vt de illo prius dicam, ad effectũ fœderis vel pacti cuiuscunque vel primùm ineundi seu confirmandi vel aliquo modo renouandi, nihil facit rei de qua in fœdere seu pacto agitur, vel præsentia vel absentia quod ad loci situm attinet, imò ne rei quidem ipsius existentia necessariò requiritur. Quid enim obstat quominus tam possim longissimè, imò etiã nondũ extans aliquid quàm præsens aut iam in rerũ natura extans donare? & vt ad nostram controuersiam proprius accedam, quid obstat quominus absentem etiam maritũ sibi acquirere quæpiam mutuo consensu possit? Nec enim ignoras nostram, id est, Ecclesiæ cum Christo, coniunctionem mysticam ac spiritualem cum corporali coniugio sic passim comparari, vt hæc illius esse quædam imago meritò videatur. Quod si excipias, sicut ad plenã consummationẽ coniugii, & vt duo vna caro euadant, præter illum consensum à quo pendet ipsius coniugii vinculum requiritur realis corporum copula, sic ad hoc de quo loquimur Ecclesiæ, atque singulorum eius membrorum & Christi connubium, requiri corporis Christi realem præsentiam & contactum qui externa reali manducatione fiat: respondeo hoc ipsum esse in quo plurimùm hallucinaris, vt qui à corporalibus spiritualia non discernas. Cedò igitur, cur illa corporum realis & terrestris coniunctio ad illud coniugium requiritur? non quia corpora sunt, sed quia matrimonii illius finis est per mutuam illam corporum realem copulam genus suum propagare. At in hoc altero coniugio illud spectatur vt mysticum & merè spirituale corpus coalescat: ac proinde vt finis eius spiritualis est, sic spirituum vtrinque organo & instrumento coniunctio hæc fiat oportet, quanuis non soli spiritus, sed ipsi toti homines (nempe fideles) cum Christo homine sic arctissimè connectantur: quemadmodum si non ex corporum ipsorũ sed ex solarum mentium connexu hominum corpora propagarentur, copula illa realis corporum minimè ad terreni coniugii consummationem desideraretur, sed ipso solo animorũ cõsensu peragererur. Ad istam autem personarum quæ mẽte & voluntate fit copulationẽ nequaquam realis contrahentium eodem in loco præsentia necessaria est, quum longissimè etiam absentes in eam rẽ de qua agitur (agitur autẽ hic de mutua vnius cum altero verissima quidẽ sed spirituali ad spiritualis vitæ fruitionem communione) verè & efficacissimè consentire possint. Verissimã igitur & arctissimam nostri cum ipsomet Christo cõiunctionem qua fit vt omnem spiritualem sensum ac motum ex ipso sicut membra ex capite hauriamus, & quæ quotidiana verbi auditione & Sacramentorum legitima sumptione in dies magis ac magis astringitur, ipse Spiritus sanctus efficit nullo locorum obstante interuallo, interueniente tum Christi ipsius sese nobis insinuantis voluntate, verbo & Sacramentis testata, tum accedentium fide, illum ad se vltrò venientem amplectente. Deinde quum Christus ille verus sit Deus inseparabiliter simul & hypostaticè cum

ticè cum assumpta carne vnitus, qui proinde nullo loco secundum deitatem abest, concedam quoque tibi non inuitus carnem ipsam Christi à signis ipsius sacramentalibus in terra positis minimè abesse, sed κατ' ἄλλο, siue secundum totum Christum non secundum totum Christi, id est, quatenus cum deitate à qua assumpta est, hypostaticè cohæret, ne me fortè vel cum Brentio Eutychianum factum putes, vel vobiscum ἐναντία ponere, id est, Christi carnis proprietates simul statuere & abolere. Quod si demum excipias sic non aliter Sacramentis quàm aliis vbique locis Christum præsentem statui, concedam ita quidē videri, sed plurimùm quod ad finē & effectum attinet hanc ab illa præsentiam differre, adeò quidem vt vniuersalis illa Christi personaliter considerati præsentia sit veluti quoddam absentiæ genus. Quamobrem etiam Christus de Patre & de se loquens, ad eum (inquit) veniemus & mansionem apud eum faciemus, quum tamen propriè loquendo venire aliquò dici nequeat qui vbique est præsens. Sed verum est quod dicit Augustinus, esse quidem Deum vbique sed in solis sanctis habitare. Sic vbique etiam reipsa adest Christus personaliter, non autem secundum humanitatem distinctè consideratus, sed in solo verbo & solis Sacramentis adest electis suis vt sese illis insinuet. En tibi quomodo, & quo sensu corpus Christi ab illo pane, & sanguinē Christi ab illo vino seiūgamus.

Sequitur alia nihilo minus calumnia. *Prædicant*, inquis, *Caluinistæ absentia effici præsentia per fidem & ob id per eandem nobis reddi præsentissimum Christi corpus toto cælo à nobis dissitum. Infideles igitur quum eiusmodi destituantur fide non habebunt quo illis offeratur corpus.* At tu rursum vide si potes quàm calumniosè nobiscum agas. Nam aliæ sunt profectò offerentis seipsum Christi quàm hominis Christum recipientis partes. Quo igitur pudore quod de hominibus Christum fide recipientibus dicimus, ad Christum sua potentia & bona voluntate seipsum offerentem traducis? Si Sol sese tibi è cælis conspiciendum præbeat, tu verò oculos clauseris aut aliò conuerteris, obtulerit quidem ille sese tibi, &, quod ad ipsum se offerentem attinet, quanquam longo locorum interuallo à tuo corpore dissitus, tibi tamen præsentem sese stiterit: at tibi tamen quod ad eius perceptionem attinet præsens non fuerit. Sic Christus cuius corpus supra cælos nunc est & alibi nusquam, sese nobis vnico fidei oculo aspiciendum, ac etiam eiusdem fidei manu verè prehendendum quibusuis velut in speculo Verbi & Sacramentorum offert. Quòd si quis vel illis fidei oculis careat, vel eos nullo modo adhibeat, non magis erit ei præsens quod ipsi offerebatur, quàm si nunquam oblatum esset. Itaque quod olim Pissiaci & semper alias sensimus & sentimus de fidei efficacitate ad hoc vt corpus Christi sit in Cœna præsens, calumniosè à Spensæo primùm, deinde à te & aliis deprauatum est quum quod diximus sumentium respectu, ad Christum offerentem traduxistis. In summa, quid efficit vt quod verbum auribus & Sacramenta oculis quibusuis foris renuntiant, verè quoque spiritualiter, & communicationis ineffabilis (nō autem loci) respectu præsens præbeatur? sola Christi nunquam mendacis potentia & voluntas; verbo ac signis sacramentalibus testata. Quid autem efficit vt res in sese ita vti diximus quorúmuis accedentium menti spiritualiter oblata, à solis tamen fidelibus mente cernatur & percipiatur, ac proinde, hoc respectu, solis illis sit præsens? fides per Spiritum sanctum donata & per eundem efficax. Quæ subiicis de diuersis indignorum speciebus, nulla indigent refutatione, nisi in eo quòd omnes quantumuis indignè accedentes vis nihilominus corpus & sanguinem Domini, id est, res Sacramento significatas recipere, quod tu quidem nunquam probabis. Nam quæ tu citas ex decimo capite nihil ad aliquem Corinthiorum in Cœna Domini errorem pertinere antea ostendimus. Deinde quod adiicis non posse apud Paulū de pœna temporaria intelligi Iudicii nomen, si ad id respicias quod peccata etiam leuissima merentur nisi pœnitentia & fide interueniente eluantur, tibi concedo: sin verò ad pœnas referas quibus consueuit Dominus suos non vt seuerus Iudex perdere, sed vt pater castigare, perperam id abs te fieri dico. Nam quoddā etiam est iudicium quod incipit à domo Domini 1. Petr. 4. 7. Illud autem omniū ineptissimè scripsisti, probari nobis vestram sentētiam, qua docetis *quædā esse peccata quæ non æternis tormentis sed in isto seculo (vel etiam futuro) transitoriis puniantur, ne cogamur illa in altero seculo luere.* Imò absit vt vel vlla alia quàm crucis Christi pœna tolli peccata dicamus, aut remissionem peccatorum in Christi sanguine adeptis alias superesse pœnas in præsenti seculo satisfactorias luendas somniemus. Et quod ad futurū seculū attinet, auertat à nobis Dominus insanā & impiam purgatorii fabulā, vbi satisfactio pro peccatis vlla persoluatur. Imò peccata omnia suapte natura mortem æternam mereri ex Paulo didicimus, quam pœnam vnicus pro credētibus Christus totam penitus persoluit: idcirco nec petituris vnquam electis, nec reprobis seruādis.

Venio ad illud vnde secundo loco tuam illam externam oris manducationē probari liquidò posse credis, nempe ex eo quòd *Apostolus condemnationi addicat indignè manducantes, vt grauissimum hoc scelus esse oporteat: deinde ex eo quòd tam anxiè de præparatione verba faciat, qualis neque ad agni paschalis, neque ad panem propositionis esum requirebatur. Imò ne externam quidem illam munditiem & ceremoniam ad manna escam, aut potum aquæ ex petra quæ etiam iumentis profluebat, requisitam fuisse. Quin etiam istam suipsius examinationem ne paruulis quidem baptisandis irrogari, quæ tamen in illis fuisset necessaria, si*, vt tu nos sentire dicis, *Agnus paschalis, panes propositionis, manna & potus aquæ ex petra, tam fuissent efficacia signa corporis & sanguinis Domini quàm est Eucharistia, & nunc in Baptismo requireretur, si pro Baptismo nihil plus de corpore & sanguine Domini contineret.*

Sed hîc rursum vide quàm vana hæc sint argumenta. Primùm enim falsissimum est quod dicis parem à nobis efficaciā veteribus signis & nostris tribui. Deinde ineptè colligis si qua inter illa & nostra est imparitas, eā positā esse in re ipsa significata. At nos è cōtrario Apostolū ducē

vt & Augustinus sequuti, vetera & noua Sacramenta docemus re paria vel potius eadem fuisse, sed significantiora & augustiora: quod omnino statuendum est tum ob mysteriorum salutis maiorem infinitis partibus in nouo fœdere perspicuitatem, tum ob analogiam Sacramentorum miris modis euidentiorem. Collapsa igitur tui argumēti basi, quod superstruxisti corruat oportet: neque mirum est quò propius & euidentius Rex ipse nobis sese patefacit, eò expressius moneri subditos vt dignè principem suum excipiant. Sed de hoc præterea non deest quod apposité, vt spero, tibi respondeam. Obsecro igitur, tam anxiæ illæ immundorum ad sacrificia accedētium purificationes externæ, an vana fuerunt simulachra, ac non potius totidem vehementissimæ, ipsísque externis sensibus repræsentatæ eius ipsius probationis, pœnitentiæ, ac fidei conciones, quas ad legitimum vsum Cœnæ requirit Apostolus? Quid? illænc increpationes aduersus incircuncisos corde, illa horrenda fulmina toties aduersus eos contorta qui ad sacrificia impuris animis accederent, vanánc fuerint terriculamenta? & ne excipias intra verba constitisse has minas, illa filios Aaronis deuorans flamma, illa Oziam feriens dextra Altissimi, quòd arcam præcipitem ipse ad hoc non sanctificatus fulcire tentasset, non satis demonstrant patres non minore quàm nos religione accedere ad suos sacramentales ritus iussos? Quid quòd sub Eacchia agnum paschæ à non sanctificatis comesum iisdem prorsus pœnis, morbis videlicet vltus Dominus dicitur 2. Paralipom. 30. 18, & 20. quibus aduersus Corinthios vsum esse testatur Apostolus? De manna verò & aqua ex petra profluente idem non fuisse mandatum atque de rebus propriè sanctificatis, nemo mirabitur, qui res illas sic fuisse spirituales (sic enim nominat Apostolus, id est, sacramentales) expenderit, vt proprius illarum vsus esset quotidianus & communis, & Sacramenta non essent nisi κτ' συμβολικῶς. At è contrario panes propositionis propriè erant Sacramenta, vt & victimarum carnes: & corporum alimento κτ' συμβολικῶς seruiebant. Itaque nulli immundo istas vel contingere citra horrendam pœnam, illos verò solis mundis Sacerdotibus edere fas erat. Denique quod ad Baptismum attinet, in baptisandis infantibus nostris maiorem quàm olim in eorundem circuncisione non requiri præparationem nemo sanæ mētis mirabitur, quum & horum & illorum par ætas non patiatur. In adultorum verò, id est, proselytorum circuncisione requisitam fuisse veræ religionis professionem etsi non legimus, dubitari meritò non potest. In Baptismo itidem adultorum multò etiam exquisitiorem & accuratiorem probationē quàm in Eucharistia requiri consuetam, ex catechesibus veterum apparet, vt si inde faciendum sit de præstantia Sacramentorum iudicium, Baptismus Eucharistiæ videri possit anteponendus, sicuti certè plus est nasci quàm natum nutriri.

Tertium tuum argumentum est huiusmodi. *Etsi qui purpuram regis aut imaginem violant, reus alicuius culpæ agitur quæ ad regem referatur, non tamen is fuerit æquandus qui in ipsum regem manus iniecerit, aut alioqui maiestatem ipsam læserit. Nam etiam Iudæi si duntaxat nudam figuram corporis Domini in crucem sustulissent, tot pœnarum rei agerentur quot nunc aguntur, ex eo quòd verum & substantiale Christi corpus tam indignis modis excruciarant? Nemo quoque vnquam dixit immediata Manna manducatione aut panum propositionis corpus Christi violari, aut interfecti Christi crimen à Iudæis admissum, & damnationem certissimam inde sequutam. At Paulus indignè Eucharistia vtentes statim æterna mortis obnoxios pronuntiat, & illorum peccato & damnationi exæquat, qui Christum ipsum vitæ & Sacramentorum authorē nefariè trucidarunt, & contumelia & irreuerentia affecerant. Itaque Eucharistiam apertissimè distinguit Apostolus à puris signis & symbolis corporis & sanguinis Domini.*

Respondeo à nobis quoque non omnia sacra signa pro Sacramentis propriè sic vocatis haberi? Quædam enim ex illis duntaxat fuerunt typi, vt arca Noe, Agar & Sara, transitus maris: quædam etiam rerum præteritarum μνημόσυνα, vt mannæ in vrna asseruatio, Aaronis virga, aceruimulti lapidum, altaria quoque nnnnulla: quædam futurarum rerum maximarum εἰκόνες, & σκιαγραφίας, de quibus copiosè in Epistola ad Hebræos agit Apostolus: quædam denique propriè vocata Sacramenta quæ promissiones habuerunt adiunctas, vt circuncisio, sacrificia, purificationes & quæcunque sunt eiusmodi. Itaque quò sacratius, augustius, expressius fuit aliquod signum, eò seueriorem pœnam merebatur eius contemptus aut violatio. Itaque contemptor Circuncisionis, aut impurus accedens ad sacra, exterminatur ex populis suis: qui sabbatum violauit iubetur lapidari, & huiusmodi terribiles minas horrenda iudicia sunt subsequuta. Quantò maiores igitur pœnas merentur nouorum Sacramentorum contemptores, quæ tot modis præstant veteribus, & in quibus ipsemet Christus non iam venturus sed exhibitus cū omnibus suis beneficiis quasi oculis ipsis conspiciendum, & quasi manibus palpandum se præbet? Sic enim argumentatum Apostolum non ignoras Heb. 2, 2. & 10. 28. Itaque Sacramentorum quoque contemptores ferit illud tonitru, *Qui non crediderit condemnabitur*. Sed quàm est, quæso, ridicula hæc consequutio? *Adiudicantur æternis pœnis contemptores Eucharistiæ, distinguitur pœna seueritate Eucharistia à nudis figuris* adde etiam si libet, *à cæteris Sacramentis, Ergo in panis transsubstantiati specie, corporaliter & realiter adest Christi corpus.* Et tamen hæc tua est solidissima vel potius stolidissima Theologia. Respondeo præterea, quamuis æternas pœnas sæpe Dominus in ipsa quoque iræ vasa patientissimus, in castigationes, pro bonitate sua, commutet, interdum leuiores interdū grauiores: & futuræ non sint omnes damnatorum pœnæ pares, vt testatur Christus Matt. 11. 24. tamen vniuersalem esse hanc sententiam Apostolicam, Stipendium peccati mors est. Etenim si originalis sola corruptio facit vt filii iræ, ac proinde ignibus æternis digni nascamur, quanto magis id merentur in quibus radix illa amarissimos actualium peccatorum fructus ediderit? Nullum ergo peccatum tam leue esse dico cum aliis grauioribus collatum, quin propterea quòd aduersus

uersus infinitam Dei maiestatem commissum est, infinitam quoque pœnam æternæ mortis mereatur: & illud venialis & mortalis peccati discrimen si aliter intelligitis, diabolicum & execrabilissimum esse dogma affirmo. Quemadmodum autem omnia peccata natura sui lethalia sunt, ita (vnico illo excepto quod nunquam remittitur) omnia in eo per fidem apprehenso qui solus tollit mundi peccata, venialia fieri & gratis condonari docemus. Christus verò cum suis beneficiis, tum in verbo simplici tum in Sacramentis per fidem magis ac magis apprehendendus proponitur. Ergo siquis Christum nobis loquutum, & pro nobis passum, vllo modo in verbo vel Sacramentis cõtemnit, iræ Dei fit obnoxius: & hoc esse dico, Reum fieri corporis & sanguinis Domini: quod tamen specialiter in profanatores Eucharistiȩ dicitur propterea quòd ibi speciali quadam analogia, corpus & sanguis Domini spiritualiter per fidem participanda præbentur, & mortem Domini cum gratiarum actione profiteri in illa actione iubemur. Peccent igitur grauius qui regẽ ipsum quàm qui imaginem eius violant: peccarint multò grauius Iudæi Christum ipsum crucifigentes quàm si fœneam eius imaginem suspendissent, vtrinque tamen pœna capitalis statuitur. Et quorsum hoc ad tuam illam præsentiam & manducationem stabiliendã? Quod autem Chrysostomus pręsertim & Græcus scholiastes Apostoli verba sic accipiunt, vt qui indignè accedunt similes dicantur carnificibus, qui Christum ipsum crucifixerunt, non efficit tamen quod tu contendis. Aliud enim est similem esse quàm parem, nec etiam quisquis in aliquo par est, in omnibus est æqualis.

Quarto loco vteris hoc argumento, *Si non signum carnis & sanguinis sed caro ipsa & sanguis conferunt vitam, ita quoque non signum ipsum indignè sumptum parit mortem, sed ipsa caro & sanguis, id est, Christus ipse & corpus eius, aliis cedunt in vitam, aliis in mortem: aliis in resurrectionem, aliis in ruinam, propter variam manducantium dispositionem.*

Respondeo multiplex esse in hoc argumento peccatum. Ac primum quidem in eo quòd vel hunc panem & hoc vinum à rebus vulgaribus non distinguas, vel quæ sit dignitas sacramentalium signorum non animaduertas. Dico igitur non temerè sacramentalia signa à rebus communibus distingui, ac proinde in illorum indigna vsurpatione duplicem reatum contrahi: vnum videlicet ac præcipuum relatè ex rerum significatarum contemptu, tantò maiorẽ quantò pretiosiores illæ sunt: alterum verò absolutè ex eo quòd res illæ tanti momenti sacro vsui diuina institutione destinatæ, nẽpe sacra symbola, aliter quàm deceat tractentur. Quum autẽ vterq; hic contẽptus in Deum ipsum directè redundet, meritò Iudicii pœnam hoc vtrunque scelus mereri pronuntiat Apostolus, de posteriore quidẽ agens his verbis, *Qui manducarit indignè*, &c. de altero verò hac formula, *Non discernens corpus Domini.* Hoc tuum igitur non leue peccatum est in eo quòd vsque adeò pro nihilo nunc quidem habes signorum ipsorum contẽptũ, vt totum reatum ad rem significatam referas, sicuti mox ostendam. Neque id mirũ quum pro signis in Cœna Domini nihil præter res quæ nusquam sunt, inanes videlicet species quas vocas, siue accidẽtia sine subiecto, constituas. Ex hoc autem errore alter nascitur multò etiam grauior quòd Christum ipsum vt vitæ ita etiam mortis causam facere omnino videaris: in quo dupliciter rursum falleris. Nam & ad vitam & ad mortem concurrunt quidem Sacramenta vt media quædam, (sicut & verbũ simplex) non tamen quasi vim illã viuificã, sibi propriam, Deus signis ipsis inserat, quemadmodum (verbi gratia) panis vim habet alendi corporis à Deo inditam (qua in re scholastici nonnulli vestri valde hallucinãtur) sed quatenus & verbo & signis externis, veluti interposito pignore, ad animos nostros certiores de bona sua in nos voluntate reddendos vtitur, quod beneficium impunè contemni non sinit. Verùm illud interest quòd ad vitã prosunt suo modo, ex recto signorum vsu, mors autẽ non ex ipsis vllo modo, sed ex vna abutentiũ culpa emanat. Ad rẽ autem significatam, id est, ad Christi corpus & sanguinẽ, siue ad ipsum Christũ quod attinet, aio nunquã illum nisi ad vitã percipi, nec posse aliud quàm vitã & salutẽ ex ipso in nos emanare: ac proinde ruinã & vltimum exitium non ex ipso Christo indignè percepto proficisci, sed tum ex signorum abusu, tum multo magis ex eo quòd Christi corpus & sanguinem recipere nonnulli neglexerint. Itaque quum ex verbo *διακρίνειν* colligis tuã illam specierũ panis & corporis coexistentiam his verbis vtens, *Antequàm hic panis discernatur esse corpus Domini, oportet vt ita sit, alioqui falsò discerneretur*, non modo ridiculus, sed etiam falsarius deprehenderis. Nec enim scripsit Apostolus, *μὴ διακρίνων τὸν ἄρτον τοῦτον εἶναι τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, non discernens hunc panem esse corpus Domini*, sed *Non discernens corpus Domini*, id est, neque hunc panem considerans non vt communem panem manducandum, sed vt corpus ipsum Christi sibi apponi: neque rei tantæ, quanta est ipse Christus, præstantiam attendens. Totum istud igitur *τοῦτον τὸν ἄρτον εἶναι hunc panem esse* commentitium est glossema à te excogitatũ, quod & ipsa à te citata exempla verbi *διακρίνειν* transitiuè positi docere te potuerunt. Nec tamẽ etiamsi scripsisset Apostolus panẽ hunc esse corpus Domini discessisset à Christi verbis, sed quæ ad tuũ stabiliendũ commentũ nunquam te iuuerint, donec duo falsissima idoneis argumentis confirmaris: nempe vnum & idem esse panem illum & ipsum corpus Domini, & nisi corpus ipsum Domini eo ipso loco sitũ esse ostenderis vbi est panis ille, & absq; hoc suã Sacramento veritatẽ constare nõ posse. Descendis tandẽ ad Pauli locũ vbi panem quẽ frangimus dicit esse corporis Domini communionẽ: quẽ locũ quũ scriberes sic me velle attendi vt Eucharistiæ institutio relinquatur, tum in me certè tũ in tuã ipsius conscientiã peccasti, neque mihi longius abeundum est vt hæc tua fœda calumnia refellatur. Mox enim ipsemet subiicis postulare me vt ex illius Pauli loci collatione, verba institutionis illustrentur. Cedo verò, bone vir, qui vnũ locũ ex altero exponẽdum cõtendit, an alterũ dici potest expungẽdum suade-

re? Sed age videamus plúsne scientiæ quàm conscientiæ ad hanc disceptationem attuleris. Tibi non placet Christi verba Paulinis illis exponi. Cedo quamobrem? Æquius enim est priora posterioribus quàm ista ex illis explicari: neque facilè cuiquam persuaseris, ab Apostolis obscurius dicta quæ perspicuè ex suo magistro audiuissent. *At enim*, inquis, *testatur eo loco Paulus se obscurius loqui tanquam prudentibus & mysterium Christi intelligentibus.* Ergo falsum est quod iterum hîc inculcas quasi satis non esset semel errasse, *nempe Corinthios quos hic compellat Apostolus putasse Cœnã Domini esse quiddam indifferens, & inter Christi & idolorum cultũ claudicasse, nec pluris illam æstimasse quàm idolothytum, & quàm si nihil aliud esset illa quàm alimentum panis Deo dicati, vt cætera obsoniorum genera quæ ante esum immolabantur.* Hoccine verò est prudentem iam esse, & mysterium Christi intellexisse? Quid quòd ipse Apostolus testatur Corinthios non fuisse tentatione nisi humana captos? atqui non humana sed planè diabolica tentatione fuissent irretiti, si ab Apostolo tam probè & diligenter edocti, in eam quam dicis hæresin essent prolapsi. Imò saltem meminisse te oportuit quid hoc ipso capite scripsisses, *Apostolum*, videlicet, *fundamenta doctrinæ de Eucharistia his verbis apud Corinthios iecisse, ac proinde figurata loquutione, vt obscuriore videlicet, visum non videri.* Itaque te à nobis dissentire minimè miror qui tantopere à te ipso dissideas. Sed & in eo rursum Sophistam agis quod quæstiones permisces. Nec enim isto prioris ad Corinthios Epistolæ decimo capite vel tantillum Apostolus de Eucharistiæ negotio, sed de idolothytorũ duabus speciebus agit, quarum alteram prorsus interdicens & argumentum à fine & scopo Cœnæ Domini desumens vtitur hac præfatione, vt Rom. 7, 1. *scientibus legem loquor*, *Vt peritis loquor, Iudicate vos quod dico*, sicuti facere mos est, quoties inter disputãdum ex iis quæ sunt aduersariis nota, argumentum sumimus, vt velut à seipsis redarguãtur. Nihil hoc verò ad sermonis vel perspicuitatem vel obscuritatem probandam pertinet, sed ad repugnantes eò fortius ex ipsomet eorum sensu reuincendos spectat. Quum autem vsque adeò turpiter vt Cantherius in limine impegeris, agè quàm pulchrè progrediare consideremus.

Primùm tibi non placet in his Pauli verbis, *panis quàm frangimus est corporis Domini communicatio*, panem pro naturali & materiali positum, *sed propter tantam quæ intercesserit mutationem vt panis naturalis esse desierit, cibum in genere significare*: idque duplici ratione probas. Vna *quòd in altera parte Apostolus non vinum in specie designet sed potionem in genere, & ei interminere benedictionem significet, antequam æstimetur esse corporis Christi communicatio*: altera quòd *Apostolus mox scribat omnes Christianos de vno pane & vno calice participare, quod quum de materiali pane & calice non possit intelligi (Omnes enim Christiani vnius & eiusdem materialis panis participes nequeunt effici) de vno Christo & corpore eius reali interpretari cogimur.*

Nos verò contrà contendimus panem ipsum materialem hîc & in tota Cœnæ actione intelligi, non tamen absolutè vt panem, sed relatè, vt Sacramentum videlicet, & quidem in suo vsu consideratum, extra quem etiam Sacramenti rationem non habet. Itaque repugnantia quam inter nos à te dissidentes esse dicis in nomine panis interpretando, nulla est: & apertè calumniaris quum panem dicis à nobis perinde intelligi acsi nihil ei immutationis accidisset. Quis enim nostrûm mutationem sacramentalem vnquam est inficiatus? sed tibi nimirum mutatio nulla videtur esse, nisi substantia ipsa rei transmutetur. Verùm age tuas rationes expendamus. Priorem ineptissimam esse dico, ex tua ipsius sententia. Contendis enim Apostoli verba ex institutionis verbis explicanda: At Euangelistas vt panem ita etiam τὸ ποτήριον itidem nominasse ante benedictionem inficiari non potes. Quòd si valeret tua consequutio, nempe non panem naturalem in specie sed cibum in genere pro ipso corpore Christi à Paulo significari, quoniam vinum postea in specie non nominatur: efficietur hoc quoque, Christum dici ab Euangelistis non panem naturalem in specie, sed cibum, id est, corpus ipsum suum & accepisse & fregisse: ac proinde iam tunc panem esse panem desiisse quum illum acciperet. Deinde quum benedicendi verbum vt apud Paulum sic apud Euãgelistas quoque præeat fractioni, consequetur rursum, si tua ratio valeat, Christum semetipsum reipsa fregisse. Nam frangere pro distribuere apud Euangelistas, vt antè dixi, accipere non potes, apud quos distinctè dicitur Christus id quod acceperat fregisse ac deinde dedisse. Præterea quum ex tua sententia cibus ipsum Christi corpus identicè declaret, age pro Cibo si Corporis ipsam vocem substituamus & dicamus, *Hoc corpus est communicatio corporis mei*, quid ineptius hoc sermone cogitari posset? Sed age pro his verbis, *panis quem frangimus*, legamus, *Cibus quem frangimus*, an inde identicam esse enuntiationem euiceris, quum verum & naturalem panem à Christo acceptum, & discipulis ad edendum præbitum cõstet? Relinquitur ergo & panis nomine sacramentalem quidem sed verum tamen ac materialem panem, & poculi voce sacramentale quidem sed verum & materiale vinum in poculo contentum intelligi. Alteram autem rationem, id est, tam puerilem paralogismum miror à te iampridem Magistro in Israel proficisci potuisse. Itaque te ad pædotribas remitto, vbi tibi suggeratur, Vnũ non modò ad omnia prædicamenta, sed etiam in singulis prædicamentis & ad genus & ad speciem non minus quàm ad singula indiuidua accommodari. Nec te illud iuuat quòd omnes vnum etiam numero corpus esse dicimur, mysticũ videlicet, quo modo etiã innumerabiles mystici numero panes, Vnus specie panis mysticus dicuntur.

Non minus etiam lepidè confingis (& quidem citatis in albo tui voluminis aliquot falsissimè notatis testimoniis) inter nos qui à te dissentimus non conuenire, Sitne fractio illa, cuius Apostolus seu Christus meminit, Signum, an Instrumentum, an Tessera, an Obsignatio, an Confirmatio corporis participati, an verò duntaxat conuentionis & fœderis cum corpore participato

participato

ticipato : quasi videlicet ista idem non declarent si quis sophisticen seponat. Vt autem istarum tibi ineptiarum occasionem præcîdam, scito nos inter signa ponere non tantùm illa materiata (puta aquam in Baptismo, panem & vinum in Cœna Domini) sed ipsos quoque ritus sacramentales à Christo institutos : ideóque vos in hoc quoque arguere quòd sublata fractione pulchrè scilicet cauistis ne quis huic quæstioni locus relinqueretur. Fractionem verò panis vt & præbitionem & manducationem propriè accipimus, & à Christo his verbis *Hoc facite* mandatam non dubitamus : qua voce tamen Apostolus in priore parte, vt benedictionis in posteriore, totam hanc sacram actionem significarit.

Sed bene profectò nec absque diuina prouidentia accidit vt hæc tibi de corporis & sanguinis voce, de cuius communione hîc agitur, nobiscum disputanti exciderint. *Corpus ipsum Christi*, inquis, *hîc à Paulo intelligi omnes aduersarij fatentur, quorum nullus negat nos reddi participes veri corporis Christi, sed in modo discrepant.* Vnde colligis *in ipsa quoque institutione Eucharistiæ Corpus Christi pro naturali scribi & agnosci ab Apostolo, quum hîc eadem de re sermo habeatur.* Nos verò & hoc & illud tibi concedimus. ac proinde quoties aduersum nos antea perinde disputasti, & postea perinde disputabis, acsi posita sacramentali metonymia nudum panem, aut inane corporis Christi symbolum nobis dari corruptis noui testamenti tabulis, sentiremus, memineris te coram Deo & hominibus nimium impudenter nos calumniari. Vos pro signis chimæras (species videlicet ipsis idæis Platonicis multò inaniores) substituitis, nos verum panem & verum vinum statuimus. Et vos & nos pro re Sacramenti Christum ipsum(nisi fortasse in vobis fallor) ponitis: sed vos quidem corpore, non corpore, siue quanto non quanto, præditum, nos autem verum veris essentialibus corporis qualitatibus præditum Christi corpus in Cœna spirituali vsui & vitæ destinata, spiritualiter fidei adesse, & dari, & ab eadem verè percipi docemus. Vtri igitur integrum Sacramentum seruant? *De modo*, inquis, *disceptatur.* Ita esto. Ne igitur quæstiones transferto, & magnum ad diiudicandam totam hanc controuersiam aditum patefeceris.

Progressus ad vocis κοινωνίας explicationē, variis eius acceptionibus allatis quas aliunde ad verbum descripsisti, concludis *accipi posse κοινωνίας & pro consociatione cum Christi corpore, & pro traditione siue exhibitione, quæ fit per distributionem panis & calicis, & pro perceptione siue participatione qua dignamur per panis & calicis susceptionem.*

Videris autem maximè approbare Illyrici sententiam distributum corpus interpretantis, Caluini verò expositionem maximè planam ac perspicuam explicas admodum ieiunè, ac eò tandem delaberis vt hîc dicas aduersum nos tria luculenter decîdi. Horum primum esse vis, *Indignos quoque corpus Domini participare. Nam*, inquis, *Apostolus alloquitur Corinthios indignos, qui putabant Cœnam Domini esse aliquid indifferens, nec pluris eam æstimabant quàm Idolothytum.* Itáne verò oblitus es eius quod paulò antè scripsisti, Corinthios istos tam fuisse mysterii Christi intelligentes? Sed istos quos modò tam intelligentes modò tam imperitos facis quid tandem docet Apostolus? *discrimen*, inquis, *esse inter Eucharistiam & Idolothytū.* Et vbi rursum illa mysterii Christi tanta intelligentia, si hoc isti erant docendi? Sed quodnam istud est discrimen ? *quòd Eucharistiæ panis perceptio, etiam à Corinthijs indignis & infidelibus* (en rursum quos antè tutemet intelligentes vocasti) *sit corporis Dominici sumptio, idolum verò nihil sit nec Idolothytum, nec quicquam aliud secum ferat, quàm habitum quendem & relationem ad dæmones quibus immolatum fuerit.*

Imò verò quis hic stupor est, te non animaduertere (quod aliquoties iam repetii & vtinam toties repetam vt tandem aliquando sic ineptire desinas) non de Cœna sed de Idolothytorum altera specie institutam fuisse ab Apostolo quæstionem, & ab iis quæ de Cœnæ fine & scopo optimè didicerant Corinthii, sumere certum ad illorum idolothytorum damnandum esum argumentum ? annon & illud animaduertis, eo ipso quod tu dictum esse ais ab Apostolo, prorsus eneruari illam qua vtitur consequutionem? Etenim si idolum nihil est, & tam leuiter idolothytum afficit, quænam fuerit religio idolothytis vesci? Annon præterea cogitare te oportuit non temere vt paria conferri sacra Israelitarum sacrificia cum profanis illis epulis, in eo quòd & his & illis inita fuit cum eo numine seu vero seu falso societas cui sacrificium offerebatur ? Sed hîc fortasse te offendit tropus in Altaris voce, quam necesse est pro ipsis apud altare factis oblationibus interpretari. An non vides etiam, quæso, illud quod Corinthii nōnulli suæ illi licentiæ prætexebant, *Idolum nihil esse*, quomodo ab Apostolo sic illis concedatur, vt tamen euertat quod ipsi inde extruebāt? Hæc enim erat Corinthiorū collectio: idola nihil esse quàm mera phātasmata, quo sensu ab Hebræis חבלי שוא vocantur, ac proinde quū nec sanctificandi nec prophanandi vim vllam habeant, nihil à cæteris locis reipsa, sed sola idololatrarum imaginatione differre idolæa, neque à cæteris cibis epulas ibi appositas. Contrà verò respondet Apostolus, idola quidem reuera, si per se spectentur, nihil esse, sed (quemadmodum in Psalmis ait Spiritus sanctus) coli in illis dæmonia quæ aliquid sint, & quidē eiusmodi vt qui vllum cū eis habeat cōmerciū, à Christo sese penitus seiūgat. Itaq; illa cōuiuia solēnes esse cū dæmoniis pactiones, sicut ex aduerso præstita ab Israelitis sacrificia populū cū vero numine eiusdē mēsæ participatione cōsociabant. Hęc est, inquā argumentorū Apostoli series, & hic scopus in hoc capite. Et vt magis etiā noris quantoperè ab Apostolo dissentias, tuā & illius sententiā comparemus, *Indigni etiam*, inquis, *& infideles ex mente Apostoli capiendo panem Cœnæ percipiunt carnem Domini.* Quid contrà Apostolus? *non potestis mensæ Domini communicare & mensæ dæmoniorum.* Mensæ verò appellatione non ipsam ligneam siue lapideam mensam, non etiam cibos illi appositos simpliciter significari, sed ipsum illorum conuiuiorum finem & effectum apparet ex eo quòd alioqui falsa fuis-

set Apostoli oratio. Quis enim dubitat quin ad illam vtranque externam mensam,& propositos tum ibi tũ in Ecclesia cibos,quanuis suo maximo dãno, accedere potuerint Corinthii, quũ de eo ipso ab Apostolo reprehendantur? Sed simul cum dæmoniis & cum Christo consociari (qui erat vtriusque mensæ effectus) hoc illud est quòd fieri non posse dicit,monens proinde vt, nisi velint illam cum Christo initam in ipsius Cœna communionem prorsus abrumpere, ab Idolothytorum conuiuiis penitus abstineant. Hoc ipsum est igitur quod de altera nempe corporali scortatione in eadem Epistola testatur, *Tollens igitur membra Christi, faciam membra meretricis?*& de impari coniugio in altera Epistola. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ communicatio luci cum tenebris? Quis consensus Christo cum Belial?& quæ fideli portio cum infideli?*

Quod si fortè excipias aliud esse *percipere Christi carnem*,quàm *Christum participare*,quòd illud de re ipsâ, istud vero de ipsius rei fructu dicatur, præterquam quòd refellêris ab Apostolo qui *μετοχῆς* & *κοινωνίας* vocibus vtrobique (eodem proculdubio significatu) vtitur:incides etiam in aliud impium dogma, quo & Christus ipse à suo spiritu separatur, & à Christo ipso mors emanare statuitur. Vtrunque enim istud concludendum est si posse quosuis nullo discrimine dicamus Christum ipsum intra se recipere,& tamen ab eo non modò non viuificari,sed etiam occidi,quod de instrumentis quidem quibus Deus vtitur(nempe de verbo & adiectis signis)meritò dixeris,de ipsomet verò Christo ne cogitari quidem sine impietate potest.

Alterum hoc nostrum peccatum hîc dicis à Paulo redargui, *quòd fide tantùm dicamus nos Christo vniri,quum tamen Apostolus Corinthios alloquens,indignos & qui propter incredulitatem nihil spiritale ab eo reportabant,effici vnum corpus cum Christo pronuntiet,ex eo quòd de Eucharistia sumerent. Inquit enim,Vnus panis,vnum corpus multi sumus.Omnes enim ex vno pane participamus.*

Respondeo,primùm quod tu de Corinthiis incredulis comminisceris, falsissimum esse. Respondeo & illud,longè aliud esse de Cœnę effectis ex ipsa re absolutè,quàm relatione ad homines eam participantes facta statuere.Sic Euangelium Paulus dicit esse potentiam Dei ad salutẽ, & scientiam salutis Zacharias,& verbum vitæ passim dici constat, quod tamen alibi dicitur odor mortis ad mortem vt odor vitæ ad vitam.Sic Christus vocatur qui populum suum redimit ab iniquitatibus,qui alibi positus dicitur in ruinam vt & in resurrectionem. Disputantem verò Paulum præsertim non aduersus merè incredulos, vt falsissimè comminisceris, sed aduersus *ἀφρόνως*,qui ea quæ norant non satis animaduertebant cum iis quæ faciebant prorsus repugnare,quis non videt argumentum sumere à Cœnæ fine & scopo absolutè consideratæ, vt eos ab illa fœditate quam admittebant,ad putã Euangelii,quod didicerant,professionẽ reuocaret? Quòd igitur Paulus absolutè dicit,idcirco videlicet institutam Cœnam vt omnes in Christo coalescamus,vix dici potest quàm ineptè & ridiculè cò pertrahas,vt dicere videatur Apostolus omnes etiam infideles qui panem istum accipiunt,ipsam quoque Christi carnem percipere. Sed longè grauius est illud erratum quod tertio loco admittis.Hic enim quæso Christi membrum fieri, an non ipsa est perceptæ carnis Christi efficacitas? Atqui generaliter dixit Paulus *Omnes corpus vnum sumus*:Ergo si te audimus, Infideles quoque & quantumlibet indigni, si ad mensam Domini accesserint,Christo quoque incorporabuntur.Itaque temerè dixerit Apostolus nullum esse commercium luci cum tenebris,& nullam Christi cum Beliale communionem. Repetis postea,*ne dignè quidem accedentes dici posse vnum cum Christo corpus fieri quia ex vno pane comedant, nisi per panem Christum ipsum intelligamus, quum vnus & singularis panis non possit omnibus Christianis sufficere*,quem paralogismum quo vnum numero cum eo quod genere vnũ est confundis,à me antea refutatũ, vt risu quàm refutatione digniorẽ me quidẽ rursum attingere puduerit. Nec illud verò solidius est quod tertio loco profers,nẽpe *si per solã fidem in vnũ corpus & in vnũ panem abeunt Christiani,mentitum videri Apostolũ qui fieri id affirmet per vnius panis esum,quoniã non magis id ex Cœna obtinuerint quàm extra ipsam quoties fide abundarint.* Quasi verò ei qui multũ habet nõ possit etiam amplius aliquid dari:quasi id ipsum quod habet quispiam non possit augeri:quasi denique magis ac magis Christo nos insinuari,& quæ iam nobis donata sunt confirmari nõ oporteat. Et quęso cur non eadẽ atq; tu consecutione conclusero,Si sola Eucharistia Christo nos incorporat & qui Christi membrũ non est pereat necesse est,perire quotquot ante Eucharistiæ vsum intereunt?Itẽ,si quisquis salutẽ dignè ex illo pane vel semel comedit Christo incorporatus est, ergo superuacuum esse vsum Eucharistiæ repetitum?Sed tu nimirum omnes istos nodos nobis expedies quinta repetitione vbi de indignis plenius disseres.Ibi igitur & nos rursum tibi,si tãtum erit nobis otii,respondebimus.

Tertium nostrum,grauissimum scilicet,peccatũ in eo sitũ esse vis, *quòd corpus Christi non opinemur panis sacramento tanquam vasculo ad nos deferri & deportari,sed à nobis aliunde sumi*,id est,vt planius loquar, quòd nolimus in vana illa vestra chimęra,id est,accidẽtibus sine subiecto, (quæ ne cuiusmodi quidẽ esse somnietis effari possitis)nolimus reipsa & substantialiter,rẽ signatã, id est reale illud Christi corpus cõtineri,quoniã verum,finitum, & circunscriptũ eius corpus nõ alibi nũc quàm supra omnes cœlos esse, nec ante vltimũ illũ diẽ ad nos rediturũ ex Domini verbo(inanissima alioqui futura spe nostra)didicimus,ac proinde in cœlis fide quęrẽdũ ac vere apprehẽdendũ quod in terra nobis & verbo & adiectis certissimis signis offertur. Quid tu igitur contra certissimã hanc veritatẽ affers? Si *Christi corpus*,inquis,*abesset à sacramẽti pane facilè mandi posset panis sacramentum sine corporis Christi perceptione. Itaque malè Apostolus ex panis sacri fractione & manducatione corpus Christi reuera participari colligeret, si participatio hæc à pane seiungi posset.* Illud ego verò concedo & præterea dico,etiam si simul eodẽ loco vtrunque substantialiter adesset,& isto

tuo

tuo merè imaginario vasculo(quid enim contineri accidētibus etiam subiecto innitentibus nedum subiecto carentibus possit?)corpus Christi contineretur,non consequi tamen vt qui vnum sumit alterum quoque percipiat. Quid enim obstat quominus sicut in verbo nudo audiri sonitus,imò & vocum significatio vtcunque intelligi, res tamen ipsa significata negligi prorsus potest,& simul vasculum quoduis ita sumi vt tamen thesaurus intus cōtentus non sumatur sed excutiatur: ita quoque signa sacramentalia & externa foris accipiantur, res tamen signata etiam præsentissima,per incredulitatem non modò aliter quàm decet tractetur, verùm etiam prorsus repudietur? Et quæso,quum tibi licere velis spiritum illum Christi viuificum, ab ipso Christo vsque adeo separare vt etiam eius loco vim illam mortiferam substituas, nobísne persuaseris arctius cohærere rem signatam cum signo, quàm viuificantem illam virtutem cum ipso Christo, qui ipsa vita est? Quod autem attinet ad illam Apostoli collectionem, iam antea respondi disserere Paulum absolutè de Cœnæ Domini fine & scopo,quem etiam si non attingant(idque sua culpa) quicunque ad mensam Domini indignè accedunt, non desinit tamen propterea panis quem frangimus(si absolutè consideretur)esse corporis Domini communicatio:sed oblata non sumpta:sicuti Iesus qualis est in sese consideratus resurrectio semper est *ἀνάστασις*, etiamsi *κατ' συμβεβηκὸς* & reproborum respectu,ruinæ & exitio ipsorum cedit.*Sed*,inquies,*vnum corpus multi sumus, inquit Apostolus,quia ex vno pane participamus.* Concedo, & te hic quoque adiuuabo. Sic enim videtur ille non absolutè, sed relatè siue hominum ipsorum accedentium respectu, loquutus. Sed illud tibi in mentem venire oportuit, aliud esse Ecclesiam totam in genere & vt corpus vniuersale, quàm sigillatim & veluti particulatim considerare. Dicuntur & verè dicuntur gentes omnes in Abrahamo benedicendæ & benedictæ: an hoc de singularibus personis verè dixeris, quum ne in ipsa quidem naturali Abrahami progenie singuli ex Abrahamo nati comprehendantur? Dominus dicitur aliquoties populum suum repudiasse, an idcirco singulos reiecit, vt nullum sit inter Hierosolymam & Sodomam ac Gomorram discrimen?Sic considerans Paulus in genere Corinthiacam Ecclesiam non ex indignis & incredulis,sed quamuis plerisque næuis minimè carentem,tamen,vt ipsemet initiò testatur,ex plurimis omnium donorum spiritualium genere instructissimis hominibus cōstatam: & de iis etiam quos contra te disertè testatur non nisi humana tentatione correptos,ex Christiana charitate iudicans, ac proinde de singulis quoque benè sperans,vnum corpus,inquit,multi sumus.Sic Galatarum Ecclesiam,in qua tamen plerique valdè aberrarant in genere & *καθ' ὅλου* considerans, Quotquot, inquit, baptisati estis Christum induistis. Itaque vix magis ineptire potuisti quàm quum hæc ad tuos illos infideles traduceres.Sed præterea quis hæc tua non detestetur?*Indignos*,inquis,*in hoc textu alloquitur Apostolus, & qui nihil spiritale referrent ex Eucharistia.* Ergóne vnum corpus cum Christo fieri nihil spiritale est,quum Christi simul & Belialis membrum esse nemo possit? Ergo Paulus se istis infidelibus accensens(neque enim ait *Estis* sed *Sumus*) nihil quoque spiritale ex Eucharistia perceperit? aut si percepit, non hoc expresserit, vt illorum & sui discrimen in re tanti momenti notaret? *Item*,inquis,*si non panis ipsius esus sed fides & Spiritus esset instrumentum quo societas contraheretur cum naturali Christi corpore,non fierent omnes vnus panis,sed vna fides vel spiritus.* Deus increpet te,Sophista: Cedo vero in primis quid hic vocas panis esum? si panis specierū esum, Deo & hominibus manifestè illudis. Sin ipsius substantiæ panis esum intelligis, apertè præuaricaris. Sin per vnum illum panem, vt paulò ante volebas,ipsummet Christi corpus significas, proprietatibus panis(quas ne tu quidem explicare possis)obuolutum,præterquam quod Marcionita, teste Tertulliano, euasisti,fierine potest vt ea,quam hic nobis obiicis vecordia teipsum laborare non animaduertas? Nam obsecro, esséne Christum censetis apprehendendi suimet instrumentum quod inter nos & ipsum collocetur,vt idem sit medium & extremū? quod si etiam ita esse concessero,túne magister es in Israel,qui neque causam efficientem ab instrumentali discernas, neque inter instrumenta præcipua & *ὑπουργικά* distinguas, & subordinatas causas iis quibus subseruntur minimè repugnare nescias? Neque igitur Spiritus sanctus,(verè efficiens causa magni illius mysterii,id est,sacræ inter Christum & Ecclesiam concorporationis) fidem(apprehendendi Christi verè in suo genere efficax vnicum instrumentum)excludit,quod ipsemet in credentibus efficit: neque fides rursum, aut verbum, aut Sacramenta (aliud instrumentorum spiritui subseruientium genus)abolet,quum & intercedente verbi auditu oriatur, & Sacramentis obsignetur. Christi verò corpus etsi, quod ad locorum situm attinet, tanto à signis interuallo seiungimus, quanto cœli cœlorum (vbi est, & ad vltimum vsque diem commoraturum se dixit) à terris absunt vbi nunc sumus & vbi Cœnam Domini ex ipsius mandato ritè celebramus: absit tamen vt propterea vel à signis quod ad ipsum Christum sese fide spiritualiter fruendum offerentem,vel à nobis quod ad ipsius Cœnæ finem & scopum, id est ad verissimam & efficacissimam ipsius & nostri quamuis merè spiritualem communionem attinet,separemus.

AD CAPVT X.

Nullam esse nostræ sententiæ in exponendis Christi verbis absurditatem.


CONsumis hoc caput in sex nobis exprobrandis criminibus eódem certè quo in cæteris pudore,neque absimili conscientia: quorum primum hoc est, *Negare nos in Scripturis spectandam aut exigendam proprietatem.* Quid si dicerem vicissim vobis placere vt quæcunque in sacris literis extant, propria & natiua significatione explicentur? Nempe magnam

vobis iniuriam fieri clamitares, & meritò quidem. Quæ hæc igitur tua impudentia est? Reprehendit eós Caluinus proposito Antropomorphitarum exemplo qui non sinunt vt vel tantillum à scripto in illis institutionis Cœnæ verbis discedatur: Scribit Martyr perspicuitatem non esse temerè obiiciendam, quoniam hanc ipsam multi hæretici quæsiuerint: Dicit Matthus Smalcaldensis non valere consequutionem à *Non sic dictum esse ad non sic intelligi*. An hîc tibi iusta occasio in nos perinde declamitandi præbetur, acsi, quoniam hanc enuntiationem sacramentali vsitatissima metonymia necessariò explicandã contendimus, propterea quidquid scriptum est in nescio quæ ænigmata, in tropos, in figuras, in allegorias, vestro denique exẽplo, in tropologicos & anagogicos sensus transformaremus? Imò quid tu ipse hac de re sentis? *Nequaquã*, inquis, *tã tenaciter litera inhærendã suademus quin ab illa recedatur aliquando. Sed Scriptura proprietatẽ sine ex aliore alia Scriptura quæ de re ipsa ex professo decidat, per figuras & humanas rationes opprimere, vel in subsidium imaginationis suæ scripturas alienas à re de qua disputatur rapere, breuissimum esse compendium credimus ad Euangelium Christi per astutiam humanam perdendum.* Rectè profectò: neque nos aliter vnquam sensimus, ideóque à te sæpe iam in eo dissensi quòd ad verborum institutionis veram indagandam explicationem, alios Scripturæ locos, in quibus tum in genere de Sacramentis, tum in specie de nostra cum Christo per Eucharistiam consociatione, tum etiam de ipso Christo in primis differitur accersi, neque, quod præcipuũ est, analogiæ fidei normam adhiberi patiaris. Non fuit igitur hoc tibi in nos dicendum quod falsissimum est, nolle nos spectari verborum in Scripturis proprietatem: sed hoc tibi potius probandum, nullam nobis causam esse cur in istis institutionis Eucharistiæ verbis à propria vocum significatione discedamus. Et tamen ne id quidem de nobis meritò dixeris, si propius res ipsa spectetur, vt qui natiuam significationẽ & in subiecto & in prædicato retineamus, tropo in sola attributione constituto, quum vos reipsa τὸ ῥητὸν neque in hoc neque in illo seruetis. Obsecro enim an panis nomen (quam vocem exprimi saltem à Paulo, etiam de Eucharistiæ subiecto consecrato, inficiari non potes) propriè conuenire inanibus panis speciebus, seu proprietatibus, seu accidentibus dicere audeas? num etiam corpus verum & organicum propriè vocaueris, quod simul totum pluribus sit locis? Quæ tu porrò postea blateras quasi sacramentalis metonymiæ exempla ineptè congeramus: & Marcionem, Manetem, Arrium ab inferis hoc vno reuocemus, quod panem illum dicamus figuratè vocari Domini corpus, idcirco prætermitto, ne tam videar in illis refutãdis stultus, quàm tu in illis nobis obiiciendis ineptus.

Secundo loco nobis obiicis *quòd censeamus non magnoperè curanda verba illa Cœnæ concepta*. Sed quibus obsecro, testibus niteris? Vvestphalo, Schneppio, Iulio Pflugio. Miror verò non etiam abs te adiici bonum illum virum Illyricum, qui palàm præteriri à nobis totam Cœnæ institutionem audet clamitare. Adiice quoque, si placet, ipsum Pontificem Romanum. Nec te istius impudentiæ pudet? At isti, inquies, vestrarum sunt partium. Nequaquam id verò, quanuis & ipsi à vobis merito dissentiant. Præterquàm enim quòd quum omnes cognoscamus ex parte, ne boni quidem inter se per omnia semper consentiunt, ne tu quidem istos pro viris bonis habes. Et quid obsecro, nobis hîc opus est hominum vel istorum vel aliorum testimonio? Prostant liturgiarum nostrarum formulæ, edita est communis nostrarum Ecclesiarum confessio, Cœnas priuatas ignoramus, Verba benedictionis vestro & Magorum exemplo nõ mussitamus, sed palàm apertè, & eo quod omnes intelligunt idiomate, sacra illa peragimus. Itaq; & chartæ ipsæ, & hominum myriades, ipsíque adeo templorùm parietes summam impudentiam in mẽtiendo tuam coarguunt. Anabaptistas verò & Schuencfeldium qua tandem fronte nobis opponis, quos, stertentibus vobis, oppugnamus? *At enim*, inquis, *Oecolampadius queritur sibi tanquam Helenam obiici institutionis verba, & Caluinus illa vocat Aiacis clypeum & vnicum Papistarum asylum:* Esto id verò. At num idcirco Dei verbum contemnere quispiam dici potest qui de ipsius abusu conqueritur? Num quæso, Dominus ipse sacrificia à se instituta damnauit, quum apud Esaiam negat se illa requisiuisse ex populi sui manibꝰ? Sed quod optimo & doctissimo viro Philippo Melãchthoni tribuis, id verò prorsus est inauditum perfrictæ vel nullius potius frontis exẽplum. Hæc igitur illi exprobras ex ipsius ad Illustrissimum principem electorem Palatinum Comitem epistola Heidelbergæ excusa, *quòd suam de Cœna Domini fidem quam in publicè editis lucubrationibus nũquam antea profiteri voluerit, attamen familiaribus & amiculis suis non reticuerit, se videlicet Lutherum damnare & Cinglio adstipulari. sic tamen vt pro eo quod Cinglius habet, Hoc significat corpus meum, ipse substituat, Hæc est communicatio vel participatio corporis mei. Item quòd consulat ne de verborum Christi proprietate tanquam de fidei articulo simus solliciti, sed omissis illis aliam verborum formam proponamus populo, in eámque iuremus, & toti occupemur in amplificationibus & declamationibus de fructu huius Sacramenti. Denique quòd nouã Academiam in Christianismum de Eucharistia introducat, suadens vt de veritate verborum Christi liberam cuique expositionem & disputationem academicã relinquamus, modò ne publica sit & controuersa.* Itáne verò tibi tantum virum impunè calumniari licuerit? Habuisse quidem locum in Philippo *δυσϕημίας ϕορτίδας* nemo inficiatur, neque mirari quisquam debet post tam obscuras tenebras à vobis matæologis inuectas, clarum diem ne nunc quidem singulis illuxisse, & illud etiam non vitio sed magnæ laudi tribuendum putamus, sic suo quodque loco etiam in rebus sacris tradere vt & temporum & locorum & personarum ratio tanta habeatur quantam ædificatio audientium requirit. Nam hoc quoque arbitramur esse τὸν λόγον ὀρθοτομεῖν. Demus etiam si voles, hunc de quo agimus non eum vbique modum quem par erat tenuisse, & vt erat ingenio æquitatis ac moderationis studiosissimo sæpè non assequutũ quod sua illa moderatione

so impetra-

ſe imperaturum ſperabat: cui tamen perſuaſeris illum (quo ne candorem quidem ipſum candidiorem fuiſſe ex tota ipſius vita plus ſatis conſtat,) vlla vel aſtutia vel diſsimulatione vſum eſſe? Et quæſo, quid attinet hac de re diutius contendere? En Rhodus en ſaltus. Extat eius epiſtola in qua ne voculam quidem ſcriptã eſſe dico quæ vllam iſtorum criminum vel leuiſsimam ſuſpicionem præbeat. Tibi accuſatori onus probandi incumbit. Quod ſi quid tale Philippum admiſiſſe probares(quod nunquam certè facies) an non potius quæ ſit Eccleſiarum quas reprehendis & ſententia & conſuetudo,non ex huius vel illius ſcriptis,ſed ex publicè receptis & vſurpatis confeſsionibus ac liturgiis iudicandum fuerit? Dic enim,vir bone, an tu nos tuleris ex ſingulorum veſtrorum aut veterum aut recentium doctorum de multis capitibus ſententias,de veſtro illo quem iactatis Catholico conſenſu decernentes?

Tertio loco nobis id obiicis *quòd parum curemus quo quiſque modo verba Cœnæ accipiat.* Probas hoc ex Philippo *qui permittat cuique ea de re nugari* : ex Caluino & Bullingero *qui multas verbis differentes expoſitiones, re tamen conuenire dicant. Negat hoc,* inquis, *Illyricus.* Et tandem concludis, *conſentire nos omnes hæreticos in opprimendo Dei verbo.* Hæc eſt vniuerſa tuæ probationis ſumma, ex qua nos concludimus ſummè te eſſe impudentem qui Melanchthoni tribuere id audeas à quo fuit omnium hominum maximè alienus: & valde inſcientem, niſi verum dicere Bulingerum & Caluinum animaduertas. Negas? Tu quum probandi partes in te receperis, vtere ſaltem aliqua rationis ſpecie vt vel reos nos habeas confitentes,vel dignum in te quippiam operoſiore refutatione inueniamus.

Reliqua tria capita poſtea quaſi tui oblitus in duo conflas, ac primùm quidem à malo genio dictatas fuiſſe præcipuas ex noſtris explicationibus probare te poſſe putas ex Luthero,qui quodam loco ſe quoque dicat fuiſſe in Spiritu,& nocturnam cum dæmone de Miſſa cõcertationem habuiſſe:ex Caroloſtadio qui quod docebat, ſibi cœlitus patefactum diceret, & cui ſcribat Alberus neſcio quis, dæmonem apparuiſſe concionanti, triduò priuſquam terroribus exanimatus moreretur: Ex Anabaptiſta quodam qui Lutheri cogitationem,ipſo teſte Luthero,diuinarit:Ex Cinglio qui ſe in ſomnis dicat admonitum de loco Exodi, vbi Phaſe dicitur tranſitus Domini: ex his quoque Caluini verbis,*Si oſtendero me non aliter loqui quàm Spiritus ſanctus nos docuit, vlterius me vrgeri inſanum foret:* Ex Beza qui Caluinum ne exceptis quidem Apoſtolis prædicet poſt Chriſtum fuiſſe ſancti Spiritus organum: ex eorum denique opinione (quos tu tu neſcio cuius ſectæ monachus Caluinianos vocas)qui ſeſe dicant ſancto Spiritu intus imbui,& ex particulari inſpiratione veritatem in Scripturis omnibus perſpicere.

Addis pro colophone iactata Vveſtphali in nos cõuitia, *quòd præſtantiſſima dona ex Eucharistia rapiamus,& doctrinam dæmonum à nobis tradi concludis ex mortibus quas repetinas & violentas appellas, Cinglij, Lutheri,Carolſtadij, Empſeri, OEcolampadij, & ex cladibus damnis & ruinis quas orbi Chriſtiano fuiſſe per hanc nouam de Cœna doctrinam illatas, lapides ipſi teſtentur.* Æquum eſt autem vt quum tibi tantam maledicendi licentiam arroges,nobis vera reſpondendi locus concedatur.Illud certè recta conſciẽtia facere non potuiſti quòd eos aduerſum nos teſtes proferas, quorum dogmata vt à ſpiritu mẽdaci profecta primi animaduertimus & vobis conniuentibus refellimus. Quis enim noſtrûm Carolſtadii dogma probauit? quis Empſerum laudauit ? quis Anabaptiſtarum impia deliria acrius quam nos condemnat ? Quod ſi ortos illos ex nobis dixeris, illud regeram quod dicunt Apoſtoli Actor.14, 25. de Cherintho & Hebione vt nonnulli putant, Quidam egreſsi ſunt ex nobis labefactantes animas veſtras, quibus hoc non præceperamus: & illud Pauli Act. 20, 20, Ex vobis ipſis exorientur qui loquantur peruerſa, & illud Ioan. 2, 19, Si fuiſſent ex nobis manſiſſent vtique nobiſcum, vt intelligas(niſi prius mendacij nos conuiceris) nihil abs te in nos dici quod non ſit olim in ipſos Apoſtolos dictum ab eodem Spiritu Satanæ.Sed & veſtra iſta Apoſtatica ſedes quid aliud eſt quàm ſentina quædam Apoſtolicæ illius nauis? & illius meretricis Romanæ lenones & mancipia quo potius nomine quàm Eccleſiæ vomicas appellarim? In illis autem aliis quid profers quod tuæ calumniæ patrocinetur? Affirmat Lutherus ſe loqui Chriſti nomine & ſpiritu,Germaniæ bono deſtinatum. Quid igitur? velles illum loqui in incertum? velles veſtro more Euangelium cauponari? Tu ergo falſitatis illum redargue, aut ei deſine hanc confidentiam obiectare. Abſit tamen vt illum ἀναμάρτητον,vel in doctrina ipſa faciamus. Ex hoc autem ſi colligas illum non fuiſſe ſpiritu Dei præditum,quem tu mihi tandem vel vnicum inter ſacrarum literarum interpretes edideris, quem ab omni næuo in omnibus Chriſtianæ religionis placitis poſsis penitus abſoluere? Diſſentimus, fateor à Luthero in nonnullis, ac præſertim in Cœnæ Domini controuerſia nec eius in omnibus ardorem ac vehementiã probamus: ſeruum tamen Domini & quidem eximium & valde excellentem illum fuiſſe non dubitamus,& res ipſa manifeſtè teſtatur:ac proinde variis modis illum ab eo qui vos planè regit nec ſe facilè extrudi patitur ſpiritu tentatum fuiſſe non inuiti credimus. Cinglium quoque ſanctæ memoriæ hominem ex diuturna cogitatione vehementiſsima id quod ſibi in ſomnis eueniſſe ſcribit,ſcripſiſſe nemo mirabitur qui vel vnicum Auguſtini libellum de cura pro mortuis legerit. OEcolampadio viro integerrimo túne vitio vertere audeas quòd ſecum attentiſsimè ac diligentiſsimè ſit iſtam controuerſiam meditatus, prius quàm ab inueterato errore diſcederet? Quod ex Caluino citas nihil aliud eſt quàm illius aduerſus vos prouocatio ad Dei verbum, ex quo rectène an ſecus ſentiat, diiudicetur. Maledicentiam in Caluini ſcriptis nullam inuenies, & quod ei ex quadam ipſius ad Bucerum epiſtola exprobras, iampridem aduerſus illum infelicis memoriæ apoſtatam Balduinum, tuum monitorem,eſt abundè refutatum.Eundem ego meritò

vt excellens in domo Dei instrumentum viunm colui & mortuum collandaui,at non ita insanii vt eum cum illis omni exceptione maioribus Christi testibus, vel per somnium compararem, nedum vt(quod impudẽtissimè comminisceris) eum à Christo secundum facerem. Vobis enim non nobis vsitata sunt ista vestrorum sanctorum encomia. Mea autem hæc totidem verba sunt, abs te non hoc tantùm loco sed alibi aliquoties,calumniosissimè detorta. *Quod ad illam tristem de Cœna Domini exortam controuersiam attinet, quum videret tantum excitatum incendium Caluinus, hac ipsius singularis fuit cura vt perspicuè rem ipsam exponendo, personas ipsas non attingens illud omne restingueret,quod ita dextrè & feliciter præstitit vt eum qui attentè ipsius hac de re scripta expenderit, fateri oporteat,illi secundum Deum, deberi illam huius controuersiæ decisionem quam postea sani iudicij homines sunt amplexi.* Hæc mea,inquam,verba sunt ex quibus non recuso quin iudicet quiuis, an id quod mihi affingis vnquam mihi in mentem venerit. Sanctis autem illis viris mortes violentas & repentinas qua fronte obiicias tu videris.

Obiit Deo simul & patriæ vitam impendens Cinglius,cui carmen hoc epitaphium à me scriptum hoc etiam loco subiicere placuit,vt tibi gratum faciam,

Zuinglius ardebat gemino quum sanctus amore,
Nempe Dei in primis,deinde etiam patriæ,
In solidum fertur se deuouisse duobus,
Nempe Deo in primis, deinde etiam patriæ,
Q: àm benè persoluit simul istis vota duobus,
Pro patria exanimis, pro pietate cinis!

Oecolampadium anthrax,placida tamen & optatissima morte,sicut nobis sustulit,ita Deo adiunxit. Lutherũ,vt ex idoneis testibus etiam Principibus constat,Dominus in patriam remissum, oris ventriculi imbecillitate laborantem,ad se cum summa alacritate anhelantem euocauit. Cum istorum vt vita sic etiam obitu, quos tu mihi Romanos Papas ab hinc annos mille & amplius mortuos compararis, quorum vsque adeo infames exortus,adeo tragicos legimus interitus, vt nulla ne inter maximè quidem barbaros populos similia portenta extitisse memorentur? Quid si vestrorum Cardinalium, Episcoporum, Canonicorum historias haberemus perscriptas? Et tamen isti sunt vestri sanctissimi patres, quibus(ne si quidem currus animabus onustos ad inferos pertraherent) non liceat dicere, Cur sic facis? Hæc vestra est repræsentatiua Ecclesia quæ errare non potest: Hæc est cathedra cui sic deuinctum Spiritum sanctum tenetis,vt qui vestro charactere non est signatus omni legitimæ vocationis testimonio careat. Et tu scilicet egregiè nos istis argumentis conuicisti reuelationibus particularibus vti,quos tamen non ignoras de hoc in primis vobiscũ contendere, quòd vos quidem ab vna hominum successione (& quorum hominum?) pendetis:nos verò ex vno verbo per Prophetas & Apostolos scripto, volumus castam Christi sponsam Ecclesiam à vestra meretrice,& vera dogmata Christiana à falsis distingui. Nam quod nobis obiicis docere nos quòd Spiritus sancti interiore afflatu tribni necessario oporteat vt veritatem agnoscamus,tãtùm abest vt inficiemur,vt contrà ne dignum quidem te esse dicamus cui vel emẽtitum Christiani nedum Episcopi nomen conueniat, si hoc neges. Nam Spiritus sanctus nõ temerè dicitur veritatis doctor,nec aliter definit Ecclesiã Esaias quàm θεοδιδάκτων cœtum:deniq; illum ipsum discipulum, cuius non doctrinam retinuit sed cathedrã fur ille & prædo ac perditus filius vestrûm omnium pater inuasit, restatur Christus fidem qnam professus erat non à carne & sanguine,sed à patre cœlesti didicisse. Nam quod excipitis sic futurum, si hæc ratio valeat,vt Spiritum sanctum vnusquisque iactet, non modò falsò,sed etiam ineptè in eos dicitur qui spiritum mendacem à veritatis spiritu discernendi tum alias tum maximè duas istas regulas vt certissimas tradunt. Vnam vt quicquid extra verbum scriptum profertur pro falso habeatur,alteram vt omnes scripti verbi interpretationes seu à veteribus doctoribus seu à recentioribus quibuscunque allatæ, ad certorum & ἀναμφισβητήτων nostræ religionis capitum normam & analogiam collatis scripturæ ipsius locis exigantur. Hoccine verò est phanaticum esse, & enthusiasmos captare, ac non vos potius quum istam disputandi rationem refugitis, huius ipsius sceleris rei tenemini quod nobis impingitis?

Postremo tandem loco nos omnes à vobis dissentientes, in octoginta quatuor non modo diuersas sed etiam repugnantes sententias discerpis, vt in ista cõfusanea quam vocas opinionum turba doceas veritatis spiritum non residere. Respondeo hanc semper fuisse, esse, ac futuram ad extremam vsque huius mundi metam humani iudicii imbecillitatem, etiam inter eos quos constat Deum sancto suo spiritn afflasse, vt nemo illorũ vnus omnia in rebus etiam maximè necessariis viderit:iis quidẽ exceptis quos omni exceptione maiores fuisse constat, Prophetis videlicet & Apostolis, per quos sic loquutum Dominum non ex hominum (vt vos vultis) consensu, sed ex ipsis eorum scriptis constat, vt si quis illa in dubium reuocet, omni eum ratione carere posit demonstrari. Dico & illud, vix vlli vnquam datum fuisse vt animi sui sensa tam commodè vt oportuit explicare posset. Deinde non omnia vno tempore neque in mentem venire scriptori possunt, neque etiam si in mentem veniant, eodem loco sunt pariter explicanda. Ex quibus efficitur rem iniquissimam illos facere, qui vel ex singulorum doctorum scriptis de Ecclesiarum fide & doctrina, vel ex alicuius scriptoris hoc vel illo testimonio, qnæ fuerit ipsius de toto aliquo dogmate sententia ostendere conantur, vt vel eos in suas partes pertrahant, vel pro suo arbitrio condemnent. Hæc si forte ita se habere inficiaris, ipsos tibi vetustissimos quosque sacrarum literarum interpretes, tum Græcos tum Latinos fero. Quod si ad vestros illos patres

Scholasti-

Scholasticos perueniamus, Deus bone, quæ illic dissidia, quas factiones in hoc ipso de Sacramentis argumento comperiemus? Nã ne magistrum quidem illum vestrum per omnia vos sequi sustinueritis. Sed hæc omnia, postquàm acerrimè dimicatum est, vnico verbo scilicet componuntur, si quis quæcunque blaterauit, Ecclesiæ Catholicæ non illius veræ & vnicæ à scripti verbi auctoritate in Christianæ religionis placitis pẽdentis, sed inanissimæ ac portentosissimæ chimæræ Romanæ iudicio se stare dixerit, ad quod etiam asylum Scotus confugit, vbi validissimis rationibus vestram transsubstantiationẽ subuertit. Cæterùm quod ad rem ipsam attinet, (vt taceam qua tu fide partim ex aliorum nullius fidei hominum collectaneis ista descripseris, partim ipsemet excerpseris, quum prolatos ipsorum auctorum locos potius oportuerit) quorsum tu, quæso, nobis Anabaptistas, quorsum Schuencfeldium, quorsum Carolstadium, Campanum & Villagagnonis aduersus Pontanum nescio quem testimonium, quorsum denique illos obiicis vbiquitarios quos nemo sanæ mentis non videt cum Nestorio personam Christi diuidere, cum Eutychete proprietates naturarum confundere? Itaque quum nos ab illis non minus quàm vos, imo etiam ab illorum quibusdam magis quàm vos dissideamus, quo iure tãdem illos nobiscum committis? Neque enim nostrum est nescio quorum imperitorum vel falsò vel impropriè dicta præstare, cuiusmodi sunt etiam quæ tu Molinæo homini furioso apud vos & inter vos mortuo, & Erythræo non Theologo sed Rhetori, tribuis. Iam verò illius Illyrici quia tu camatinam commouisti vt inde haustum quod tibi saperet nobis propinares, tenemur scilicet in vestri gratiam, illam etiam ad fundum vsque scrutari. Absit hoc verò à nobis, qui vobis potius omnes istas absorbendas etiam, si libebit, sordes vltrò relinquimus. Nec enim aliud ista sunt quàm veneni ex fœdæ illius Romanæ vestræ meretricis poculo propinati fæces, quas olim haustas non quibusuis postea penitus statim euomere concessum est. Ergo ex sententiis ea qua voluisti fide abs te descriptis quoties nobiscum ages, illas omnes expungas oportet Illyrico, Schuencfeldio, Stancaro, Brentianis, Lango, Heshusio, Anabaptistis, Erythræo, Pontano, Carolstadio, Campano, Molinæo attributas, quorum sententiam neque tu neque nos vllo modo probamus. Cætera non recuso quin expendantur, si prius hoc vnum præposuero, manifestum esse te in hoc quoque calumniatorem quòd quæcunque de ista controuersia sunt ab aliquo scripta perinde accipis, ac si totidem essent ipsorum institutionis verborum interpretationes. Cæterum à Luthero nos in Consubstantiationis dogmate dissentire, & eò vsque dissidium istud (cuius culpa Dominus nouit) exarsisse, vt inde grauissimum schisma sit inter nos, communes alioqui vestræ Idolomaniæ hostes, sequutum, inficiari nec possumus nec volumus. Propterea tamen vel illum non fuisse eximium Dei organum, vel Ecclesiæ veræ notas & in nostris & in illorum cœtibus non extare minimè consequitur, quum (velint nolint vobiscum nonnulli discordiarum satores & fautores) fundamentum ipsum Christianæ religionis vtrinque idẽ retineamus, & in ipsius quoque Eucharistiæ præcipuo fine, veri videlicet corporis & sanguinis Domini communicatione, cõsentiamus, & à detestando vestro sacrificio pariter abhorreamus. Annotas ex Bucero & Lasco quod de actione dicunt, quasi videlicet non panem sed actionem senserint à Christo demõstrari: quibus iniuriam facis. Nec enim aliud ita voluisse ipsos significare constat, quàm panem extra ipsum vsum Cœnæ, non habere rationem Sacramenti, sicut cera sigillo publico impresso, non est tamen sigillum (sed duntaxat ad vsum sigillandi dispositum) nisi instrumento appendatur. Nec aliter explicare potes vtrunque illud quod Matthæo Smalcaldensi tribuis quum inquit *illis locutionibus In pane vel Cum pane esse corpus Christi, non intelligo locum aut tempus, sed ipsum externa Cœnæ quasi subiectum, à quo secundum locum & tempus procul remotum est Christi corpus: quod corpus in illo vel cum illo e dicitur non tanquam in illo subiecto existens, sed tanquam actionibus Cœnæ obiectum qua circa panem exercentur.* Item, *corpus non esse in proprio subiecto, nec in panis subiecto & materia, sed in obiecto Cœnæ & actionum eius.* Nulla hic igitur inter nos & illos dissensio, sed summa potius inter nos omnes aduersus idololatricum vestrum contrarium dogma consensio. Idem Bucerus ait *corpus menti demonstrari per verbum, sicut panis demonstratur sensibus:* item *vt ore panem, sic corpus animo concedi.* Itẽ *panem esse symbolũ quo corporis Christi vera communicatio fidelibus exhibetur.* Annon verò nos in hoc quoque prorsus consentimus? Eundem vis scripsisse, *panem esse corporis Christi canalem*, cuius dicti quis non videt hanc esse sententiam, quòd hoc Sacramento, veluti interueniente quodam instrumẽto, Deus vtatur, vt spiritualiter ipsius sanguine irrigemur, quod Sacramentalis vini potu menti repræsentatur? Idem ait *Cœnæ mysterium esse protestationem & prædicationem Christi beneficiorum*, quod & ipsum verè dici, & idcirco Eucharistiam hoc mysterium vocari, quamuis non hic sit primarius Cœnæ Domini finis, túne ausis negare, quin ipsius Christi voce redarguaris? Eidem Lasco tribuis *quòd panem illum dicat esse societatem gratuitò nobis delatam, fine sui & vsum Christi in ipsius corpore.* Paulum igitur ipsum reprehẽdere at nos omnes vno consensu isti sententiæ assentimur. Est autem figurata per Metalepsin oratio qua effectum ponitur pro instrumentali causa interueniente, veluti quum idem Paulus dicit Euangelium esse Dei potentiam ad salutem, & Corinthios esse gloriationem suam. Sic Christus quoque dicitur esse resurrectio, quòd sit causa resurrectionem efficiens. *Idem, inquis, scripsit hanc communionem esse in Christi corpore non iuxta substantiam ipsi connaturalem, sed iuxta meritum passionis & mortis, & gloriam admirandæ resurrectionis,* cuius sententiæ testem citas Melanchthonem in iudicio de Cœna Domini. Tu verò videris vnde & qua fide istud ac pleraque fortassis alia, descripseris. Quod si quid tale Lascus scripsit, certum est noluisse sublatam ipsiusmet traditi pro nobis corporis communicationem spiritualem, sed realem illam substantiarum *συναφὴν* & (vt tu loqueris) contactum ac com-

mixtionem (vt durè interdum loquitur Cyrillus, alibi tamen commodè sese explicans) & Cyclopicum ac impium vestrum dogma damnasse: quod etiam alibi qualitatis nomine significat, vt declaret mysticæ nostræ cum Christo per fidem concorporationis fructum in nostri immutatione positum esse. In his autem quam tandem inter nos quos oppugnas repugnantiam inuenies? Quod enim dogma nobis ex Vnicordio nescio quo tribuis, *quòd videlicet à corporis Christi substantia gratiam & efficaciam nunquam separemus*, vltrò omnes contra vos & vobiscum sentientes vno consensu amplectimur: nec vicissim à Christi energia & beneficiis ipsummet Christum seiungimus. Itaque contrarium vestrum Satanicum dogma quo non ex corporis Christi reiectione & contemptu sed ex ipsomet corpore Christi indignè recepto iudicium promanare comminiscimini, ex luce tenebras & ex vita mortem elicientes: itémque alterum vestrum errorem quo Christi beneficia fingitis extra ipsiusmet cõmunionem tribui, abominamur. Sed & in eo quod ex Vireto collega quondam meo, doctissimo & optimo viro citas, omnes idem sentimus, *totam hanc videlicet Cœnæ actionem symbolum esse non tantum corporis & sanguinis, sed etiam mortis & effusionis pro nobis factæ*. Nec enim duntaxat panem & vinum sed etiam Sacramentales ritus à Christo instituti (quos partim sustulistis, partim immutastis, partim etiam intolerabili audacia multiplicastis) puta fractio, infusio, præbitio, acceptio, manducatio & potatio inter huius mysterii partes à nobis recensentur: nec esset nobis viuifica Christi caro, nisi vt pro mundi vita tradita, nobis fruenda præberetur. Quod etiam scriptum dicis in Silesiorum confessione *Hoc admonere nos de corpore Christi per fidem edendo*, pariter omnes profitemur, & haud satis scio an tu ipse inficiari audeas. Quod autem ex Clebitio citas, *In ista locutione, Cum pane est corpus, Cum non esse præpositionem sed aduerbium temporis, & significare capi corpus quando capitur panis*, etsi rectè explicatum tolerabile est, sit sanè tamẽ priuati hominis argutiola ex qua multò iniquius fuerit statuere nostram Ecclesiam dissidiis laborare, quàm si ex vestri Catarini & Soti contentionibus scissum esse vestrum illum Catholicum quem iactatis consensum collegerim. Iã ad nostros venio, inter quos libenter etiam persuaseris regnare discordiæ spiritum. Nostros appello, magnos illos Dei seruos, quorum opera tot Ecclesiæ sunt ab Antichristi vestri iugo liberatæ, quorum spiritus nunc sunt in cœlis, scripta verò in terris tam sunt optimo iure vobis Antichristi mancipiis formidabilia, vt illorum nomina ne ferre quidem possitis, Oecolampadium, dico, Zuinglium, Caluinum, Martyrem, & nuper ereptum nobis Bullingerum, quorum sententias à te excerptas, age perpendamus. Scribit Oecolampadius *Cœnam Domini esse commemorationem corporis Domini, Panem illum esse symbolicum corpus, id est, veri corporis figuram*. Item *esse signum quo admoneamur corpore Christi pro nobis tradito nos viuificari*: item *esse symbolum quod testatur nos vno eodémque corpore redemptos*. Scribit Zuinglius, *panem hunc significare corpus*. Item, *pane illo & illo vino naturam Christi humanam significari*. Item, *diuinitatem & Spiritum Christi eum demum esse qui nos viuificet, ac proinde spiritualiter intelligendum esse Cœnæ mysterium: Et fide ac animo, non ore & dentibus manducandam Domini carnem*. Item, *mortem & passionem Christi in Cœna mysterio repræsentari & fruendam præberi*. Idẽ ostendens vnius fidei oculo corpus Christi in Cœnæ mysterio spectandum, ait *hoc corpus esse fidei corpus, fidem inquam, in ipsum Christum*: quæ tria posteriora dicta quum à vobis perinde torqueantur acsi diceret Zuinglius panem hunc vel hoc corpus esse diuinitatem seu spiritum viuificantem, vel mortem seu passionem ipsam Domini, vel esse corporatam quandam fidem, quid vobis impudentius fingi potest? Eundem denique vt & Oecolampadium dicis *vocare panem symbolum corporis*, & à Zuinglio adiici *quatenus pro nobis datur*, nempe vt intelligatur corpus illud nonnisi cum sua determinatione (veluti nimirum datum pro mundi vita) nobis in Cœna præberi. Quod si hæc inter se compares, vt ad minimum vsque apicem omnia perscruteris, nullum in illis ne tantillum quidem discrimen inueniri posse dico. Quod enim à nõnullis obiicitur, Zuinglium quidem in Verbo EST, Oecolampadium autem in attributo ipso Corporis tropum constituere, ac proinde inter se dissidere, futilissimè concluditur, si rem ipsam non verba spectes: quod etiam non pigebit pluribus explicare, vt tandem (si fieri potest) calumniari tam consentientes inter se homines desinatis. Dico igitur eas esse verè proprias enuntiationes in quibus ipsi, quos vocant, termini tum per se tum relatè (id est, quatenus attributum de subiecto dicitur) considerati, propria significatione accipiuntur, vt si dicam *Circuncisio est signum fœderis illius cum Abrahamo sanciti*: figuratas autem esse, in quibus attributum (id enim in subiecto rarissimè contingit translatitiè accipitur, vel per se, (vt quum dicit Christus de Herode quòd sit vulpecula, & de Iuda quòd sit diabolus, & de Christo Ioannes quòd sit agnus tollens peccata mundi) vel propriè quidem per se dicitur, impropriè verò si relatè consideretur, id est, quatenus non quid sit in se spectatur, sed quo sensu de subiecto dicatur, cuiusmodi frequentissimæ sunt enuntiationes. Sic, exẽpli gratia, *Circuncisio est fœdus*. Nec enim hîc negari potest, quin & subiecto declaretur circuncisio propriè accepta, & attributo verum illud ipsum fœdus intelligatur, quod in superioris generis exẽplis de vulpecula, diabolo, agno non dixeris. Verùm si relatè consideres attributũ, comperies propriè id tribui circuncisioni nõ posse, quum id ipsum quod aliquis pepigit & adhibito sigillo obsignatur sit ab ipso sigillo diuersum. Erit ergo figura in ipsa attributione, siue in attributo, nõ per se, sed relatè considerato. Sic in ista enunciatione nõ accepta identicè, *Hoc*, id est, *hic panis est corpus meum quod pro vobis traditur* necesse esse dico proprium panem & proprium Christi corpus intelligere si per se quid & hoc & illud sit in hoc ipso Sacramento consideres: sin verò quomodo vnum de altero dicatur spectemus, tunc erit necesse tropum in attributione ipsa, siue in attributo relatè considerato statuere, quum verus panis & verum corpus humanum sint

disparata.

disparata. Hunc autem tropum esse dicimus Metonymiam explicandæ Sacramentorum naturæ, veritati,& efficacitati vsque adeo accommodatam, vt illis cõmodè explicandis translatitia hæc attributio multo magis quàm propria & natiua cõueniat. Verbis igitur differunt, re verò prorsus conueniunt istæ verborum institutionis cœnæ Domini explicationes, *Hoc est Sacramentaliter corpus meum, Hoc significat corpus meum, Sacramentali videlicet significatione,&, Hoc est Sacramentum, symbolum, figura, signum, tessera corporis mei.* Ex quo etiam liquet quàm ridiculi & inepti sint qui perinde aduersum nos disputãt ac si symbolicum & mysticum nescio quod corpus pro nobis traditum in Cœna pro vero illo vnicóque corpore statueremus. Sed illud addo, ex figurata ista attributione prodiisse illud enuntiationum genus figuratum quod in ipso attributo per se considerato positum diximus, quo sensu Cyprianus de hoc Sacramento disserens, corpus Christi quotidie creari,& Augustinus in terram cadere & consumi scripsit, quo etiam modo necessarium esse videtur ipsius Lombardi sententiam exponere vbi corpus Christi tum signum tum rem signatam esse dixit. Et de summis quidem illis viris, duabus verè suo tempore in templo Domini plantatis oleis, eundem salutarem doctrinæ cœlestis liquorem pretiosissimum vno cõsensu fundentibus, hactenus dictum esto. Venio ad tres illos istorum successores, Bulingerum, inquam, Martyrem & Caluinum (quibuscum Heidelbergensem Ecclesiam coniungo) quos ab illis in cœna Domini dissensisse non prius euiceris quàm Solem ostenderis meridie non lucere. Hæc igitur tribuis Bullingero, *Cœnam Domini esse symbolum sacrũ gratiæ & redẽptionis nostræ quod post se Dominus reliquerit.* Annon verò quod Sacramẽtum noui fœderis est, signum est gratiæ nobis collatæ, in cuius celebratione mortem Christi annuntiare iubemur donec ipse veniat? & ne clamites signum hoc esse nudum aliquod mortis Christi μνημόσυνον, audi quod ex eodem profers, *Hoc est obsignatio corporis pro vobis traditi*, obsignatio certè intra fidelium mẽtes ipsum Christum fide participantes. Audi denique & illud à teipso exscriptum, *Hoc Sacramento significatur* (efficaci videlicet Sacramentali significatione) *passio & mors mea, ac communio cum omnibus sanctis.* Expẽde & illud *Hic panis est symbolum quo vera corporis mei commemoratio fidelibus exhibetur*, quas sententias nisi agnoscis prorsus consentire quid tibi tandem cerebri inesse quisquam credat? Istud denique abs te ex eodem prolatũ, *Hoc est mysticum corpus meum seu Ecclesia sanctorum, meo corpore redempta*, ostendit qua fide sint isti centones à vobis cõsuti. Postquam enim Bullingerus in illo suo de Sacramentis tractatu, de nostra cũ ipso Christo coniunctione disseruit, accedens ad mutuã nostri sub eodem illo capite consociationẽ,& illa Pauli verba explicans, *Nos multi sumus vnus panis & vnum corpus*, de corpore mystico id interpretandum docet. At vos Sycophantæ ad institutionis verba perinde hoc trahitis ac si corporis appellatione in his verbis *Corpus meũ quod pro vobis traditur* corpus mysticum intelligendum diceret Bullingerus: quum hæc altera nostri in vnum corpus mysticum consociatio sit illius prioris, nempe ipsiusmet Christi participationis effectum eam cõsequens, in qua etiam posteriore coadunatione Christus non corporis sed capitis, Ecclesia verò corporis à capite dependentis rationem & appellationem sortitur. Et quis vestrã hanc in corrumpendis sanctorum hominum scriptis impudentissimam audaciam ferat? Venio ad Martyrem, cuius incomparabilis & eruditio & pietas, quò magis illam obscurare conabimini, tantò magis æternùm effulgebit. quicum etiam ausi estis comminisci mihi & collegis meis dissidium in Possiaceno cõuentu intercessisse, quũ tamẽ nulla maior animorũ & voluntatũ coniunctio ne cogitari quidem possit quàm quæ tũ inter nos aduersus vestrã coniurationẽ fuit. Fingis tu igitur illũ sic inuertere Christi verba, *Corpus meũ est hoc*, quod impudẽs esse mendaciũ affirmo, quanquã si panis est corpus, corpus quoq; esse panis necessariò dici potest. Sed hoc ita illũ dixisse vt Schuencfeldio assentiretur nunquã ostenderis. Ex eodẽ istud citas, *panem esse symbolicũ corpus seu figurã veri corporis*, quod & ipsum Zuinglio, OEcolãpadio & Caluino attribuis, vt te ipso teste constet de horũ omnium cõsensu. Eundẽ quoq; vis scripsisse, *Hoc est corpus Christi quod dat nobis animo edendum sicut panẽ ore*, quod quidẽ nos omnes & animo & ore profitemur. Deuenimus tandem ad illum cuius ne mortui quidẽ nomẽ ferre potestis, Caluinum videlicet, selectum Dei Opt. Max. ad euertendã Antichristi tyrannidẽ organũ, cui sententias istas attribuis. *In Cœna alioqui, non tamẽ in pane exhiberi Christi corpus.* Rectè profectò. Absit enim vel vt nõ præstet Deus quod adiecta etiã obsignatione offert, vel vt verũ Christi corpus nũc alibi quàm vbi est, id est, in cœlis per fidẽ quæratur & inueniatur. *Panẽ illum esse symbolicum Christi corpus* (id est, sacramentaliter dici corpus) seu figuram veri corporis. Hoc verò etsi verè dicitur, modò adiiciatur minimè inanem esse hanc figuram, tamen falsò à te citatur quasi ex consensu Tiguri inito depromptum. Sed & ista quis nostrum contra vos non agnoscit?

Hic panis est signum efficax corporis mei, & participationis cum eo.

Accipite edite, quod pro vobis datur, est corpus meum.

Item, *Hoc est symbolum quo vera corporis mei communicatio exhibetur fidelibus.*

Item, *Hoc est symbolum promissionis meæ de carne mea.*

Item, *Adest corpus meum spirituali præsentia & participatione.*

Item, *Hic panis est corpus meum Sacramentali locutione & coniunctione per Metonymiam signi & signati.*

Ista verò quæ sequuntur quum calumniosissimè à te proponantur, vera explicatione indigẽt, vt fucũ vos imperitis facere ex Caluini libris in pulpito coram plebecula propositis nemo miretur, quos non pudeat illa scriptis committere quæ partim falsissimè partim impudentissimè à vobis esse detorta, ex ipsa locorum descriptione omnes intelligant. Sunt autem ista huiusmodi.

Citas istud ex Caluini 5. ad Ephesios, *Hoc est mysticum corpus meum, seu Ecclesia sanctorum redempta corpore meo.* At quæ hæc impudentia est? Extat in hominũ manibus liber. Caluini autem hæc ipsa sunt verba. *Quemadmodum Eua ex Adæ mariti sui substantia formata est vt esset quasi pars illius, ita nos, vt vera simus eius membra, substantia ipsius communicare oportet, & hac communicatione nos coalescere in vnum corpus. Denique eam nostri cum Christo vnionem his verbis, Membra sumus corporis eius, ex carne eius & eius ossibus Paulus describit, cuius in sacra Cœna symbolum & pignus nobis datur.* Sic ille nostræ cum Christo verè mysticæ consociationis mysteriũ declarat, cuius pignus quoddam ait esse Cœnam Domini. An inde verò colligere debuisti institutionis Cœnæ verba perinde à Caluino exponi, ac si panem illum diceret Dominus esse mysticum suũ corpus, id est Ecclesiam, ac non potius illud ipsum corpus pro Ecclesia datum?

Istud autẽ quod ais à Caluino & Caluinistis, quos vocas, passim dici, *Hæc est participatio corporis mei si fides adsit sin minus oblatio, quæ recusatur ab indignis*, sanè non inficiamur, imò vno consensu cõtrarium vestrum dogma detestamur, modò oblationis vox non ad Deum referatur, cui accedentes Christum offerant: sed ad accedentes quibus tum dignè tum indignè accedentibus Christus in mysterio Cœnæ offeratur, quanuis à solis fidelibus participetur.

Profers & istud, *Hoc est testamentum in corpore meo*, Verba Caluini hæc sunt in 1. Cor. 11. 25. non in hæc verba, Hoc est corpus meum, sed in ista, Hic calix est nouum testamentum.

Quod de calice prædicatur pani etiam competit, adeóque hac locutione exprimitur quod antea breuius dictum erat, panem videlicet esse corpus. Ideo enim nobis est, vt sit Testamentum in corpore, id est, fœdus quod semel immolatione corporis sancitum fuit & nunc sancitur vescendo, dum scilicet ex illo sacrificio epulantur fideles. Hæc ille, cuius verba quum sic detorques acsi Caluinus hanc enuntiationem *Hoc est corpus meum*, totidem istis verbis exposuisset, ecquis tuam calumniam nõ animaduertit? Istam autem sententiam si negas, quid superest nisi vt in solo sanguine sanciatur testamentũ, ac proinde quum calicis vsum plebi sustulistis, scelus à vobis inexpiabile sit admissum?

Quod ex Caluino subiicis, & à me in Possiaceno conuentu declamatum dicis, *corpus illud ipsum* videlicet *quod pani attribuitur, censere nos tam procul esse dissitum à pane quàm cælum, vbi nunc est & non alibi, abest à terra, vbi nunc & non alibi sumus*, scito, omnes nostrarum partium Ecclesias summo consensu istud profiteri: sed illud abs te versutè dissimulatum est, quòd videlicet nihilominus credamus fideles, non obstante locorum interuallo, spiritualiter & tamen verissimè ac efficacissimè per fidem, non tantùm Christi donorum, sed ipsiusmet verè fieri participes, atque adeo ipsimet Christo verè Spiritus sancti vinculo, inenarrabili mysterio, vniri, vnde vitæ æternæ succus hauriatur.

Tribuis Caluino hanc quoque sententiam ex Instit. lib. 4, cap. 17. num. 12. *Hic est canalis Spiritus sancti per quem quicquid est Christus ad nos descendit.* Item, ex eodem libro & capite, num. 9, *Hæc caro est canalis vitæ.* In his autem quod ad priorem locum attinet falsarium esse te dico, nempe & in citandis verbis, & in re ipsa. Nam verba hæc sunt Caluini postquam vestram illam localem præsentiam damnauit, *Hac non opus est*, inquit, *vt ipsius participatione fruamur, quandoquidem hoc beneficium per Spiritum suum Dominus nobis largitur, vt vnum Spiritu, corpore, anima secũ fiamus. Vinculum ergo istius coniunctionis est Spiritus Christi, cuius nexu copulamur, & quidam veluti canalis per quem Christus ipse & quicquid est & habet, ad nos deriuatur.* Aio igitur te falsarium hîc esse qui quod de Spiritus sancti virtute & operatione (hic enim est Christi Spiritus) scripsit Caluinus, ad corpus ipsum Christi detorqueas. Non ignoras autem Chrysostomum hac ipsa de re agentem, Patrem quidem fonti, Spiritum verò fluuio inde emananti comparare, qui carnem Christi compleuerit, ex cuius postea plenitudine idem ille Spiritus accepta dona fidelibus admetiatur. Iamuerò quoniam vna & eadem est trium personarum deitas, differens eodem 4. lib. & cap. 17, num. 9. Caluinus de virtute illa Christi viuifica, quæ in Christi carnem tota redundat, vitam ipsam cum aqua, Verbi deitatem cum eiusdem vitæ scaturigine, carnem cum fontis veluti quodam conceptaculo cõparat, ex quo sit illa nobis haurienda. Quam autem carnẽ eo loco fontem à scaturigine distinctam vocauit, idẽ Caluinus, fateor, in Ioan. 6, eodem prorsus sensu canalem vocat, ex quo vno vita ad nos emanet: vnde etiam cõcludit carnis ipsius & sanguinis Domini communionẽ omnibus necessariam esse qui ad vitam æternam aspirent. Itaq; & Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt ipsa scaturigo vitæ, sed aliter Pater, aliter Filius, aliter Spiritus sanctus, sicut in toto salutis nostræ mysterio nõ tantùm hypostases, sed etiã effecta distingui oportet, quanuis ad externum opus inseparabiliter concurrant. Caro verò Christi, fontis quidem conceptaculũ per se, quatenus autem in nos profluit, canalis rectè dicitur: & Spiritus sanctus quatenus eius propriũ est tũ ipsum Christum nobis per fidem adiungere, tum dona ex hac ipsa carne Christi accepta singulis admetiri, rectè quoque canalis conceptaculo comparatur, quo aqua in irriganda loca deuehitur. Non debuisti igitur ista confundere, quasi carnem Christi in spiritum Caluinus trãsformet, (quod vos potius Marcionem secuti facitis, quum suis illam dimensionibus spoliatis, & essentiam eius in sese inuisibilem facitis) vel quasi pro carne ipsa Christi solam eius energiam siue sola beneficia in Cœnæ mysterio substituat: aut vt tu ridiculè comminisceris, Christi substantiam percolet, aut denique Christianam religionem in canales aut tubos transmutet, quæ putida mẽdacia longiore refutatione non egent. Illas autem similitudines totidem penè verbis esse ex sacris literis depromptas, túne inficiari audebis? Sequitur istud, *panem esse instrumentum quo Christus nobis suum corpus distribuit*, quod si perinde accipis acsi verba ipsa institutionis Cœnę Caluinus totidem istis vocibus explicaret, rursum facis quod Sophistæ solent. Differens autem Caluinus passim de

ipsorum

ipſorum ſignorum vi,aduerſus veſtrum illud diabolicũ dogma de opere operante & opere operato & de virtute intrìnſeca ipſis Sacramentis inhærente,tuetur,in contrariam partem ſigna quæ Sacramenta vocantur,oullam in ſeſe vim aliam incluſam habere,quàm oculis per analogiam teſtificandi quod per externum verbum auribus ſignificatur, ipſam autem rerum ſignificatarum præbitionem & perceptionem totam in ſolidum ab vnius Spiritus ſancti virtute ſeſe intus exerente & illis externis rebus tanquam mediis & inſtrumentis ad fidem excitandam ac fouendam vtente proficiſci:quam ſententiam ſi damnas,relego te ad veſtrum Durandum in lib.Scoteντiarum 4.diſtinct.1.quæſtione 4.

Profers iſtud quoque veluti ex Caluino in locum illum Matth. 26. depromptum, *pauperes ſemper habebitis vobiſcum.Hac eſt virtus & gratia ſpiritalis mea.* Et iſtud, *Hoc eſt ſymbolum & teſtificatio quæ ſpirituales gratias figurat*, quaſi videlicet Caluinus in verbis inſtitutionis Cœnæ per Corpus pro nobis traditum,non aliud intelligat quàm ipſius beneficia in nos collata.Diſputans eo loco Caluinus non de Cœnæ myſterio,ſed de illa vnctione pedum Chriſti & de externis illis tantis & tam malè collocatis ſumptibus, quibus faciendis domus etiam locupleriſsimæ à vobis exhauriuntur,tandem in hæc verba erumpit. *Clare ſignificat Chriſtus quod tunc ſemel fieri voluit,ſibi in poſterum minimè gratum fore. Nam quum pauperes ſemper in mundo fore dicit inter quotidianum cultum diſtinguit, cuius vigere debet vſus inter fideles,& illum extraordinarium qui ceſſauit ab eius aſcenſu. Volumuſne pecuniam benè locare in vera ſacrificia? pauperibus erogemus. Nam ſi nobiſcum Chriſtus eſſe negat vt externis pompis colatur. Scimus certè adeóque fidei experientia ſentimus virtute & gratia ſpirituali nobis eſſe præſentem, ſed viſibilis nobiſcum non verſatur vt terrenos honores à nobis recipiat. Quare veſana eſt eorum oblectatio qui ludicras impenſas inuito & recuſanti obtrudunt.* Hæc ille,quæ quum tu perinde detorques acſi Caluinus verba inſtitutionis explicaret, & pro Chriſti Cœnæ corpore gratiam eius & eergiam ſpiritualem ſubſtitueret,quis te tam impudẽter mentientem meritò oon deteſtetur?

Nec verò alium te præſtas in eo quod mox cõſequitur, *Hoc eſt abſtractum quid ex ſubſtantia corporis mei.* Vbi verò tandem hoc Caluinus? in ratione ineuodæ concordiæ,inquis. Verba Caluini hæc ſunt, *A voce,Spiritualiter,nonnulli abhorrent quòd ſic putent imaginarium aliquid vel inane notari. Ergo hic etiam ſuccurrat definitio neceſſe eſt.Spiritualis ergo manducatio carnali opponitur.Carnalis autem vocatur qua putant quidam ſubſtantiam ipſam Chriſti in nos transfundi, ſicut panis comeditur. Ex oppoſito autem dicitur ſpiritualiter nobis Chriſti corpus in Cœna dari quia facit arcana Spiritus ſancti virtus vt è cœlo ad nos penetret vita ex Chriſti carne, quæ vis & facultas viuificandi non incommodè abſtractum aliquid à ſubſtantia dici poſſet,modo ſanè & dextrè hoc intelligatur, manere ſcilicet in cœlo Chriſti corpus, & tamẽ ad nos qui in terra peregrinamur, vitam ex eius ſubſtantia manare ac peruenire.* Hæc ille,ex quibus ocmo non videt Caluinum veram veri ipſius corporis Chriſti communicatiooem primo loco ſtatuere,quam ſuo more,à fructu & efficacia inde ad fideles emanante diſtinguat, & illis verbis *Quiddam abſtractum* interpretationem addere, ex qua intelligatur nihil materiale, ſed vim viuificantem ex ipſa carne Chriſti veluti decerptam ſignificari.Planè igitur Sycophãtam agis, quum de ipſo corpore Chriſti ſic aliquid decerptum intelligi, & materialẽ aliquam ipſius Chriſti ſubſtantiæ portionem ita fuiſſe vis à Caluino ſignificatam: quæ deliria vobis potius Sarcophagis Capernaitis conuenire quis non animaduertit?

Citas & iſtud ex lib.Inſtit. 4. cap.17. num.3. & Comment.in 1.Cor.11. 24. *Hoc eſt veriſſimum Chriſti corpus vt verba ſonant.* Inſpiciatur vterque locus vt hîc quoque inſignis Sophiſta & alter *νοθεύτης* deprehendaris. Etſi enim(qua in re ne vos quidem à nobis diſſentiretis, niſi corpus Chriſti verum in Chimæram transformaretis)vbique teſtatur Caluinus verum corpus de vero pane dici:non tamen ait panem illum ita eſſe verum corpus,ſiue verum corpus de pane illo(ita vt verba ſonant)ſed figuratè dici.

Eadem aſtutia vteris in hac ſententia citanda ex eodem inſtitutionis lib. & cap.num. 10. *Hoc eſt meum corpus ibi, vbi eſt panis.* Verba Caluini ſunt de vera cum carne Chriſti quamuis in cœlis manentis participatiooe, *Quod mens noſtra non comprehendit,concipiat fides, Spiritum verè vnire quæ locis diſiuncta ſunt.* Et mox, *Omnino iſthæc piis tenenda eſt regula, vt quoties ſymbola vident à Domino inſtituta,illic certò rei veritatem adeſſe certò cogitent ac ſibi perſuadeant. Ergo*, inquis, *ſibi ipſi repugnat Caluinus. Etenim ſi veritas, id eſt,ipſum corpus illic adeſt vbi eſt panis ſymbolum, quænam erit iſta locorum diſtantia?* Imò quid hoc eſt aliud quàm ſyllabas aucupari?qua de re ſic pulchrè Chryſoſtomus alicubi in pneumatomachos agens, *Attende diligenter quoties tibi dictum aliquod apparet obſcurum, nec ſtatim addicas te dictioni,ſed expecta ſententia finem.* Sequitur ergo apud Caluinum. *Quorſum corporis ſui ſymbolum tibi Dominus in manum porrigat, niſi vt de vera eius participatione te certiorem faciat?* Vocat igitur Caluinus veritatem Sacramenti cum Auguſtino non ipſum corpus,ſed eius communicationem, id eſt,præſtationem promiſsionis, cuius cauſa eſt inſtitutum Sacramentum. Sic enim Auguſtinus *Corpus quidem Chriſti in vno loco eſt ſecundum veri corporis modum,veritas autem corporis Chriſti vbique eſt.* nempe vbicunque ſeſe nobis aut in verbo aut in Sacramentis ſpiritualiter fruendum exhibet.

Pergis præterea & hoc quoque Caluino & Bezæ & Heidelbergenſibus tribuis, *In hac Cœna quatenus eſt cœleſtis actio & non quatenus eſt externa & terreſtris. eſt corpus meum.* Nos, ſicut Sacramẽta duabus rebus cõſtant,vna terrena,altera cœleſti,ita dupliciter Cœnã illam myſticã ſpectamus:vno modo quatenus externis corporis,altera quatenus interioribus mẽtis actionibus,vtrinque mutuò ſe reſpicientibus peragitur:ac in illis quidẽ ſigna corpori corporali modo,in his rem

ſignatam ſpirituali ratione menti & fidei adeſſe, itémque dari ac percipi dicimus. In hoc ſi quid habes quod reprehendas, oſtende, vel nos tanquam Cœnam duplicem ſtatuentes, aut terreſtria ſeparantes à cœleſtibus, aut tanquam ἀμφιβολίας calumniari deſine.

Nec hoc quidem præterire voluiſti, *Eſt obſignatio ſeu confirmatio gratiæ iam receptæ* ex eodem Inſtit. lib. & capite, numero 14. quem locū falſo citas. Sed hoc verum eſt, ſtatuere nos vnico fidei inſtrumento rem ſignatam, Chriſtum videlicet ipſum, in Cœna percipi, ac proinde non incipere à Cœna Domini noſtram cum ipſo vnitionem, ſed eam Cœna potius obſignari. Veſtrum enim de opere operato dogma vt planè Satanicum toto corde cuncti deteſtamur.

Quæ porrò tu mihi obiicis reſponſione non egent quum ſint mihi cum Caluino, iſtis quidem pauculis exceptis, communia quorum

Primum eſt, *Hoc eſt ſanguis meus*, de qua interpretatione ſuo loco dixi.

Alterum eſt, *Hoc ſignificat corpus meum*, quod tamen non ita ieiunè à me ſcribi ſolere ſatis noſti, non quod id rectè non ſic dicatur, ſed vt calumniis veſtris occurram.

Tertium, *Hæc eſt communicatio ſeu participatio corporis, quaſi per Apoſtolum ſermo Chriſti explicetur.* Ergo ſcripſi Apoſtoli verbis Chriſti ſermonem illuſtrari, quo videlicet finis & ſcopus primarius Cœnæ dilucidè ſpectandus proponatur. Sed cur explicationem meam præteriiſti? Nā apertè dixi, id quod communicatur nempe corpus, ab eius communicationis inſtrumento, nempe Sacramento, differre.

Quartum, *Hæc vnio eſt cum tota perſona Chriſti, vt corpus ſignificet quicquid eſt Chriſtus*. Ego certè naturas Chriſti diſtinguere didici, ſeparare non item: neque carnem Chriſti viuificam fore arbitror niſi vt Dei caro percipiatur. Aliud eſt autem iſtud quàm quod tu mihi impingis. Etſi enim corpus deitatis expers non percipitur, Chriſto tamē adhæremus, non deitatis ipſius (vtpote quæ, ſola mediatoris perſona excepta, realiter ſit incommunicabilis) ſed ea natura ſecundum quam frater noſter eſt, & nos ſumus os ex oſsibus eius & caro ex ipſius carne.

Reprehendis denique Gallicam veterem noui teſtamenti verſionem in hac Geneuenſi Eccleſia excuſam, quæ pro *Hoc eſt*, habet *C'eſt-cy*, id eſt, vt tibi quidem placet, *Hic eſt* ſiue *in hoc loco eſt*. Reſpondeo ne noſtrum quidem vernaculum idioma abs te intelligi. Nam vt hæc eſſet ſententia, dictum oportuit, *Icy eſt mon corps* omiſſo pronomine demonſtrante, *Ce*, cui ſi particulam *Ci*, id eſt, *Hic*, ſiue ſtatim vt *Ceci eſt*, ſiue interiecto verbo ſubſtantiuo ſubieceris vt *C'eſt-ci*, idem declarat atque Græcè τὸ ἐνταῦθα vel Græcè vno verbo τοῦτ᾽ ἐστι, Latinè *Hoc eſt*, & id quod eſt penes loquentem demonſtrat: ſin verò particulam *là* ſimiliter adiunxeris, vt *c'eſt là*, vel *cela eſt*, tunc idem valet atque τὸ ἐκεῖ & vno verbo ἐκεῖνό ἐστι, Latinè *illud eſt*, & id quod penes illum eſt quem vel de quo loquimur oſtendit. Et tamen vt omnis hac de re quærendi occaſio ſemel præcideretur vertimus poſtea & edidimus *Ceci eſt*.

Superſunt tres criminationes ſiue abs te ſiue ab aliis ex quibus iſta deſcripſiſti (Deus bone qua tandem audacia?) excogitatæ.

Vna eſt, *quòd veſtris ſcilicet argumentis,* (nugamentis rectius dixiſſes) *oppreſſi dicamus, Hunc panem eſſe ſymbolum qualitatis alicuius & virtutis à Chriſti corpore defluentis, quæ in Cœna per fidem extra panem recipiatur*, Quaſi verò centies millies non ſit à noſtris omnibus ac ſingulis inculcatum, quum ex vna Chriſti carne petenda ſint nobis quæcunque ad ſalutem & vitam æternam requirantur, ipſimet Chriſto prius oportere nos ſpiritualiter ac per fidem vniri, ac ipſius membra fieri quàm eius ſpiritu viuificemur: ac proinde ſigna hæc non eſſe duntaxat ipſius energiæ, ſed in primis ipſiuſmet corporis ac ſanguinis Domini fide participandi ſymbola. Sed vobis nimirum abeſſe & imaginaria eſſe videntur iſta, niſi ſubſtantia rei ſignatæ ſignorum ſubſtantiam reipſa contingat, aut potius niſi ſignorum ſubſtantia euaneſcat, aut in ſubſtantiam rei ſignatæ conuertatur: vobis, inquam, videtur omnis tolli vera Chriſti corporis ac ſanguinis κοινωνία ſiue μετοχὴ (nam vtroque vtitur Paulus) niſi realis contactus & Cyclopica transfuſio & commixtio ſubſtantiæ Chriſti cum noſtro ipſorum corpore ſtatuatur. Sed an quia tam vecordes eſtis, ideo hæretici ſumus?

Altera calumnia hæc eſt. *Hoc eſt corpus meum ſine diuinitate & ſanguine.* Vis enim hoc neceſſariò ſequi, ac proinde Neſtorianos eſſe nos, quoniam neq; cōmunionem ſub altera tātùm ſpecie, neque adorationem in Sacramento admittamus. Quaſi verò etiamſi nuſquam ſeparatū eſt corpus à ſanguine, ideo nos oporteat alteram mandati Chriſti partē vt ſuperuacaneā tollere, qui nos diſtinctè corpus ipſius in panis Sacramēto, vt æternæ vitæ cibum, & eiuſdē ſanguinē vt æternæ vitæ potū ſumere, & quod fecit hoc facere diſertis verbis, & vna eadémque actione præcepit. Sed pulchrè ſcilicet vobis iſtiuſmodi captiuncula caoiſtis, quoniam poſita tranſſubſtantiatione realiq; in terris præſentia, quum ſeparatæ ſint reipſa ſpecies panis & vini, ſeparari quoque corpus à ſanguine oporteat, niſi concomitantiam iſtam, non quidem Chriſti perſonæ, ſed tamen inſtitutioni Cœnæ Domini repugnantem poneretis. Sed vobis euenit profectò quod ait Flaccus,

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. Duo enim præcipitia vos hic circunſtant, nempe quòd nec corporis appellatione ſanguis in priore inſtitutionis parte, neque poculi voce corpus in altera intelligi ſine tropo Synecdoches poterit. Vos autem omnem tropū vt ſcopulum refugitis: deinde quòd ſi hoc valeat, certè ſublato poculi vſu, nullæ prorſus ſpecies ſupererunt, nec vllum ſignum quod ſanguini ſubſternatur.

Tertiam criminationem Melāchthoni impingis, quòd nihil interſit ſiue corpus ſit ſiue nō ſit, nec eſſe de eo digladiandum. Os impudēs. Qui propter infirmos, nec dum in doctrina Eccleſiæ

inſtitutos

institutos, imò in erroribus confirmatos, optat rixatores vtrinque abesse, contentiosos remoueri, portentosas illas quorundam commentationes conuersionis, transsubstantiationis, vbiquitatis eruditæ vetustati ignotas semel tolli, contentiones vtrinque prohibendas, formam loquendi vnam quampiam, cuiusmodi illa Paulina est communi consensu retineri, copiosè de Cœnæ fructu dici, tolerandos (videlicet ad tempus) & patientia lucrifaciendos in aduersa sententia, qui distractiones non faciunt in populo, (hæc enim sunt illius verba) an ille inutiliter quæri de re Sacramentorum putarit? Sed voluisti nimirum qua fide & conscientia primam hanc repetitionem tuam exorsus es, eadem etiam illam terminare. At ego Deum precor vt te tuique similes aut ad veritatis studium conuertat, aut iusto suo iudicio compescat. Et de his quidem hactenus.



APOLOGIA AD ACTA CONVENTVS QVINDECIM THEOLOGORVM TORGÆ NVPER HABITI.

***



Esponsuri ad ea quæ nuper in nos præter omnē iudiciorum tum ciuilium tum Ecclesiasticorum morem à Quindecim Theologis Torgæ in Saxonia illustrissimi Principis electoris ac Domini, D. Augusti Saxoniæ ducis mādato, vt aiunt, aduersum nos congregatis, acta, scripta, & publicè edita sunt: rogamus etiam atque etiam qua decet animi submissione per Domini nostri Iesu Christi nomen, tum ipsius illustrissimi Principis Electoris, tum cæterorum etiam illustrissimorum eiusdem Augustanæ Confessionis principum Celsitudines, omnes denique eandem Confessionem amplexos, ne hanc defensionem no..ram iniquis animis accipiant: quasi vel cuiusquam fidei dominari, vel litem de lite serere nobis sit propositum: Sed vt potius cogitent quid eos facere oportuerit, qui nullius adhuc falsitatis ex verbo Dei conuicti, nec sibi malè conscii, à paucissimis ac penè nullis hominibus, nulla prorsus allata nedum audita & collata coràm vtrinque acceptis iudicibus ratione, damnati sunt, acsi in legitima omnium Christianarum Ecclesiarum Synodo iusta ex verbo Dei præeunte cognitione, auditi, conuictique, tanquam impœnitētes denique damnati proscripique forent. Certè quum vel in minimi momenti controuersiis liceat reis etiam legitimè citatis, auditis, & damnatis ad superiora tribunalia prouocare, non debet hoc ius denegari in quorum personis plures penè homines ab istis Quindecim, nullo more neque exemplo, sunt impietatis & blasphemiæ atrocissimorum criminum damnati, quàm ipsi capillos in capite gerant. Et quoniam illi proculdubio ad illustrissimi Principis Electoris, cuius mandato se conuocatos fuisse dicunt, nomen & autoritatem confugient, precamur illustrissimi Principis Celsitudinem, vt secum etiam atque etiam cogitet, habendam esse tot Ecclesiarum rationem, quæ communes cum ipso aduersarios oppugnent: neque tot viros de quorum & doctrina & pietate grauissima extant testimonia, æquum esse Quindecim hominum repentè coeuntium, &, quod ipsa tandem res ostendet, auctoritate ipsius Celsitudinis abutentium, oligarchico imperio proscribi. Non ita certè vetus Ecclesia & Christiani imperatores, ne aduersus Arianos quidem egerunt, toties auditos, & damnatos. Et istas damnatorias sententias nostra memoria quum nulli acrius vrserint in Comitiis imperii quàm Pontificii, hoc vnum quærentes vt nos prorsus disiungerent; non consenserunt Principes qui iam tum alioqui à nostris Ecclesiis in hoc capite dissidebant: quòd negarent æquum esse in tanti momenti controuersia, quippiam in eos qui vocati & auditi non essent, statuere. Vicit hæc æquissima Sententia in Comitiis Spirensibus Anno Domini M. D. XXIX. & rursum in Norimbergensi conuentu Anno M. D. XXXII, exhibita iam Confessione Augustana, tentata quidem rursum, sed improbata fuit aliarum Ecclesiarum proscriptio. An verò nunc à tam paucis ritè factum fuerit, quod toties omnibus displicuit, quum iidem simus qui tum eramus, & eædem adhuc rationes valeāt? Et qua deinceps exceptione aduersus Pōtificiorum Synodos vtemur, si alii alios eo ipso modo damnemus, quem in communibus aduersariis meritò reprehendimus? Si Lutheri nomen prætexitur, præterquàm quòd illius iudicium priuatū est, cur nihili fit Philippi & Buceri auctoritas, qui certè, si Lutheri asperitatem probassent, vel eos pro hæreticis, blasphemis, & impiis habuissent, quos isti nunc Quindecim viri (quorum vix nomina in Ecclesiis nota sunt) viuos & mortuos condamnant, nunquam cum Bulingero, Caluino, Martyre, amicitiam ad extremum vsque coluissent. Imò quis ignorat Philippū in postremo Vvormatiensi colloquio Anno Domini M.D. L V I I, summa contentione

hoc ipsum quod hi iam ex comparato, nemine videlicet repugnante perfecerũt, impediuisse? Et habet hæc ætas scilicet illis summis viris vel sapiẽtiores, vel doctiores, vel meliores Ecclesiarum gubernatores? Atque ne hæc veluti in se dicta interpretetur ipsius Celsitudo, tantum abest vt de ipsius voluntate in hac ipsa controuersia componenda dubitemus, vt cõtrà nullius magis Principis cognitionem hac de re requiramus: ipsámque adeò imprimis precemur, vt quod & ipsius priuatim & omnium Christianarum Ecclesiarum maximè interest, Quindecim viros istos idonea siqua tandem dabitur ratione sistat coram legitimo Ecclesiastico iudicio suarũ condemnationum rationẽ reddituros, adfuturis etiam Deo fauente, nobis, & nisi causam nostram ex omni iure diuino & humano probauerimus, iustas etiam pœnas subituris.

Accusamur ergo simúlque damnamur furoris, vt vocant, Sacramentarii: quo nomine nisi qui nos damnant abuterentur, commiseratione certè potius quàm pœna digni essemus. Sed quoniam isti hoc etiam vocabulo, quod ipsis potius bilis quàm ratio suggessit, abutuntur, agè perinde hoc accipiamus, acsi duntaxat summæ nos improbitatis ac malitiæ damnarent. Aiunt enim eos esse nos qui Christianas omnes Ecclesias, Academias, Scholas, integra denique regna turbauerimus, vastauerimus, incenderimus, denique omni lethali damno affecerimus. Agnoscimus veteres & rancidas illas calumnias, non ipsis modò Prophetis & Apostolis, ac deinceps fidis tum Confessoribus, tum Martyribus, sed Christo etiam ipsi obiectas. Quia tamen excipi potest, vt falso hæc in illos dicta sint, in nos tamen verè dici, quæso, quas tot atrocissimorum criminũ probationes adferunt? Notum est hoc, inquiunt, omnibus: sic enim illi condemnatoriam suam sententiam inchoant. Sic olim etiam Scribæ Pilato, Nisi hic esset malefactor, non tradidissemus eum tibi. Cedò verò, támne vecordes omnes adhuc fuerint, vt de tantis nostris iniuriis nullæ Academiæ, Scholæ, Ciuitates adhuc conquestæ sint? Imò omnes, inquient. Vnam ergo aliquam proferant. Rogentur omnes Papisticæ, Respondebunt vno ore, quamuis nos priuatim oderint, omnium calamitatum suarum auctorem esse non Zuinglium, non OEcolampadiũ, non Caluinum, non Martyrem, non Bulingerum, non Bezam, sed vnum illum (haud meritò tamen) vnum, inquam, Lutherum, vt qui non alio quàm Lutheranorum nomine omnes, quos vocant, hæreticos nuncuparint, donec ab his nostris aduersariis Zuinglianorum & Caluinistarum nomina discerent. Nec verò hoc nostris istis damnatoribus acerbum videri debet, quum non ita pridem Selneccerus Caluinismo, quem appellat, non Christianismum, sed Lutheranismum opposuerit. Ex cæteris autem Academiis quæ à Romano Pontifice, optimo iure defecerunt, quænam tandem nos communi iudicio, non dico damnauit, sed accusauit? Lugent nunc certè, lugent duo illi Saxoniæ oculi, Vvittebergà & Lypsia, quarum gemitus hinc vsque exaudimus, testantium & à quibus in hunc luctum coniectæ sint, & quorum opera sit effectum vt deserta nunc pulpita cernantur, quos denique doctores & magistros sibi ereptos querantur. Neque verò quum hoc dicimus, cuiusquam priuati causam in nos recipimus, sed hoc vnum testamur, minimè nos vereri, ne si iure agantur omnia, eorum testimonio cadamus, quos isti à nobis tanto affectos damno clamitant. Proferunt autem aliud etiam testimonium, graues videlicet pœnas diuinas velut è vestigio in iis locis sequutas, in quibus, vt inquiunt, Sacramentarius iste furor obtinuit. Istud verò cuiusmodi tandem est? Etenim si hoc valet vt vbicunque Satan turbas excitat, ibi quoque falsa doctrina obtinuisse videatur, quid supererit, nisi vt omnes quoque Prophetæ Apostoli, & Martyres nobiscum damnentur? Excitatum est ciuile bellum in Heluetia. Num verò idcirco quòd Consubstantiationem, an verò potius quòd omnem Papismum ciuitates illæ repellerent? Rogentur qui Papismum eo bello defenderunt, & palàm respondebunt etiamsi Lutheri sententiam vrbes illæ sequutæ fuissent, non minus tamen sese acres illis aduersarios fuisse futuros. Exortum est in Gallia ciuile bellum. Rogentur istius belli faces, cur ipsorum hortatu bellum hoc tam sæuum & diuturnum cœperit. Respondebunt quod res ipsa indicat, quamuis in Pisiaceno conuentu Augustanam Confessionem quasi ἔριδος μῆλον (& quidem frustrà Dei beneficio) proiecerint, & postea Brentio sint adulati, se tamen non minus vnos quàm alteros perditos cupiuisse. Exarsit quoque Belgica ciuilibus certaminibus, quibus adhuc vexatur. Rogentur Hispani num hoc faciant in Lutheranorum gratiam. Respondebunt, si verum volent fateri, Missam à se & Pontificem contra omnes secus sentientes propugnari. Et, vt hoc negent, bonus ille vir Flaccius cum sua factione, quamuis cum Papistis sese adiunxisset, ab Hispanis tamen pariter expulsus, vel inuitus id probabit. Quòd si altius nobis conscendendum est, nempe ad Diuini ipsius iudicii coniecturas, prius de nostræ doctrinæ falsitate constet necesse est, quàm meritò censeri possit Deus Optimus Maximus tot populis propterea tam grauiter succensuisse. Et hoc nobis videmur posse affirmare, de quo etiam constare iis omnibus arbitramur, qui penè innumerabilium iis temporibus in Hispania, Gallia, Belgica, Anglia, Italia denique constantissimè mortuorum pro Christi nomine Martyrum historiam legerint, eam Spiritus diuini vim in illorum verè perscriptis confessionibus tum piissimis, tum etiam eruditissimis elucere, vt quicunque hoc non animaduertant, omni potiùs diuini Spiritus lumine orbati videantur: & crudelitatis extremæ notam effugere nõ possint, qui tam fortibus Christi Martyribus etiam mortuis detrahere non verentur. Quid si verò coniecturis vicissim nobis liberet indulgere? An deessent quæ toti vicissim Germaniæ, & quidem priuatim Saxoniæ, ipsique adeò Vvittebergæ & Lipsiæ obiiceremus? Sed absint hæc à nobis, qui potius has Ecclesiarum cruces inter ipsarum decora numerare didicimus.

Hæc igitur illorum criminatio est. Nam cætera quantumuis grauia, quæ in illa sua præfatione recensent,

recensent, etsi ad nos quoque pertinent, quia tamen priuatos quosdam respiciunt, quorum sortem sic commiseramur, vt tamen non satis compertæ nobis ipsorum causæ patrocinium minimè susceperimus, prætermittere maluimus, quàm ad viuum resecare. Et quoniā arbitramur huius causæ cardinem in eo præcipuè versari, vt quæratur pia an impia sit nostra de Cœna Domini doctrina, agedum ad rem ipsam veniamus.

Seruabimus autem hunc ordinem, vt primùm ad errores respondeamus, iis in hoc Quindecim virali iudicio attributos, quos singulari quodam, at certè parum Christiano artificio, communi nomine Sacramentarios appellant, quasi videlicet communes inter nos istos errores habeamus. De hac tamen callidè in nos subornata calumnia vt liquidò constet, collocabimus primo loco portentosa ista deliria, quibus respondere nos minimè necesse est, quum ea nobis Dei beneficio ne in mentem quidem vnquam venerint. Nempe,

ERROR I.

Quòd panis & vinum nihil amplius sint quàm signa professionis aut indicia quædam, vt ex eorum fruitione Christiani sese inuicem cognoscant, & ad fraternam dilectionem & concordiam inuitentur.

ERROR II.

Quòd Christus quando hæc verba dixit, Hoc est corpus meū: non ad porrectum panē, sed retrò ad corpus suum respexit: Accipite & edite panem, meum corpus hic sedet. Ita Carolostadius scurriliter lusit.

ERROR V.

Quòd hæc tota oratio, Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum, ita intelligi debeat, Est creatura Dei, & hoc modo Christi corpus, sicut alia omnes creatura Dei corpus sunt, secundum Campani fanaticum errorem.

ERROR VI.

Quòd verba Christi ita construi debeant, Accipite, Edite, meum corpus est hoc, scilicet spiritualis animæ cibus, secundum rabiosum Schwenckfeldy commentum.

RESPONSIO.

Respondemus, nos iam respondisse, nihil omnino ista ad nos pertinere. Iam ad alia capita accedamus, quæ partim agnoscimus fuisse bona fide ex nostrorum scriptis deprompta, partim verò siue imperitia, siue prauo affectu id factum sit, vel detruncata, vel in alienum sensum detorta sunt. Cuiusmodi est III. hic error quem vocant.

ERROR III.

Quòd vocula EST *idem significat, ac si scriptum esset, Panis significat corpus meum: ita Zuinglius, aiūt, insanit.*

RESPONSIO.

Respondeat hîc pro nobis Sacramentorum omnium communis natura, quòd videlicet terrenæ res significandis cœlestibus ex Domini mandato adhibeantur. Ex quo consequitur, vel panem illum, & illud vinum, non esse Sacramenta, vel idcirco esse Sacramenta, quòd res cœlestes, id est corpus & sanguinem Domini nobis significent. Quiuis igitur hîc iudex esto, insanieritne Zuinglius, quum verbum EST per *significat* interpretaretur: an potius non satis sapiant Quindecim viri, qui quum negare non possint panem & vinum esse Sacramenta, id est signa corporis & sanguinis Domini, tamen pro insano & impio eum habent, qui hæc Christi verba de pane sanctificato, HOC EST CORPVS MEVM, idem valere dicat, atque *Hic panis significat corpus meum.* Quid multis? Si insanit quisquis panem illum & vinum illud dicit Christi corpus & sanguinem significare, insanierit Dionysius, quem nemo in hac quidem controuersia, tanquam errantem notauit. Eius autem hæc verba sunt, Visibilia sacramenta sunt rerum inuisibilium & „ intelligibilium quas significant, imagines. Item, Panis sanctus & calix benedictionis sacræ sunt „ symbola & venerabilia signa, per quæ Christus signatur, & sumitur. Insanierit Tertullianus „ quum diceret Christum dedisse figuram corporis sui. Insanierit Hieronymus scribens Christum „ per hæc verba, HOC EST CORPVS MEVM, veritatem corporis sui repræsentasse. „ Insanierit Ambrosius scribens verba Christi, Hoc est corpus meum, idem valere, quod veri cor- „ poris sacramentum esse, quia post consecrationem, corpus Christi verè significatur. Et alibi, „ Carnem, inquit, & sanguinem Domini quæ pro nobis oblata sunt, in edendo & potādo signifi- „ camus. Item alibi, In Dominicæ Cœnæ ritu & actione, carnis & sanguinis Christi similitudinē accipimus. Insanierit Augustinus infinitis penè locis inculcans panem dici corpus, quia signum sit corporis. Omitto Græcos Theologos, qui ἀντίτυπα & σύμβολα panem & vinū passim appellāt. At enim inquiunt qui nos damnant, non dicunt illi signa esse absentis corporis. De hoc verò mox videbimus. Sed interea hoc efficitur, hanc enuntiationem verissimam esse, *Hic panis significat corpus Christi*, & diuersas prorsus esse quæstiones, *An panis significet corpus*, &, *An significato hæc sit præsentis vel absentis corporis.* Quod discrimen si damnatores nostri non obseruarunt, iudicarunt de re sibi incomperta. Sin verò obseruarunt quidem, sed astutè dissimulatum, viderint quam conscientiam ad rem tantam dirimendam, tótque damnandas in vno Zuinglio Ecclesias attulerint. Sed hîc rursum fortassis excipient, non conuenire tamen huic loco istam interpretationem. Ostendant igitur ex quo Scripturæ loco, si non ex ipsis institutionis Cœnæ verbis colligatur, Panem esse Sacramentum, id est signum esse corporis, siue corpus significare. Nam istæ enuntiationes omnes, *Panis iste est Sacramentaliter corpus*, siue *Est Sacramentum corporis*, siue *Significat corpus*, verbis quidem diuersis concipiuntur, sed vnam eandémque per omnia sententiam exprimunt eámque tam veram & Christianam, quàm contraria falsa est prorsus, & sacramēta ma-

Ee.iiii.

gis conuellit, quàm Transsubstantiationis dogma, vtpote quod accidentia saltem pro signis ponit. Contrà verò, si panis quidem substantia manet, sed insanit quisquis panem dicit significare corpus Christi, quod tandem sacramentum, siue signum corporis in Cœna Domini habebimus?

ERROR IIII.

Quòd hac verba MEVM CORPVS, non aliud significant quàm signum & figuram absentis corporis. Hæc erat OEcolampadij sententia, aiunt, *& nullum monentis prætextus.*

RESPONSIO.

Imò non neganda, sed distinguenda fuit absentiæ vox: qua si notetur loci distantia (corpus autem Christi quum verum sit quantumuis glorificatum, vbicunque est, est vt in loco) minimè nos pudet eius sententiæ, cuius autores cum Christo Angelos & Euangelistas habemus, de ipsius secundùm corpus à nobis vero discessu, nec ante vlimum illum diem futuro reditu testificantes: ipsúmque adeò Petrum & Paulum, testes omni exceptione maiores. Quòd si ad veteris Ecclesiæ testimonia deueniendum est, testatur Cyrillus disertis verbis, nullum ambigere Christum præsentia carnis abesse. Et ne per præsentiam carnis, quisquam cauilletur significari carnalem modum præsentiæ, qui inuisibili & ineffabili, reali tamen nescio cuius præsentiæ modo opponatur, idem alibi, Corpore, inquit, absens Christus, sedet & interpellat apud Patrem, qui spiritu, (id est secundùm Deitatem & efficaciam) in sanctis habitat. Item, Quum, inquit, Spiritum immitteret Apostolis, non potuit cum eis carne conuersari, vt qui ad Patrem ascendisset. Quid verò Vigilius ille Eutychiani dogmatis oppugnator, idémque fidelis Christi martyr? Dei Filius, inquit, humanitate sna recessit à nobis, qui secundùm diuinitatē dixit, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Itē, Quando caro fuit in terris, nō fuit in cælis: & nunc quia in cœlo est, non est vtique io terra, quum è cœlo ventura speretur. Quid Augustinus? Abiit per id quod Homo, & vno in loco erat: mansit per id quod Deus, & vbique erat. Item, Quia secundùm carnem ascendit in cœlum, non est hîc, & ibi non autem hîc sedet ad dexteram Maiestatis. Item, Dominus sese corpore absentauit ab omni Ecclesia, & ascendit in cœlum, vt fides ædificetur. Quid Fulgentius? Christus secundùm bumanam substantiam abfuit cœlo quum esset in terra, & dereliquit terram quum ascoderet in cœlum. Item, Ascendit in cœlum, quia verus & localis homo, sicut adest fidelibus, quia immensus & verus est Deus. Et sunt hæc quidem à nostris cum aliis similibus testimoniis millies citata, nūc autem idcirco repetita, vt omnes norint, quo iure pro hæreticis damnentur, qui Christi corpus, siue Christum secundùm carnem, à terris nūc re ipsa abesse dicunt, nec inde prius reuersurum, testantibus Angelis, quàm redeat viuos & mortuos iudicaturus. Sin verò eo sensu dicatur Christus abesse, vt quooiam in cœlis est noo in terris, idcirco in sacra Dommi Cœna neque adsit, neque præbeatur, oeque percipiatur, magna sit optimo & doctissimo viro, sanctæque memoriæ Doctori Io. OEcolampadio, nobísque adeò omnibus iniuria, qui corpus illud ipsum quod in cœlis est non in terris, non minus tamen verè, ac etiam multò efficacius ex Domini institutione, fidei manu & ore percipiendum præberi credimus, quàm verè externa illa symbola oculis cernuntur, manu tanguntur, ore denique corporis percipiuntur. Nec aliam fuisse vel esse nostrorum senteotiā ex ipsis Zuinglii sancti Christi martyris verbis mox ostendemus.

ERROR VII.

Quòd panis & vinum nihil amplius quàm significatio, similitudo, & repræsentatio corporis & sanguinis Christi sint, hoc est omnium beneficiorum merito Christi partorum: & istud quidem hoc intellectu, Sicut panis & vinum nostri corporis vitam confortat & sustentat, ita corpus & sanguinem Christi ac beneficia & merita his parta, esse vnicum spiritualem animæ nostræ cibum ac nutrimentum secundùm Caluini, Bezæ, Bulingeri, Martyris, Heidelbergensium, & qui horum coniurati sunt opinionem, quam etiam in libris innumerabilibus longè latéque spargunt, & cum multis blasphemijs vsque ad hodiernum diem propugnant. Quod videlicet panis & vinum nihil amplius sint, quàm tessera, signum, pignus, aut memoriale absentis Christi corporis quod à nobis discesserit, & aliquando ad nos rediturum sit. Et esse tantùm hoc modo panē corpus Christi, sicut memoriale est illud ipsum, de cuius memoria admonere nos debet. Hæc est suprà nominatorum Sacramentariorum fides.

RESPONSIO.

Putida quoque est hæc calumnia, & millies à nostris refutata. Itaque coram Deo & Angelis, & vniuerso mundo testamur, Christi verbis innitentes, pro re cœlesti per panem illum & vinum illud in Cœna Domini significata, statui à nobis, non ipsa duntaxat Christi merita, aut eius ἐνεργίας, sed illud ipsummet corpus pro nobis traditum, & illum ipsum sanguinem pro nobis effusum. Sunt autem rursum hæ duæ quæstiones diuersæ, *Quid nobis in Cœna per panem & vinum significetur, & fide percipiēdum detur,* & *Quorsum, siue in quem finem nobis Christus ipsemet illic detur, & à credentibus percipiatur.* Et ad priorem quidem quæstionem respondemus, Christum ipsum totum, ac maximè secundùm carnem quæ nunc io cœlis est, & qua frater noster est, nobis verè in Cœna per illa Symbola sigoificari, & nobis per fidem spiritualiter percipiendum, ac fruendum tradi. De posteriore verò interrogati, dicimus, non huc spectare hanc communicationem, vt corporis Christi materia cum corporibus nostris cohæreat, (nam ne hoc quidem nobis quidquam prodesset, & quorsum hoc monstrum?) sed vt ipsius participes spirituali ratiooe per fidē facti, quæ ipsius sunt, nostra fiant? & ipsius præterea virtute renouati, tandem cum ipso æterna vita, & animo & corpore perfruamur. Quæ quum ita se babeant, quínam tandem verum esse

potest

potest quod isti Quindecim viri obiicere nobis non desinunt, quum ex ipsa etiam orali, quam vocant, perceptione, nihil amplius quàm hoc ipsum quod dicimus consequi posit? Quod autem de corporalis alimoniæ cum spirituali cibo conuenientia nobis obiiciunt, quasi hoc ipsum nec quidquam aliud per panem & vinum nobis significari censeamus, viderint quoque quo iure in nos dicatur. Aliud enim est Signum, aliud Res significata: aliud denique conuenientia & proportio inter Signum & Rem significatam. Signa sunt, Panis ille, & Vinum illud: res significatæ sunt Corpus illud pro nobis traditū, & Sanguis ille pro nobis effusus, totus denique ipsemet Christus: conuenientia verò multiplex quidem, sed hæc imprimis obseruanda, quòd sicut ex pane & vino naturaliter sumptis in hac mortali vita sustentamur, ita ex ipso Christo, cui per fidem percepto vnimur, dona omnia ad vitam æternam necessaria, ipsum denique æternæ vitæ veluti succum haurimus. Quòd si hęc ita distinguere, est hæreticum esse, agè, doceant nos Quindecim viri quid sit esse Christianum. Nos autem dicimus, calumniari hoc ipsum esse quod agunt.

Error VIII.

Quòd Christus panem ideo vocet suum corpus, & calicem suum sanguinem, Paulus verò Communionem corporis & sanguinis Christi ideo appellet, non solum vt nos eo doceat, sicut panis & vinum hanc corporalem vitam conseruant, ita etiam ipsius crucifixum corpus & effusum sanguinem esse verum cibum & potum animarum nostrarum ad vitam æternam, verùm etiam & quidem multò magis, quòd nos per hæc signa & pignora velit certos facere, quòd tam verè sui corporis & sanguinis per operationem Spiritus S. participes fiamus, quàm verè hæc sancta sigilla ore in sui recordationem accipimus. Ita sonant Catechismus Heidelbergēsis, Declaratio Heidelbergensis, & noua Exegesis, vbi occulti Sacramentarii seipsos produnt, dum sub nomine & vmbra verborum D. Philippi fingunt & alios persuadere conantur hæc duo eadem esse, videlicet, quando D. Philippus dicit, Fruitionem huius Cœnæ in qua verum ipsius corpus & verus sanguis distribuuntur, esse testimonium suæ perpetuæ & æternæ præsentiæ atque operationis in sanctis: & quando ipsi Sacramentadnersarij dicunt, solam fruitionem nudi panis & vini, non autem verum præsens & distributum corpus & sanguinem Christi, esse huius suæ operationis testimonium & pignus. Hæc est istis tēporibus maxime subtilis & acutissima inuersio veritatis in hoc Sacramento, quæ multos homines fascinat. Et sunt sequentia verba eorùmque sensus cum præcedentibus eiusdem valoris: nempe Panem ideo vocari Corpus Christi, propter vsum & officium, nimirum, vt nobis sint sacramentum vel testimonium societatis cum Christo, quod nos scire non possemus, nisi Christus verbis suis additis ita ordinasset, quòd videlicet nos tam verè suo corpore & sanguine pascere velit, quàm verè naturalem panem in Sacra Cœna percipimus. Et hoc iterum secundum Heidelbergensem fanaticam confessionem, quæ extat in libro cui titulus est, Grundlich Bericht.

Responsio.

Heidelbergenses fratres existimamus facilè hanc quoque calumniam tacentibus nobis, depulsuros. Subtiles & argutos esse aiunt, qui non ipsum Christi corpus verum ac præsens distributum, sed fruitionem nudi panis & vini docent esse præsentiæ & operationis Christi in suis sanctis testimonium ac pignus. Atqui nudus panis & nudum vinum ab iis non statuitur, qui panem illum & vinum illud, non veteres naturales, sed vt vera & efficacia sacramenta in Cœna ex Domini instituto considerant. Præterea certè ex illis Heidelbergensis Ecclesiæ scriptis quæ citant, nihil tale, imò contrarium prorsus colligi potuit ac debuit: nempe panem ac vinum adhiberi, non tantùm vt nos admoneant petēdam esse vitam æternam ex Christi corpore crucifixo, & sanguine effuso, sed inprimis præberi nobis vt sigilla, & pignora, quod hoc ipsum corpus, & hic ipse sanguis nobis Spiritus sancti operatione ac virtute ad vitam æternam in illa actione Cœnæ Domini communicentur, siue, in Cœna Domini non ostendi tantùm nobis Christum per illa symbola, veluti in pictura quapiam, sed sicut illa signa non tantùm nobis spectāda præbentur, verumetiam in manus & os sumenda traduntur, ita quoque res per illa significatas, nobis quoque in vitam æternam dari, sed spirituali demum virtute per fidem participandas. Quid igitur amplius isti requirunt? nempe, vt ipsam quoque rem significatam, id est corpus & sanguinem Christi, & oralem eorum manducationem, sacramentum ac signum esse dicamus. Cuius verò rei, nisi fortè sui ipsius, sacramentum? At istud certè tam est absurdum, vt mirum sit cuiquā in mētem venisse, aut à quoquam ex P. Lombardo repeti potuisse. Imò, inquiunt, est huius præsentiæ ac operationis Christi testimonium ac pignus. Imò verò nō testimonium neque signum est, si propriè loquamur, sed est ipsamet causa istorum effectuum. Qua ratione si corpus ipsum Christi, vel eius manducationem libeat Sacramentum siue pignus vocare, manifestus sit paralogismus in his nominibus. Nam hoc modo liceret tot numerare sacramenta, quot bona à Deo recipimus quum tot sint ipsius in nos beneuolentiæ signa, & pignora. Hic autem Sacramētorum nomine intelligimus signa, quæ non ex sui natura, sed ex pacto adhibentur, vt per ea Spiritus sanctus augeat & obsignet in nobis rerum significatarum certitudinem. Eiusmodi sacramentum esse nō potest neque corpus Christi, neque ipsa corporis sumptio, siue fide siue etiam ore id peragi & corpus sumi dicamus, vtpote quæ nihil significent, sed sint illud ipsum quod nobis à Deo confertur.

Error IX.

Quòd omnes & singuli veteres & noui Sacramentarij hunc fanaticum errorem pertinaciter tuentur: Non posse verum intellectum verborum Christi haberi, si nullum tropum, figuram, figuratam significationem, aut nouum intellectum verborum ponamus & recipiamus, aut illa non iudicemus secundùm morem & analogiam Sacramentorum veteris & noui Testamenti (vt ipsi loquuntur) verum secundum clara, euidentia, indubita-

ta verba, quibus Dominus Christus qui ipsa est vita & veritas, hoc Sacramentum instituit, & nobis mandauit. Porrò hoc etiam dicit Exegesis, Non oportere ad verba, sed ad mentem Christi respici, & secundùm illam iudicari. Item, si nuda & clara verba Christi teneamus, id verè esse artolatriam, superstitionem & idololatriam maiorem, quàm esse possunt omnes Pontificia abominationes, &c. Quasi verò possimus Christi sententiam, affectum & voluntatem, & id quod æternus Pater ille nobis annuntiandu mandauit, alibi quàm in ipsius veracissimis, & ab omni fraude remotissimis verbis inuenire, aut aliunde quàm ex Apostolorum & Prophetarum testimonijs accipere, credere, & inde salui fieri. Et quasi os illud veritatis aliter loqueretur, quàm cor ipsum sentiret & affectum esset.

RESPONSIO.

Omittimus conuitia quæ saltem iudices minimè decent, qui sibi tantam damnandi tot homines auctoritatem arrogant, quin potius precamur Filium Dei gehenoam iis comminatũ qui fratrẽ satuũ vocarint, vt ipsis condooet. Calumnias autẽ prætermittere non possumus. Nouum intellectum verborum Christi quum nobis tribuunt, idem faciunt atque communes illi aduersarii nostri, qui nouum Euangelium à nobis introduci quiritantur, quum de vnico illo veteri instaurando laboramus. Vnum saltem eius rei testimonium ex illis penè innumerabilibus quæ toties & ex verbi Dei collatis locis, & ex erudita vetustate protulimus, vnum, inquam, ex media antiquitate testem audiant Augustinum his verbis, vt ipsi non ignorant, nos instruentem, quo sensu res significata de signo, & quidem in hoc ipso Eucharistiæ Sacramento, prædicetur: ne fortè excipiat aliquis istam metonymiam quam Sacramentalem vocamus, in aliis quidem Sacramentis veterum, ac etiam in Baptismo locum habere, in hoc verò non item. Sic igitur Augustinus, sicut toties citauimus: Si Sacramẽnta quandam similitudinem earum rerum quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sic secundùm quendam modum, Sacramentũ corporis Christi (panis ille videlicet) corpus Christi est: sacramẽtum sanguinis Christi (calix ille nimirum) sanguis Christi est. Hic igitur ille est nouus noster intellectus, hic noster furor. Altera calumnia cuiusmodi tãdem est? Ait, inquiunt, Exegesis, (liber quidem nouus, sed veteris orthodoxæque doctrinæ plenus) Non oportere ad verba, sed ad mentem Christi respici, & ex illis iudicari. Magnum certè piaculum, dicere verba quibus vtatur Christus, nõ esse propria natiuáque significatione accipienda, sed ex eius rei de qua loquitur natura, siue ex loquentis consilio & instituto esse intelligenda. Quid ergo? dicerẽne audebunt nostri Quindecim viri, quæcunque à Christo dicũtur, sic dici, vt absque vllo tropo, id est, absque vllo verborum à propria natiuáque significatione deflexu, accipienda sint eius verba? Puderet, opinor, hoc illos asseuerare, quũ omne troporum genus passim in sacris etiam scriptis obseruetur. Quum igitur in illum Exegesis locum non aliter debacchantur, quàm si scriptor ille sic iuberet aliunde quàm ex ipsius Christi verbis peti voluntatis ipsius declarationem, & aliter loquutum esse Christum diceret, quàm animo intus senserit (quæ summa esset blasphemia & impietas) quid aliud agunt, quàm quod ii iudices solent, qui quoquomodo litem suam faciunt? Nec enim τὸ ῥητὸν excludit, sed duntaxat interpretatur, qui τοῦ ῥητοῦ διάνοιαν scrutatur. Quòd autem in eadem illa Exegesi dicitur, si simpliciter accipiantur Christi verba, consequi necessariò Transsubstantiationis delirium, & reliquas idololatriæ species, necesse est fateantur verè dici, aut ostendant quomodo disparata, Panis videlicet & Corpus, itémque calix & sanguis, mutuò, propriè, & sine tropo prædicentur, & qua ratione non sit adorandum, quod tamen est propriè Filii Dei corpus. Quid plura? si per pronomẽ Hoc, voluit tum signum, id est, panem, tum etiam rem significatam (sit præsens an absens nunc non quæritur) complexim declarari, non sine tropo postea totum id dicetur esse duntaxat res significata, id est corpus, & ad indiuidui vagi commentum veniendum erit, vt sit propositio identica. Sin verò per id pronomen volunt demonstrari tantùm panem, sed cum eo tamen contentum corpus intelligi: tum sanè fuerit necessariò constituenda Synecdoche, vsitata quidem illa, sed tamen tropus, quod manifestè etiam ac ingenuè Brentius agnouit. Deinde nunquam elabentur quin τὸ ποτήριον in altera institutionis parte fateri cogantur sine Metonymiæ tropo intelligi pro contento vino non posse. Omitto flaccidas illas ineptias, idem valere τοῦτο, Hoc, atque simplex demonstrans aduerbium ἰδοὺ, Ecce. Et nos scilicet subtilibus argutiis hæc mysteria transformamus, aut etiam subuertimus, nouíque fœderis tabulas corrumpimus? Quòd si quærenda est necessariò διάνοια, quid verè & appositè dici præter hoc vnum potuit, Quæ de Sacramentis dicuntur secundùm sacramentalem significationem exponi oportere? Et tamen hæc illa est intoleranda profanatio, blasphemia, impietas: hic ille Sacramentarius furor, cuius ratione simus infra ipsos quoque inferos deturbandi.

ERROR X.

Quòd omnes contendunt corpore & sanguine Christi non posse nos aliter quàm per veram fidem spiritualiter frui. Itaque etiam hac in Cœna ipsum solo spirituali modo secundùm fidei naturam edi & bibi oportere.

RESPONSIO.

Si per corpus Christi intelligitur ipsius Corporis signum (quo loquendi genere dicitur à veteribus Christi corpus confici, in os intrare, in terram cadere, atque etiam consumi) nemo nostrûm est qui corpus Christi oegarit ea esse natura quæ possit oculis videri, manu tangi, ore comedi. Sin verò de ipsius veri corporis commuoicatione agitur, tum sanè cum Augustino, aut potius cum ipsa veritate sentimus translatitiè accipiendas voces Comedendi

& Bi-

& Bibendi, vtpote quæ quum corporis sint actiones, ad animum tamen transferãtur, ne facinus, vt inquit ille, videatur præcipi. Et cum eodem idoneo teste, quòd cibus iste non sit ventris, sed mentis, istam perceptionem verè tuemur ac defendimus, non corporis, sed solius mentis, & fidei instrumentis peragi, idq; ex sancti Spiritus virtute & omnipotentia.

ERROR XI.

Quòd fingunt, se non facere ex Cœna nudum & vacuum signum, neque se Christum ex Cœna sua excludere, sed (quemadmodum dolosè & fraudulenter loqui solent) se firmiter credere in Cœna non solùm beneficia & merita Christi, sed etiam carnem & sanguinem ipsius verè à se manducari & bibi: interim nihilominus fingunt, & contendunt omnes vehementissimè & rabiosissimè, verum & substantiale corpus Christi tam procul abesse à Cœna, quàm est cœlum à terra.

RESPONSIO.

Imò testis est Dominus nos nihil per simulationem scribere aut loqui. Ista verò nostrorum istorum iudicum collectio, vacua esse signa Cœnæ Domini, si corpus & sanguis tam procul ab illis abesse dicantur, quàm cœlum abest à terra, (quoniam videlicet res significatæ nunc sunt in cœlis, ipsa verò illorum signa in terris) crassæ potius imaginationis figmẽto nititur: quasi nimirum non possint credentes verè fieri per fidem ex institutione Domini efficacem, corporis & sanguinis Domini participes, nisi eo ipso loco vbi sunt signa, res etiam illæ significatæ statuantur: quum tamen patres hanc eandem escam comedisse, & hunc eundem potum bibisse, etiam si nondum in rerum natura reipsa extarent, meritò dicantur, siquidem extra Filium Dei & quidem Mediatorem, ac proinde in vtraque natura consideratum, nullus vnquam fuit seruatus. Amplexa est igitur verè patrum fides nasciturum etiam Christum, quoniam fides est *vocans* rerum quæ nondum existunt. Quanto magis ergo nos eadem fide præditi, natam iam carnem, quamuis non iam in terris, sed in cœlis positam, spiritualiter quidem, sed verissimè tamen & efficacissimè amplectimur, quam nobis signa in terris ex instituto Domini quasi ob oculos ipsos sistunt? Et quæso, num ideo vacuum est Baptismi signum, quoniam, vel ipsis testibus Quindecim viris, Christi sanguis reipsa cum aqua Baptismi eodem loco non sistitur? Sed illa longè manifestissima calumnia est, quam nobis tribuũt: quòd corpus à Cœna Domini excludamus: quasi videlicet panis & Cœna, id est, id quod in illa actione sensibus externis præbetur, idem sit atque ipsa actio, quæ sicut terrena & physica est quod ad signorum sumptionem attinet, ita etiam merè cœlestis, spiritualis, mystica est, si res significatas respiciamus. Atqui nec ab ipsis quidem signis panis & vini disiungimus corpus & sanguinem, nisi quod ad locorum distantiam attinet. Ab ipsa verò Cœna minimè per nos excludi Dominum cuius Cœna est, agè, ex ipsis D. Zuinglii disertis & perspicuis verbis diiudicetur, quem illi faciunt nostrarum blasphemiarum autorẽ. Sic igitur ille totidem verbis ante annos amplius XL. iam tum hanc ipsam calumniam refutans, Nos, inquit, credimus atque confitemur, Christum in Cœna verè præsentem esse. Imò credimus Cœ- «
nam Domini non esse in qua Christus non sit præsens. Et mox. Verum Christi corpus credimus «
in Cœna sacramentaliter, (id est, vt sacra symbola testificãtur) & spiritaliter, (id est, spiritali mo- «
do & per fidem, ac Spiritus S. omnipotentia) edi à religiosa, fideli & sancta mente. Hæc ille. Ita- «
que & de nostra sententia, & de nostrorum iudicum calumnia liquere arbitramur.

ERROR XII.

Quòd communio corporis & sanguinis Christi de qua Paulus loquitur, de sola spirituali vnione cum Christo & ipsius corpore mystico, hoc est Christiana Ecclesia quæ Christi corpus appellari solet, intelligẽda est. Nec vllo modo credendum quòd Paulus de publica distributione corporis & sanguinis Christi In, cum, vel sub pane & vino secundum ordinationem Christi, & ipsius propriam & disertam declarationem loquatur.

RESPONSIO.

Alia est membrorum cum capite quàm membrorum inter se sub eodem capite coniunctio, quum illa sit istius origo & vinculum: vtriusque tamen modum spiritualem & mysticum esse defendimus. Sic enim Cyrillus inquit, cap. 26. lib. 11. in Ioan. Nos vna eadémque prorsus ra- «
tione & cum illo & inter nos vnum fieri corpus. Atqui sic corporali vnione, inquit, inter nos «
coniungimur, vt tamen vnusquisque seorsim subsistat & circunscribatur. Nam etiam si Petrus «
& Paulus vnum sint vnitate cum Christo, Petrus tamen, Paulus non est. Neque enim, vt ipse Hilarius Arianis concedit, *vel refundi homines in Deum*, Christum videlicet, *possunt, vel ipsi inter se in vnum aceruum coire.* Et, vt rectè scribit Cyprianus, oralem istam perceptionem rei significatæ ex professo iugulans, *non corporali sed spirituali vnione*, (id est, non corporali modo vnionis) *Christo vnimur, & corpus ipsius efficimur.* Et Augustinus, *Quemadmodum*, inquit, *Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus* Et alibi, *Christus caput nostrum sursum est, & nos deorsum. Et tamen ille nobiscum hic est, & nos sursum in illo sumus. Est autẽ ille in nobis hic, quando ipsius templum sumus & nos in illo, quando ipsius membra efficimur. Denique,* inquit Cyrillus, *postquam Christus in cœlos ascendit in nobis est per Spiritum.* Mera igitur calumnia est quod nobis impingunt, quòd videlicet per corpus Christi in Cœna, Ecclesiam intelligamus, Et altera calumnia est, quòd per spiritualem vnionem intelligamus solius Spiritus Christi participationem: quum spiritualem ideo vocemus, non quòd solum spiritum illius, sed quòd non corporali, verùm spirituali modo & ratione, (id est, per sancti Spiritus virtutem, qui quantouis interuallo dissita nouit copulare (& per fidem) quæ verbum Dei efficaciter apprehendit) totum Christum, quamuis carne nunc in cœlis duntaxat positum, participemus.

Error XIII.

Quòd hæ voces, In, cum, & sub pane & vino datur nobis corpus & sanguis Christi, secundùm verba & eorum significationem & intellectum aliud sibi velint quàm hæc Christi oratio: Accipite, Edite, Hoc est corpus meum, &c. Et quòd hac ratione à vero intellectu verborum Cœnæ, de quibus in harum terrarum Ecclesiis tanta præconia facta sunt, nimis longè discedatur: imò etiam perniciosior idololatria hac ratione confirmetur quàm vnquam fuerint abominationes papisticæ. Ita liber ille Heidelbergensis Bericht, & Exegesis planè venenatas blasphemias spargunt.

Responsio.

Non ignoramus veteres, vt veritatem ostenderent Sacramentorum, id est, Deum verè dare credentibus, id quod per externa signa sensibus externis proponitur, voces istas In, cum, & sub, vsurpare. Neque vereremur illis vti, nisi eorum præcipitia cautos nos redderēt, qui perinde voces illas acceperunt, acsi res significatæ, eo ipso loco adesse dicerentur, in quo signa illarum sunt, ac distribuuntur. Quo dogmate & veritas corporis Christi, & verus ipsius à nobis secūdùm corpus discessus euertuntur, & Sacramentorum vsus peruertitur.

Error XIIII.

Quòd Dominus Christus suum corpus & sanguinem in Cœna non solùm dare & promittere noluerit, sed etiamsi voluisset non tamen potuerit. Ratio, quia non potuit plura promittere & recipere quàm conditio & proprietas assumptæ humanæ naturæ patitur & promittit. Quod perinde est acsi istam blasphemiam recitarent, diuinam potentiam & sapientiam non posse longius efferri, aut plura operari, & ad plura extendere sese, quàm nostri oculi, sensus & ratio corporaliter & naturaliter videre, iudicare & pronunciare possunt. Hanc blasphemiam docet Beza & plurimi eius coniurati complices.

Responsio.

Si blasphemus est Beza, quòd dixerit, nec velle, nec facere posse Christum vt vnum idémque verum suum corpus, vno eodémque momento sit reipsa in terris simul & in cœlo, sit etiam blasphemus Cyrillus, vt qui disertis verbis scripserit, *Christum quum Spiritum immitteret Apostolis, non potuisse cum eis carne conuersari, vt qui ad Patrem ascendisset.* Blasphema quoque fuerit hæc Vigilii consecutio, *Quia caro Christi in cælo est, non esse vtique in terra,* Nam si vtrunque verum esse potest, ineptè fuerit Vigilius argumentatus. Blasphemus quoque fuerit August. scribens, *Omne corpus, ipsiúsque adeò glorificati Christi necessariò* (necessarium autem est quod aliter se habere non potest) *locum spatium occupare, quem sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum.* At enim, inquiunt, blasphemus est Beza, quum dicit Christum non posse plura promittere & recipere, quàm conditio & proprietas assumptæ humanæ naturæ patitur, & promittit. Imò vt omnia Bezæ scripta examinentur, nusquam scripsisse vel sensisse tale quippiam comperietur. Et quod in nostris Ecclesiis docetur Christi videlicet & credentium vnionem, qua fiat vt illam ipsam carnem quæ in cælis est & permanet, nos in terris positi verè participemus, omnem ipsorum etiam Angelorum captum superare, an non satis ostendit plura etiam nos Christi omnipotentiæ tribuere, quàm eos qui veram Christi *naturam* aboleri putant, nisi realis illa præsentia cum pane in terris, & oralis illa ipsiusmet corporis manducatio statuatur? Plura autem non esse tribuēda ipsi Christi carni, quàm ferat ipsius naturæ humanæ veritas in æternum permanens, vltro se dixisse & sensisse Beza confitetur. Et quia declarauit Christus se veram ac proinde circunscriptam nostram naturam, etiam post glorificationem retinuisse, ac in æternum retenturum: idcirco etiam docet Beza fieri non posse, vt hæc natura circunscripta manens, sit simul in cælis & in terra: quoniam contradictoria velle & posse mentiri, mutuò se consequuntur. Negare autem Deum posse mentiri, non est omnipotentiam adimere, quia mentiri posse non est potentiæ, sed imbecillitatis. Num enim alioqui Bezam isti existimant ita esse amentem, vt Deum promittere & præstare neget, quod rebus omnibus creatis sit impossibile? Sed posse Deum promittere aut recipere, quod testetur se factum nolle: id verò pernegat. Impudens est ergo altera calumnia, quod Beza omnipotentiam Dei viribus humanorum sensuum metiatur. Quis enim ita est stolidus, vt immensam Dei potentiam esse inficietur? Sed ex eo minimè consequitur quod isti volunt, posse Deum à seipso dissidere, siue hoc facere, quod ipse factum nolit. Sed age, respondeat pro nobis velut ex professo Theodoretus Dialog. 3. aduersus Eutychianos scribens, eodem prorsus omnipotentiæ Dei argumento diuinam naturam humanis perpessionibus subiicientes, quo nunc vtuntur, qui humanam naturam proprietate Deitatis induunt. Sic ergo apud illum *Eranistes & Orthodoxus* colloquuntur. *Er.* Nihil nō potest qui omnia potest Deus. *Orth.* Et peccare ergo potest, qui omnia potest Deus, vt tu quidem definis. *Er.* Nullo modo. *Orth.* Quare? *Er.* Quoniam nō vult. *Orth.* Qua de causa autem non vult? *Er.* Quoniam ab eius natura alienum est peccare, &c. Disputationis autem huius ea conclusio est, Dominum Deum nihil velle eorum quæ non sibi suapte natura insunt. Posse autem quæcunque vult, sed ea demum velle quæ sunt suæ naturæ apta & conuenientia. Sic igitur liceat etiam Bezæ concludere, *Mentiri & contradictoria velle,* mutuò se consequuntur. Contradictoria autem sunt, *Finitum ac circunscriptum esse, & Infinitum ac incircunscriptum esse.* Christus ergo quum mentiri non possit, contradictoria ne velle quidem potest. Ergo qui vult naturam suam humanam esse circunscriptam, ne velle quidem potest, nedum re ipsa facere, vt sit incircunscripta. Ex hoc autem aliud quoque consequitur, nempe ne hoc quidem Christum velle aut posse facere, vt vno eodémque momento sit tota eius natura pluribus locis, aut alicubi non localiter. Quoniam *Circunscriptum esse & Non nisi localiter alicubi, vnoq́ tantùm loco totum eodē momento esse posse,* necessariò & immutabili ordine sese consequuntur: adeò vt sit hoc certū Christianæ

næ Theologiæ axioma, Ne Deitatem quidem effugituram esse circunscriptionẽ, ac proinde vbique totã non futuram, si quantitate prædita esset. Denique si pluribus simul locis tota vno momẽto esse humana natura quantũvis glorificata, & Deitati hypostaticè vnita posset, iã proprietate sua spoliaretur deitas, quia quod ipsi proprium & incõmunicabile est, fieret cõmunicabile: Humanitas denique vel simul finita & infinita esset, vel in Deitatem transiens, Humanitas esse desineret. Nõ tollit igitur Dei omnipotentiã Beza, sed vt illius prætextu falsum dogma statuatur de reali corporis Christi in terris simul & in cœlis præsentia, quo veritas eidẽ corpori necessariò adimitur, ac proinde nostra salus euertitur, id verò pati non potest.

ERROR XV.

Quòd verba Christi non plus dicant quàm quod Christus suo corpore & suo sanguine nos cibare & potare velit: hinc verò nullo modo istud effici, quòd Christi corpus & sanguis vere & substantialiter hic debeant præsentia esse, distribui, & accipi. secundum quidem Bezæ phantasticam sententiam.

RESPONSIO.

Negat quidem Beza totam illam corporis & sanguinis Christi præsentiam ac distributionem realem In, sub, vel cum pane, itémque oralem illam perceptionẽ, vt articulis fidei ex diametro repugnantem, atque adeò tanquam (etiamsi vera esse daretur) inutilem, & à fine propter quem instituta sunt Sacramenta dissidentem: Sacramentalem autem præsentiam, id est qua fit vt propositis ex Christi mandato signis, res illæ ita significentur, vt verè quoque intellectui mentique fidelium offerantur per fidem spiritualiter ad vitam æternam percipiendæ, absit vt vnquam inficiatus esse deprehendatur.

ERROR XVI.

Quòd contra scripturam sit & contra articulum fidei de veritate humanæ naturæ in Christo, quam peccato excepto nobis similem assumpsit, & contra articulum de Ascensione in cælos & exaltatione Christi ad dexteram Dei: perinde quasi esset aut etiam esse posset Scriptura & verbum Dei sibi repugnans: aut quasi oporteat sine contradictione in Dei verbo, & in sapientia diuina & omnipotentia id esse contrarium aut suæ potentiæ impossibile quod nostris oculis, sensibus & intellectui impossibile & in seipso contrarium apparet, aut quasi iam tum demonstratum esset cùm sacramentarij dicunt, Christus ascendit in cælum, vel, Christi corpus est in cælo. Igitur non est in Cœna. Nam quia vtraque propositio extat in sacra Scriptura, itaque Lutherus prouocauit omnes Sacramentarios vt dicerent & monstrarent ἀντιλογίαν & repugnantiam. Ergo adhuc in hunc vsque diem eadem totius controuersia in hoc vertitur quod sacramentarij monstrare & euincere debent, quomodo hoc in verbo Dei contrarium & impossibile sit. Quia non est impossibile apud Deum omne verbũ, Luc. 1. Omnia quæ Deus loquitur & promittit, ea potest præstare. Rom. 4.

RESPONSIO.

De omnipotẽtia paulò antè respõdimus. Quot verò testimoniis cõstat verã esse ac circũscriptam Christi carnem (vtpote quæ non sit Deitas) tot quoque testimoniis conuellitur ea Christi verborũ interpretatio, quæ stare nõ potest cũ circũscriptione: quia pluribus simul locis totũ esse & circumscriptum esse, ex diametro pugnant. Item quot testimoniis declaratur Christus secundùm carnem nunc à nobis abesse, totidem quoque locis refellitur dogma quo ponitur realiter in terris adesse: quoniã Adesse & Abesse necessariò sunt contradictoria. Neque verò quũ sic loquimur & sentimus, corpus Christi imbecillæ huius naturæ legib⁹ subiicimus, quibus illũ solutum iam esse confitemur, sed illas demum naturæ humanæ leges intelligimus, quæ adeò sunt vero corpori essentiales, vt iis sublatis, res id esse desinat quod erat. Huiusmodi autem est omnis veri corporis hæc cõditio, vt nõ possit nõ esse locale, & vno semper spatio vbicunq; fuerit circũscribi. Omnis, inquã, veri corporis sine vlla exceptione hæc cõditio est. Ideo Augustinus de ipso corpore Christi glorificato loquẽs, Tolle, inquit, spatia corporibus, & nusquã erũt. Et quia nusquã, ergo nec erũt. Itẽ, Deus totus in cælo & in terra simul est, quod nulla creatura potest. Itẽ, Omne corpus, ipsiúsque adeò glorificati Christi NECESSARIO loci spatiũ occupat, quẽ sic implet, vt in nulla eius parte sit totũ. Item, Christus vbiq; est tãquã Deus, & in loco est propter veri corporis modũ. Item, Immortalitas Christi corpori data est, naturæ autem non est ablata. Itẽ Athanasius, Eum locum deseruit in quo erat, vt in alium locũ veniret vbi non erat. Ex ascẽsione verò Christi in cælum necessariò colligi absentiã eius à terris sic probat idẽ Augustinus, Quia secundùm carnẽ, inquit, ascẽdit in cęlũ, nõ est hîc. Similiter Vigilius, Dei Filius humanitate sua recessit à nobis, qui secũdũ diuinitatẽ dixit, Ego vobiscũ sum vsq; ad cõsummationẽ seculi. Itẽ, Quãdo caro fuit in terra, nõ fuit in cælo: & nunc quia in cælo est, nõ est vtiq; in terra. Et Fulgẽtius, Christus homo localis secũdùm humanã substantiã abfuit à cælo cùm esset in terra, & dereliquit terrã quũ ascẽderet in cælũ. Audiamus deniq; Vigiliũ sic loquentẽ, vt hęc esse merè cõtradictoria, proindéq; eidẽ subiecto carnis Christi, quantũuis glorificatæ, attribui nõ posse, penitus cõstet fuisse veteri & orthodoxæ Ecclesiæ persuasum. Aut Verbũ, inquit, cũ carne sua loco cõtinetur, aut caro cũ Verbo Vbiq; est, quandoquidẽ vna natura cõtrariũ quid & diuersum nõ recipit in seipsa. Diuersum est autẽ & lõgè dissimile, circunscribi in loco, & Vbique esse. Et quia Verbũ Vbique est, caro autẽ eius Vbique nõ est (ergo nec pluribus simul locis, eiusdẽ enim est virtutis pluribus & omnibus simul locis esse) apparet vnũ eundémq; Christũ vtriusq; esse naturę, & esse quidẽ vbique secũdùm naturã diuinitatis suæ, & LOCO CONTINERI secũdùm naturã humanitatis suę. Hoc verò nõ est philosophari, sed verbũ Dei [illegible] falsásq; locorũ in speciẽ cõtrariorũ cõciliationes ad articulorũ fidei analogiã & normã exigere, sicut etiã faciũt patres (quorũ vestigia sequimur) quũ hęc duo loca, Me nõ sẽper habebitis, &, Ero vobiscũ vsq; ad cõsũmationẽ

ſeculi,non ad vnam naturam,vt iſti,neque ad realem aliquam præſentiam in Sacram… ad diuerſas naturas,inſeparabiles tamen,referunt.

ERROR XVII.

Quòd omnes ſacramentarij de aſcenſione & exaltatione Chriſti ad dexteram Patris, plœ è pueriliter & phantaſtice extra verbum Dei, & ſine illo loquuntur, & fabulantur, quaſi corpus Chriſti in cælo concluſum & detentum ſit in vaſto quodam certo loco (ſicut hirundo qua cauernula, aut ciconia ſuo nido inſidet, & hoc localiter concluſa & retenta manet, aut ſicut ſtellæ cælo affixæ ſunt, &c.) Et quòd ad confirmationem huius puerilis fictionis multa præclara & plena conſolationis dicta Scriptura violenter ab iis & horribiliter detorquentur, trahuntur, & excarnificantur, vt illam ſententiam vel ſtabiliant, aut ad minimum aliquo fuco & colore exornent.

RESPONSIO.

Imò videãt noſtri iudices,an nõ potiùs cauillentur quũ id quod dicimus.*Chriſti videlicet corpus nunc cælo capi,ſiue cælo cõtineri, nec alibi nunc eſſe quàm in cælo,* perinde accipiunt,ac ſi quopiam cęleſtium illarũ ſediũ puncto Chriſtum veluti carcere includeremus: quẽ tamen nemo dixerit carcere fuiſſe concluſum,ne tũ quidem quum in terris verſaretur.Itaque futilior eſt hæc calumnia,quàm vt refutatione indigeat.Circunſcribi quidem nunc & ita contineri cælo Chriſti corpus,vt alibi non ſit,paſsim ex Dei verbo docent veteres Theologi,hancque fidẽ catholicã eſſe clamant:quorum teſtimonio alibi millies,& rurſum paulo antè protulimus. Imò idem hoc ipſum,vt & nos facimus,nõ tantùm ex Aſcenſione in cælos, verũ etiã ex ipſa ad dexteram Patris ſeſsione colligunt,quos tamen pueriliter quoque nugari, vix noſtri iſti iudices nobis perſuaſerint.Sic enim Cyrillus,Corpore abſens ſedet & interpellat apud Patrẽ.Itẽ,Non potuit cum Apoſtolis carne conuerſari,vt qui ad Patrem aſcendiſſet.Et Vigilius,Quia in cœlo eſt,nõ eſt vtique in terra.Et Auguſtinus,Quia ſecundùm carnẽ aſcendit in cælum, non eſt hîc:& IBI, nõ autem HIC,ſedet ad dexterã maieſtatis.Et Fulgentius,Aſcendit in cælum,quia verus eſt & localis homo,& terram localiter deſeruit,quia ad cælum aſcendit,& in dexteris Dei ſedet. Quid verò ipſe Philippus, in Epiſt.ad Coloſſenſes? ASCENDIT CORPORALI ET PHYSICA LOCATIONE IN COELVM,ideſt in locum cæleſtẽ vbicunque eſt,quia non ſunt hîc fingendæ allegorię.Aſcẽſio fuit viſibilis & corporalis,& ita ſemper ſcripſit tota antiquitas,Chriſtũ corporali locatione in aliquo loco,nẽpe cæleſti,eſſe vbicunq; vult.Et aſcẽſio corporalis facta eſt surſum.Quid quod Heshuſius ipſe duriùs etiã loquitur?Nã,inquit,neceſſe eſt fateri,corpus in cælo certo ſpatio CONCLVDI.Num vero etiam Philippus & Heshuſius pueriliter iſtis nugantur?

ERROR XVIII.

Quòd ſacramentalis ſiue oralis fruitio prorſus non ſit neceſſaria,ſed ſit Capernaitica & Cyclopica creophagia,quemadmodum horribiliter & ſcelerate omnes illi ſcriptores hanc blaſphemiam euomuerunt: & quidem præcipuè ille hoc tempore ipſorum magiſter de altis ſenſibus BEZA in omnibus ſuis ſcriptis.

RESPONSIO.

Sacramentalem ſumptionẽ nemo vnquã noſtrûm inficiatus eſt. Imò vbique ac præſertim in Heluetica Cõfeſsione à mere ſpirituali eò diſtinguitur,quòd in hac quidem nudũ verbũ ſiue ſignum audibile nobis proponatur,in illa vero ſigna etiã viſibilia verbo adiungantur: ídque non fruſtrà:quoniã quò plura ſunt externa obiecta fidei noſtræ,eò efficacius illam agere, ac proinde nos Chriſto eò arctiùs quaſi incorporari oportet:cuius alioqui vtriuſq; illius perceptionis ſcopus ac finis eſt Chriſti cõmunicatio.Oralem autẽ illam rerũ ſignificatarũ ſumptionẽ fatetur Beza ſe prorſus neſcire,quòd ſublimitatis iſtius arcana non teneat,qua fiat vt verũ corpus realiter, & tamẽ illocaliter,infinitis ſimul locis totũ eſſe,ſimúlque adeſſe & abeſſe, circunſcriptũ & non circunſcriptũ eſſe,corpus denique eſſe & corpus nõ eſſe,id eſt,mendaciũ eſſe,poſsit ſiue in Dei, ſiue in naturæ ſchola.Addit etiã Beza hanc manducationẽ oralẽ,etiam ſi vera eſſet, inutilẽ fore, quoniã quod ore ſumitur vitã æternam non cõciliat,ſed ideo ſumitur vt corpus nutriat: neque vita æterna à corpore trãſit ad animã,ſed à mente fideli cõmunicatur corpori: neque à nobis in verbo Dei Chriſtus corporis inſtrumẽto,ſed ſola fide dicitur apprehendi,vt merito dixerit Auguſtinus,Quid os paras & dentes?cibus hic non ventris eſt,ſed mentis, idque de hoc ipſo myſterio diſſerẽs.Et alibi externã iſtã carnis manducationẽ oralem vſque adeò ſentiat ab his ipſis myſteriis alienã eſſe,vt etiam ſcelus appellet,quod Dominus præcipere nunquam potuerit.

ERROR XIX.

Quòd ſacramentalem vnionem talem ſolummodo & non aliam ponant & declarent,per quã externa ſigna (primum propter ordinem & inſtitutionem Dei & analogiam quæ eſt inter ſignum & veritatem: deinde propter obſignationem gratiæ Dei quæ in vſu Sacramentorum ſit: denique quia veri Christiani in legitimo vſu quum externo modo iſta ſacra ſigna accipiunt ſimul etiam per vim & operationem Spiritus ſancti, promiſſa veritatis reipſa & verè participes efficiantur) illud ipſum ſint quod ſecundum conſuetudinẽ ſacramentorum nominentur, &c. Aliy rem breuiùs ita complectuntur Sacramentalem vnionẽ nihil eſſe amplius quàm ſimilitudinẽ inter ſignũ & rẽ ſignatã: hoc eſt quod externũ ſignũ ſpiritualiũ bonorũ ſimilitudo, ſignificatio, & figuratio ſit: quo quidẽ dogmate contradicunt huic noſtrarum Eccleſiarum doctrina & ſententia, vbi fatemur ſacramentalem vnionem eſſe hoc ipſum quod nobis cum pane & vino verè præſens diſtribuatur, & ad comedendum & bibendum porrigatur, & detur verum corpus & ſanguis Chriſti: & quòd ita obſignatio, certificatio, & confirmatio noſtra fides fiat, non ſolùm per nudum panẽ & vinũ, ſed etiã per ea de quibus diximus, verè præſentia & præſenter nobis oblata dona corporis & ſanguinis Chriſti, &c. omnia iſta & ſimilia quæ numero carent ſophiſtica fallacia, demonſtrãt & teſtantur euidentiſſimè, quòd Sacramẽtary, & vnà cũ ipſis Exegeſis,

egesis, non possunt pati vt externa, terrenáque symbola panis & vini nominentur signa exhibitiua veri corporis & sanguinis Christi, sed tantum signa significatiua, aut si rem quam optime & astutissime tegere volunt, signa testificatiua, vel memoralia, hoc est tantummodo testimonia & memoralia spiritualium æternorum bonorum & beneficiorum Christi.

RESPONSIO.

Vnionis nomen impropriè pro Coniunctione vsurpatur in hoc argumēto. Siquidem vix reperiri potest vlla vnionis species qua dici posit Signa & Res significatas in vnum quiddã coalescere. Interea minimè inficiamur dici posse ac etiã debere, signa & res significatas hactenus Dei promittentis respectu, vsque adeò cõiungi, copulari, connecti, vt nunquam Deus (qui verax est) signum offerat sensui, quin rem quoque significatam intellectui præbeat. Sed duplex hic error admittitur: vnus est eorum qui hanc cõiunctionem putant esse absolutam quandã & essentialem copulationem rerum cum signis, in eodem subiecto & loco: quum tamen hæc coniunctio tota sit relationis, & significationis ex pacto, sicut modò diximus. Hinc autē nascitur alter error multiplex, multorúmque monstrorũ ferax. Nam si vera esset illa vnio absoluta & essentialis, eodem subiecto & loco, efficeretur certè & ore vtrunque sumi, & non tantùm à dignis & indignis, verum etiam à quibusuis animantibus signum accipientibus rem quoque sic cum signo vnitam accipi: infinita denique falsa, impia, absurda, necessariò consequerentur. In quibus vitandis difficultatibus frustrà sese torqueant necesse est, quicunque realem illam & substantialem vnionem pro Sacramentali, id est vera quidem, sed relatiua duntaxat ex pacto cõiunctione statuunt. Quod autem discrimen inter Exhibitiua & Significatiua Sacramēta statuitur, à Scholasticis ortum est, qui propterea quòd existimarunt eum veterum ante natum Christum Sacramentis non potuisse reipsa præstari quod nondum in rerum natura extabat, idcirco illis tantùm significatam fuisse, non autem exhibitam escam illam spiritualem, Christum videlicet, tradiderunt. Et certè aliquod in hac re discrimen constituendum est, sed eiusmodi tamen vt cum Augustino sentiendum sit, patrum & nostra Sacramenta sicut signis differunt, ita etiam re paria fuisse. Sed quum hoc discrimen in nos torquetur, perinde ac si in nostris Sacramentis diceremus Christi corpus & sanguinem nobis duntaxat veluti in pictura quadam ostendi & significari, non autem etiã à Deo præberi spiritualiter per fidem percipienda, magna fit nobis iniuria, qui ex Paulo, per Dei gratiam, didicerimus, Panem hunc quem frãgimus, & Poculum hoc cui benedicimus, sic esse signa, vt sint etiam corporis & sanguinis Domini *κοινωνία*. Postremò & illud adiicimus, repudiandum esse quòd Sacramenta ipsa sint rerum quas significant exhibitiua. Non enim res significatas exhibēt ipsa symbola, sed Deus vnus ille est qui propositis signis istis, simul credentium animis spiritualiter per fidem apprehendendum præbet, quod illis signis verbo coniũctis significatur. Hoccine verò est Sacramenta euacuare, aut in picturas Inanes transformare?

ERROR XX.

Postremò & pro conclusione habemus pro meris furoribus Sacramētariis, & pro perniciosis & blasphemis irrisionibus & subsannationibus Testamenti à Filio Dei conditi, omnes venenatas & subtiles quæstiunculas quæ sine verbo Dei & extra illud, prætérque omnem necessitatem à Sacramentaduersariis mouentur, acuuntur, & nostræ Christianæ sententiæ velut ex diametro opponuntur. Vt quando Sacramentary, & eorum discipuli quærunt,

1 *Quando & quomodo Christi corpus ad panem vel in panem veniat.*
2 *Quàm propè pani adsit, aut quàm longe ab eo distet.*
3 *Quomodo sub pane occultari possit & abscondi.*
4 *Quandiu duret vnio Sacramentalis.*
5 *Quando corpus Christi iterum à pane recedat.*
6 *An corpus Christi quod ore accipimus, in nostrum corpus & ventriculum traijciatur, & an ibi concoquatur.*
7 *An dentibus conficiatur & comminuatur.*
8 *Sitne viuum corpus vel mortuum, si quidem distinctè corpus sub pane, & sanguinem sub vino accipimus.*
9 *Ad quid tandem ista vera substantialis aut corporalis præsentia veri corporis Christi vtilis sit & proficiat: siquidem de vsu & fructu illius ipsius aliter loqui non possumus, quàm sicut aliâs de vsu & fructu spiritualis præsentiæ sentiendum est.*
10 *Quid tandem operetur Christus in dignis & indignis.*
11 *An corpora fidelium per corpus Christi naturali modo ad immortalitatem immutentur, sicut aliâs cibus naturalis in ventre hominis à natura mutatur.*
12 *Quomodo Papisticæ abominationes de oblatione, circũgestatione, & adoratione panis fundamētaliter refutari possint, si in sententia nostrarum Ecclesiarum constanter maneamus.*
13 *Quare ad Panem In, cum, & sub quo Christi corpus & sanguis nobis porriguntur, & in quo, cum quo, & sub quo ipse Christus præsens est, non liceat dicere ex vero pietatis affectu: Deus miserere mei propter Filium tuum cuius corpus & sanguinem ego de manu sacerdotis verè & essentialiter accipio.*
14 *Cur non liceat dicere ad panem: Domine Iesu, qui hîc verè & corporaliter præsens es, miserere mei.*
15 *Ac si talis veneratio & adoratio panis damnari atque reijci non debet: cur non talem reuerentiam & religionem per quotidianam missificationem, circuitus, & alias Papisticas ceremonias confirmare, augere, & omnibus hominibus commendare, & quàm maximè persuadere licitum sit.*

Omnes istas & alias his similes innumeras voces, opiniones, fundamenta & errores veterum & nouorum Sacramentariorum (quibus firma & immota verba institutionis Christi, & per consequens veram substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi se posse euertere sibi persuadent, aut quibus deinceps etiam conari possent veteres suos conceptos errores nouis glossis ornare, fucare, paliare & pingere) seuerè censemus esse periculosos & perniciosos errores atque furores qui in iis nostris Ecclesiis huc vsque per Dei verbum increpiti sunt & damnati, & quos deinceps etiam propter conseruationem veritatis & consolationis in Testamento Filij Dei nobis tradita damnari oportet atque necesse est.

R E S P O N S I O ad quindecim illa capita.

Nos verò non modò curiosas, inutiles, prophanas omnes in quibusuis fidei articulis quæstiones, ac præsertim in hoc mysterio, quod verè magnum esse testatur Apostolus, abhorremus & execramur: verumetiam omnia illa dogmata, omnésque illas verbi Dei interpretationes, ex quibus positis illa tam absurda consequi in Dei ipsius schola necesse sit. Nam alioqui sapientia carnis nobis quoque stultia est. Videamus autem sigillatim an non ista quæ nostri iudices hîc obseruant, ex illa ipsorum præsentia & manducatione necessariò in Dei schola colligantur: ac proinde nisi ex Dei verbo explicentur, necessariò quoque falsam haberi illarum interpretationem oporteat.

A D. I.

Quando & quomodo Christi corpus ad panem vel in panem veniat. Primùm omnium illud constat, veram esse & semper fuisse ac futuram naturam humanam quam Filius Dei in perpetuam personalem vnitatẽ assumpsit. Constat & illud, verba Eundi, Veniendi, Ascendendi, Descendendi, propria physicáque significatione dici de natura humana Christi, tum ante resurrectionem, tum in ipsa ascensionis historia, tum etiam post summam glorificationem, quum ventura etiam de cœlis credatur. Constat & illud, Agi de vera illius ipsius carnis præsentia & communicatione in Cœnę Domini mysterio. Liquet etiam Panem illum, & illud vinum, nõ nasci sed fieri Sacramenta, ac proinde aliquod dandum esse initium istius mutationis, qua fiat vt corpus & sanguis (posito dogmate Consubstantiationis) incipiant realiter esse In, sub, vel cum illo pane, & vino, vt fiant Sacramẽta. Constat, inquam, de istis omnibus, non ex Philosphicæ ratiocinationis principiis, sed ex ipso Dei verbo. Habet igitur hęc quęstio fundamentũ in Dei verbo, in quo nulla sunt contradictoria, imò cohærentia & cõsentanea omnia. Illa igitur interpretatione verborũ Cœnæ concessa quæ ponit realẽ in terris In, vel sub, vel cũ pane præsentiã humanæ Christi naturæ, ostendatur necesse est istius consubstantiationis aliquod esse initiũ, & aliquẽ finem: aut dicendum erit, Christi carnem ibi esse incipere quò nunquam venerit, ibíque desinere esse vnde nunquam abierit, id est falsum esse Dei verbum de vera Christi carne, & eius naturæ conueniẽtibus necessariis attributis: aut meritò concludetur, falsam esse eam interpretationem, ex qua tot falsa consequantur. Loquor autem de necessariis attributis, cuiusmodi sunt localitas & mutatio loci in physico quantumuis glorificato ipsius Christi corpore. Nam *Subitò dispparere, Super aquas ambulare*, cæteráque eiusmodi, veritatem corporeæ substantiæ non tollunt: neque etiam *Per corpus solidum penetrare*, quia sunt duntaxat *παραφυσικὰ* & *ὑπερφυσικὰ*. Sed *Pluribus locis simul esse totum*, & *Ibi esse quò non veneris, vndéque abesse vnde non abieris, verum corpus esse denique, & localiter non esse visibilis*, omnia hæc sunt verè *ἀντιφυσικὰ*, vníque Deitati quadrant. Falsa igitur ea verborum Cœnæ interpretatio, ex qua illa consequuntur, non minus quàm impiũ est huic errori ex aduerso correspondens anthropomorphitarum dogma.

A D II.

Quàm propè pani adsit corpus, aut quàm longè ab eo distet. Hanc quæstionem omnibus modis curiosam esse agnoscimus, nec à quoquam nostrûm motam arbitramur.

V D III.

Quomodo sub pane corpus occultari possit & abscondi. Imò qui in Consubstantiationis dogma inquirunt, non hoc quærunt, sed hoc potius, *Euaseritne corpus Christi illocale & inuisibile*, illud, inquam, corpus quod verum esse & in cœlum verè recessisse, nec prius inde venturum ipsemet testatur, quàm veniat ipse iudicaturus viuos & mortuos: & à quo peregrè nunc nos abesse testatur Apostolus, emigrare desiderans vt cum ipso esse posit. An verò potius habendum est pro erroneo dogma, ex quo contrariæ verbo Dei enuntiationes consequuntur?

A D IIII. E T V.

Quandiu duret vnio Sacramentalis. Quando Christi corpus iterum à pane recedat. Quid hoc verò rei est? Annon illi ipsi nostri iudices hoc definiunt, quum dicunt, & verè quidem, quæ fuerant Sacramenta, extra vsum desinere esse Sacramenta? Alioqui cur non in Antichristi castra transimus?

A D VI. E T VII.

An corpus Christi quod ore accipimus in nostrum corpus traiiciatur & ibi concoquatur.
An dentibus conficiatur & comminuatur.

Quæstiones istas nõ nos mouimus, sed transsubstantiatores, vt satis cõstat. Illis igitur nõ nobis hæc tribuenda fuerint. Hoc tamen certũ est, absurda ista nõ minus necessariò ex reali Consubstãtiatione quàm ex Transsubstantiatione cõsequi: quod quũ Metusiastę animaduerterẽt, in eo certè videntur æquiores quàm nostri iudices fuisse, quòd illos nodos dissoluere (quanuis id frustrà) studuerunt. At nostris iudicibus sunt blasphemi, furiosi, & impii, quicunque ad ar-

ad articulorum fidei, id est ad veritatis corporis Christi, Ascensionis in cœlos, & aliorum verbi Dei locorũ normam exigunt ipsorum interpretationes. Sed illud etiam magis mirandum est, damnari ab ipsis posse vt furiosos, qui quæstiones moueant quas ipsimet in suis scriptis definiunt. Legant enim ipsi suorum scripta, & ibi scriptum inuenient, *hoc duntaxat discrimen apud illos constitui inter suam illam oralem manducationem, & eam quam Capernaitis tribuunt, quod isti existimarint frustulatim edi & comminui Christi carnem: ipsi verò censeant solidam ore tamen comedi.* Nihil hîc affingimus. Hæc à suis doctoribus & voce & scriptis doceri nõ possunt inficiari, quin prolatis locis redarguantur. Quid plura? Sic scribit Lutherus, *Vtinam omnes Papæ tam Christiane egissent atque Nicolaus Papa cum Berengario.* Quid autem scribit bonus ille Papa? *Verum Christi corpus sensualiter & non tantum Sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri:* Cedò igitur quomodo à nostris iudicibus damnatur tanquam curiosum & prophanum, in quo tam expressè conuenit Luthero & Papæ Nicolao?

A. D. VIII.

Sitne viuum corpus vel mortuum, siquidem distinctè corpus sub pane & sanguinem sub vino accipimus.

Nos verò aliter hanc quæstionem, eámque ex ipsorum dogmate necessariò exorientem concipimus. Dicimus enim quod ipsa rei euidentia demonstrat, Si valet illa realis consubstantiatio, & simpliciter absque vlla vel minima interpretatione seruandum est in illis Cœnæ verbis consequi sicut signa sunt reipsa non tantum distincta; verumetiam locorum interuallo dissita, sic etiam seorsim corpus exangue, & sanguinem absque corpore, oris instrumento sumi, donec alicubi rursum coeant. Exhorrescunt isti ad eiusmodi quæsita. At cur non potius exhorrescunt ad illa, quibus positis, illa non in naturæ, sed in ipsa fidei schola consequantur? Nec enim naturæ schola nos docet Christi incarnationem, ascensionem, glorificationem, communicationem, ex quibus veluti ex principiis omnes verè de istis rebus collectiones proficiscuntur.

A. D. IX.

Ad quid tandem ista vera substantialis aut corporalis præsentia veri corporis Christi, vtilis sit ac proficiat: siquidem de vsu & fructu illius ipsius aliter loqui non possumus; quàm sicut dicitur de vsu & fructu spiritualis præsentiæ sentiendum est.

Miram certè nostrorum iudicum ingenia. Damnant, & meritò quidem, curiosas & inutiles quæstiones, sed quænam illæ sint inquiri nolunt. Quæ agendi ratio si in Ecclesia obtineat, quid superetit nisi vt ad fidei implicitæ dogma reuoluantur, ac tandem ne ipsi quidem doctores quid alios doceant intelligant? Hanc tamẽ quæstionẽ illos veluti scopulũ refugere minimè miramur, vtpote quam nunquam expedire possint. Sed illud interea obseruandũ est, non corporalẽ, id est, corporis Christi præsentiam in Cœna, sed corporalẽ ac realẽ præsentiæ modũ In, sub, vel cum pane à nobis negari. Imò in verbo etiam simplici Christum totum in cœlis & non alibi positum secundùm carnem, tamen statui à nobis verè præsentem, etiam in solo verbo per fidem, ad vitam æternam apprehendendum, nedum vt eum à Sacramentorum mysteriis excludamus.

A. D. X.

Quid tandem operetur Christus in dignis & indignis. Deus bone quid audimus? Si quærere non licet quo fructu ad Cœnam Domini accedatur, & vicissim quid ais sit euentutũ qui illam polluerint, quo pacto nos diiudicabimus ne iudicemur? Quid enim aliud est quærere quod in hac quæstione proponitur? Num verò furiosus etiam & Sacramentarius Apostolus ad vtrunque disertè & perspicuè, respondens? Panis ille quem frangimus, inquit, communicatio est
corporis Christi, & poculum cui benedicimus, communicatio est sanguinis Christi, nempe di- "
gnè & sicuti par est accedentibus. Contrà verò, qui indignè, inquit, accedunt, rei sunt corporis "
& sanguinis Domini, & damnationem ipsi sibi edunt ac bibunt. Sed præterea multa sanè [illegible] "
nostris iudicibus in hac quæstione exciderunt. Digni enim impropriè vocantur etiam qui sicu- "
ti par est pœnitentes videlicet & credentes, ad Cœnam Domini accedunt. Nulla enim ne tunc quidem nostra dignitas est. Sed hoc leuiculum est, quoniam commoda interpretatione leniri potest. Istud verò vbi tandem didicerunt, Christum aliquid operari in indignis, id est impœnitentibus, aut infidelibus? Nam Sathan is est demum qui in infidelibus [illegible] Christus autem
non in illis, sed aduersus illos agit, vt qui in solis suis sanctis insit, vt ait Augustinus, per habita- "
tionis gratiam. Hic autem error ex altero promanat, quòd videlicet posita reali Consubstantiatione & orali manducatione, consequatur, fieri non tantùm signorum, sed etiam rerum significatarum, id est corporis & sanguinis Domini participes, quicunque os afferunt, siue dignè siue indignè accedant. Imò (quod horrendum est dictu, & tamen ex hoc dogmate efficitur) idem de quibusuis etiam animantibus statuendum erit, si modò signa realiter consubstantiata deuorarint. Et re vera sanè magis etiam impuri sunt infideles nonnulli, quàm quæuis bestia. At non ita se res habet. Hic enim cibus, etsi tam verè offertur quàm ipsa signa, fidei tamen non corporis ori offertur, mentis videlicet non dentis cibus, signa verò non menti, sed ori præbentur, nisi quatenus mens à signis externis præeunte verbo institutionis diuinæ, admonita, ad res cœlestes fortius & efficacius assurgit. Itaque indignè accedentes non sunt rei corporis & sanguinis Domini, quod ea indignè acceperint (nisi his nominibus

signa duntaxat ipsa intelligamus)sed quòd ea sint aspernati. Stat enim illud, Vitæ fieri participes quicunque Christum in se recipiunt, siquidem à suo Spiritu viuifico separari nequit: neque Christus eorum est iudex à quibus accipitur(vt qui nonnisi fide, ac proinde à solis credentibus accipiatur)sed eorum à quibus per incredulitatem & impœnitentiam repudiatur, quò etiam respiciens Augustinus, inter *Panem Dominum* & *Panem Domini* distinxit. Et quoties tandem ista nobis erunt repetenda?

AD XI.

An corpora fidelium per corpus Christi naturali modo ad immortalitatem immutentur, sicut aliàs cibus naturalis in ventre hominis à natura mutatur? Hoc quidem quærere non modo curiosum, sed etiam absurdum & ineptum est. Sed hoc iudicibus nostris probandum est, ad spiritualem alimoniam, & vitam, quicquam pertinere oralem carnis manducationem.

AD XII. XIII. XIIII. XV.

Quomodo Papistica abominationes de oblatione, circungestatione, & adoratione panis fundamentaliter refutari possint si in sententia nostrarum Ecclesiarum constanter maneamus.

Quare ad panem, In, cum, & sub quo Christi corpus & sanguis nobis porriguntur, & in quo, cumque, & sub quo ipse Christus præsens est, non liceat dicere ex vero pietatis affectu: Deus miserere mei propter Filium tuum, cuius corpus & sanguinem ego de manu sacerdotis verè & essentialiter accipio.

Cur non liceat dicere ad panem: Domine Iesu, qui hic verè & corporaliter præsens es, miserere mei.

At si talis veneratio & adoratio panis damnari atque reijci non debet: cur non talem reuerentiam & religionem per quotidianam missificationem, circuitus, & alias Papisticas ceremonias confirmare, augere & omnibus hominibus commendare & quàm maximè persuadere licitum sit.

Num verò curiosorum est ac non potiùs de salute sua merito solicitorum hominum, quærere an in pane illo & vino illo adorandus sit verè, realiter, ac substantialiter præsens Christus? Hoc quidem nostri iudices negant, sed illa posita Consubstantiatione, non minùs quàm Transsubstantiatione concessa, necessariò sequitur. Illud enim quod dicunt, non esse vsurpandum cultum extra Dei verbum, verè dicitur, sed minimè appositè. Quis enim dixerit Christi adorationẽ esse ἐθελοθρησκείαν? Neque valet hæc exceptio, non iussisse Dominum corpus suum in pane adorari, sed accipi & comedi. Regeretur enim exprimi non oportuisse, quod per se satis intelligatur, nẽpe nunquam accedendum esse ad Christum, præsertim re ipsa præsentem, sine adoratione, vt qui sit Deus. Quid plura? Si furiosi sunt & blasphemi irrisores qui hoc quærunt, & superstitiosi qui Christum in hoc pane adorant, quid fiet ipsi Luthero, qui ipsummet panem adorabilem sensit & scripsit? nisi hoc quoque postea emendauit, quem tamen nostri iudices ἀναμάρτητον faciũt? Hæc enim sunt illius verba in Louaniensibus articulis quos edidit anno Domini 1544. thesi 15. *In Eucharistia sacramento* VENERABILI ET ADORABILI, *est & exhibetur & sumitur verè & reipsa corpus & sanguis Christi tã à dignis quàm indignis.* Et thesi 27. *Hæreticos seriò censemus* (nos ab homine suis affectibus plus satis indulgente ad Deũ prouocamus) *& alienos ab Ecclesia Dei esse Cinglianos, & omnes Sacramentarios qui negant corpus & sanguinem Christi ore carnali sumi in* VENERABILI *Eucharistia.* Excipient fortasse, vt cum Philippo, perspicue adorationem hanc ritè damnãte Lutherum concilient, intelligendum hoc esse de quadam honesta veneratione qua non adoretur ipse panis, sed reuerentiam quandam animi in illa sacra actione testemur. At nos sanè non videmus, si ponatur realis Consubstantiatio, quĩnam nõ peccent qui Christum in illo pane non adorant & inuocant, quicum penè etiam cum hypostaticè vnitũ esse voluit Lutherus, quod probabile non est à Philippo non fuisse animaduersum. Philippus certè si isti tã seueræ Lutheri sententiæ assensus esset, neque(vt antè dictum est)cum Caluino, Bulingero, Martyre amicitiam ad extremum vsque coluisset, neque istiusmodi condemnationibus tum aliàs sæpe, tum verò maximè in Vvormatiensi postremo conuentu anno Christi 1557. constanter obstitisset. Quod autem ad oblationem, & circungestationem, & manifestos eiusmodi idololatricos cultus attinet de illis inter nos nec quæri nec dubitari arbitramur.

AD XVI.

Quæ de cæteris articulis nostræ Christianæ fidei, qui ineptè & imperitè ad certamen istud à Sacramentariis sunt protracti & cum eo commixti, quæ, inquam, de illis sit nostra fides, doctrina & sententia, de eo nos referimus ad totum corpus doctrinæ, & alia probata nostrorum præceptorum & Patrum scripta, etiam aliquot confessiones Dresdæ repetitas & subscriptas. Tandem etiam ad generalia Symbola veteris orthodoxæ Ecclesiæ, vt sunt Symbolum Apostolicum, Nicenum, Athanasianum, Ephesinum, Chalcedonense & alia, in quibus illi articuli contra omnes blasphemias & hæreses plenè sunt declarati, & in certamine contra hostes obtenti.

Quod restat, precamur æternum Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi ex toto pectore, vt ipse harum regionum Ecclesias & omnes earum fideles doctores in vera atque incorrupta doctrina conseruare, & nostros magistratus nósque ipsos à dogmatibus Suermerorum clementer custodire velit. Et precationem ardentissimã summi nostri Pontificis, Ioa. 17. in his vltimis & periculosis tẽporibus efficaciter in tota Christianitate operari sinat, Ah Iesu Christe, Fili Dei viui, qui es via, veritas, & vita, sanctifica & conserua nos in veritate. Sermo tuus est veritas, integros, simplices & rectos perpetuò nos conserua, Amen.

Quum certamen de hypostaticæ vnionis definitione & effectis, ab hominibus minimè ignotis, erroribus ex Nestorianorum & Eutychianorum lacuna repetitis, in Germanicis ecclesiis excitatum, fundamenta Christianæ religionis manifestè cõuellat, multásque iã Ecclesias ac scholas labefactarit: quĩ fit vt de illis quidem blasphemiarum auctoribus altum sit silentium, nos verò

quĩ

qui neque de signis, neque de rebus significatis, neque de significationis sacramentalis veritate, neque de ipsius corporis Christi vera communicatione, neque denique de istius communicationis effectis vel tantillum dissentimus, vt fanatici tamen, prophani, hæretici, blasphemi, impii, Mahumetanis, Iudæis, Pontificiis deteriores, noui Testamenti corruptores publicè proscribamur? Quia scilicet Christianus non est, qui carnis Christi veritatem & eiusdem in cœlum ascensionem pati non posse dicit vt in terris simul & in cœlis, aut in pluribus locis statuatur, vel ore ipso manducetur: totúmq; hoc mysteriũ spirituale esse dicit, & ad alteram vitam pertinere. Corpus certè doctrinæ in Saxonia editum, non realẽ illã præsentiã in pane quã inficiamur, sed præsentiam in Cœna duntaxat vrget, quam minimè tollimus, neq; oralem manducationẽ, sed veram duntaxat manducationẽ cõmemorat, tãtùm abest vt ea pro Christianismi summa aut fundamentis haberi postulet, quæ tamẽ nisi cõcedamus, actum esse de Christiana religione nunc declamitant, qui à Philippo ne tantillũ quidem dissidere videri volunt. Neq; verò Dresdensis conuentus vltimus, aut realis in terris præsentiæ, aut realis manducationis meminit: neque Symbolũ vllum orthodoxum vnquam conditum fuit, quo talia dogmata cõprobentur. Imò cum fidei articulis illa duo cohærere nullo modo posse semper contendimus, & nisi in legitimo Ecclesiarum cœtu hoc ipsum euicerimus, de sentẽtia decedere semper parati fuimus & sumus. Quo iure igitur, quo more, quo exemplo proscribimur? Videat Dominus ad quem prouocamus: expendant omnes pii & moderati principes, omnes religiosi Christianarum ciuitatum gubernatores animaduertant, tuáque imprimis, Illustrissime Princeps Auguste, Celsitudo apud se expendat, quanto piarum infinitarum conscientiarum gemitu, quanto communium hostium gaudio, tantum sit incendium pauculorum flabellis excitatum, & quò tandem res sit euasura tempestiuè omnes considerent. Etiam Domine Iesu Fili Dei, vere Deus & homo, qui nobis testis es iniustissimarum quibus afficimur contumeliarum, adesto nobis: esto veritatis tuæ vindex: serua nos à linguis dolosis, & crudelibus consiliis: moderare populi tui rectoribus: compesce Satanæ rabiem, nec longiùs progredi patere spiritus erroris efficaciam: condona denique iis qui nesciunt quid faciunt, & da tandem nobis vt omnes idem hîc de sancta veritate tua sentiamus, & in cœlis collecti tecum æterna illa fœlicitate perfruamur.

AD BREVEM CONFESSIONEM SIVE PARTEM (QVAM VOCANT) AFFIRMATIVAM

Responsio.

IAM verò ad articulos confessionis de sacra Domini cœna, siue partem (quam vocant) Torgensium actorum affirmatiuam accedimus, vt meliùs etiam qua de re inter nos disceptetur omnes perspiciant.

I.

Primùm docemus credimus & confitemur ex imo cordis nostri, quòd vera præsentia essentialis & veri corporis & sanguinis Christi in sua Cœna (quã nos & omnes Augustanæ Confessionis fideles socij viuentibus adhuc, & postea quã etiam mortui sunt, Luthero, Philippo, Pomerano & ipsorum fidelibus parastatis, contra Pontificatum & omnes Sacramentarios semper docuimus & confessi sumus) super nullum aliud fundamẽtum sit collocanda quàm super firma, immota, clara & vera verba institutionis Domini nostri Iesu Christi: quæ clara & expressa institutionis verba tanquam huius causæ verissimum fundamentum, simpliciter sicut sonant & sicut omnes circunstantiæ institutionis euidenter demonstrant, & non aliter accipienda & declaranda sunt, idque propter hanc causam cui nunquam poterit contradici. quia Euangelistæ ista verba Testamenti Dominici singulari diligentia & fermè iisdem verbis describunt, sine mentione vllius figuræ aut noui & peregrini intellectus verborum. Hunc vnanimem consensum sanctus Apostolus Paulus, sicut ipse eum postremò ab ipso Domino in tertio cœlo acceperat, de verbo ad verbum repetit & stabilit.

Vt autem declarationi Paulinæ ab hostibus veritatis qui sunt Papistæ & Sacramentarij nulla vis inferatur, & sincerus intellectus verborum suorum maneat, cùm inquit, Panis quem frangimus nonne est communicatio corporis Christi? Calix cui benedicimus, annon est communicatio sanguinis Christi? Itaque retinemus vnicam apostolicam declarationem sicut ipse vult intelligi, nempe verba ipsius Domini, Accipite, edite, Hoc est meum corpus: & sicut etiam Lutherus hanc sententiam Pauli, gaudium & coronam cordis sui contra sacramentarios prædicat. ita nos etiam illam amplectimur & vsurpamus contra omnes nouos & veteres sacramentisfarentes qui hoc dicto Pauli conãtur verba Christi, confessionem harum Ecclesiarum & sententiam Lutheri confodere, euertere, & mendacij suspectam reddere.

De auctoritate & veritate verbi diuini minimè inter nos cõtrouertitur, qui omnes Dei beneficio, vni diuino verbo αὐτοπίστῳ penitus standum esse consentimus. Agnoscimus & illud, Dominum Deum nostrũ minimè illusisse hominibus obscura & ænigmatica docendi ratione, quæ aliunde illata luce indigeat, sed ita temperatum fuisse à Spiritu sancto verbum quod sanctis Prophetis & Apostolis dictauit, vt, quemadmodum præclarè docet Augustinus, si quid vno loco dictum est obscuriùs, alterius dilucidioris collatione explicetur. Profitemur & illud, non esse

exigenda diuini verbi arcana ad rationis humanæ normam, sed vbi hæc inter se repugnant, carnis stultitiam subiiciēdam esse Dei sapientiæ, apud quem omnia quæ promittit, possibilia & vera sunt. His principiis positis in quibus prorsus consentire pios arbitramur, hæc quoque postulata nobis concedi petimus:

Vnum, sic inter se cōsentire omnes fidei articulos, vt vnus alteri nullo modo repugnet in Dei schola, id est, posito vero principio ex Dei verbo.

Alterum, non omnes Scripturæ locos esse κατὰ τὸ ῥητὸν exponendos.

Tertium, tropis non semper obscurari, sed interdum etiam illustrari, ac veluti coloribus adhibitis magis perspicuam fieri sententiam, quàm si simpliciter ac nudè quidpiam diceretur.

Quartum, tum ad διάνοιαν esse necessariò refugiendum, quum oratio κατὰ τὸ ῥητὸν intellecta, sententiam parit articulis fidei repugnantem.

Quintum, voces, secundùm id de quo agitur, esse interpretandas.

Sextum, corpus Christi physica mutatione loci excessisse è terris vbi erat, vt supra omnes cœlos, id est extra hunc mundum, in sedes illas æternæ fœlicitati destinatas ascenderet, vbi antea non erat.

Septimum, corpori Christi quantumuis glorificato non ademptam naturam veri corporis, id est corpoream circunscriptionem, sed duntaxat carnis infirmitates, quas ad tempus nostri causa assumpserat, peracto nostræ salutis mysterio, ab eo fuisse abiectas.

Istis cōcessis ac nominatim duobus posterioribus, quæ non ex naturæ, sed ex verbi Dei schola depromimus, dicimus stare non posse dogmata quibus affirmatur,

1 Corpus Christi suæ substantiæ præsentia reali simul esse in cœlis & in terris, & quidem quot locis distribuitur ex Domini institutione panis ille & vinum illud.

2 Corpus Christi esse reipsa præsente sui substantia in aliquo loco (nedum tot simul locis) modo non locali veris corporibus proprio, sed vel modo inuisibili & ineffabili, vel denique, quod alicubi non rectè profectò tuetur Lutherus, modo definitiuo spiritibus proprio.

Ex quibus etiam efficitur stare non posse dogmata quibus dicitur,

1 *Christi corpus reipsa sui substantia præsens adesse in, vel sub, vel cum pane.* Quod autem de corpore dicimus, de sanguine quoque in altero vini symbolo intelligimus.

2 *Christi corpus ipsum manu instrumento sumi, & ore comedi.*

3 *Ipsius corporis Christi fieri participes quotquot illum panem accipiunt.*

1 Primum, quoniam articulis fidei de veritate corporis etiam assumpti & glorificati ex diametro hæc repugnant.

2 Secundo, quoniam quod ore comeditur nihil ad vitam spiritualem & æternam facit, cuius causa instituta sunt hæc mysteria.

3 Tertiò, quoniam humanam carnem propriè & verè ore comedere, siue solidè, siue frustulatim, siue visibiliter siue inuisibiliter id fieri dicas, Christi præceptum non esse, sed cyclopicum scelus cum Augustino etiam ipso credimus.

Neque hinc consequitur nos

1 Testamenti verba negare:

2 Eius perspicuitatem nouis intellectibus ac figmentis obscurare:

3 Nuda symbola æterni Testamenti facere, aut panem illum & vinum illud pro rebus communibus habere:

4 Veram ipsiusmet Christi totius ac præsertim ipsius Corporis & Sanguinis præsentiam in Cœna, ac communicationem tollere.

II.

Secundum hæc tenemus & credimus cordaliter & verissimè, quod in hac Cœna Dominica, in qua ipse verè viuus admodum essentialiter, & quod ad personam attinet, indiuise est præsens cum porrectione & acceptione non transsubstantiati panis & vini, nobis verè & substantialiter, sed inuisibili, insensibili, & imperscrutabili modo, ad manducandum & bibendum datur & à nobis recipitur verum substantiale corpus Filij Dei quod ipse suscepit, & pro nobis semel in trunco crucis obtulit, & verus sanguis ipsius quem pro nobis effudit in remissionem peccatorum. Hæc autem omnia ad istum finem & vsum, vt credentes suæ redemptionis & omnium ipsius beneficiorum fiant participes. Et vt Filius Dei hoc munere testetur quod nos certò recipiat, membra faciat sui corporis, suo sanguine abluat, remissionem peccatorum & Spiritum sanctum donet, ipse in nobis habitare, & perpetuò efficaciter in nobis operari velit.

Hæc eadem credimus & profitemur, si modò *substantialiter* pro ipsomet Christo non autem pro eo modo quo substantiæ rerum externis sensibus comprehenduntur, & quo etiam necesse esset accipi corpus Christi, si reipsa cum pane adesset, accipias: & *insensibilem, ac imperscrutabilem illum modum* non ad præsentiam, sed ad communicationis modum referas, *Manducandi* denique ac *bibendi* voces translatitiè ad os mentis & fidei accommodes, ne facinus, vt monet Augustinus, præcipi videatur. Etenim præsentiæ modum Sacramentalem facilè nobis est intelligere & effari ex Dei verbo, eum videlicet quo res ipsa significata offertur intellectui quidem cognoscenda & approbanda, fidei verò amplectenda & credenti applicanda, sicut verbis Domini adiuncta symbola, externis ipsis sensibus testificantur & renuntiant. At quînam fieri possit vt Christi carnem in cœlis nunc positam nos in terris positi, quamuis spiritualiter, verè tamen per fidem participemus, vt viuificum illum succum inde hauriamus: hoc, inquam, captum nostrum superat: & mysterium illud est quod Apostolus verè magnum esse pronuntiat.

III.

III. IIII. V.

Tertiò, clarè coram Deo & tota Ecclesia testamur nos nulli opinioni sacramentariæ, siue noua sit ea, siue vetus, addictos esse, nec vnquam nobis in mentem venisse vt nos illi addiceremus. Præterea ad vitandas multas inutiles & periculosas disputationes & quæstiones, retinemus constanter & vnanimiter formã & modum de sancta Cœna loquendi, ipsa verba institutionis Domini nostri Iesu Christi, & repetitam declarationem sancti Pauli, quæ in nostro paruo Catechismo sicuti etiam in maiori, & in alijs plenis diexodicis scriptis Lutheri, etiã D. Philippi p. mem. & alijs publicis scriptis vt supra dictum est cõprehensa est, vbi clarè & disertè de his rebus actum est. Confitemur etiam atque credimus, quòd illæ ipsæ magno consilio & iudicio factæ declarationes, de nullo signo aut figura absentis corporis, neque etiam tantùm de spirituali mãducatione, verùm sicut ipsorum quæstiones & responsiones clarè, intelligibiliter & Christianè sonant, de sacramentali aut corporali manducatione veri corporis & sanguinis Christi in Cœna intelligi debeant. Lutherus testatur quòd Cœna Domini sit ipsius verum corpus & verus sanguis sub pane & vino nobis Christianis ad manducãdum & bibendum ab ipso Christo institutis, & quòd Domini corpus & sanguinem tam digni quàm indigni qui accedunt, accipiant. Ipse etiã Philippus in forma doctrinæ & disciplinæ Ecclesiasticæ Vvittebergensi & Meggelburgensi clarè interrogat, Quid in Cœna Domini distribuatur & accipiatur? Respondetúrque disertè & constanter: Verum corpus & sanguis Christi.

Tali doctrina neque docemus neque probamus vllo modo vllam Papisticam Transsubstantiationem: hoc est, quòd virtute dictorum verborum institutionis huius sacramenti, panis & vinum in corpus & sanguinem Christi mutentur, & tantùm nuda externa species panis & vini remaneat. Multo minùs hoc probamus vel docemus, quòd corpus & sanguis Christi localiter in panem & vinum includantur, aut durabiliter, cum his vtantur extra sumptionem: Verùm scimus & fatemur quòd extra institutam distributionẽ & acceptionem, in idololatrica Missa Papistica aut si panis includatur in arculam, vel adorationis causa circungestetur & monstretur, sicut fit in Papatu, Christi corpus non præsens sit, nec præsens esse existimandum sit. Condemnamus omnes illos Papisticos furores & omnia βδελύγματα, sicut huc vsque factum est & adhuc Dei beneficio fit. Neque etiam docemus aut credimus quod hic in Cœna vlla vel ascensio vel descensio de cælo fiat, sicut noster dilectus Pater Lutherus loquitur: sed manemus firmiter & vnanimiter apud articulos fidei: Ascendit in cœlos, sedens ad dexteram Dei, &c. Neque etiam comminiscimur vllam vbiquitatem carnis, neque negamus veritatem corporis Christi aut vllum articulum fidei Christianæ. Neque disputamus de modo præsentiæ, quomodo Christi corpus & sanguis possint adesse: hæc omnia sunt inperuestigabilia, nec ea potest humana ratio quantumuis acuta sit, eruere, sed commendamus hæc diuinæ omnipotentiæ, & simpliciter manemus apud verba Domini, in humili Christiana obedientia fidei: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.

Tenemus itaque secundùm ista, quòd vnione sacramentali, panis sit corpus Christi, & vinũ sanguis Christi. Confitemur etiam atque credimus quòd vbi secundùm mandatum Domini conuenitur, & ipsius institutio seruatur, vt panis & vinum porrigãtur, ibi simul hîc præsens esse & verè porrigi, accipi & ore comedi atque bibi verum & substantiale corpus & sanguinem Christi. Hæc autem omnia propter institutionem, ordinationem, verbum, veritatem, & omnipotentiam nostri veracis & fidelis redemptoris Iesu Christi. Propter quam etiam causam cum veteri orthodoxa Ecclesia Cœnam Domini pro imperscrutabili mysterio habemus, nec possumus aliter facere in tam sublimi negotio, quàm vt fateamur & permaneamus in tam claris & veracibus verbis Domini nostri Iesu Christi quæ sunt nobis & manent lucerna & lumen, Psal. 33. Verba Domini sunt veracia, quæ promittit, ea certè seruat. Luc. 1, Apud Deum non est impossibile vllum verbum. Rom. 4. Quæ Deus promittit ea potest certò præstare. Ephes 3, Deus potest abundantissimè facere & operari suprà quàm possumus intelligere aut petere. Ipse etiã vincit in sue verbo, quum iudicatur, Psal. 51. Et omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, Psal. 135.

Nos quoque opiniones omnes Anabaptistarum, Schuenefeldii, Campani & Carolostadii interpretationẽ pronominis, Hoc, in Cœnæ verbis, pontificiorũ *μετουσίας* & idolomanias, omnium eorum denique commenta totis animis repudiamus, qui ritus Cœnæ substantiales immutant, sacra signa tollunt, aut qui à communibus rebus non distinguunt, qui res significatas aut penitus aut ex parte abolent, qui veram rerum significatarum cum signis coniunctionem, earúmque veram perceptionem negant. Sed vicissim in alteram partem aberrantes minimè sequimur: eos videlicet qui coniunctionem signorum & rerum significatarum inuehunt veritati rerum significatarum ex diametro repugnantem, & perceptionem, quæ tota mentis est ac fidei, ad corporea instrumenta, contra fidei analogiam, & mysteriorum istorum scopum, trahunt. Spiritalis enim perceptionis nomine non eam intelligimus, qua percipiatur sola Christi virtus spiritualis, sed eam, quam sola Spiritus diuini virtus, quanuis interueniente hominum ministerio, & verbo ac signis interpositis, in credentium animis efficit. Itaque corporalem, id est ipsiusmet Christi corporis perceptionem ac *κοινωνίας* minimè tollimus ex Cœna, vt antea ex ipsis Zuinglii verbis ostendimus: sed corporalem (id est, qui corporis instrumentis fiat & substantias permisceat) istius perceptionis modum, ob eas quas diximus causas, planè repudiamus. Lutherum agnoscimus singulare Dei organon fuisse, eíque tantum tribuimus quantum merentur dona in ipsum liberalissimè à Deo Opt. Max. collata: næuos tamen eius, ac præsertim ipsius in hac controuersia sententiam non possumus cum verbo Dei conciliare, ideóque nos eam non complecti minimè dissimulamus. Neque verò nostri ipsi iudices, quicquid scribant, probare possunt illius sententiã per omnia, nisi à seipsis velint dissentire, vt qui imperscrutabilem dicant esse istius præsentiæ Christi modum, & de eo se disputare nolle profiteantur, quem tamen Lutherus apertè alicubi dicit esse definitiuum, id est eum quo spiritus dicuntur locum occupare: inconsideratè id quidẽ (quod tanti viri pace dictum) & ad dogma de Christi corporis in pluribus locis situ mi-

nimè apposité. Constat enim spiritus, id est tum Angelos tum animas nostras, etiam si proprietate substantiæ non corporis mole definiantur, tamen definiri, ac proinde simul pluribus locis existere non magis posse quàm corpora: in quarum disputationum labyrinthos mirum est eos vltrò sese coniicere, qui tamen nobis obiicere consueuerint quòd Theologica philosophicè tractemus. Itaque inde vltrò delabens Lutherus ad hypostaticā vnionem, id est ex Scylla in Charybdin incurrit, & Brentianæ vbiquitatis fundamenta iacit, quam tamen, quod nostri isti iudices tandem aliquando nominatim ausi sint explodere, multum illis gratulamur, modò hac in re perseuerent, vt & de eo quod hūc eundem scopulum sapienter vitantes à suis scholasticis postulant vt pro sacramentalis præsentiæ fundamento, vnica verba institutionis Domini habeant, memores opinor, illius ingenuæ Lutheri de seipso cōfessionis, *Imperiti quidam*, inquit, *omnipotentem ex Christo hominem faciunt, permiscentes duas naturas, atque opera earum. Videmus Scripturam multo dexterius & explicatius de Christo loqui quàm nos soleamus. Pulchrè personam cum natura coniungit, ac rursus naturas nequaquam confundit, vt pauci sint (quod debemus humanis commentis quibus ætatem nostram atteruimus, & ingenium corrupimus) qui id percipiant, vt ipse profitèo persæpe in his & similibus locis errauerim, & naturæ tribuerim quod competit personæ, & contrà.* Hæc ille totidē verbis verè & prorsus orthodoxè, in quibus si perstare illum permisissent nostra peccata, iampridem definita esset hæc controuersia. Nec enim scripsisset, Christi etiā quatenus homo est, plena esse omnia. Quod quidem de toto Christo, siue de Christi persona, id est de Christo vt vno ὑφεστῶτι considerato, verum est contra Nestorium: de toto autem Christi dictum, id est de naturis eius sigillatim consideratis, Eutychianum est. Nam soli naturæ diuinæ in sese competit, naturæ autem humanæ in sese non magis conuenit, quàm id esse quod Deus est. Sic etiam facilè & orthodoxè cōcedemus ex verbis institutionis Domini, ac non aliunde, Christum totum cum illo pane verè adesse, dari, communicari: at non totum Christi, nisi κατ' ἄλλο, quoniā repugnat naturæ humanæ veritas, proprietásque per glorificationem minimè abolita. Viderint itaque nostri iudices quo iure suorum conscientias omnibus Lutheri hac de re scriptis ex diametro in præcipuo huius cōtrouersiæ capite inter se repugnantibus, subscribere cogant.

Ad scripta verò Philippi, ac præsertim ad corpus doctrinæ quod attinet, nō dubitamus & ipsi prouocare, in quo videlicet neque istius In, cum, vel sub pane præsentiæ, si vnicum Augustanæ confessionis articulum excipias, cuius explicationes addit, neque oralis manducationis vlla fit mentio: neque etiam indigni corpus ipsum Christi manducare dicuntur.

Denique in eo quòd existimant totam corporis Christi in his mysteriis communicationem ab eius omnipotentia pendere, qui omnia quæcunque voluit fecit: in eo planè & per omnia consentimus. Sed primùm omnium negamus Deum contradictoria velle aut posse: non quòd sit impotens, sed quia mentiri non potest. qua ratione rectè dicit Tertullianus, *Deo impossibile esse quod non vult*. Cōtradictoria autem ex illa quam ipsi ponunt verborum Cœnæ interpretatione consequi, ac proinde interpretationem illorum niti non posse Dei volūtate vel omnipotentia, sæpe iam à nobis est demonstratum. Deinde & illud dicimus, spiritualem illum præsentiæ & cōmunicationis modum, lōgè euidentius & admirabilius esse diuinæ omnipotentiæ τεκμήριον, quàm realem illam substantiæ corporis In, sub, vel cum pane præsentiam & oralem manducationem. Hæc enim vtraque, quamuis, vt ipsi volunt, inuisibilis, tamen naturalis est: nec sanè eò mirifica Quid enim magis est legibus naturæ consentaneum, quàm vt corporis instrumentis percipi res proximæ & contiguæ, seu visibiles, seu inuisibiles possint?

V I

Habemus etiam pro vtilibus & certis regulis, quòd nihil sit aut esse possit Sacramentum extra vsum institutum. Hoc enim clarum est & manifestum, quòd nulla creatura habeat potestatem Sacramenta cōdendi vel mutandi. Item quòd Dominus Christus in hac Cœna verè præsens sit non propter panem, sed virtute promissionis & institutionis: siue propter hominem, in quo veram fidem, cōsolationē & vitam operari vult per suum verbum & Sacramentum. Sed intelligimus tamen institutum vsum secundùm suprà dictam declarationem verbi Dei: item secundùm Lutheri, Philippi & omnium orthodoxarum Ecclesiarum editam & traditam cōfessionem de mandata distributione, & acceptione siue fruitione vtriusque partis, nimirum rei terrestris quæ sunt panis & vinum, & rei cœlestis quæ sunt corpus & sanguis Domini. Cōfitemur etiam quòd iste ordinatus visibilis vsus discerni debeat ab interiori spirituali vsu, ne Sacramentarij occulto astu, sub vsu spirituali & sub prætextu istarum vtiliū & necessariarū regularū, suum furorem fundamento carentem occultare & tegere possint. Etsi enim hoc verū est, quòd ille spiritualis vsus, videlicet fruitio fidelis corporis & sanguinis Christi ab externo visibili ordinato vsu oralis fruitionis corporis & sanguinis Christi diuelli non debet: imò absque illa spirituali fruitione quæ fidelium est, oralis vel Sacramentalis fruitio sumenti nō solum non prodest, verum etiam valde ipsi est nociua, mortifera, & condemnationem adferens, secundùm S. Pauli sententiā: tamen propriè loquendo aliud est externa actio vel distributio aut acceptio Sacramenti corporis & sanguinis Christi, quam vulgaris regula institutum vsum nominat, aliud verò est fructus vel spiritualis vsurpatio distributarum & acceptarum partium Cœnæ, id est, totius à Christo ordinati Sacramenti. Hic verò propter peruersiones Sacramentariorum istud etiam confiteri & in mentem reuocari oportet, quòd propter hanc regulam non idcirco minus rectè dictū sit quòd Cœna Domini sit vsus in verum & essentiale corpus & sanguis sub pane & vino nobis Christianis ad edendum & bibendum ab ipso Christo instituta, &c. Item, quòd propter hanc regulam non sequatur, panem & vinum esse tantum nuda, inania signa, figuras & significationes absentis corporis & sanguinis Christi, aut quòd cum pane & vino verè & substantialiter verum corpus & verus sanguis Christi in eo non distribuantur aut accipiantur.

Agnoscimus

Agnoſcimus & nos & amplectimur has regulas, *Quòd panis & vinum non habeant rationem Sa-*
cramenti extra vſum ſiue actionem myſteriorum: &, *Quòd non propter panem aut vinum, ſed propter homi-*
nem hæc myſteria inſtituta ſint. Neque vnquam, Dei beneficio, vſque adeò amētes fuimus, vt (quod
nobis falsò tribuitur) diſtributionem ac κοινωνίας ſignorum & rerum ſignificatarum, id eſt corpo-
ris & ſanguinis Domini, confuderimus cum ipſius communicationis effectis: vel Sacramenta à
rebus communibus non diſtinxerimus. Cæterùm quomodo tandem defendi poſsit illa Luthe-
ri definitio non videmus, *Cœnam Domini eſſe verum & ſubſtantiale corpus & ſanguinem Domini ſub*
pane & vino, niſi ipſemet tropum committat, quum maximè videtur τὸ ῥητὸν vrgere. Quum aliud
planè ſit ipſa actio quæ vſitatè Cœna Domini vocatur, aliud verò quod in iſta actione datur, ac
proinde κατὰ τὸ ῥητὸν vnum de altero prædicari non poſsit.

VII.

Retinemus etiam, & pro vtili & vera habemus hanc quoque tertiam regulam, quòd inſtitutio huius Sa-
cramenti per Chriſtum facta ſit efficax, & maneat in Chriſtianitate: & quòd dignitas aut indignitas tam mi-
niſtri porrigētis quàm perſona ſumentis hanc non tollat aut minus efficacem reddat. D. Lutherus hanc regu-
lam ita fundat: Sacramenta tractare & porrigere, vſurpare & accipere, ſicut etiam verbum Dei tractare, præ-
dicare & accipere: hæc, inquam, omnia Chriſtus in ſuum verbum, & non in hominum ſanctitatem conſtituit,
vt eò certiores & ſecuriores de verbo & Sacramētis reddamur. Itaque ſequutis verba ſancti Pauli, Cōfitemur
quòd etiam indignis verè porrigatur verum corpus & ſanguis Chriſti, & quòd illi hæc verè accipiant ibi vbi
Domini inſtitutio & ordinatio ſeruatur, verum ad iudicium, quia ſcilicet illis abutuntur, dum ſine fide &
pœnitentia accipiunt.

Hanc quoque regulam, vt verbo Dei conſentaneam ſemper aſſerimus: *Sacramenta* videlicet
à fide aut incredulitate diſtribuētis miniſtri non pendere. Fatemur quoque plena Sacramēta, id eſt tum
rem externam & terrenā (vt aquā in Baptiſmo, panē illum & vinū illud in cœna Domini) tum
etiam res ſignificatas & cœleſtes ab ipſo Domino qui vnus eſt harum dator (puta ablutionem à
peccatis, & inſitionem in Eccleſiam Dei in Baptiſmo, & in Domini cœna, communicationem
corporis & ſanguinis ipſius, ad noſtram cum Chriſto coalitionem obſignandam) tum dignis
tum indignis verè offerri. Sed quod inde noſtri iudices colligunt, Si accipienda offeruntur qui-
buſuis & ſigna & res ſignificatæ, à quibuſuis etiam vtraque accipi, id verò minimè concedimus.
Nec enim valet hæc conſequutio, Offertur, ergo accipitur. Ratio eſt, quia ſigna quidem externis
corporis inſtrumentis accipiēda offeruntur: res autē ſignificatæ, putà corpus & ſanguis Domini,
vnà cum adiūcto verbo promiſsionis, ſoli intellectui & fidei offeruntur apprehendendæ. Itaque
quum quiuis afferant corporis inſtrumenta, quiuis etiam ſigna percipiunt: indigni verò, quum
intelligentiam non adferant, vel etiamſi intelligentes ſunt, fidei tamē manu & ore non ſint præ-
diti, res ſignificatas, id eſt ipſum corpus & ſanguinem Domini, apprehēdere non magis poſſunt
quàm mortuum cadauer veſci, aut aliquid apprehendere is qui manibus careat, fiunt tamen rei
tum ſanctorū ſignorum, ipſiúſque adeò totius ſacræ actionis, tum etiam imprimis rerum ſigni-
ficatarum (id eſt, ipſius corporis & ſanguinis Domini) nō quas indignè acceperint (à ſolis enim
fidelibus, vti diximus, accipi poſſunt) ſed quòd eas ſibi oblatas contempſerint, ſiue, vt loquitur
Apoſtolus, non diiudicarint.

VIII.

Itaque docemus & confitemur Cœnam duplici modo accipi, ſpiritualiter & ſacramentaliter. Spiritualis
manducatio fit quando nobis in Euangelio beneficia Chriſti offeruntur, quæ ſua carne, ſancta incarnatione,
tota obedientia, ſacrificio, ſanguine, morte & reſurrectione promeruit, vt ſunt remiſſio peccatorum, reconci-
liatio, iuſtitia, Spiritus ſanctus, reſurrectio carnis & vita æterna: quando videlicet illos à Chriſto promeri-
tos theſauros credente corde accipimus, amplectimur & nobis applicamus, nóſque per illa conſolamur in
omnibus difficultatibus & tentationibus: de qua Ioan. 6, Chriſtus loquitur. Et ideo vocatur ſpiritualis, quòd
ſine operatione Spiritus ſancti, & ſine viua & vera fide non poſſit fieri, ſine qua etiam oralis fruitio non ſolùm
nullus fructus eſt, vt ſuprà diximus, ſed etiam mortem & condemnationem adfert. Hanc ſpiritualem fruitio-
nem requirunt verba Chriſti: Hoc eſt corpus meum pro vobis traditum: Hic calix eſt ſanguis Noui teſta-
menti qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Item, Hoc facite in mei recordationem. Verbum
enim illud P R O V O B I S, *requirit mera credentia corda. Eſt verò alia manducatio, quam docendi*
cauſa, Sacramentalem ſiue oralem perceptionem corporis & ſanguinis Chriſti nominauimus, ſicut etiam Lu-
therus, Pomeranus, Eberus, & alij veteres & noui doctores Chriſtianæ Eccleſiæ nominant: vbi videlicet non
ſolùm beneficia Chriſti per verbum nobis oblata fide apprehenduntur & nobis applicātur: Sed etiam verum
corpus & ſanguis Chriſti Domini noſtri per quem nobis parta ſunt æterna illa bona, nobis in Cœna vt noſtra
ſint propria donantur, & cum pane & vino accipiuntur, ad confirmationem, corroborationem & conſeruatio-
nem noſtræ fidei.

Ne in hoc quidem ſpiritualis & ſacramentalis manducationis tradendo diſcrimine inter nos
ſatis cōuenit, propterea quòd realem In, ſub, vel cum pane præſentiam Quindecim viri ſtatuunt,
quam nos ob eas, quas diximus, cauſas repudiamus. Itaque quòd Sacramentalem manducatio-
nem definiunt, qua fiat, vt non tantùm beneficium Chriſti, ſed etiam ipſum verum corpus vnà
cum pane ore accipiatur, ſiue cum fide ſiue ſine fide ſigna illa accipiantur, non admittimus. Sed
quemadmodum Sacramenti nomen dupliciter accipitur, interdum videlicet pro re duntaxat
terrena, ſiue pro ſignis (veluti quum Sacramentum definitur eſſe verbum viſibile, & quum dici-
mus panem & vinum eſſe Sacramenta corporis & ſanguinis Domini) interdum verò tum pro re

terrenatum pro cœlesti: sicut dicit Irenæus Sacramenta duabus rebus constare: ita etiam duplicem esse dicimus Sacramentalem manducationem, vnam merè externam, per quam, propter incredulitatem, altera tantùm pars nempe signum percipitur, quo sensu dicit Augustinus impios manducare Christum *Sacramento tenus* siue *corpus Domini*, id est corporis Domini Sacramentum, sicut ab eodem scriptore dicitur *corpus Domini confici, cadere in terram & consumi*, manifesta metonymia Sacramentali: Alteram, qua fit, vt sicut signa corpore, ita etiam res significatæ percipiantur animo & fide, ac proinde totum integrúmque Sacramentum accipiatur. Ac prior quidem illa meritò à spirituali distinguitur ac disiungitur, vt pote quæ sit merè carnalis, & conueniens solis infidelibus qui Spiritu Dei carent. Posterior verò solis fidelibus propria, cum spirituali copulatur inseparabiliter, dicitúrque sacramentalis quidem respectu externi signi, spiritualis verò respectu rei significatæ, quæ, sicuti diximus, nonnisi spiritualiter & fidei ore percipitur. Præterea Sacramentalem perceptionem interdū à merè spirituali sic discernimus, vt merè spiritualis sit ea perceptio qua (vt in quotidiana Euangelii auditione ac meditatione) Christum in nudo & simplici verbo prædicato apprehendimus: Sacramentalis autem ea dicatur in qua ad simplex verbum adiungatur etiam signum, vt in Baptismo & cœna Domini. Vtrobique autem, id est, & in merè spirituali, & in ea quæ præterea sacramentalis est, non tantùm eadem beneficia Christi, sed etiam totum ipsum Christum in primis nobis fide apprehendendum offerri docemus, apertis & verbi Dei, & orthodoxorum patrum testimoniis freti. Quia neque Christum ipsum absque ipsius donis, neque dona Christi absque ipsomet Christo nobis donari, aut in no-
» bis obsignari credimus, quamobrem dixit Hieronymus nos etiam in simplici ipsius verbo, pasci
» ipsius carne, & eius sanguine potari.

IX.

Et hæc quidem credimus & nobis persuademus esse verum intellectum & sensum verborum Christi in hoc sacramento, imò etiam Confessionis Augustanæ, Apologiæ & aliarum confessionum à nobis scriptarum, quæ in Corpore doctrinæ comprehensæ sunt. Et quoniam æterna & immota veritas quam Inclyti & Christianissimi Electores atque principes qui Confessionem Augustanam cum magno vitæ & corporis periculo coram Imperatore & omnibus imperij Statibus, & vnà cum illis multi præclarissimi & excellentissimi viri, infinitáque myriades Christianorum pectorum contra Papatum & furorem Sacramentariorum vnanimiter confessi sunt, & vsque ad nostra tempora propugnarunt & conseruarunt. quæ etiam in quibusdā ante annos complures Dresdæ conscriptis confessionibus in hoc vnico intellectu ab omnibus harum regionum Ecclesiarum doctoribus & pastoribus eo conuocatis approbata & subscripta est: ideo etiam nos deinceps propter breuitatem, pura & bona conscientia ad illum vnicum celeberrimum consensum eo referimus & prouocamus.

X.

Et ex prædictis omnibus in cōclusione & fundamento sequitur, quòd vt veritas in hoc articulo cōtra omnes doctrinas erroneas conseruari queat, non opus sit vt Papistæ idcirco aut Sacramentarij aut Eutychiani aut Nestoriani fiamus per confusionem aut separationem naturarum Domini Christi: Item quòd vtrorumque Papistarum & Sacramentariorum à nobis condemnatis abominationibus & furoribus sufficienter & fundamentaliter possit responderi & contradici, quando in ista Christiana & puerili simplicitate verborum Christi constanter manemus & perseueramus. Propterea etiam illi qui nos propter hanc Christianam simplicitatem Papistis conferunt, & nos idololatras esse clamitāt, atque contumeliosiùs quàm ipsos Papistas traducūt: isti, inquam, harum regionum Ecclesiis & doctoribus manifestam vim & iniuriam inferunt, & habebunt quod hac de re in vltimo iudicio responsuri sint. Horrendæ abominationes Antichristiani illius Pontificatus iamdudum euersæ sunt à sancto Euangelio & scriptis nostrorum præceptorum: proinde posthac in nullam disputationem aut dubitationem quod ad hanc rem attinet deduci possunt aut debent. Sicut itaque Papæ abominationes reijcimus & condemnamus, ita etiā reijcimus & cōdemnamus Sacramentariorum furorem: siquidem clarum & manifestum est quòd ille initiò crassiùs & importuniùs per Carolostadium & Zuinglium eruperit: deinceps verò à doctoribus paulò subtilius & acutius quasi emendatus, & de die in diem cum maiore auctoritate probatus sit, ita tamen vt illi veteri primo, crasso & inepto furori, deinceps tantum nouæ glossæ sint additæ, & illitis noui colores. Existimamus proinde quòd veteres & noui, crassi, & subtiles Sacramentarij in fundamento causæ inter se concorditer consentiāt, & vnum atque eundem fanaticum errorem doceant, videlicet, in cœna Domini nihil esse plus quàm simplicem & nudum panem & vinum.

Nos verò etsi Dei beneficio testari quoq; possumus nobis domi nō deesse grauissimorū ac doctissimorū hominū scripta, qui neq; Dei donis, neq; numero cedant, & quibus firma cū iis extitit amicitia, quorū nunc mortuorū auctoritate nos oppugnant, qui viuis ac superstitibus illis nihil tale efficere potuerunt: & illustrium Martyrum (quandoquidem ita Deo visum est) proferre penè myriadas possumus, quorum incredibilis ipsísque etiam crudelissimis hostibus admirabilis constantia doctrinam hanc quam ex verbo Dei tuemur, non chartis & calamis, sed omnium cruciatuum victoria obsignauit: absit tamen vt alibi quàm in vno Dei verbo fides nostra conquiescat, aut in alio quàm in ipso gloriemur. Itaq; & confessionē nostrā, & Doctorū nostrorum scripta semper subiecimus legitimis ecclesiarū iudiciis monente Apostolo prophetarū spiritus esse prophetis subiectos. Mirum autē non est Ecclesiā hodie tot tristissimis dissidiis scindi, quū ipsis Apostolorū tēporibus de fidei nostræ capitibus sit disceptatum iis adhuc superstitibus, qui Filiū ipsum Dei viderāt, & audierāt. Neq; idcirco, vt cēsent Epicurei, incerta est Christiana religio, & Academicorū ἀκαταληψία similis, vt Castellio volebat, sed hoc arguit humani iudicii imbecillitatē, quæ magis ac magis augetur, merēte mūdo vt oblatæ lucis contemptū sic cōduplicatis

tenebris

tenebris Deus vlciscatur. Christianorum autem Magistratuum munus fuerit sic malis istis mederi, vt vbi graues ac doctos homines, & de quorum alioqui pietate & bonis moribus constat, inter se dissidere vident, dent operam vt mutuò sese audiant, & mutua συζητήσει controuersias componant, sicut in Christiana Ecclesia Constantini aliorúmque deinceps piorum principum antiqua norma præscriptum fuisse, initio posuimus.

Compescenda etiam essent turbulenta ingenia, inhibendi tribunitii clamores multorum malorum fontes tum in ciuilibus tum in Ecclesiasticis causis, neque afferenda essent præiudicia, siue ex personis, siue ex inueteratis opinionibus sumpta. Vetusti sunt enim plurimi & quidem crassissimi errores: & heroica sunt etiam inter Ecclesiasticos vitia, vt heroicæ virtutes, quod præcipuè in hac infelicissima controuersia nimiùm perspicimus. Cogendæ essent non priuata, sed publica auctoritate Synodi non λαϊκαὶ, in quibus iidem sederent actores, testes, ac iudices, neque ad damnandos fratres, sed ad diiudicandas placidè controuersias comparatæ. Nec armandi essent Magistratuum potestate noui Dioscuri audaces, vel ex eorum hominum genere, quibus rectè dixit Comicus, nihil quicquam esse iniustius, qualis fuit sub Cōstantino Eusebius ille Nicomediensis, ac postea Vrsatius & Valens, ac deinceps alii quorum ambitio & audacissima inscitia, quas Ecclesias perdidit quot doctos Episcopos profundedit, quibus denique malis per ipsos fascinatos principes orbem terrarum inuoluit? Et quoniam nemo est in istis tumultibus qui Dei nomen & zelum non prætexat, deiudicanda essent ex dictis & factis ingenia. Nec sanè esset difficile non modò ex ipsis argumentis quæ non omnes intelligunt, sed etiam ex ipsa agendi ratione perspicere quo spiritu causa hæc à nonnullis agatur. Iubentur homines sententiā nostrā nō ex nostris scriptis, quorum lectione nondum cognita causa, seuerissimè interdicitur, sed ex eorum ipsorum voce & libellis intelligere, qui quicquid illis libet nobis apud imperitam plebem affingunt. Et ne quid ad nos grauandos desit, inuoluunt etiam deprauatas nostras sentētias cum hæreticorum damnatissimorum dogmatibus, quæ à nobis ipsis vel maximè oppugnari non ignorant: ac tandem denique iidem illi suis magistratibus abutentes, sibi partes damnandæ ac proscribendæ Ecclesiarum Christianarum longè maximæ pártis arrogant. Imò postquam eò vsque prouecti sunt vt viuos ac mortuos grauissimos quosque homines nominatim proscripserint, iis interea parcentes, quorum maximè intolerandas opiniones esse constat, putant suam latere posse ἀκαταλληλίαν, si necessitatem quam vltro sibi accersiuerunt, suarum Ecclesiarum studium, principum denique, quibus imponant, mandatum prætexant. Nos etsi nonnullis Augustanæ Cōfessionis capitibus subscribere semper recusauimus, absit tamen vt propterea ab eius Confessionis Ecclesiis omnibus semel dissiliamus, aut pro fratribus eos non colamus, quibuscum per omnia non consentimus, minimè id quidem quasi, vt astuti solent in humanis negotiis, sic in Ecclesiis simulata vel prodita veritatis ingenua professione tēpori obsequendum putemus: sed quòd ista de quibus adhuc controuertitur (excepto Vbiquitatis dogmate) minimè existimamus fundamentum nostræ salutis euertere, modò ne ex antecedentibus vsq; ad consequentia deueniatur, quod paulatim à nonnullis fieri maximo cū nostro dolore videmus. Sed his certè malis, etiamsi à plerisque auctoritate præditis negligūtur, aut ea certè remedia adhibentur quibus vulnera potiùs recrudescant quàm sanentur, suo tēpore medebitur ille qui sic exerceri vult suos vt qui probati sunt manifesti fiant. Nos interea reddere omniū & singulorum rationem in legitimo iudicio Ecclesiarum parati sumus: inimicis nostris bene precamur ex animo: Tibi Iesu Christe Fili Dei causam tuam commendamus, téque, si scientes quenquam fallimus, testem ac iudicem in caput nostrum aduocamus.

Reliquis duobus illius Torgensis Conuentus scriptis, quorum vnum interrogatoria vocant: alterum verò articulos quibus subscribi à suis iubent, idcirco non respondemus, tum quòd nihil cōtineant cui non sit abundè responsum, tum quod eorum interrogatis, respondere, vel eorum mādatis subscribere, Dei beneficio minimè teneamur. Subscriptiones denique nullas addidimus, quibus integro volumine opus esset, ne pugnare numero potiùs quàm causæ bonitate videamur.

FINIS.



DE HYPOSTATICA DVARVM IN CHRISTO NATVRARVM VNIONE, ET EIVS EFFECTIS

PLACIDA ET CHRISTIANA, CVM D. IOHANNE PAPPO, ARGENTINENSIS ECCLESIAE DOCTORE,

THEODORI BEZAE, Geneuensis Ecclesiae Ministri disceptatio.



DIDERVNT amici quidam mei ante quinquennium, nomine meo, de Industria, Hebraica forma in Nathanaelem Nesekium demutato, excerptas à quibusdam meis auditoribus duas Homilias, quas in hac schola paulò ante feceram synaxin habueram, vt doctrinam tum de hypostatica vnione, tum de sacramentali corporis & sanguinis Christi præsentia, quæ perpetuò in his & aliis plurimis Ecclesiis sonuit, aduersus contrarias sententias tuerer. Eas verò quum tanto post tempore visum fuerit D. Ioanni Pappo Argentinensi Theologo refutare, eáque refutatio inter studiosorum manus versetur, puto veritatem ipsam à me postulare vt illius responsiones studiosiùs expendam, & ecquid contra nostram sententiā valeant, exponam. Id autem eò libentiùs facio, quòd hæc disputandi ratio, qua singula argumenta discutiuntur & breuiter ac perspicuè singulis respondetur, multò mihi videatur ad eruendam veritatem accōmodatior quàm si quis perpetua oratione, tum aliena recitans, tum sua proponens, vtatur. Testis est verò mihi Deus, nihil esse mihi aliud propositum, quàm vt veritatem tum in hoc argumento tum in cæteris magis ac magis, fauente Deo, intelligam, & intellectam pro viribus asseram. Vter autem in errore versetur, penes legitimam Ecclesiæ synodum iudicium esto.

Summa eorum quæ Beza de Cœna Domini disseruit 7 & 9 April. Anno 1574.

Primum Argumentum Bezæ.

CHRISTVS non dicitur persona respectu vtriusque naturæ, sed tantùm respectu naturæ diuinæ. Causa est quia si natura humana esset persona per se, Christus compositus esset ex duabus personis. Natura igitur humana nihil aliud est, quàm natura, quæ sustentatur à deitate assumente, & persona Christi ante incarnationem fuit talis, qualis nunc est.

Responsio Pappi.

FALSVM, erroneum, impium & blasphemum hoc esse facilè demonstrari potest. Primùm enim id conuincitur ex ipsius D. Bezæ verbis, vbi vnionem hypostaticam sic definit, vt sit ex qua resultat vnica hypostasis, vt ex anima & corpore persona hominis. Si igitur ex vnione personali duarum naturarum in Christo resultat vnica hypostasis, necesse est ante illam vnionem Christum alio modo, nēpe solius deitatis ratione, personā fuisse. Iam verò postquàm humanam naturam assumpsit, longe aliter, nempe quia diuina & humana natura, id est, creator & creatura in vnitate ἀσυγχύτως vniti sunt, personam dicendum esse. Deinde si Christus, solius deitatis ratione persona dicitur, sequitur humanitatem Christi aut esse accidens huius personæ, aut certè extra eam per se subsistere, quorum illud aliqua ex parte Marcionis de fictitio Christi corpore: hòc verò Nestorii de naturarum in persona Christi separatione delirium redolet, vt interim taceam quòd in Deum non cadit accidens & reliqua absurda quæ ex necessitate inde sequuntur. Iam verò nihil ad rem pertinet quod inquit: Si Christus non solius deitatis sed etiam humani-

manitatis assumptæ ratione persona dicitur, fore vt humanitas per se persooam coostituat. Non enim id inde sequitur: & nostri non docent bumanitatem per se & separatim existere & personam dici, sed humanitatem in ipsam deitatis substantiam ita esse assumptam, vt Deus & bomo vna sint facti persona. Porrò oihil etiam nobis obstat, quòd dicitur Christi deitatem ante incarnationem, vel assumptam humanam naturam fuisse personam, videlicet secuodam in S. Trinitate hypostasin. Nemo enim est qui hoc neget. Verumtamen hoc quoque verum esse contendimus, quòd Christus iam post incarnationem alia ratione persona dicitur. Nam quum ante illa persona esset tantùm Deus, iam certissimum est Cbristum Deum & hominem esse in vnitate personæ, in quo certè omnis oostra salus vertitur.

Apologia Bezæ.

HIC cogor ego, Pappe, in ipso limine modestiam & meliorem quoque io meis citandis fidem desiderare. Conuitia omitto, quæ tibi Deus coudonet. De re ipsa agamus. Sic agis aduersum me quasi in Christi persona humanitatem excludam. Id quo iure facias ex meis verbis æquum est vt iudicium fiat. Mea verò verba hæc sunt. *Dicamus vbi agitur de Christo quid vocemus personam, an illud quod veluti compositum est ex deitate assumente & carne assumpta, ita vt si liceat nobis Christū in frusta secare pars illius personæ sit deitas, & pars altera humanitas? Nequàquam. Nec enim Christus vocatur persona* PROPRIE *humanitatis respectu, sed diuinæ tantùm, quanquam non ab humanitate separatæ.* Et mox. *Verbum est simul natura & persona: humanitas autem non est aliud quàm natura quæ (vt loquuntur in scholis) personatur & sustentatur in deitate assumente, vt non duo sint Christi, sed vnicus Deus simul & homo, ex quo sibi naturam assumptam vniuit.* Itaque dupliciter calumniaris, quum dicis negare me Christum dici personam vtriusque naturæ respectu. Nec eoim qui sic loquitur, negat Cbristum dici personam vtriusque naturæ, sed singularum naturarum tanquam partium respectu: quemadmodum bomiuem quempiam minimè nego dici animæ & corporis respectu, etiamsi negem hominem esse vel animæ vel corporis seorsim babita ratione. Sed hoc interest in hac similitudine, quòd homo, oeque quod ad animam, neque quod ad corpus sigillatim attinet, est persona: Cbristus verò solius deitatis respectu propriè persona est. Propriè inquam, Pappe, quam voculam quum omitteres, certè calumniam calumnia cumulasti. Nam ea propriè dicitur hypostasis, quæ seipsa subsistit: quod dicere de humanitate, neque assumenda, neque iam assumpta pores, quin totidem personas quot naturas cum Nestorio, aut conflatitiam tertiam aliquam hypostasin ex duabus hypostasibus cum Eutychete constituas: atque adeo quin velis τὸν λόγον aut ante assumptam humanitatē noo integram persooam fuisse, aut in ipsam triadem hypostasin quartam inducere. Superest ergo vt bumanitas dicatur & sit ita pars compositi, vt tamen sit persona impropriè, nempe non seipsa subsistens, sed ad verbi hypostasin reducta, quæ, vt rectè ait Damascenus, facta etiam est ipsi hypostasis, cuius verba postea recitabo. Rectè igitur aiunt scholastici duas quidem esse in Christo naturas, sed ab vna earum nempe à verbo sumi hypostaseos nomen & rationem, noo autem ab altera, puta bumanitate: & Christum secundum quod Deus est, personam esse, sed vt hominem, nequaquam personam dici debere. Nec aliter accipiendus est idem Damascenus, Christi ὑπόστασιν σύνθετον appellans, qua de re sic rectè eiusdem scholiastes, *Quum dicit constitutum esse filium Dei incarnatum secundum compositionem, & in ipso duas naturas inter se vnitas in vna composita hypostasi, Compositionis vox non habet vulgatam & tritam acceptionem, vt sit alicuius totius ex suis partibus constitutio. Nec enim in Christo fuit eiusmodi compaginatio ex diuinitate & humanitate, quum illæ duæ naturæ minimè sint ipsius Christi partes. Non enim potest simplicissima diuinitas cum alio quopiam subire compositionem & constitutionem, quoniam id summæ simplicitatis rationi derogaret. Sed paulo differentem à priore rationem habet hæc compositio, designans duarum naturarum in vna hypostasi simplicissima vnionem, citra totius constitutionem ex partibus. Hæc autem vnio quum nostræ mentis captum longè excedat, non nisi domesticis & ex nostra fragilitate petitis rerum nominibus veluti quibusdam adminiculis insinuari nobis potest. Idcirco nuncupatione compositionis plerunque exprimitur, & per totius ex duabus diuersæ naturæ partibus constitutionem tanquam proportionale quiddam declaratur, quum Catholica piè confiteatur Ecclesia, quòd sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Hioc igitur colligi potest quo iure me vt mihi ipsi repugnantem accuses, & modò vt Marcionitam reprehendas, quasi bumanitatem Christi velim esse accidens, modò vt Nestorianum, quasi humanitatem à deitate scindam. Ratio verò quam attuli, cur Christus PROPRIE solius deitatis respectu, ipsam quoque videlicet humanitatem sustentantis, hypostasis dicatur, etsi D. Pappo videatur ad rem non facere, est tamen sic apposita vt oihil aptius dici potuisse contendam. Sic enim ad verbum Damascenus hac ipsa de re disserens. *Ἀμέσως natura nostra Deus verbum assumpsit, non quæ per se antea subsisteret & indiuiduum esset, ac ita posteà sit in ipso assumpto, sed quæ in ipsius hypostasi subsisteret. Nam ipsa hypostasis Dei verbi, facta est carni hypostasis.* Quis enim non videt si humanitas ante assumptiooem fuit hypostasis, necessariò sequi Christi hypostasin ex duabus hypostasibus esse conflatam, quæ si integræ post assumptam manserint, Nestorianismus necessariò consequetur: sin verò humanitatem desiisse personam esse dicamus, tunc sanè vnione personali non assumptam, sed absumptam fuisse carnem dicendum erit. Quòd si deoique ex vtraque vnam tertiam factam esse dicamus tum sanè vitare Eutychetis blasphemiam non poterimus. In

his si tu mihi assentiris, immeritò me ceprehendisti: sin minus, tu videris quomodo contracia posis confirmare. Et ex hia quoque liquet iniuriam mihi abs te factam, quum mihi tribueres, quod mihi nunquam in mentem venit, quòd videlicet diaerim talem ante incarnationem, qualis nunc est, fuisse.

Secundum Argumentum Bezæ.

OMNIPRAESENTIA & omnipotentia sunt proprietates Diuinitatis: Si ergo communicatæ sunt Christo, sequitur eccor Patripassianocum, videlicet vt tota Tcinitas sit incarnata.

Responsio Pappi.

VERVM est, sunt hæc propria totius Trinitatis: sed tamen alia est omnipotentia gignens, alia genita, alia procedens ab vtraque, id est, alia Patris, alia Filii, alia S. Sancti. Consideratuc enim hæc quasi πρῶτον: siquidem Deus Pater in Trinitate est quasi principium & origo reliquarum personarum. Dicimus autem non aliam omnipotentiam, quàm filii Dei Christo homini communicatam esse, in cuius videlicet subsistentia ipsa humanitas subsistat. Nam omnipotentia Filii Dei nihil aliud est, quàm ipse Dei filius, in cuius personæ vnitatem humana natuca assumpta est.

Apologia Bezæ.

RVRSVM in te meliocem fidem in citandis meis, & non immeritò fortasse scientiæ quoque plusculum desydero. Nec enim ego vnquam scripsi deitatis proprietates non fuisse Christo communicatas, sed aduersus Brentium & Iacobum Andream, & alios eiusdem dogmatis assertores, negaui fuisse in Christi carnem effusas, quoniam hæc effusio hypostaticæ vnioni ea diametro cepugnat, nedum vt per eam sit definienda. Ista verò quantum inter se dissecant, res ipsa demonstrat. Itaque te vehementer cogo, vt quum nostra voles ceprehendere, attentiùs illa consideres, ne ipse tibi monstra confingere videaris. Quòd si ad vnionem naturarũ significandam tibi visum est post alios aliquot Patres vti communicationis voce, rectiùs tamen dixisses carni Christi, quàm Christo communicatas. Ad rem autem ipsam quod attinet, sic ego sum & in his homiliis & iampridem aduersus illos argumentatus, non simpliciter, vt tu es arbitratus, sed ex illorum hypothesi. Si (vt illos scripsisse mox ostendam) Verbum factum esse carnem, siue hypostaticè vnitum esse carni, id vnum declarat, quòd Verbum secundum οὐσίαν quidem non aliter sit in illa carne, quàm in re qualibet, sed in carnem illam assumptam omnes suas proprietates effuderit (quas illi posteà definiunt Omnipotentia, Omnipræsentia, Omniscientia &c.) rum consequi totam triadem fuisse incarnatam, id est, in hanc carnem effusam, quòd istæ proprietates non sint Verbi propriæ, sed ipsius absolutè consideratæ deitatis. Tu verò quid respondes? *Sunt omnes hæ proprietates* (inquis) *totius Trinitatis, sed tamen alia est omnipotentia gignens, alia genita, alia procedẽs ab vtraque, id est, alia Patris, alia Filij, alia S. Sancti. Dicimus autem non aliam omnipotentiam quàm Filij Dei Christo homini communicatam.* Sed audi, Pappe, in qua tandem schola didicisti plures esse omnipotentias? Nam si hoc verum est, plures quoque erunt essentiæ, ac proinde plures Dii, alius videlicet cuius erit essentia gignens aliam essentiam, alter genitus, alia videlicet genita essentia, tertius denique ab vtroque procedens alia essentia ab vtroque procedente. Atqui istis notionibus Gignentis, Geniti & Procedentis hactenus credidi non ipsam essentiam distingui, sed hypostases constitui. Concedo igitoc & essentiam & eius attributa, quum ab essentia non re, sed ratione tantùm differant, per se quidem absolutè, ad personas verò quod attinet in patre quidem ἀνάρχως καὶ ἀναιτίως, in filio autem & Sp. Sancto αἰτιατῶς & relatè (idque cealiter vt ipsæ personæ ceipsa inter se distinguantur) considerari. Sed habere aliquid à seipso & habere cem eandem ab alio, non facit vt res ipsa quæ habetur sit alia & alia, verùm illius rei possessores ipsos inter se habendi modo distinguit. Notiones igitur personales tres numeco Gignece, Gigni, Procedere, pecsonas totidem numero reipsa distinctas constituunt, ac proinde rectè dicitur, Alia est persona patris, persona videlicet gignens: alia filius, persona genita: alia S. Sanctus, persona ab vtroque pcocedens, ὑπάρξεως videlicet τρόπῳ, non autem essentia. Hæc enim essenria tota est in singulis, quanuis non eodem subsistendi modo: ac pcoinde neque aliam gignit, neque aliam emittit, quoniam ita totidem dii, quot essentiæ euaderent: sed persona personam, puta pater filium gignit essentiæ suæ totius pec modum generationis communicatæ, & tertia eiusdem essentiæ persona pec modum processionis constituitur. Idem de essenrialibus ipsius deitatis attributis statuendum est, ac pcoinde sicut vnus est Deus, vna eadémque essentia, ita vnicum esse eâdem illa vnica omnipotentia omnipotentem, sicut ait Athanasius, quanuis tces sint personæ eâdem illa vnica essentia & iisdem illis essentialibus proprietatibus præditæ. Neque verò hinc sequituc Patrem quoque & Sp. Sanctum fuisse incarnatos, si eadem & vnica est trium personarum essentia & omnipotentia. Nam longè aliud est dicere eandem essentiam ac omnipotentiam fuisse incarnatas (quod verum est quum vnica & singularis sit hæc essentia & omnipotentia) quàm eandem personam, quod falsum est, quum alia sit pecsona Filius, quàm Pater aut S. Sãctus: ac proinde eadem quidẽ illa vnica essentia & omnipotẽtia sit incacnata, at non in tribus illis pecsonis, sed in solius Filii persona. De his si sic iudicas, nimis

certè

certè impropriè & inusitatè aliam esse gignentem, aliam esse genitam, aliam procedentem omnipotentiam dixisti, pro eo quòd dicendum fuit, vnam quidem & eandem esse trium personarum omnipotentiam: sed quæ modò sicut in Patre, modò sicut in Filio, modò sicut in S. Sancto, propter diuersas personales rationes consideretur. Hoc igitur demus te scripsisse: dico tamen ex Brentii & aliorum hypothesi, qui hypostaticam vnionem sola proprietatum omnium in carnem assumptam effusione definiunt, consequi quod illis obieci, nempe sic tres personas incarnatas videri: quoniam videlicet ipsam essentiam Dei (siue Deum secundum οὐσίαν) excepta illa effusione omnium proprietatum, non aliam esse in Christo, quàm in re qualibet disertè scribunt. Etenim si hoc verum est, & ex οὐσίας communicatione dependet ista proprietatum effusio, quum tota οὐσία in illa carne sic esse statuatur vt vbique est, sit autem ὅλως tota vbique, tota etiam ὅλως proprietates effundendo seipsam totam incarnarit.

Tertium Argumentum Bezæ.

IACOBVS Andreas in thesibus dicit: Inhabitationem Filii Dei in Christo homine non aliter considerandam esse, quàm in aliis rebus: sed differre tantùm secundum magis & minus, quia in reliquas res Deitas effundat aliquas proprietates, in Christum verò omnes, id quod falsum est. Sequeretur enim inde Deitatē omnibus rebus, & ipsis quoque dæmonibus personaliter vnitā esse.

Responsio Pappi.

IACOBVS Andreas pro se respondebit. Scimus autem ipsum non ire inficias alia ratione Deitatem communicari rebus omnibus quas creauit, redemit & huc vsque sustentat, & alia ratione homini Christo, cui personaliter vnita est. Neque scripsit aut dixit vnquam, vt opinor, hos duos modos communicationis, tantùm secundum magis & minus differre: sed libenter fatebitur illos differre toto genere, & plus etiam quàm genere.

Apologia Bezæ.

RVRSVM in meo recitando argumento vel tu aliquid hîc omisisti vel certè qui tuas responsiones descripserunt. Addidi enim prætermissum abs te epithetū ESSENTIALEM in quo tota vis argumenti posita est. An autem ea in re fecerim Brentio & Iacobo Andreæ iniuriam, age ex ipsorummet verbis à me toties prolatis diiudicetur.

Ex isto Euangelistæ dicto, Verbum caro factum est, quod de Christo dicitur non de Petro, discrimen Christi & Petri in eo statuendum est, quòd filius Dei etsi sua essentia impleat Petrum sicut & hominem Christum, non tamen communicat Petro omnes suas proprietates, sed tantùm nonnullas. Brentius fol. 40 Recognitionis, & deinceps.

Discrimen inter Christum & alios homines non constat propriè in habitatione filii Dei in filio hominis, sed communicatione proprietatum quibus filius hominis ab inhabitante filio Dei ornatur, vt humana natura sit receptaculum augustissimum omnium celestium & diuinorum beneficiorum. Hæc igitur Brentius, Andreas verò sic scribit. Non est imaginanda aut fingēda alia Dei in Christo, quàm in creaturis reliquis omnibus, quoad οὐσίαν, diuinitatis præsentia: quæ vt in creaturis ἐνεργείας discernitur, quòd alia in aliis agat & operetur: ita in Christum tota effunditur, vt iam extra ipsum nihil, sed in homine & per hominem Christum omnia in omnibus operetur. Pag. 63. In disputatione de maiestate hominis Christi thesi 20. Thesi 21.

Atque hæc est communicatio plenitudinis omnis deitatis, de qua loquitur Apostolus Coloss. 2.

Apostolus per formam Dei, secundum quam Christus dicitur æqualis Deo, intellexit dona in ipsam carnem assumptam realiter effusa. Apologia ad theses Ingolstadianas.

Res omnes à Deo subsistentialiter sustentantur. Pag. 19.

Homo Christus dicitur Deus, non quia Deus sit in ipso (qui in omnibus creaturis est, non modò natura, sed etiam secundum subsistentias) sed quia in assumptione carnis dedit huic homini omnem potestatem in cælo, & in terra & communicauit ei omnia dona, &c. Pag. 24. Pag. 25.

Diuinitas hominis Christi non est illa ὁμοούσιος, & æterna cum Patre & sancto Spiritu essentia communis, sed communicata à secunda hypostasi. Et vt vno verbo dicam, quum hominem esse Deum dicimus, nihil aliud intelligimus, quàm quòd homo ad dextram Dei sedeat. Nam carnem assumere in Deum, nihil aliud est quàm omnem suam plenitudinem ei communicare. Ibidem.

Inter inhabitationem Dei in sanctis, & in Christo hoc vnum est discrimen, quòd sanctis distribuat sua dona dimensa, Christo autem immensa. Pag. 27.

Christus homo hoc habet commune cum omnibus sanctis, quòd cum eo Deus personaliter fuit vnitus. Pag. 28.

At contrà Lutherus in quadam concione. Quòd Christus in forma Dei fuisse prædicatur, certè diuinitatem indicat, item quòd se exinaniuisse dicitur: porrò inanitio & serui forma, quid aliud quàm humanitatem testantur?

Hæc igitur illi, quibus vides eos apertè ista testari, Deitatis Christi, siue formæ Dei appellatione, non ipsum λόγον, sed eius donorum effusionem in carnem assumptam significari, quod merè Nestorianum est.

Deum non aliter esse in Christo, quàm in omnibus creaturis, quod & ipsum est Nestorianum.

Deum esse in omnibus creaturis etiam secundum subsistentias, quod est merum Manicheorum delirium, & cum illis superioribus est prorsus ἀσύστατον.

Personalem vnionem Dei & hominis in Christo esse communem omnibus sanctis: & hoc VNVM esse discrimen inhabitationis Dei in sanctis, quòd sanctis distribuat sua dona dimensa, Christo autem immensa.

An non hoc est verò, Pappe, dicere personalem vnionem Deitatis τοῦ λόγου in Christo differre ab inhabitatione Dei in sanctis (quam isti quoque personalem vnionem esse volunt) non κατὰ φύσιν sed κατὰ σχέσιν? Si hæc fortè tam monstrosa & in Ecclesiis Dei intolerabilia probas, quo te loco haberi decet? Sin verò damnas (quod te, re tota diligentius expensa, facturum spero) vide, quæso cuius causæ & quorum hominum patrocinium susceperis.

Sed & aliud habeo quod in hac tua responsione desiderem. Scis enim verbum communicationis in hoc argumento ambiguum esse, vtpote, quod ad vnionis consequentia effecta referri potius possit, quàm ad ipsam vnionem: quum hic agamus de ipsa τοῦ λόγου vnione hypostatica cum carne. Vocabulum autem vnionis etsi Iacobus Andreas non dubitat vsurpare de Dei in sanctis, imò in rebus omnibus inhabitatione differens, vt paulò antè citaui, mallem tamen te illam ipsam vocem vnionis vsurpare. Deinde quale etiam istud est? Deitatem communicari rebus omnibus? Deitatem res omnes creasse & redemisse? Nam ego quidem ista portenta nunquam adhuc audieram, quamuis omnia in Deo esse, viuere & moueri, ipsi quoque prophani vates viderint, atque adeo omnia Iouis esse plena dixerint. Istud verò *Deum huc vsque res omnes sustentare* si tu accipis vt de virtute illa rerum omnium vt creatrice, ita quoque conseruatrice, concedo. Sin verò cum Iacobo Andrea subsistentialiter, id est, hypostaticè res omnes à Deo sustentari vis, mox à te ipso & tuo Andrea dissentis, quum Christo postea vni personalem vnionem, & id quidem rectè & orthodoxè, vendicas.

Quartum Argumentum Bezæ.

PROPRIETATES Dei sunt propria quarto modo. Ergo non possunt communicari alicui creaturæ: alioquin non essent propriæ, sed communes, & Deus spoliaretur sua gloria.

Responsio Pappi.

NEGO consequentiam: Siquidem illæ proprietates humanitati Christi communicari dicuntur non eodem modo quo ipsi diuinitati, sed aliter. Nam quum diuinitas eas habeat per naturã, humanitas earum particeps est per gratiam, quo modo etiam ipsa filii Dei essentia cõmunicatur.

Apologia Bezæ.

AGNOSCO Iacobi Andreæ stropham, qui hæc Augustini verba eludens: *Non est consequens vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus: Augustinus non negat* (inquit) *humanitatem Christi vbique esse, sed negat eo modo vbique esse quo est vbique diuinitas.* Quasi verò Augustino aut cuiquam ante Brentium alii venerit in mentem ei naturæ, quæ sublata circunscriptione nusquam sit, imò nę sit quidem, aliquem vbiquitatis modum tribuere. Sic tu quoque argumentum nostrum eludis, negans, quod tamen negari iure non potest, proprium quarto modo desinere esse proprium, etiamsi alteri communicetur, modo non eadem ratione communicetur, qua est alteri proprium: ac proinde manere deitatis suas proprietates, quamuis assumptæ carni communicentur, quoniam propriæ sunt deitati per naturam, fiat autem particeps earum humanitas per gratiam. Sed quis tibi concedet (exempli gratia) si quis fundum hæreditario iure possidens, alium liberaliter admiserit in communem illius possessionem, fundum vni anteà proprium idcirco non euadere communem, quoniam illius quidem sit hæreditario iure, alterius verò ex gratuito beneficio? Nam certè non communicationis modus, sed eiusdem rei communicatio qualiscunque facit vt proprium euadat commune. Deinde quînam erit proprium quarto modo quod soli cuipiam non competit, quocunque modo non competat? Præterea nihil istorum, vt opinor, negabis, omnia videlicet Dei attributa esse quidem in ipso essentialia, atque adeò Deum ipsum, sed rerum creatarum & extra Deum positarum respectu, magnum tamen esse inter hæc discrimen: & quum sit quædam analogiæ species inter Deum creantem & ipsius opera, sicut in rebus creatis substantiam illarum ac deinceps earum accidentia consideramus, sic in Deo attributa quædam nobis quodammodo ipsammet eius essentiam cogitandam sic proponere, vt nulla ratione sint illis creatis rebus communicabilia, veluti à seipso esse, æternum, immensum, simplicissimum esse: quædam verò veluti quarundam qualitatum speciem in Deo nobis repræsentare, nempe bonum, iustum, misericordem esse, quæ analogica quadam homonymia rebus creatis non vt essentiæ, sed vt qualitates per accidens attribuantur. His autem positis, necesse est vt quæ dicis per gratiam humanitati assumptæ communicari, vel ad prius, vel ad posterius attributorum genus referas, quoniam ad vtrunque non potes. Quod si ad posteriora referas, quum disertè dicas sic ipsam filii essentiam communicari, vt eius proprietates, sequetur velle te cum Brentio, vel cum Nestorio potiùs, Christum esse Deum per accidens, id est non natura Deum, sed donis excellentissimè in carnem effusis, cæteris sanctis esse diuiniorem: quod dogma, vt emolliret Iacobus Andreas, excogitauit scilicet σοφὸν φάρμακον, quũ diceret *vnitã esse carni Deitatem quasi per accidens.* Sed vbinam istud

Quasi

Quasi inuenerit, qui disertè scribit *Deum cum sanctis omnibus personaliter vnitum, neque Deitatem Christi esse οὐσίαν sed donorum omnium plenissimam effusionem, id est verè accidentariam?* Quod si ad prius attributorum merè essentialium genus id referas, præuaricaris profectò. Tum enim communicationis nomine vnionem intelliges, quæ quum saluis cuique naturæ essentialibus proprietatibus facta fuisse intelligatur, non iam in ipsam humanitatem fuerint illæ proprietates effusæ: ac proinde hypostaticæ vnionis definitionem à Brentianis allatam prorsus euerteris, atque adeò meum argumentum prorsus confirmaris.

Quintum argumentum Bezæ.

SI proprietates diuinitatis communicatæ sunt humanæ naturæ. Ergo est æterna & infinita, vel coguntur aliquas proprietates excipere, & à seipsis dissentire, quum videlicet anteà dixerint omnes proprietates humanitati esse communicatas.

Responsio Pappi.

NEGO consequentiam. Non enim dicimus has proprietates humanæ naturæ per se & separatim consideratæ communicatas esse, sed in concreto, homini Christo, quatenus videlicet personaliter vnitus est filio Dei. Et hac ratione non absurdum est dicere etiam hominem Christum esse æternum, infinitum, omnipotentem & omnipræsentem &c. quia vna est subsistentia personæ & ὑπόστασις cum filio, qui æternus est, infinitus, omnipotens, omniscius, omnisapiens, & omnipræsens. Animaduertendum tamen hîc est, ne ideò tantùm Christum omnipotentem & æternum esse dicamus, quia ipsius diuinitas talis est, sed etiam secundum humanitatem, verè (suo modo) talis dici debet: non quatenus est humanitas per se & absolutè considerata, sed quatenus, vt diximus, assumpta est à deitate in vnionem personæ.

Apologia Bezæ.

ATQVI tam necesse est, vt cui communicata est in sese, siue essentialis siue accidentalis Infinitas, sit ac dicatur infinita, quàm necesse est album esse cui impertita est albedo, siue per naturam, siue per gratiam id fiat: neque id magis inficiari potes, quàm solem meridie non lucere. Eos autem quorum dogmati patrocinaris, per diuinitatem Christi non intelligere illam οὐσίαν, qua λόγος Deus est: sed dona quamuis supra omnem mensuram, tamen non aliter in Christi humanitatem, quàm in cæteros sanctos effusa, ideóque hypostaticam vnionem in genere facere Christo cum omnibus sanctis communem, paulò antè prolatis ipsorum verbis ostendimus. Itaque quum ad hypostaticam vnionem refugis tanquam Christo propriam, non vides causam abs te prodi, quam tuendam suscepisti? Vos autem postquam sine vlla exceptione dixistis OMNIA quæ deitatis per naturam propria sunt, realiter per gratiam fuisse in humanitatem assumptam effusa: cogi tamen aliqua excipere ex vestro ipsorum testimonio liquet. Conceditis enim humanitatem Christi esse creatam, neque infinitam, neque immensam. Ergo neque αὐτουσία, neque æternitas principio carens, neque infinitas, neque immensitas illi communicata fuerit, quas tamen esse Deitatis proprietates inficiari non potestis. Aliquas igitur vos excipere ac proinde à vestra ipsorū sententia desciscere fateamini necesse est. Age tamen, expendamus quod sit responsionis tuæ momentum. Negas humanitatem à vobis dici æternam, infinitam, omnipotentem, omnipræsentem, etiam si dicatis omnes deitatis proprietates illi esse communicatas. Cedò quamobrem? *Quoniam* (inquis) *non dicimus communicatas esse humanitati per se & separatim considerata, sed in concreto homini Christo, quatenus vnitus est filio Dei, qua ratione nihil prohibet dici etiam Christum hominem esse æternum, infinitum, omnipotentem* &c. Rectè profectò si paulò apertiùs loquereris, & hoc ipsum quòd respondes paulò meliùs intelligeres.

Nam, quæso, quid sibi vult istud, NON PER SE? *Idem*, inquis, *quod* NON SEPARATIM. Ergo discedis à Brentianis, qui quum (vt paulò antè ostendimus) disertè scribant *Deum non aliter inesse Christo homini secundum verbi οὐσίαν quam reliquis sanctis, imo vnitum esse Deum rebus omnibus secundum subsistentias*, necesse est vt vel ab ipsis apertè dissentias, (quod si facis, rectè facis) vel vt cum illis hominem separatim à verbo in Christi persona, vt in reliquis rebus consideres, ac proinde nobis hoc tuo responso illudas. Deinde quũ hæc duo *Separatim considerari, & Considerari quatenus est vna subsistentia persona filij Dei & hominis*, inter se opponis, nónne rursum Iacobum Andream vt Nestorianum nobiscum coarguis? Deinde quid D. Luthero fiet, qui hoc sentientes quod tu dicis, hominem videlicet esse omnipotentem, imperitos vocat? Eius enim hæc ipsa sunt verba in concione quadam, vt tu minimè ignoras. *Quidam*, inquit, *imperiti omnipotentem in Christo hominem faciunt permiscentes duas naturas atque opera earum parum prudenter.* Audis igitur illos à Luthero vt Eutychianos coargui qui Christum statuunt hominem esse omnipotentem? *Per se*, inquies, *consideratum.* Atqui à Brentianis non nisi per se atque adeò separatim vt reliquos sanctos illum considerari documus. Res autem ita se habet, vt te quoque spero, vbi sine præiudicio istam causam diligentius expenderis, facilè iudicaturum. Concreta nomina Dei & Hominis sæpe non ipsas naturas, sed personam declarant, idque vel distinctè, vt si dicam, *Deus verbum factus est caro*, &, *Christus homo est ex semine Dauidis*, in quo dicendi genere Deus & Homo καθ' αὑτὸ, id est, in sese & suiipsius ratione habita considerantur distinctè. Verbum enim ipsum factum est caro, vt loquitur Damascenus, ad suam subsistentiam carne reducta, & Christus homo est in semetipso ex Dauidis semine: vel ὅλον, id est, ita vt totam coniunctim consideratam personam quamuis ab altera tantùm na-

tura denominatam designet, cuius generis duplices sunt attributiones. Nam ἀποτελέσματα τῶν ἐνεργειῶν, id est, ipsarum operationum effecta quamuis à duplici operatione, eáque distinctè in duabus naturis considerata promanent, tamen toti personæ vt subiecto tribuuntur propter περιχώρησιν, id est, mutuam commeationem, quæ est hypostaticæ vnitionis effectum. Sic dicitur vnus esse mediator homo Christus Iesus: Mediator enim est Christus ὅλος quamuis ab altera tantùm natura homo nominatus, & Deitate quidem diuina, humanitate verò humana peragente, quod non animaduertens Stancarus Ecclesiam perturbauit & Arrianis atque Tritheitis aditum aperuit. Altera autem attributio in eodem illo posteriore dicendi genere, quo videlicet persona Christi ab altera tantùm natura in concreto denominatur, ea est qua vel proprietates naturarum essentiales vel earum ἐνέργειαι, quamuis re ipsa subiecta suarum naturarũ non egredientes, de Christi persona, ab altera diuersa natura in concreto denominata, dicuntur, sic videlicet vt humana de Deo, diuina de homine prædicentur, quod Damascenus ἀντίδοσιν vocat, immeritissimè à D. Luthero, illam certè non intelligente, flagellatam, plerique verò κοινωνίαν ἰδιωμάτων appellant, veluti quum Deum gloriæ (Verbum videlicet) dicimus fuisse crucifixum, & hominem Christum, quum esset in terris, fuisse in cælo, qua in re ferè consistit nostræ controuersiæ cardo. Quoniam enim Brentiani hypostaticam vnionem definiunt reali in carnem ipsam Deitatis proprietatum haud secus (quamuis absque mensura) quàm in cæteras res creatas effusione, vt paulò antè ostendimus, consequitur ipsos velle proprietates diuinas homini tanquam subiecto per gratiam inhærere, quum non aliter cæteris rebus creatis insint, quod dogma apertissimè ex hæresi Nestoriana quod ad ipsas naturas, ex Eutychiana quod ad proprietatum essentialem effusionem attinet conflatum Kemnitius quum ingenuè refellere debuerit, obtegere tamen περιχωρήσεως nomine & igniti carbonis opposita similitudine studet. Tu verò si quid sit istud καθ' αὑτὸ satis intelligis, rectiùs profectò sentis, quod sic facillimè cognoueris. Primùm circunspice quænam ista diuina sint quæ homini assumpto, & quænam humana Deo Verbo tribuantur. Omniáne? Omnia certè sine vlla prorsus exceptione. Quamobrem? quia tota Deitas naturam humanam totam assumpsit. Itaque ὁ λόγος tam verè dicetur creatus, conceptus, passus, mortuus, sepultus, excitatus à mortuis, quàm homo iste æternus, immensus, omnipotens, omnipræsens, omniscius denique, vt vno verbo omnia complectar, vnigenitus ille Dei Filius contra Nestorium. Num verò essentialiter aut potiùs accidentaliter vel, vt loquitur Iacobus Andreas, quasi essentialiter? Imò prorsus essentialiter. Quamobrem? quoniam ipsamet essentialis Deitas in Verbi hypostasi essentialem humanam naturam totam (vt pote quæ diuidi non possit) assumpsit. Ecce igitur plus vobis etiam multò largimur, quàm postuletis. Vos enim cogimini excipere ἀϊδιότητα, æternitatem principio carentem, infinitatem & immensitatem & ex consequenti profectò, (quicquid dicatis) omniscientiam & omnipræsentiam. At nos nihil prorsus Dei esse dicimus, quod homini assumpto non tribuatur. Vos itidem περιχώρησιν ex altera parte, qua videlicet diuinis humana tribuuntur, debilitatis. Nos fatcamur quidem in hac hypostatica vnione dominari naturam assumentem, sed nihilominus pari prorsus ratione diuinis humana atque humanis diuina tribui docemus. Qua in re igitur dissidemus? nempe in eo quòd istud καθ' αὑτὸ vel certè non intelligere potestis, vel non rectè explicare. Video enim vos illud accipere interdum pro PER SE, id est, suapte vi & natura: quo sensu dixisti paulò antè humanitatem habere proprietates diuinitatis non per naturam, sed per gratiam & ex dono Dei. Interdum autem (vt hoc loco) istud PER SE exponitis SEPARATIM, id est (vt istud durius dictum interpretor) seorsim, distinctè, absolutè: quæ acceptio tolerabilis esset, nisi mox illam deprauares, quum id quod de concreto verè, id est, de persona ab altera tantum parte, puta homine denominata dicitur ad abstractum, id est ad naturam ipsam humanitatis accommodas, idque certè superuacaneè, quum humanitas, vt mox dicam, nunquam nisi in sese naturam ipsam hominis declaret. Omnino verò καθ' αὑτὸ in hac disputatione opponitur τῷ κατ' ἄλλο, quorum illud quidem aliquid in semetipso siue quale est in sese, siue id ex natura, siue per gratiam habeat: istud verò quippiam non in sese sed in alio siue alterius cui adhæret respectu, consideratum significat. Sic, exempli causa, credentes dicuntur iusti, ἄμεμπτοι, ἄμωμοι non in sese, sed in Christo, cui tanquam subiecto inhæret iustitia, quæ nobis mysticè cum ipso per fidem vnitis imputatur: quamuis hæc similitudo ad rem istam prorsus non quadret, quoniam credentes non modò κατ' ἄλλο, sed etiam κατ' ἄλλον, non autem καθ' ἑαυτὸν iustitia Christi iustificantur, in Christo verò non est ἄλλος καὶ ἄλλος (quod non vidit Brentius personalem vnionem faciens cunctis sanctis communem) sed duntaxat ἄλλο καὶ ἄλλο. Cedo igitur qua ratione Homo iste Deus est? certè non in sese vllo modo sed in Verbo in quo subsistit. Item, qua ratione Verbum est homo? certè non in sese vllo modo, sed in carne assumpta. Eadem est autem prorsus essentialium quoque proprietatum attributio, quæ ipsarum essentialium naturarum. Qua ratione igitur homo iste est non modò omnipotens, omniscius, omnipræsens, verumetiam æternus & vnigenitus Dei filius, increatus, infinitus, immensus, & quicquid est Deus Verbum? profectò non in sese (siue suiipsius respectu, siue seorsim, siue coniunctim eum consideres) sed secundùm aliud, nẽpe Verbi in quo subsistit respectu. Neq; vicissim aliter Deus gloriæ dicitur cõceptus ex semine Dauid, natus, passus, mortuus, sepultus, suscitatus à mortuis, & quicquid homo est: quod si agnoscere in animum inducas (quid autem est ista veritate apertius) ecce, mi Pappe, pax erit Ecclesiis reddita, omnibúsque sublatis contentionibus cælum terrámque exhilarabimus. Nam quod addis *Christum dicendum esse omnipotentem & æternum etiam quod ad humanitatem attinet, non tamen,* inquis, *absolutè consideratam, sed quatenus est assumpta*, credo tibi ipsi, vbi attentiùs

tentiùs quid hoc rei sit dispexeris, displiciturum: imò etiam futurum vt à te hac in re aliquatenus ii ipsi dissentiant, quibus videri vis patrocinari. Obsecro enim, quid est humanitas nisi ipsa in sese humana natura? quid est Deitas Christi nisi Verbi hypostasis, in sese considerata? Euolue sacras literas, consule omnes omnium ætatum interpretes, consule denique teipsum absque præiudicio, & fateberis, quales res sunt in sese absolutè, tales appellatiuis abstractis nominibus significari, & alioquin nihil in appellandis rebus certum & statutum fore. Quid verò? si humanitas non absolutè considerata, sed quatenus assumpta est, æterna est (vt tu scribis) cur non itidem Deitas in ea quã assumpsit natura dicetur nata, passa, mortua, excitata? quod etiam audio Andream Musculum disertè profiteri, vt iam Eutychianismum eiurare non possit? Scio quid respondeatis, nempe Deitatem non fuisse affectam in sese carnis assumptæ infirmitate, (quod tamen apertè dicit Musculus) sed humanitatem contrà assumptam fuisse in maiestatem diuinã. Concedo, saluis cuique naturæ proprietatibus. Sed quid hoc ad rem? Nam proprietates (vt ipse Kemnitius fatetur) neutrius naturæ subiecta egrediuntur. Itaque non magis dici potest effusa mortalitas in Deitatem, quàm in humanitatem ἀθανασία, & infinitas, ac cæteræ proprietates vsqueadeò essentiales vt accidere nulli subiecto possint. Nec enim magis potest aliquid fieri infinitum (cohæret autem cum infinitate omnipræsentia necessario perpetuóque nexu, sicut circumscriptio cũ natura finita) quàm aliquid fieri Deus accidentalis. Audi, quæso, Pappe, quid dicat Damascenus lib.3.cap.3. quo nemo accuratiùs hanc quæstionem explicauit. *Quomodo*, inquit *natura quæ vna est, contrarias essentiales proprietates in sese receperit?* Vides damnari realem effusionem Brentii. *Qui enim fieri potest, vt eadem natura secundum idem creata sit & increata, mortalis & immortalis, circumscripta & incircumscripta?* Quid est autem SECVNDVM IDEM aliud quàm quod dicimus, in eodem subiecto? Nam alioqui natura hominis est simul & mortalis & immortalis, sed illud quidem secundum corpus, istud verò secundum animam. At in Christo illæ proprietates oppositæ secundùm duas diuersas naturas dicuntur, ideóque vni & eidem naturę in sese vt in subiecto conuenire nullo modo possunt. Relinquitur ergo proprietates essentiales rectè quidem permutari in concreto propter gratiam vnionis, sed κατ' ἄλλο non καθ' αὑτό: in abstractis verò nominibus tam falsam esse hanc enuntiationem, *Humanitas est æterna vel omnipotens in Deitate*, quàm si diceres, *Humanitas est Deitas in Deitate*, & tam impium esse dicere *Deitatem esse creatam aut circumscriptam in assumpta humanitate*, quàm *Deitatem esse humanitatem in assumpta humanitate.* Causa est, quoniam vt ait rectè idem Damascenus lib.3.cap.4. *Deitatis & humanitatis nomina ipsas substantias siue naturas repræsentant: Dei verò & hominis nomina modò de naturis dicuntur, modò de hypostasi, illo quod partis rationem habet recipiente nomen totius*, veluti quum persona ipsa Christi vel Deus vel homo vocatur.

Sextum Argumentum Bezæ.

DEITAS Christi omnia quidem agit in humanitate, & non ab humanitate separata, sed tamen non per humanitatem: vt corpus suum excitauit ex morte, diuina sua virtute non per carnem vel humanitatem suam.

Responsio Pappi.

PRIMVM si Deitas Christi aliquid agit non conscia aut socia humanitate, sequitur humanitatem assumptam esse non in totam filii Deitatem, sed tantùm in partem eius aliquam, de quo alibi plura diximus. Deinde duæ naturæ in Christo ne in ipsa morte quidem separatæ fuerunt ab inuicem: sed mansit earum vnio hypostatica. Licet enim corpus ipsius ab anima tum vere separatum fuit, tamen anima, præstantior videlicet humanitate, semper personaliter cum filio Dei fuit vnita. Cum anima sua igitur & per animam quoque diuina sua virtute Christus corpus suum ex morte resuscitauit.

Apologia Bezæ.

SICVT effusio realis essentialium proprietatum extra sua subiecta merus est Eutychianismus: ita quum hypostaticam vnionem ex eo definitis quòd Verbum agat omnia per humanitatem assumptam, mihi quidem videmini manifestè transire in Monophysitarum & Monothelitarum castra. Mutuus enim est & inseparabilis nexus naturarum cum essentialibus suis proprietatibus & earundem energiis. Itaque sicut duas naturas quarum vna non est altera, sed alteri hypostaticè vnita, sic earundem & proprietates essentiales & energias absque vlla transfusione aliarum in alias distinctè seruari necesse est, Deitate videlicet diuina, humanitate verò humana peragente, quamuis ἀποτελέσματα sint toti personæ communia tum propter vnionem tum propter cooperationem ipsarum naturarum. Cooperationem autem intellige, non quòd vna eadémque sit vtriusque energia, sed quòd ad vnicum ἀποτέλεσμα concurrant distinctæ singularum naturarum actiones. Exẽplo sit excitatio Lazari à mortuis. Ad hoc opus concurrunt actio Deitatis propria, nẽpe repetita connexio animæ Lazari cũ eiusdẽ corpore, deinde actio humanitatis tũ secundum animam (cogitauit enim & voluit anima Christi quòd faciebat Deitas) tum secundum corpus, clamante lingua, Lazare veni foras. Sic sanata est hæmorroissa corporis Christi contactu, quamuis propria fuerit Deitatis actio sanguinem illius sistere. Cuiusmodi alia multa à Damasceno pulchrè explicantur li.3.c.15. Sed & aliud considerandum arbitror nempe sicut actiones ipsæ naturarum distinctæ sunt, ita etiam actiones quasdam esse singularum naturarum simplices & nudas: vt exempli gratis, νόημα, id est, prima mentis conceptio est nuda ipsius mentis actio, quam si sermone cuipiam declaret, tunc

est actio nom simplex, sed ob admotam corporis actionem composita. Sic in verbo propriæ sunt & vni Deitati sigillatim consideratæ immanentes actiones simplices quas si per humanitatem fieri dicas, non minùs pecces quàm si humanitatem in ipsam Deitatem conuertas. Christus certè vt pote verus Deus Patri ὁμοούσιος, nec effusis duntaxat in carnem donis sicut & reliqui sancti, vt vult Iacobus Andreas, sed vere ἰσόθεος, nouerat quid in cordibus hominum lateret, vidit absentem Nathanaëlem, omnia habuit sibi præsentia, Patri semper cooperatus est in mundi gubernatione: num, quæso, per humanitatem, quanuis non sine humanitate, id est, Deitate ab humanitate non separata? Quod si quid in istis operata est humanitas cum Deitate, humanitas potiùs per Deitatem operata fuerit, quàm per humanitatem deitas, vt vestra ἀκοινωνησία nullo modo sit in istis quæ commemoraui, tolerabilis, nisi dicere malitis animam per oculum, quàm oculum per animam videre. Rectè igitur dixi & dico τὸν λόγον non omnia fecisse per humanitatem. Tu verò vt hoc eluderes dicere maluisti *Non conscia aut socia humanitate*, quæ verba non possum ego coniicere quomodo sis explicaturus, nisi quòd existimo te prius illud ad θεωρίαν, posterius ad πρᾶξιν ipsam accommodaturum, vt videlicet nihil scierit Verbum quod non simul scierit humanitas ipsius, neque sit vllum opus Deitatis in quo non sit ipsa cooperata humanitas. Istud verò cuiusmodi sit agedum sigillatim expendamus. De societate quid nobis videatur iam diximus, quod expectabo dum refutes. De scientia non ignoro quid nonnulli, ac inter illos Damascenus senserint, quasi videlicet ab ipso conceptionis momento anima Christi perfectissima sapientia fuerit prædita, quod tamē Ambrosius rectè negauit, quem Lombardus frustra in partes suas trahere conatur. Ne verò diutius aut pluribus ea de re vobiscum contendam, ecce tibi D. Lutheri verba ex accuratissimè scripta concione in Dominicū diē natali Christi proximū, in hæc verba Luc. 2. 51. Puer autē crescebat &c. *Finxerunt*, inquit, *argutuli quidam nouum fidei articulum. Christum in instanti, vt loquuntur, conceptionis suæ etiam secundum hominem fuisse plenum Spiritu & sapientia, adeo vt nihil prorsus in ipsum potuerit postea quouis modo immitti, quasi anima eius fuerit in modum vtris, quem ita impleas vt nihil præterea queat in se recipere. Nesciunt planè isti & quid loquuntur & quid affirmant.* Et mox. *Amplectamur igitur verba Euangelistæ, & ea quàm simplicissimè de Christi humanitate intelligamus quæ Deitatis instrumentum & veluti domus quædam fuit, plena semper spiritu Dei. At is non semper eam similiter mouit, sed alia atque alia ratione secundum diuersitatem negotiorum & occasionum rem Patris agendi. Ita, licet nunquam ei abfuerit Spiritus Sanctus, sicut corpus eius per incrementa temporis succrescebat, & rationis vsu quotidie reddebatur auctior pro modo naturæ, vt & aliis hominibus euenit, ita & Spiritus continuò penitus illi sese immisit, mouitque illum pro ætatis ratione potentius & ad plura. Neque enim figmentum est quod Lucas ait, Corroborabatur spiritu, sed vt verba sonant ita simplicissimè quoque res euenit, vt quantùm accessit ætatis, tantùm & magnitudinis, quantùm verò magnitudinis, tantùm & rationis, vtque ratione auctior, ita & spiritu euasit robustior & sapientia plenior coram Deo in seipso, & coram hominibus: neque hæc verba opus habent alia glossa, sed hæc huius loci naturalis intelligentia, & sine periculo & Christiana est.* Et mox. *Quum sit ita comparatum vt omnes homines augeantur corpore, ratione, spiritu & sapientia, neque sit qui aliter se habeat, voluit Lucas hîc de Christo illud prædicare, quod Paulus scripsit Phil. 2. Christum se inaniuisse &c. nempe Christum ad eundem modum sese habuisse, & eum tempore etiam aliarum rerum incrementa accepisse, sed accepisse præstantius aliis, eò quod ingenio fuerit nobilior & diuinis dotibus opulentius aliis ornatus. Hoc pacto nihil erit difficile in verbis Lucæ, modò arceantur argumentorum istorum subtiles nugæ.* Audis, Pappe, Lutherum, quem vnum omnibus quoties libuit, opponitis, figmentum Maiestaticum, effusionem realem omnium Deitatis proprietatum in carnem, operationes omnes per humanitatem ab incarnationis momento, tuum denique hoc responsum ex professo damnantem? Transige igitur cum illo, aut potiùs fatere cum veritate, etiam si non omnia egit Christi Deitas conscia aut socia humanitate, non tamen propterea totam humanitatem à tota Deitate assumptam non fuisse, quòd certè cogitare debueras non minùs valdè absurdum esse, quàm si diceres totam Deitatem non assumpsisse totum corpus, quoniam pedibus non videat vt oculis. Quinetiam, quæso, quum tu, veritus ne alioqui hypostatica vnio dissoluatur, cōtendis humanitatem fuisse sociam & consciam omnium Deitatis actionum, quid obsecro per humanitatem intelligis? animam profectò quum de scientia quæritur, quia scientiæ subiectum non est corpus. Age igitur si rectè argumentatus es, cur non rectè quoque conclusero, vel non assumptum fuisse corpus à Verbo, vel corpore quoque Christum omnia sciuisse & cognouisse? Sed hoc te fefellit, quòd cum Iacobo Andrea assumptionem carnis à Verbo factam pro effusione donorum accipis (quum non aliter possis partem Deitatis interpretari) id est, vnionem ipsam pro eius effecto, siue, vt in scholis loquuntur, gratiam vnionis per quam homo sustentatur in Verbo, cum gratia habituali, id est, donis à Verbo in ipsam carnem effusis, permisces, quæ sanè dona etsi tanta sunt quanta in vllam rem creatam conferri & immitti possunt, adeò vt nomen habeat, hac etiam ratione Christus supra omne nomen, nihilominus tamen infinita esse non magis possunt, quàm humanitas ipsi Deitati secundum οὐσίαν exæquari, vt videatur non satis posse reprehendi vox illa Brentianorum, qua loquiūt se exæquare humanitatem Christi diuinitati non οὐσίᾳ, sed ἐξουσίᾳ: non essentia, sed potentia: non natura, sed gloria: non substantia, sed maiestate. D. Lutherus quidem certè non minus falsē istud Omnipotentiæ carni insitæ figmentum, quàm alterum illud Omniscientiæ deridet, alia concione iampridem edita, & iam antea citata his verbis, *Imperiti quidam omnipotentem in Christo hominem faciunt, permiscentes duas naturas & opera earum pariùm prudenter.* Hæc ille, rectè sanè sentiens, quem non excusauit, sed graui probro affecit Lubecensis ille, qui nuper hanc concionem inter Lutheri næuos reposuit, aduersus quosdam scribens.

Cæterùm vt probarem hypostaticam vnionem neque ex proprietatum effusione neq; ex cooperatione naturarum, quales illas esse vultis, definiri oportere, præter nonnulla quibus non respondes, illud quoque protuleram, quòd Verbum dici non possit præstantissimum illud opus resurrectionis per humanitatem suam, sed in humanitate sua, sola virtute suæ Deitatis edidisse, quod ex his ipsius verbis probaui, *potestatem habeo deponendi animam meam & rursum illam accipiendi.* Tu respondes, quamuis separato ab anima corpore, Deitatem tamē fuisse personaliter cum anima vt potissima humanitatis parte vnitam ac proinde *τὸν λόγον*, per animam quoque corpus suum excitasse. Atqui vides nein hac responsione multum peccatis. Etenim si existimas Deitatem post corporis ab anima separationem fuisse duntaxat cum anima personaliter vnitam, nemo Christianus te ferret, quoniam altera saltem ex parte hypostaticam vnionem dissolueris, quod si verum esset, sepultura Christi nobis viuifica non esset. Illud autem extra controuersiam est, animam Christi, quandiu cum corpore ipsius coniuncta fuit, fuisse medium quiddam connectens Deitatem cum assumpto corpore, eadem verò per mortem à corpore suo separata, tunc Deitatem fuisse medium vinculum animam suo interuentu cum corpore copulans, quamuis illa per mortem essent separata: ita vt ante mortem extrema in Christi compositione fuerint Deitas & corpus, anima verò medium. post mortem verò Anima & corpus. Deitas verò medium: Deitate tamen & ante & post mortem, humanitatem totam sustentante. Deinde quomodo tandem ista verba, Potestatem habeo deponendi animam meam, responsioni tuæ accommodaris? præterquàm enim quòd de altera tantùm huius dicti parte, nempe de posteriore respondes, quamuis id quod deponitur & quod rursum accipitur interuenire in ipsa depositione & resumptione sit necesse, quis tamen tibi concesserit deponentem & resumentem agere per illud ipsum, quod deponatur & resumatur, id est, agens agere per ipsum patiens? Quòd si etiam istud tibi largirer, Anima, quæso, estne tota humanitas per quam vultis omnia agere Verbi Deitatem? Quòd si anima non est à corpore separata, etiam si per illam solam agat interdum Deitas, cur separatam à nobis dices humanitatem à Deitate, nisi fateamur Deitatem quicquid agit agere per humanitatem?

Septimum argumentum Bezæ.

HVMANITAS est instrumentum diuinitatis. Sed instrumentum non semper necessariò est vnitum efficienti, ita vt quicquid efficiens agit, per hoc & cum hoc instrumento, quod illi sit vnitum, agat, vt patet de fabro & malleo.

Responsio Pappi.

VERVM hoc est. Sed S. Scriptura nos docet humanitatem eiusmodi esse instrumentum filij Dei, quod ei personaliter semper sit vnitum. Ergo est manifesta dissimilitudo.

Apologia Bezæ.

QVONIAM Brentiani hypostaticam vnionem eo cœperunt definire, quòd Deitas agat omnia in Christo per humanitatem, obieci illis quod dissoluere nunquam poterunt, absurdum hunc esse paralogismum à non causa, quod aiunt in scholis, ad causam. quoniam instrumentalis causa sit plerunque extranea, quod familiari exemplo declaraui. Tu respondes magnam esse in his dissimilitudinem, quod ipsum ideo dictum volui, vt eos redarguerem, quibus patrocinaris. Cogita, quæso, an hoc sit proferre quippiam, quod me erroris coarguat: quod sanè si faceres, ita me bene Deus amet, vt me tibi adstipulatorem haberes. Deinde si eorum dogma probas, qui Deitatem scribunt non aliter in Christo secundùm subsistētiam vnitam, quàm in rebus creatis omnibus, considera, quæso, mi Pappe, annon tute tibiipsi repugnes.

Octauum Argumentum Bezæ.

PRAETEREA Deus pater creauit omnia per filium, & tamen Pater & Filius non sunt vniti hypostaticè. Sunt enim diuersæ hypostases.

Responsio Pappi.

NIHIL ad rem, quia scriptura nos docet vnionem esse personalem naturarum in Christo, quæ tam est arcta, vt neutra aliquid agere possit extra consortium alterius, vt supra dictum est.

Apologia Bezæ.

IMò rursum nihil minus appositè respondere potuisti. Etenim si quempiam agere omnia per alium est hypostaticæ vnionis definitio, vt ij volunt quorum sententiā tuendam suscepisti, statuendum oportet quinam non sint Pater, Filius & Sp. sanctus vnica hypostasis, aut negandum antecedens (quod non possis nec nolis, opinor) aut cedendum est veritati.

Nonum Argumentum Bezæ.

COMMVNICATIO idiomatum id est, prædicatio, qua vnius naturæ proprietas tribuitur alteri naturæ in concreto, respectu personæ Christi realis est, respectu naturarum vero verbalis tantùm.

Responsio Pappi.

FALSVM hoc esse demonstrant nostrorum hac de re edita scripta, præsertim verò D. Lutheri & Brentij & Schckij. Nam quum humana natura sit à Deitate assumpta in personæ vnitatem ita vt ipsius non sit alia substātia quàm filij Dei, sequitur necessariò, quum filij Dei [illegible] sit ipsi hoc,

quo diximus,modo communicata,vt eadem ratione Deitatis Christi proprietates ei verè & realiter communicatæ sint.Siquidem filij Dei proprietates nihil aliud sunt,quàm ipse filius Dei.Communicatio igitur idiomatum realis est & vera,non verbalis.Nam quod metuunt, ne naturæ confundantur,frustra sunt soliciti.Dicemus enim alia ratione has proprietates Deitati competere,videlicet per naturam(vt loquuntur)alia verò ratione(verè tamen & realiter) humanitati,videlicet per gratiam,& propterea quòd assumpta est à Deitate in vnitatem personæ. quæ omnia millies à nostris ex Dei verbo perspicuè declarata sunt. Longè verò alia ratio est proprietatũ humanitatis, si ex diuinitati in cõcreto tribuantur,quia diuinitati ab humanitate nihil cõmunicari potest.Nam Deo nihil quicquam accedere vel decedere potest,quum sit perfectissimus. Humanitati autem à Deitate non tantùm subsistentia,sed etiam summa maiestas communicatur. Manifestum ergo est diuersam esse rationem prædicationis & communicationis idiomatum.

Apologia Bezæ.

HIc ille est scopulus in quo teipsum spero,vbi rem totam diligentiùs & absque præiudicio inspexeris,fassurum opinor eos ipsos,quos commemoras,impingere, qua de re millies ipsis respondimus.Si Communicationis vocabulo intelligitis ipsam naturarum vnionem, quum ea talis sit vt proprietates singularum essentiales non egrediantur sua subiecta (quod vester quoque Kemnitius ingenuè fatetur)nõ potes vllo modo vel Deitatis proprietates humanitati,vel humanitatis Deitati aliter attribuere quàm κατ' ἄλλο: nõ igitur realiter,nisi personæ siue totius ex duabus naturis compositi respectu,quarum tamen alteri duntaxat naturæ reipsa insint.Sin verò Communicationis nomine(quod facere te apparet)non vnionis gratiam intelligis,sed id quod ex ea vnione consequuta est in sese humanitas (quam gratiam diximus in scholis habitualem idcirco vocari & ab illa distingui)primùm distinguenda fuit homonymia ex disputationis legibus, ne de vno rogatus de altero responderes.Deinde tibi probandum fuit, quod est prorsus ἀδύνατον, naturã aliquam posse ex gratia reipsa donari essentialibus alterius proprietatibus,id est,humanitatẽ posse per gratiam euadere Deitatem,siue Deitatem aliquam existere posse precariam.Stat enim istud, sicut accidentalis bonitas,misericordia,charitas ab essentialibus in res creatas promanat, sic etiam infinitatem,omnipotentiam,omniscientiam,omnipræsentiam aliquam non posse alij vllo modo naturæ,quàm ipsimet Deitati inesse,quem scopulum vt vitaret Kemnitius,pro effusione reali ἐκχύσεως substituit,immemor illam ab vnione depẽdere,quæ proprietates in suis subiectis retineat,ac proinde enuntiationes inde profectas solis concretis conuenire, qua de re alius erit, vt spero, dicendi locus.Nam quod ais aliter cõmunicari Deitatis proprietates humanitati, quàm humanitatis Deitati.verum esse non potest,si ad gratiam vnionis referas.Est enim eadem prorsus vnione hypostatica Verbum Homo,qua Homo Verbum,& qua ratione filius Dei fuit crucifixus,Filius hominis erat etiam in cælo,quum esset in terris,nempe κατ' ἄλλο,non in sese,quamuis dignior sit natura assumens,quàm assumpta.Sin verò ad vnionis effecta referas (vt tu sanè facis) concedimus tibi non fuisse Deitatem ab humanitate affectam , sed humanitatem inenarrabiliter ab vnito sibi verbo supra res omnes creatas euectam,sic tamen vt infra illam semper subsidat. Quamuis enim effecta communicabilium Deitatis attributorum habeat omnia & quidem summè per gratiam quæ sunt Deitatis per naturam:tamẽ ea,quæ sunt vni & soli naturæ infinitæ per se propria, certum est tam esse ἀκοινώνητα,quàm verum est non posse plures esse reipsa infinitates,& Deitatis(vt ita loqua)subiectum nunquam egredi.

Decimum Argumentum Bezæ.

CONTROVERSIA de Cœna Domini in eo consistit,quomodo signa,id est,panis & vinum, & res signatæ,id est,corpus & sanguis Domini coniungãtur:in reliquis enim cõuenire omnibus inter se & nos.Dicit Beza coniungi hæc sacramentaliter:Lutheranos autem dicere, quòd coniungantur corporaliter,essentialiter,& realiter.

Responsio Pappi.

NOs non minùs dicimus coniunctionem esse sacramentalem . quàm ipsi.Verùm hoc interest, quòd ipsi suam sacramentalem explicant per spiritualem,& putant corpus & sanguinẽ Christi non verè & realiter esse in Cœna,sed quatenus fide percipiatur.

Apologia Bezæ.

SI putas,Pappe,nos sic de rei sacramentalis,id est,ipsius corporis & sanguinis sacramentali præsentia statuere,vt si fide percipiatur,adsit,sin minùs,absit,quasi videlicet Sacramenti veritas à fide accedentium promanet,sicut etiam Sorbonicus Theologus Spensa nos est calumniatus , iniuriam nobis facis. Scito igitur nunquam nos esse inficiatos Christum in cœna tam verè sese, quàm ipsa symbola quibusuis sacramẽtaliter,id est,sacris visibilibúsque signis ac ritibus adbibitis offerre,sed diuerso modo,signa videlicet corporalia corpori,corporali modo,rem autem cælestẽ mẽti, spirituali,& intellectuali modo:& illa quidem situ ipso loci,præsentia,Christi verò corpus & sanguinem ita situ loci,absentia,vt intellectui tamen verè per fidem percipienda proponantur:ex quo consequitur spiritualem quoque siue mysticam esse,& κατὰ σχέσιν intelligendam sacramẽtalem signorum & rerum coniunctionem.

Adiicit Pappus.

NOs verò dicimus,quum Christus etiam secundum humanitatem suam necessariò vbique sit (propterea quòd videlicet in vnitatem personæ cum filio Dei assumpta est ipsius humanitas)

tamen

tamen in Cœna sua alio modo corpore & sanguine suo præsentem esse, quàm adest aliis rebus omnibus, videlicet sacramentaliter, verè tamen & realiter.

Respondet Beza.

IMò quum hypostatica vnio eò differat à commixtione, quòd proprietates naturarum essentiales sua subiecta nullo modo egrediantur, sed hoc consequatur duntaxat, vt assumpta natura fiat assumentis propria in vnum ὑφιστάμενον coalescens, tãtùm abest vt propterea sit vbique humanitas, quia est assumpta à Verbo, vt contrà idcirco absit, quoniam saluis suis proprietatibus est assumpta. Deinde vide, quæso, quînam ista cohæreant. Vis humanitatem adesse vbique propter hypostaticam vnionem, & tamen alio modo in Cœna adesse. Atqui si propter hypostaticam vnionem est vbique, est quoque in Cœna hac ipsa ratione: vel vbiquitatem istam consequetur vbiquitatem non esse, si tot loca excipias in quibus Cœna celebratur. Itaque vt sibi cõstaret ista tua responsio, dicendum fuit, ni fallor, non ALIO MODO, sed ALIO ETIAM MODO, vt duplex sit realis præsentiæ corporis in Cœna fundamentũ, hypostatica videlicet vnio, & sacramentalis institutio. Sed quorsum hanc, si quidem illa sufficiebat? nempe inquies, vt sacramentalis sit, id est (vt opinor) vt adiunctis symbolis sanciatur. Hoc autem si verè dicis, iam non aderit corpus, quia dixerit Christus, Hoc est corpus meum, sed id tãtùm dictum fuerit propter adiunctum panem. Quorsum igitur, quæso, illa verba quum libuit perinde aduersum nos detonatis, quasi verbo Dei fidem derogemus, & testamentum Filii Dei irritum faciamus? Num enim signa Cœnæ Domini adhiberi ex mandato Dei vnquam sumus inficiati? Verùm quomodo hîc transiges cum vestræ alioqui corporalis præsentiæ præcipuis defensoribus? Nec enim illos ignoras docere ab vnis verbis Institutionis Cœnæ petendam esse huius controuersiæ disceptationem, quorum non est necesse locos citare. Quòd autem SACRAMENTALITER non vis opponi τῷ VERE & REALITER, in eo tibi assentimur, modò realitatem nullam ponas quæ carnis circunscriptam proprietatem tollat, neque duas oppositas qualitates eidem substantiæ, Circunscriptionem videlicet & Incircunscriptionem tribuat, quæ repugnantia certè non tollitur, etiam si Circunscriptionem tribuas naturæ, Incircunscriptionem verò gratiæ.

Addit Pappus.

QVVMQVE illi negarent id fieri posse, vt videlicet corpus Christi simul & semel multis in locis esset, introducta est disputatio de vnione duarum naturarum in Christo, qua demonstratur non modò id fieri posse, sed omnino necessum esse, vt propter personalem vnionem vbicunque est Deitas Christi, ibi etiam sit ipsius humanitas: alioquin enim fore, vt duæ sint personæ Christi: vel vna, quæ sola sit diuinitas & vbiq;: & altera quæ sit Deus & Homo, quę certo cœli loco consideat: vel sequitur humanitatem non assumptam esse in totam Deitatem, sed tantùm in aliquam eius partem.

Respondet Beza.

VERVM est profectò quod dicis, obiecto nobis argumento de veri corporis quantumuis glorificati circunscriptione, Lutherum primùm cœpisse de ista vbiquistica præsentia nonnihil disserere, sed ita vt ex abundanti hoc faceret, & hanc quæstionẽ facessere iuberet. Sed Brentius illo scilicet oculatior, id vnum cœpit vrgere, & cælos ipsos potiùs vt & inferos vbique constituere, & articulos incarnationis, ascensionis & sessionis ad dexteram Patris potiùs ad vnam & eandem rem reuocare, quàm veritati cedere. Sed & Iacobus Andreas in responsione ad Sperlingum: *Non erubesco* inquit, *palàm fateri si ea est natura humana proprietas, vt non nisi in vno aliquo loco esse possit, neque à diuina natura ipsi communicari vllo modo possit, quo & ipsa cum λόγῳ in pluribus aut omnibus locis esse queat: me pro asserenda vera corporis & sanguinis Christi præsentia in Cœna, ne ad momentum quidem pugnaturum. Si enim simpliciter id esse impossibile fatear, qua ratione id fieri posse ex verbis Cœnæ demõstrare conarer? Verba enim Cœnæ Dominicæ* (vt idem ait & in thesibus & contra Heydelbergenses) *tantùm sunt verba dispensationis corporis & sanguinis Christi iam ante & ex alia causa, communicata videlicet proprietatis per vnionem, essentialiter in pane & vino, sicut in alia quauis creatura, præsentis.* At contrà Kemnitius, *Quoniam,* inquit, *de generali illa corporis Christi vbiquitate & præsentia in omnibus creaturis ne inter vestros quidem satis constat, nec ipsorum sententia & testimonia consentiunt, ideo illam in medio relinquimus. Abundet quisque in suo sensu.* Et Heshusius in libro de Cœna. *Quũ naturæ in Christo maneãt distinctæ, non dicimus humanam naturã Christi esse vbique, non dicimus corpus Christi esse in ligno, in lapidibus, in frugibus.* Itẽ, *Vt maneat eadẽ discrimen humanæ naturæ & diuinæ in Christo, non dicimus vbique esse corpus Christi, sed recipimus modum loquendi à Patribus traditum, Christus est vbique videlicet communicatione idiomatum, id est, diuinitas est vbique, & propter vnionem duarum naturarum hypostaticam, alterius naturæ proprietas Toti personæ in concreto tribuitur.* Quid verò? nuper admodum ille Lubecensis aduersus Palmerium scribens, & noui corporis doctrinæ à certis Theologis nescio quibus fabricati propugnator, an non apertè vbiquitatis mentionem πρῶτον factã à D. Luthero dicit & ad vna institutionis Cœnæ verba nos reuocat? Nã etiã tot iã ante seculis, quicquid scribat Kemnitius, explosa fuit à Scholasticis ipsis vbiquitas, teste his verbis Thomæ li.1.sent.dist.37.quæst.3.ar. *Corpus Christi neq; in quantum corpus neque in quantũ est diuinitati vnitũ, hoc habet vt sit pluribus locis.* Vides igitur quàm multos ex tuis ipsis habeas tuo isti argumento

repugnâtes, in quo certè miror potuisse abs te colligi, *separatū iri naturas, si vbicunque adest Deitas* (adest autē vbiq;) *non adsit etiam humanitas.* Nam, quæso, etiā si caput non est vbi sunt pedes, num idcirco caput à pedibus est separatum? an idcirco radii à solis corpore seiuncti quòd hi terram contingant, illius corpus tam procul in cœlis absit? Nunquam igitur seiuncta est Deitas, quæ vbique est, ab humanitate finita, quæ in cælis nunc est, & alibi nusquam. Neque idcirco non subsistit in toto Verbo humanitas assumpta, quòd finita quum sit, infinitæ assumenti non coextendatur. Rectè quippe Augustinus ait, non esse necessarium, vt quod in Deo est sit vbique sicut Deus, quem locum frustra conatur Iacobus Andreas eludere, quasi particula SICVT, non identitatem, sed paritatem duntaxat declaret.

Vndecimum Argumentum Bezæ.

OBIICIT Beza sententiam nostram pugnare cum ipsa rei siue corporis natura, cum analogia fidei & cum sacramentorum natura. Nam quòd ad corporis naturam attinet, Christus (inquit) habet verū corpus. Ergo illud visibile, palpabile & in certo loco: & per consequēs non potest esse in pluribus locis, vbi cœna administratur, vel si maximè ibi esset, saltem videri, palpari & sentiri posset.

Responsio Pappi.

PRIMVM Visibile, Palpabile & Sensibile esse non sunt propria corporis, quatenus corpus, sed quatenus coloratum est, vel aliis qualitatibus imbutum: quibus omnibus corpus Christi gloriosum caret, & nostra quoque corpora post resurrectionem carebunt. Quòd autem Christus post resurrectionem discipulis se conspiciendum præbuit & tangendū, non cò sequitur corpora glorificata αἰσθητὰ siue sensibilia esse, quia Christus illam infirmitatem ad tempus assumere voluit, vt subueniret discipulorum incredulitati, & demonstraret se verè ex morte resurrexisse. Interim illud quoque meminisse oportet quod paulò antè dictum est, sacramentalem & non physicam nos præsentiam introducere.

Apologia Bezæ.

IMO si credis Aristoteli testi in his quidem rebus maximè idoneo, σῶμα εἶναι τὸ ἁπτόν: & rectè, sicut ait poeta quanuis alioqui impius. Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res. Quòd si est ἁπτόν, necesse est quoque esse coloratum, ac proinde visibile in sese. Omnia igitur ista mutuò se consequuntur in corpore verè humano & physico, quale fuit, est & erit in æternum Christi corpus. Alioqui non esset firmum nec solidum Christi argumentum, Videte & palpate. Spiritus carnem & ossa non habent: neque inde coargui Marcionitæ possent. Et quod dicere audes corpora nostra corporeis omnibus istis qualitatibus post resurrectionem caritura, vnde tandem hausisti? Non ignoras enim hoc fuisse Origenistarum dogma, quòd spiritualia & ætherea post resurrectionem nostra futura sint corpora, [quæ nec tactui subiaceant, nec oculis cernantur, nec pondere prægrauentur, nec pro locorum, in quibus futura sint, varietate mutētur. Et quum Origenistis obiiceretur illud Christi, quod modo citaui, illud ipsum respondebant quod repetis, & quod refutans Hieronymus aduersus Ioānem Hierosolymitanum, quid responderit nosse te arbitror, & quid hac ipsa de re plurimis locis disseruerit Augustinus. Ac Brentius quidem vester, fateor, respondet se minimè negare ipsius naturalis substantiæ resurrectionem. Verùm, quæ est hæc substantia, cuius qualitates essentiales resurrectio non perficiat, sed aboleat? *Christus*, ais, *hanc infirmitatem*, qua videlicet visibilem & palpabilem se conspiciendum præbuit, *discipulorum causa assumpsit, vt fidem resurrectioni sua faceret.* Sanè quòd quadraginta dies adhuc viuere cum discipulis sustinuit, quòd cum ipsis comedit qui cibo ampliùs nō egebat, & si quid simile in historia resurrectionis narratur, id illum κατ' οἰκονομίαν fecisse non ambigo. Verùm quòd visibilis & palpabilis fuerit, eôdem, non tantùm quod ad materiam, sed etiā quod ad veras & formales corporis proprietates, corpore præditus, absit vt tibi concedam Infirmitati tribuendum, quum è contrario vna quęque substantia suis specialibus proprietatibus perficiatur, quas gloria non destruit, sed illustrat. Si hæc tibi non satisfaciunt, saltem illud considera, quàm sit absurdum, existimare Christum in illo suo illustri aduentu istam, quam vocatis, infirmitatem, qua vultis illum statim à resurrectione caruisse, resumpturum, vt absoluto demum iudicio rursus eam deponat. Nec enim negabis hûc illum visibili specie venturum sicut ascendit, quia Angelorum testimonio alioqui refelleremini. Itaque si vobis credimus, qui nunc est inuisibilis, fiet rursum vltimo illo die visibilis, ídque in gloria sua, & quidem vt nobis etiam factis à resurrectione inuisibilibus occurrat. Denique quòd sacramentalem & physicam pręsentiam inter se opponis, si ad rem ipsam significatam simul & intellectui verè oblatam refers, tecum probamus, fatentes cum Apostolo Eph. 5. quod ibi agit in nobis Dominus, omnem naturalis intellectus facultatem longè latéque superare. Sin verò realem eo ipso corporis præsentiam signis testatam sic intelligis, tum tibi assentiemur quum hyperphysica & antiphysica vnum & idem esse nobis demonstraris.

Addit Pappus.

SED, inquies, saltem proprium corporis est, vt sit quantitate præditum & finitum. Verum hoc est, ideóque non dicimus Christi corpus extensum vel diffusum esse in infinitam molem.

Imò

Imò dicimus iam postquàm in cælum ascendit, non alia ratione esse vbique quàm erat, quum in terris ambularet aut in ipso puncto conceptionis in vtero Mariæ virginis: & vt istud pleniùs explicem, dicimus Christum secundum humanitatem esse omnipotentem & omnipræsentem, &c. non ratione corporis gloriosi, sed propter vnionem personalem. Nec est, quòd dicant se nihil detrahere maiestati humanitatis Christi quum ipsam subiiciunt naturæ legibus, quia Christus etiam assumpserit formam serui, & omnes humanas infirmitates excepto peccato, quod tamen nō deroget ipsius humanitati. Ergo multò minùs ipsi derogare, si ei attribuantur proprietates humani corporis. Respondemus enim Christum quum in statu humilitatis, vt loquuntur, & in forma, vt Apostolus ait, serui in terris ambularet, non minùs fuisse omnipotētem & omnipræsentem quàm nunc, Imò in ipso puncto conceptionis hanc ei maiestatem personalis vnionis tributam esse, quam tamen non semper exeruit, sed tum solùm, quum ei visum fuit.

Apologia Bezæ.

IMò non arbitror hoc esse appositum responsum. Nec enim quæritur an alio modo nunc sit vbique Christi humanitas, quàm quū adhuc in terris ambularet: sed hoc probatum volui, neque olim quum in terris esset vbique fuisse, neque nunc quum in cælis est, vbique esse, quoniam videlicet & tunc erat & nunc est organico verè humano circunscripto corpore præditus Christus. Istud denique nihil ad rem, eo vno excepto, quòd omnino sit ἀσύστατον, verum organicum corpus esse vbique, & tamen in sua definita mole permanere, quum vni eidémque naturæ non possint repugnantia tribui, teste in hac ipsa disceptatione, Theodoreto, Vigilio, Augustino, ipso denique Christo ex corporeæ substātiæ proprietatibus, corporis veritatem adstruente. Quod autem addis humanitatem Christi esse omnipotentem & omnipræsentem, non ratione corporis gloriosi, sed propter vnionem personalem, quînam tandem cum definitione vnionis personalis consentiet, in qua disertè exprimitur, proprietates cuiusque naturæ essentiales saluas permanere? nempe si dixeris omnipotentiam istam & omnipræsentiam esse aliquid non inhærens humanitati vt subiecto, sed Deitati proprium, quod tamen tribuatur humanitati, vt in ipsa Deitate subsistenti. Et certè nisi ita esse statuatis, consequetur duas esse omnipotentias & omnipræsentias, vnam videlicet essentialem Deitatis, alteram accidentalem, siue, vt ludens Iacobus Andreas scribit, quasi accidentalem, humanitati insitas. Præterea (vt modò dixi) duas reales repugnantes proprietates vni & eidem subiecto eodem tempore attribueres, quod falsissimum & absurdissimum esse non ignoras. Sed illud rursum vide quàm parum cum Brentii & Andreæ placitis cohæreat, quibus tamen velle te patrocinari video. Definiunt enim illi hypostaticam vnionem reali omnium Deitatis assumentis proprietatum in humanitatem assumptam effusione. Quînam ergo humanitas non fuerit effusarum in sese proprietatum receptaculum? Deinde iidem nolunt Deitatem alter esse humanitati Christi quàm cæteris sanctis personaliter vnitam, eo vnico excepto, quòd in sanctis demensæ, Christi verò humanitati omnes Deitatis proprietates sint effusæ. Constat autem dona in sanctos effusa, esse qualitates illis tanquam subiecto hærentes. Itaque quum præceptorum tuorum sententiam stabilire velle videaris, illam tamen euertis, aut illi potius sese tecum destruunt. Video enim illos hæc eadem prorsus ἀσύστατα scriptitare. Sed, age, demus ita hoc esse, vt tu nunc vis: sitque & semper fuerit post vnionem omnipotens & omnipræsens humanitas Christi, non sua, sed hypostaticè assumpti Verbi omnipotentia & omnipræsentia: quînam rursum à Iacobo Andrea non dissenseris, qui ne videatur secundariam quandam Deitatem comminisci, respondere solet humanitatem Christi esse quidem vbique, sed non eo modo, quo ipsa Deitas vbique sit? Etenim si humanitas est omnipræsens per Deitatis omnipræsentiam: est certè omnipræsens ea ipsa omnipræsentia, qua Deitas est omnipræsens, quamuis hoc illi per vnionem personalem accidat non ex natura sed ex gratia. Imò quînam rursus à seipsis non dissenserint Brentius & Iacobus Andreas, vt qui disertis verbis testentur se per Deitatem Christi nullam essentialem Deitatem, sed dona in carnem ipsam effusa intelligere? Priùs ergo quomodo ista inter se consentanea fiant demonstres oportet, quàm responsum tuum admitti possit. Res autem ipsa sic sese habet. De toto quopiam ὅλον considerato rectè & verè dicitur, quod tamen non nisi parti Totius propriè conuenit: at de vna parte dici verè non potest, neque quod est alterius partis, neque quod est Totius. Sic exempli gratia rectè dixeris Pappum (quod nomen est totius ὅλου considerati) loqui & scribere, & tamen solum os Pappi loquitur, sola manus scribit. At partem aliquam Pappi nominans, puta oculum vel pedem, oculum loqui aut pedem scribere non dixeris, siue sigillatim siue in vnico Pappi organico corpore coniunctos illos consideraris. Sic agedum, consideremus in Christi persona Deitatem Verbi & humanitatem. Rectè dixeris Iesum (quod nomen est totius personæ) esse Iehouam, increatum, infinitum, omnipotentem, omniscium, omnipræsentem, & quicquid est Deitati essentiale, quæ tamen illi toti non nisi Deitatis respectu conueniunt: itémque Iesum esse conceptum in Maria, natum, crucifixum, mortuum, sepultum, à mortuis excitatum, & quicquid est humanitatis, quæ tamen soli humanitati non Deitati competunt. Vides igitur de toto Christo ὅλον considerato rectè dici, quod tamen de Toto Christi, id est, de singulis eius naturis falsum & impium fuerit affirmare, nempe vel Deitatem esse conceptam, mortuam, crucifixam, &c. vel humanitatem esse Iehouam, & increatum, aut infinitum quidpiam, quantumcunque istas duas naturas in vno Christo vnitas esse fatearis. Ratio autem cur hoc ita sit duplex est, vna

quoniã abstracta nomina Deitatis aut humanitatis nunquã naturas nisi distinctè & quales sunt in sese declarant, ideóq; nullus hîc locus distinctioni inter κατ' αὐτὸ & κατ' ἄλλο: altera, quoniã vnio naturarum hypostatica suas cuique illarum essentiales proprietates relinquit illibatas, ac proinde efficere non potest vt vel Deitati humana, vel humanitati diuina citra impietatem Eutychianam tribuantur. Aut igitur nobis ostende, Pappe, vbique siue Infinitum esse (hæc enim necessariò cohærent) vni solique Deitati non esse propriè & essentialiter & prorsus incommunicabiliter proprium: aut illud nobiscum fatere humanitati, quantumuis personaliter cum Deitate vnitæ, attribui citra Eutychianismum manifestum non posse. Nam quòd & Deo Verbo humana & Filio hominis diuina tribuuntur, vt si Deum quidem gloriæ crucifixum vel passum, Filium autem hominis æternum, omnipotentem, omnipræsentem dicas, (quæ omnia propter vnitatem personæ contra Nestorium verè & orthodoxè affirmantur) longè ab illis superioribus diuersum est: quòd vtinam tandem aliquando placidè nobiscum agnoscatis, quum ad omnes istas controuersias tollendas & reddendam Ecclesiis pacem hæc vna expedita sit ratio relicta. Itaq; significari totam Christi personam nõ tantùm ex toti personæ communibus, sed etiam ex vtriuis perfectæ naturæ propriis nominibus concretis, puta Dei, Verbi, Filii, Hominis (Christus enim ex perfectis duabus naturis in vnica subsistentia constat) tum ipse scripturæ vsus ostendit tum ipsa ratio postulat ad vnitatem personæ demonstrandam, vt est rectè in veteribus synodis aduersus Nestorianam blasphemiam definitum. Iam verò quum in vnione naturarum hypostatica ex qua pendet totius Christi personæ vnitas, proprietates essentiales subiecta neutrius naturę egrediantur, vides necessariò consequi Deo siue verbo tribui humana, itémque Filio hominis diuina, non quidem κατ' ἄλλον (est enim Nestorianismus Alium & Alium ponere in Christo) neque κατ' αὐτὸ (est enim Eutychianismus essentiales proprietates naturarum transfundere) sed κατ' ἄλλο, id est, Deo quidem humana quatenus homo est, Filio autem hominis diuina quatenus Deus est. Itaque tam sunt falsæ istæ Nestorianæ enuntiationes, *Deus Verbum non est natus ex virgine neque crucifixus neque mortuus*: &, *Filius hominis non est æternus, omnipotens, omnipræsens*, quibus videlicet persona diuiditur: quàm istæ quoque Eutychianæ, *Deus Verbum est cõceptus, natus, crucifixus, mortuus secundum Deitatem: & Filius hominis est æternus, omnipotens, omnipræsens secundũ humanitatem*, quibus essentiales proprietates transfunduntur. Istæ verò demum sunt Christianæ & orthodoxæ propter vnitatem personæ ex hypostatica vnione resultantem, *Deus verbum est conceptus, natus, crucifixus, mortuus*, &c. sed secũdum humanitatem, siue in carne, vt loquitur Petrus, siue quatenus homo est: &, *Filius hominis est non tantum omnipotens, omnipræsens, sed etiam æternus ille Iehoua, erátque in cœlis quum esset in terris, éstque nunc quoque in terris, quamuis sit in cælis*: sed secundum Deitatem, siue quatenus Deus est, quibus enuntiationibus & vnitas personæ demonstratur, & vnio hypostatica citra confusionem proprietatum statuitur. Inde verò & illud necessariò consequitur, verum quidem esse diuidi Christum nisi vbicũque est Verbum, dicatur etiam esse Filius hominis, quum Christus sit vnica persona Deus homo: at non item, si dicatur non adesse humanitas vbicunque est Deitas. Nam Filius quidem hominis est Deus, quamuis non suiipsius, sed Verbi respectu secũ hypostaticè vniti, & Deus Verbũ est homo, nõ in sese, sed in assumpta natura: humanitas verò quantumlibet vnita, non est tamen facta Deitas, neq; Deitas, euasit humanitas, siue essentia siue essentialibus proprietatibus. Itaque iam cõstat tropum κοινωνίας ἰδιωμάτων siue ἀλλοιώσεως intelligendum esse non de naturis ipsis, siue sigillatim siue coniũctim eas spectemus, sed de ipsa persona, non κατὰ μέρος sed ὅλως considerata, vt & scriptura loquitur & tota Ecclesia perpetuo consensu docuit. Itaque à seipso palàm dissentit Kemnitius, qui postquàm rectè fassus est essentiales proprietates sua subiecta non egredi, & glorificato Christi corpori manere saluam organici corporis symmetriam, realem tamen naturarum περιχώρησιν in abstractis, id est, in ipsis naturis statuat: quæ quidem περιχώρησις est tropi κοινωνίας ἰδιωμάτων fundamentum, & quum sit reciproca, statuenda quoque esset vtrinque realis, quamuis assumens natura in hypostatica vnione dominetur. Itaque si firmum esset Kemnitii fundamentum, vnionem habitualem cum vnione ipsarum naturarum confundentis, & illam, quod ad humanitatem attinet, nimium largè, id est, ad infinitatem vsque extendentis, tam vera esset hæc enuntiatio, *Deitas est passa*, quàm ista, *humanitas est omnipræsens*. Atqui vtramque falsam esse ostendimus ac proinde περιχώρησιν essentialium proprietatum, vt & ipsarum naturarum de sola persona in concretis necessario intelligi.

Sed & in forma serui explicanda habeo de quo tecum disceptem. Scio dupliciter illum Apostoli locum explicatum fuisse à recentioribus præsertim. Veteres enim summo consensu, & rectè quidem meo iudicio, per formam Dei ipsam Verbi Deitatem, per formam serui humanitatem intelligunt: alii verò per formam Dei intelligunt ea quæ Deitatem ipsam consequuntur, vt *In forma Dei esse* idem declaret atque ita se gerere vt Deitati conuenit, & *In forma serui esse* idem significet atque sese, dissimulata Deitatis maiestate ac potestate, ita vt seruum duntaxat præbere. Vtraq; interpretatio hypostaticam vnionem essentialis tum Deitatis tum Humanitatis confirmat: quoniam Deo maiestate æqualis esse non potest, nisi qui essentialiter Deus est. Itaq; inauditum & intolerabile est Brẽtianorum dogma, quo statuunt carnem assumptam esse non ἴσης, sed ἐξ ἴσου Deitati parem, qui error fuit Arrianæ hæreseos fundamentum, donec ἀνωμάλως hæc absurditas animaduersa in Ecclesiam inueheret. Vos igitur omnium primi auctore Brentio & eius adstipulatore Iacobo Andrea (Lutherus enim in maioribus postillis eousque non progreditur, sed in secunda, quã attulimus, interpretatione subsistit) tertiam interpretationem excogitastis, qua tum Dei tum serui formam Humanitati, idque inaudita priùs ratione, attribuistis. Vultis

enim

enim per hæc verba, *In forma Dei esse*, omnia quæ sunt Deitatis per naturam (ac in primis omnipræsentiam siue Vbiquitatem) effusa per gratiam in carnem assumptam, ab ipso conceptionis carnis momento, significari, quam vnam Deitatem in Christo Iacobus Andreas agnoscit: formam autem serui esse illius Maiestatici gradus dissimulationem, quod Lutherus ipse eo loco, quem suprà citaui, miris modis exagitat aduersus eos qui interpretantur *Nescit*, id est, *non vult scire*. Et certè ex hoc fonte orta est Marcionis & Aphthartodocitarum hæresis, quæ Iustinianum Imperatorem perdidit, qua de re quum plenissimè in responsione aduersus Brentium disputarim, plura hoc loco non commemorabo.

Addit Pappus.

OBIICIEBAT sibi Beza nostros dicere, quandoquidem Christus corpus haberet gloriosum, ideo videri id non esse circunscriptum instar aliorum corporum humanorum.

Ad hoc ita respondet. Primò id non dici appositè, quia quum Christus Cœnam instituebat, non fuit tum corpus glorificatum, imò iam iam crucifigendum, & probrosissima morte afficiendum erat, & huius etiam crucis & infirmitatis pro nobis exantlatæ memoria nobis renouatur in Cœna Domini. Deinde respondet gloriam non ademisse corpori Christi naturam, sed perfecisse infirmitatem, vt Augustinus loquitur.

Responsio Pappi.

VERISSIMA hæc sunt: sed nihil contra nos, quia non dicimus vel Christum secundum humanitatem esse omnipræsentem propter glorificationem, vel corpus & sanguinem Christi in Cœna esse præsentia propter rationem corporis gloriosi. Sed dicimus omnipræsentem quidem esse semper & vbique propter vnionem personalem: in Cœna verò præsentem esse sacramentaliter (verè tamen & realiter) propterea quòd id ipse Christus nobis sit pollicitus, cuius verbis fidem habemus, de modo præsentiæ nihil soliciti.

Apologia Bezæ.

QVOD corpora gloriosa fateris esse circunscripta, nisi ad ipsius Christi corpus referas, certè appositè non respondes. Corpus autem Christi post receptam gloriam quum fateris circunscriptum manere, primùm omnium vide quid sis Andreæ Musculo responsurus. Sic enim scribit in suis de incarnatione thesibus, *Quia vnus & idem Christus est, sicut secundum assumentem sic & secundum assumptam naturam nullis localitatis physica legibus est subiectus, nec locorum terminis circunscriptus*. Et ne respōdeas Musculum hoc intelligere de Maiestatica omnipræsentia, quam à glorificatione distinguis, velim à te expendi quid de glorificatis corporibus disertè sentiat Iacobus Andreas. *Si Christum* (inquit contra Heidelbergenses) *consideramus secundum statum glorificati corporis, iuxta quem ei conformes fiemus, hoc quidem impetrauit, quòd nullo corporali loco sit circunscriptus: verùm ob hanc causam nondum est vbique præsens, quemadmodum & nos vna cum beatis Angelis non simus futuri vbique præsentes, & tamen corporaliter nullo loco erimus circunscripti*. Scio te responsurum prorsus inter vos conuenire, quoniam Iacobus Andreas corporalem, tu verò naturalem locum excludis. Sed hoc nobis non satisfacit. Nam si verū & naturale corpus esse fateris quanuis gloriosum (fateberis autem nisi (quod non arbitror) velis corporis veritatem ac naturam glorificatione fuisse absumptā) simul necesse est fatearis illud verè naturali & corporali loco cōtineri. Tuū autē NON VBI quid aliud est, quàm locus nō locus? At Christus, Vado, inquit, vobis parare locū. Et, Volo vt vbi fuero, ibi sint. Et Cyrilli, Theodoreti, Augustini, Vigilii, Damasceni tot citatos à nobis locos, disputationē Hieronymi hac ipsa de re aduersus Ioannē Origenistā, perpetuū deniq; Ecclesię aduersus Marcionitas, Eutychianos, Monothelitas, Monophysitas, Aphthartodocitas, testatum tot synodis consensum refellere te priùs oportuerit, quàm istud NON VBI & locum veri corporis organici non corporalem nec naturalem probare possis: quamuis de futuri seculi conditione nolimus extra Dei verbum quærere, nedum pronuntiare. Quòd autem hæc Christi verba cum Nicodemo in terra loquentis, *Filius hominis qui est in cœlis*, de humanitate intelligis, hactenus in eo tibi nō assentimur, quòd quicquid de Homine dicitur, putes de ipsa Humanitate dici, immemor videlicet de Homine quoque propter vnitatem personæ contra Nestorium dici etiam Deum non tamen Deitatem: eādem prorsus ratione, qua de Deo Verbo dicitur quoque Homo, non tamen Humanitas, quod Eutychetem fefellit, sicut in superioris argumenti Apologia demonstraui. Est enim ἀντίδοσις reciproca, vt quanuis assumens natura dominetur, tamen non magis vniatur Deitas Humanitati, quàm Humanitas Deitati. Qua de re vtinam absque præiudicio legeris & expēderis diserentem Theodoretum, cò magis idoneū veritatis testē, quòd aliquādo ista non intellexerit: Vigiliū ex professo istorū errorū oppugnatorē & martyrio nobilē, quem olim Tubingæ Dormiliū Iacobus Andreas magno cū suo dedecore nuncupabat: Cyrillū, Damascenum deniq;, cuius totus tertius penè liber orthodoxę fidei in istis refutandis cōsumitur, quæ vos affirmatis. Deniq; quòd hanc omnipræsentiā dicis non cōpetere corpori Christi quatenus glorificatum est, sed propter vnionē personalē, quæ ab ipso momēto incarnationis cœperit, nōsatis intelligo quomodo verè dicatur. Primùm enim nō ignoras in hoc ipso argumento quicunq; aduersus Eutychetem disputarunt hoc sumere pro cōfesso, quòd neutra natura posit repugnātes proprietates recipere. Itaq; rectè fatemini, vt & Kēnitius, Humani-

tatem tum infirmitatis tempore fuiſſe, tum poſt glorificationem manere in ſeſe circunſcriptam, vt iſtam omnipræſentiam ei in ſeſe ſiue, vt loquuntur, habitualiter tribuere nullo modo poſsitis, quòd tamen vbique inculcare valde ſanè rerum iſtarũ imperitus Selneccerus non veretur, quid ſit καθ' ἄλλο & καθ' αὑτὸ prorſus ignorans, aut ſcire ſe diſsimulãs. Quid igitur, obſecro vos, ad ſtabiliendam omnipræſentiam vnio perſonalis iuuat? Nam ſi circunſcriptionem non adimit Humanitati, quoniam ſaluas relinquit eſſentiales naturarũ proprietates, certè omnipræſentiam in eam non effundit, quæ ex neceſſaria conſecutione circunſcriptioni repugnat. Supereſt igitur, vt dicatur Humanitas omnipræſens καθ' ἄλλο, id eſt, Deitatis Verbi reſpectu, ſiue non in ſeſe, ſed in ipſa Deitate, in qua ſubſiſtit. Sed hoc rurſum non minùs abſurdum fuerit dicere, quàm ſi dicatur cuiuſpiam corpus intelligẽtia præditum, non in ſeſe, ſed in anima quîcum eſt hypoſtaticè vnitum. Nam vt corpus & anima ſunt duarum diuerſæ naturæ, ſuiſq; proprietatibus reipſa diſtinctarum rerum nomina, ita etiam (vt rectè inquit Damaſcenus lib. 3. cap. 4.) Deitatis & Humanitatis nomina, duas naturas repræſentant, ac proinde non niſi καθ' αὑτὸ, id eſt, quales ſunt in ſemetipſis conſiderari poſſunt. At vocabulorum Dei & Hominis in Chriſto ex duabus perfectis naturis ſubſiſtentis, alia ratio eſt, quàm Deitatis & Humanitatis. Dei enim & Hominis voces tum de ipſis naturis dicuntur (vt idem eodem loco docet Damaſcenus & ſæpe iam obſeruauimus) tum propter perſonæ vnitatem, ipſam quoque totam hypoſtaſin, quamuis ex altera tãtùm natura denominatam, declarant. Itaque contra Neſtorium rectè dicimus de Chriſto, *Hic Deus noſter in terra viſibilis conſpectus eſt, non ſecundum quod Deus eſt* (verba ſunt Damaſceni) *ſed ſecundũ quod ipſe idem eſt homo:* & *Homo iſte eſt increatus, ἀναφὴς, impalpabilis & incircumſcriptus*, vtique non ſecundum quod homo eſt, ſed ſecundum quod idem ipſe eſt Deus. At perſonalis vnio quum non efficiat, vt vna & eadem ſit Deitas & Humanitas, ſed tantùm vt vnum & idem ſit hypoſtaticè Deus & Homo, non vides, Pappe, περιχώρησιν non eſſe naturarum, ſed perſonæ, ac proinde nec καθ' ἑαυτὸ neque κατ' ἄλλο poſſe vel humana de Deitate, vel diuina de Humanitate in abſtracto prædicari, quin pro vnione confuſionem adſtruamus?

Denique quod ad ſacramentalem præſentiam attinet, apertè definire te oportuit an hũc modum facias à ſuperioribus tribus diuerſum. Tres enim cum Kemnitio modos præſentiæ vnico corpori Chriſti attribuiſti. Vnum, quem per ſerui formam intelligitis, quo fuerit circunſcriptum localiter in terris, id eſt, (vt vos vultis) per infirmitatem: alterum quo ſit in cælis circunſcriptum ſimul & glorificatum: tertium denique quo ſit vbique præſens propter perſonalem vnionem. Pontificii tranſſubſtantiatores veſtrum Omnimaieſticum modum aſſeruerunt quidem reipſa, ſed obtectum alio quodam ineffabilis omnipotentiæ diuinæ inuolucro. Viderunt enim, & apertè faſsi ſunt, hoc dogma quod vos tuemini, conſiſtere cum veritate carnis aſſumptæ non poſſe, niſi aliud refugium, quàm vnionem hypoſtaticam haberent. & ex veteribus ſynodis edocti, rectè κοινωνίαν ἰδιωμάτων intellexerunt in concreto tantùm vſurpari. At Lutherus omnium hominum primus (quod ſine conuicio dictum velim) quum realem corporis Chriſti in terris præſentiam, id eſt, eundem prorſus errorem, qui in hunc ſcopulum pontificios impegit, ſubſtituta tantùm Tranſſubſtantiationis loco Conſubſtantiatione, tuendum ſuſcepiſſet, primùm quidem ad Inſtitutionis Cœnæ verba refugit, ſed ita vt in iis vllum eſſe tropum pernegaret. Deinde verò quum illi obiiceretur quod negari non poteſt, nullam eſſe alicuius dicti interpretationem admittendam, quæ cum confeſsis articulis fidei pugnaret, realem autem præſentiam Chriſti, quæ ex illa ipſius expoſitione neceſſariò conſequeretur, tum veritati carnis Chriſti circunſcriptæ, tum eiuſdem in cælos aſcenſioni, & eiuſdem ex cælis aduentui ex diametro repugnare, tunc pro eo quod cedere veritati oportuit & de ſacramentali ſignorum & rei ſignificatæ coniunctione aliter, quàm de reali eorundem perceptione ſtatuere contentionis ſtudio, & peccatis noſtris ſic merentibus, errorem certè multiplicauit, cuius pœnam iampridem luit Eccleſia. Hinc enim factum eſt, vt triplicem illum exiſtendi modum vni & eidem corporis ſubiecto attribueret, eò tamen inclinans vt, omiſſa vbiquitatis quæſtione ab vnis inſtitutionis cœnæ Domini verbis dogma realis illius realiter cum pane conſubſtantiatæ, & ore ſumptæ atque comeſæ carnis præſentiæ niteretur. At contrà Brentius proram & puppim huius realis præſentiæ tum in Cœna tum in rebus omnibus eſſe vult omnipræſentiam ab incarnationis momento: clamitat expreſsis verbis Iacobus Andreas, ſeſe niſi iſtud ſtatuatur ne tantillum quidem de verborum Cœnæ inſtitutione cum Zuinglianis, quos vocat, litigaturum: Andreas Muſculus palàm ſcribit aſcenſionem Chriſti non eſſe mutationem loci, ſed tantùm corporis diſparitionem: Kemnitius omnimaieſtaticum ſpectrum fulſit περιχωρήσεως non ad hypoſtaſin, ſed ad mutuam naturruam realem commeationem applicatione. Tu denique, ni fallor, quaſi Luthero aſſentiens, ex Cœnæ verbis quartum præſentiæ genus ſtatuis, quod ſacramentale vocas, de cuius modo non ſumus, inqnit, ſoliciti. Quaſi verò Lutherus in confeſsione non dicat apertiſsimè hunc modum eſſe definitiuum, ſicuti ſpiritus ſunt in locis. Sed age, animaduerteris illum definitiuo præſentiæ modo maniſeſtiſsimum Lutheri errorem: cur, obſecro, pro vbiquitate ſic depugnas niſi vt realem hanc præſentiam ſtabilias? Imò verò quum hunc modum dicis eſſe ſacramentalem, imprudens certè illum definis & explicas. Sacramentalem enim eſſe modum conſtat quum id quod menti, tum audibili verbo, tum ſymbolis viſibilibus adhibitis ſignificatur, itidem quoque per fidem ſpiritualiter fruendum datur. Itaque inanis eſt omnis iſta de ſacramentalis præſentiæ ineffabili modo, qui planus eſt ac perſpicuus, diſputatio, teſtante meritò Auguſtino non poſſe ſacramenta ſtuporem habere vt mira, quum neque nouum, neque (vt ita loquar) miraculoſum ſit res aliquas viſibiles ad ſignifi-

canda

canda & obſignanda intellectualia in rebus etiam ciuilibus adhiberi. At ſi de ipſius in Cœna ſacramentaliter ſignificatæ rei perceptione diſſeratur, tunc ſanè cum Apoſtolo exclamamus, Magnum eſſe hoc myſterium. Etſi enim ex verbo Dei edocti nouerimus quid ibi cum ſymbolis detur, nempe corpus & ſanguis Domini: cui obiecto proponatur, nempe intellectui: quo inſtrumento recipiatur, nempe per fidem: in quem finem, nempe ad æternæ vitæ ſuccum ex Chriſto myſticè nobis incorporato hauriendum: qua denique virtute peragatur, diuina videlicet ac planè ſpirituali: quo modo tamen diuina virtus id efficiat, non magis intelligere poſſe nos profitemur, quàm quînam eadem illa vis ex nihilo omnia condiderit. Hæc autem noſtra quum palàm & articulis fidei ſingulis & naturæ ac fini ſacramentorum ad amuſsim reſpondeant, atque adeò Inſtitutionis Cœnæ verbis nullam vim afferant (ſiquidem ſacramentalia ſacramentaliter ſic exponuntur) nunquámne mi Pappe, quò nos abripuerit contentionis feruor, intelligemus? nunquam ſpiritum erroris nobis illudentem agnoſcemus? nunquámne depoſitis præiudiciis opus Domini tandiu, à quibus minimè oportuit, impeditũ, communi conatu proſequemur?

Decimumtertium Argumentum Bezæ.

FIDEI analogia non patitur, vt dicamus Chriſti corpus ſimul & ſemel eſſe pluribus in locis, quia Chriſtus aſcendit in cælũ verè & viſibiliter, & inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Nemo autem venit in eum locum vbi eſt.

Reſponſio Pappi.

VERISSIMI ſunt iſti articuli fidei, Vt, aſcenſio Chriſti nõ fuit illuſio. Aſcendit enim viſibiliter vt iam non amplius nobiſcum ſit viſibili ratione & modo, ſicut erat cum diſcipulis, dum in terris ambularet. Sed interim nihil prohibet, quin Chriſtus etiam ſecundum humanitatem perſonaliter ſit vbique, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus. Et huc pertinet quod dicit ad diſcipulos: Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper. Manifeſtum enim eſt id de viſibili & naturali præſentia intelligendum eſſe, aliâs falſum eſſet, Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Nam pronomen Ego, non tãtùm Deitatem Chriſti denotat, ſed totam eius perſonam, quæ ex duabus naturis, diuina ſcilicet & humana cõſtat.

Apologia Bezæ.

DVPLEX fuit argumenti non noſtra primùm ætate propoſiti, ſed ab omnibus eruditæ vetuſtatis patribus & receptæ orthodoxæ ſententiæ interpretibus ad probandã carnis Chriſti veritatem vſurpati fundamentum, eius videlicet aſcenſio non præſtigioſa, ſed vera, realis, ac viſibilis in ſuperas regiones ſupra omnes cælos: & eiuſdem ex iiſdem locis viſibilis futura, vobis etiam confitentibus, reuerſio. Tu tantùm ad alterum, nempe ad prius, reſpondes. Hæres igitur adhuc in poſteriore, & tibi fuerit explicandum, quomodo dicatur quiſpiam venire in eum locum, vbi iam antea reipſa exiſtebat. Inuiſibilem enim fieri ex viſibili, & contrà ex inuiſibli viſibilem, idem ſignificare nequit, atque Abire & Redire, ipſius rei modò viſibilis, modò inuiſiblis, ſed eius potiùs, cui modò ſit viſibilis modò inuſibilis, reſpectu. At certè neque ipſa hiſtoriæ narratio, neque vlla vllius ſcriptoris Chriſtiani auctoritas, neque ipſa noſtræ ſalutis ratio cum corporis Chriſti veritate cohærens pati poteſt, vt in aliquod ſpectaculum conuertatur eius Aſcenſio, quo ſcilicet teſtaretur Chriſtus ſeſe in poſterum, quod ad humanitatem attinet, diuerſo tamen modo nobiſcum, nempe inuiſibiliter, futurum. Rectè igitur ſentis, quum fateris illuſionem non fuiſſe: & tamen ſi non abiit, quum abire, ſi non aſcendit, quum aſcendere deducentibus eũ vſque ſupra nubes ſpectantium oculis videretur, ſi denique (vt non puduit Andream Muſculum ſcribere) aſcenſio Chriſti fuit tantùm diſparitio & euaneſcentia, quid totum iſtud aliud, quàm mera illuſio & præſtigiatrix fallacia fuit? Imò vt inuiſibile tunc factum demus Chriſti corpus, &, ſicut ſcribit D. Lutherus, definitiuo, id eſt, peculiari ſpiritibus in loco exiſtẽtiæ modo eſſe inceperit, quid hoc ad realem præſentiam in pane, tunc inſtituta Cœna cum non modò viſibilis eſſet, verùm etiam ſummæ infirmitati proximus? Quòd ſi ab ipſo incarnationis momẽto inuiſibilitatem illi adſcribatis eâdem illa ratione, qua omnipotentem illum eſſe dicitis: aut ego nihil prorſus video, aut fateamini neceſſe eſt, ſimul, iiſdémque momentis corpus eius fuiſſe viſibile & inuiſibile: aut quòd aſpectabilem ſe præbuit, veras præſtigias fuiſſe: & Chriſtum diſcipulis illuſiſſe, quum ex veri corporis organici proprietatibus etiam poſt reſurrectionem, nempe quòd reipſa tum cerneretur (quo etiam argumẽto vtitur Iohannes Catholicæ epiſtolæ capite primo) veritatem ſui corporis probaret: fuerintque his argumentis fruſtra profectò oppugnati Marcionitæ, ſi vllo modo ſiue in ſeſe, ſiue in alio propter vnionem perſonalem inuiſibilis fuit eius humanitas. Imò inuiſibilem eſſe, &, quod ait rectè Kemnitius, eandem in cælis ſymmetriam corporeę circunſcriptæque naturæ ſeruare, quînam inter ſe cohæreant? & rurſum ſi viſibilem & circunſcriptum eſſe, eſt infirmitatis (quînam verò infirmitas fuerit, quod eſt ipſius naturæ eſſentiale?) & tamen circunſcriptus eſt in cælis Chriſtus propter veri corporis modum, (vt ex expreſſè tuentur Theodoretus, Cyrillus, Auguſtinus, Vigilius, tu ipſe denique & Kemnitius affirmatis) fuerit nunc certè vno & eodem momento corpus Chriſti infirmum quidem in cælis apud Pa-

trem in sua gloria, in terris verò potens & ampliùs quàm gloriosum: & ita fiet vt, quum sicut ascendit ita etiam ad orbem terrarum iudicandum sit venturus in maiestate summa, rursum factus in terra ex inuisibili visibilis suam scilicet infirmitatem repetat, idque vt in sempiternum infirmus cum infirmis, id est, visibilis cum visibilibus membris suis regnet: vel vt spectaculo iudicii peracto rursum inuisibilis cum inuisibilibus factis membris suis regnet, siquidem illud constat opórtere nostra corpora corpori Christi glorioso conformari. Atqui omnes ad vnũ patres verbi diuini vestigia sequuti ex ascensione corporis Christi in cælos, atque adeò ex eiusdem in cælis, in quos ascendit ad dextram patris, collocatione, id est, ex eo quòd ex cælis potestatem à patre secundum humanitatem in omnes res subiectas acceptam exerceat, veritatem corporis circunscripti aduersus Marcionitas, & eiusdem à terris absentiam concludunt. Vos contrà ex his ipsis vbiquitatem & inuisibilitatem eius adstruitis, vsqueadeo vt Brentius apertè tum cælos tum inferos vbique statuat, ne vbiquitate sua excidat. Locos autem aduersus hoc dogma & ex Dei verbo, & ex omnibus patribus citatos, itémque quos aduersum nos profertis nunc non attingam. Vnius tantum huius dicti Christi expositionem à vobis allatam mihi refellendã video. *Nam, inquis, pronomen* EGO *totam personam Christi denotat: ergo & humanitatem.* Quid igitur? putásne quicquid de tota Christi persona dicitur singulis eius naturis, siue seorsim siue coniunctim illas consideres, conuenire? Ergo si hoc verum est, dicamus Christum quoque fuisse ante Abrabamum secundum humanitatem, quoniam dixit, Ante Abrabamum ego sum. Quid? quum diceret Christus, Glorifica me ea gloria, quam habui apud te priusquàm hic mundus existeret, nónne idem pronomen priore quidem loco ad solam humanitatem, posteriore verò ad Deitatem solam distinctè vosipsi refertis? Nec tamen propterea diuiditur Christus cum Nestorio, sed naturarum proprietates aduersus Eutychen, sicuti par est, distinguũtur. Sit ergo sanè maneátque totus Christus, personaliter siue ὅλως, non κατ' μέρος consideratus, nobiscum ad consummationem vsque seculi. Quid enim nobis Christus Deus prodesset, nisi homo sit & maneat? Sed quis vobis concesserit quicquid personaliter, id est, de tota persona dicitur, etiam de Toto personæ dici? Num, quæso, cuiuspiam animam à corpore diuisero, si eius animã dixero esse in cerebro, ac proinde à pedibus situ abesse? Num corpus cuiuspiam in partes seco, si caput eius dixero ibi non esse, vbi sunt pedes? Christi verò verba de sua apud nos perpetua permansione, non ad humanitatem ipsam, sed ad Spiritus ipsius diuinam virtutem esse referẽda, atque adeò patres omnes quasi coitione facta, quid patres? imò ipsum Apostolum Heb. 4. 1. & 4. ex ascẽsione & sessione ad dexteram patris in cælis, absentiam humanitatis Christi à terris necessaria demonstratione colligere, quum prolatis claris, planis, perspicuis testimoniis alibi toties sit à nostris demonstratum, quo spiritu suadente fieri dixero, vt contrariæ sententiæ tuendæ studio ne nos quidem audire & placidè nobiscum conferre sustineatis? Putatis nimirum probè ad illa omnia semel esse responsum, si duplicem statuatis præsentiam, vnam circunscriptam & visibilem, alteram inuisibilem & incircunscriptam, quam Lutherus in confessione definitiuam, Brentius planè diuinam & omnimaiestaticam facit. Verùm quis vobis istam distinctionẽ in Ecclesia Dei omnibus seculis inauditam concesserit, ex qua præsertim tot erronea necessariò consequantur? Veremini ne persona Christi diuidatur, nisi vbicunque est Deitas, statuatur etiam humanitas. Et tamen hoc ipsum palam sentire, dicere, scribere Brentium & Iacobum Andream, corúmque fautores non animaduertitis, quum apertis verbis docent Deitatem subsistentialiter omnibus rebus & personaliter omnibus sanctis vnitam: nec Deitatem οὐσιωδῶς sed tãtùm perfectè ἐνεργητικῶς esse in Christo spectandam? Frustra verò metui dissolutionem personæ, neque ἀσυγχυσίαν naturarũ tolli, imò personalem vnionem tum verè retineri, quum proprietates naturarum essentiales distinguuntur abundè tum à veteribus omnibus tum à nostris demonstratũ arbitror.

Decimumquartum Argumentum Bezæ.

CONTRADICTORIA sunt Finitum & Infinitum.

Responsio Pappi.

NON magis contradictoria sunt quàm vnam & eãdem personam esse Deum & hominem, id est, creatorem & creaturam. Creatura siquidem finita est, creator verò infinitus, qui tamen est articulus fidei nobis propositus ad credendum, non autem vt ad humanæ rationis regulam cum examinemus, ne quum scrutamur maiestatem, opprimamur à gloria.

Apologia Bezæ.

IMò, quæso, vide num satis appositè respondeas. Nec enim simpliciter dixi repugnãtia esse Finitum & Infinitum (quis enim id ignorat?) sed dixi quum hæc sint ita contradicentia, vt eidẽ subiecto tribui simul non possint, de carne Christi dici verè non posse. At tu quod de carne, id est, assumpta natura dixi (quæ etsi per se non subsistit, tamen substerni suis qualitatibus nõ desinit) ad ipsam personam trahis, de qua fateor quidem dici Finitum & Infinitum, sed duarum diuersarum naturarum respectu, vt tu ipse explicas. Num verò quum vnum & eundem hominem dicimus mortalem esse secundum corpus & immortalem secundum animam, idcirco mortalitatem simul & immortalitatẽ corpori vel animæ attribueris? Fuit igitur hoc demum tibi de quo quæte-

quærebatur demonstrandum, quînam videlicet verum esse posit, id est verbo Dei consentaneū vnum & idem corpus Christi eodē momento esse in cælis symmetria sua & quantitate circunscriptū (vt rectè loquitur Kemnitius) & tamē siue in sese & in abstracto (vt scribit Selneccerus) siue in Deitate Verbi (vt alii ænigmaticè loquuntur) esse omnipræsentē vnionis personalis prærogatiua, quam tamen omnibus lanctis communem esse vult Iacobus Andreas. Quod autem ais non esse scrutandam Maiestatem in vnionis mysterio, in eo tibi planè assentimur: sed eos negamus hoc crimine teneri, qui falsas verbi diuini interpretationes ex articulorum fidei analogia & locorum collatione dignosci volunt.

Decimumquintum Argumentum Bezæ.

SI hærendum est in singulis verbis, nec vlla admitti debet figura, sequitur vt solum corpus sit in pane, & solus sanguis in vino: & ita corpus & sanguis Christi separantur à se inuicem.

Responsio Pappi.

NON id sequitur ex nostra sententia, quia non includimus corpus Christi localiter pani, & sanguinem vino, sicut Papistæ. Sed dicimus corpus & sanguinem Christi cum pane & vino præsentia esse sacramentaliter. Modum autem præsentiæ credimus propter verba Christi: nō autem qualis sit, curiosè definimus.

Apologia Bezæ.

IMò (excepta Transsubstantiatione) eadem est vestra sententia quæ Papistarum, Luthero quoque manifestè in confessione maiore Nicolaum Papam laudante. Vultis autem vtrique in institutionis Cœnæ verbis τὸ ῥητὸν præcisè absque vllo prorsus tropo seruari. Ideo dixi quū in priore parte Institutionis mētio tantùm fiat corporis, in posteriore verò sanguinis, nisi synecdoche vtrinque statuatur, necessariò sequi solum corpus esse in pane & solum sanguinem in vino: neque tu sanè quicquam hîc respondes quod ad rem faciat. Nam siue localiter id fiat, siue alio vllo vel cognito vel incognito modo id fieri dicas, firmum tamen argumenti mei fundamentū perstabit. Quod autem dicis corpus & sanguinem cum pane & vino præsentia esse sacramentaliter, si eo sensu abs te dicitur, quo sentit Iacobus Andreas thesi 53, nempe ab institutione Cœnæ nō pendere præsentiam corporis, sed tantùm eius dispēsationem (illam enim ab vnica vbiquepræsentia Maiestatis, quam vocat, esse petendam) priùs erit tibi cum illo transigēdum, quàm nobiscum disputandum, qui & ipsi in sacramento, id est, sacramēto repræsentatam, adesse carnē Christi in Cœna, & nobis spiritualiter per fidem fruendam dari minimè diffitemur, teste tot antè annis D. Zuinglio beatæ memoriæ in Confessione Regi Galliarum Francisco primo dicata.

Decimumsextum Argumentum Bezæ.

SI corporaliter comedimus corpus Christi, & traiicimus in ventriculum, tum nullus est vsus manducationis.

Responsio Pappi.

NEMO ex nostris tam absurdè & Capernaiticè atque more ἀνθρωποφάγων loquitur. Non dicimus nos corpus Christi sumere corporaliter, oraliter, dentaliter, &c. sed sacramentaliter, vt iam aliquoties est explicatum.

Apologia Bezæ.

OBSECRO te, vt ex vetere formula agamus, Inter bonos bene agier oportet. Vos ita prorsus accipiēda esse verba institutionis Cœnæ Domini dicitis vti sonant. Quid te iuuat igitur istud, quòd Christi corpus non solum, sed sacramentaliter, id est, vnà cum pane, manu propriè accipiatur & ore comedatur? Nam si res ita se habet, quînam negaueris alterum esse necessarium, nempe vt vel statim corpus euanescat, vel in ventriculum quoque vnà cum pane traiiciatur? Non potestis tamen hoc ferre, & nos conuicium vobis facere clamitatis. Atqui Deus mihi testis est me non conuiciandi animo sic loqui, sed quoniam, teste D. Luthero in tractatione de Conciliis, & reipsa hoc clamante, non satis sani hominis esse videtur negare consequens, cuius fatearis antecedens, quod etiam Brentium ad vbiquitatem pedibus ac manibus asserendam coēgit. Et certè hoc dixi & dico, non nisi posita vbiquitate stare vel Transsubstantiationem papisticam vel Consubstantiationem vestram posse, ac proinde quicquid isti sese destruenti fundamento superstruitur, corruiturum simulatque spiritus erroris efficacia deficit: qua in re, vtinam & tu, mi Pappe, & omnes ii, de quorum alioqui rum doctrina tum pietate sentio quod decet, operam præclaram tandem aliquando nauetis. Sed, vt ad rem redeam, non ignoras glossam iuris Canonici in Cap. Ego Berengarius, de Consecr. dist. 2. in hæc verba, *Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, non solum sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse & sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus atteri*, admonere, nisi hæc prudenter accipiantur, fururum vt in maiorem hæresin incidamus. At Lutherus in maiore confessione, quam sanè supprimi vt alia satis multa præstitisset, *Quod pani*, inquit, *sit idipsum* VERE ET PROPRIE *corpori Christi tribuitur propter sacramentalem coniunctionem. Male igitur glossa in iure Canonico, quum Nicolaum Papam reprehendit, quòd dicat atteri dentibus verum corpus Christi. Atque vtinam tam Christianè egissent omnes Papæ, vt Pontifex ille cum Berengario egit in ista confessione.* Hæc ille. Quòd, si sacramentalis coniunctio ita est realis vt propriè dicatur de corpore quod de ipso panis elemento, mirum sanè quiddam feceris, nisi

etiam concedas propriè ac reipsa corpus frangi (in iis quidem locis vbi panis frãgitur, quod audio non magis in vestris Ecclesiis, quàm in Papisticis obseruari) ipsis dentibus atteri, in ventriculum descendere, atque adeò concoqui & nobis assimilari, nisi malitis cum Papistis præsentiã illam desinere, simulatque specierum forma deperit.

Decimumseptimum Argumentum Bezæ.

CHRISTVS dicit, hoc facite in mei recordationem. Meminimus autem non rerum præsentium, sed vel præteritarũ vel absentiũ: Ergo corpus Christi non est præsens.

Responsio Pappi.

HÆC verba non loquuntur de substantia Cœnæ Domini, sed de fine, vsu & fructu eius, vt meminerimus per veram fidem, videlicet eius mortis & passionis, qua sumus redẽpti: non vt recordemur eius rei, quæ nobis in Cœna exhibetur.

Apologia Bezæ.

TV videris ex quo istarum Homiliarum mearum loco istud argumentum deprompseris, quemadmodum alia nonnulla te video ex nostris partim præteriisse, partim tibi confinxisse, nisi fortè alterius alicuius culpa id euenerit. Habeo tamen quod respondeam. Hæc enim, inquit Christus, facite in mei recordationem: quibus verbis ego non video quî possis inficiari, non tantùm ipsius mortis, sed etiam ipsiusmet corporis Christi pro nobis traditi & sanguinis pro nobis effusi visibilia ἀντίτυπα nobis illic ad excitandam eorum etiam ipsorum recordationẽ præberi, certè vt in sese ac reipsa absentium. Quorsum enim si res ipsæ præsentes sisterentur, illa μνημόσυνα adhiberentur?

Decimumoctauum Argumentum Bezæ.

NON euacuantur signa, etiamsi corpus & sanguinem Christi non dicamus esse præsentia, quia in Baptismo signum, id est, aqua non ideo vanum est & inane, quia sanguis Christi per aquam significatus, non tamen copulatur cum aqua.

Responsio Pappi.

CHRISTVS de aqua Baptismi non dixit, Hic est sanguis meus, sed in Cœna dixit, Hoc est corpus meum: & de vino, Hic est sanguis meus &c. Quæ verba tum protulit, quum Testamentum suum condidit, nec locutus est ænigmaticè.

Apologia Bezæ.

PAPISTIS certè Transsubstantiatoribus potius, quàm vobis conuenerit hæc responsio. Nec enim puto vos inficiari, nõ minore virtute, quàm corpore & sanguine Christi in Cœna pascamur ad vitam æternam, nos eius sanguine in Baptismo ablui. Quòd si sanguis Christi in Baptismo, quanuis cum aqua ipsa minimè realiter præsens (vobis confitentibus) tamẽ ad abluenda credentium peccata sufficit, nec propterea euacuatur Baptismus, quòd præsens reipsa cum aqua sanguis non effundatur: cur ad animos in vitam æternam reficiendos corpus & sanguinem Domini minùs sufficere dixerimus, etiamsi reipsa cum panis & vini signis non copulentur? Iam verò quod ad Testamenti vocem attinet, si minùs id putaris ad Baptismum, quàm ad Cœnam Domini pertinere, præterquàm quòd res ipsa te redarguerit, quum sanguine Christi in Baptismo remissionem peccatorum consequi nõ minùs quàm in poculi sacri sumptione, & Christum induere, ipsique inseri, & vnà sepeliri ac resurgere non minùs, quàm ipsi incorporari in Cœna dicamur: excluseris certè à Christi testamento infantes priùs morientes, quàm ad Domini mẽsam possint accedere. Putidum autem illud ac millies recoctum à Papistis ferculum, quòd in testamenti factione nullus sit vlli tropo locus, nescio quid tibi in mentem venerit, vt nobis reponeres.

Decimumnonum Argumentum Bezæ.

DICIT Beza magis spiritualem & abstrusam atque ineffabilem esse corporis Christi coniunctionem nobiscum, quam ipsi comminiscuntur, atque nostra sit, qua videlicet ex ipsorum sententia corpus Christi, quod in cælis est nobis in terra existentibus, per fidem efficaciter coniungatur, quòd longè maius sit miraculum, quàm si præsens Christi corpus præsentibus coniungeretur.

Responsio Pappi.

NON mirum est hoc eis figmentum magis placere, quum sit opus manuum ipsorum, ab ipsis videlicet præter & contra Dei verbum, & humanæ rationis persuasionem excogitatum. Et certè id est, quod dicimus: ipsos fidei suæ maiorem efficaciam & potentiam tribuere, quàm ipsi Christo. Nam quum Christus dixerit suum verum corpus & sanguinem adesse, putant id ab ipso præstari non posse: interim tamen fidei suæ tribuunt, vt nubes penetret, & Christum in supremo cælo collocatum verè & efficaciter apprehendat. Non autem quæritur hoc loco vtra præsentiæ ratio humanæ naturæ videatur magis spiritualis & abstrusa, sed quid Christus dixerit.

Apologia Bezæ.

IMò nobis iniuriam facis, Pappe, quam tibi condonet Dominus: ac etiam contra Dialecticorum regulas grauiter peccas. Assumis enim illud ipsum de quo quæritur, Num videlicet Christi verba sint ita, vt vos vultis de corporali præsentia, in pane, an verò de corporis quidem præsentia, sed mystica & spirituali intelligenda. Deinde & à teipso & à Brentianis omnibus deficis, quum ad statuendam istam realem corporis in pane præsentiam ad Christi verba refugis, quam tamen toties iam antea ad incarnationem siue vnionem hypostaticam retulisti: cuius virtute si Christi

Chriſti corpus eſt verè vbique eſſentisliter, nempe & in pane hanc ipſam ob cauſam extiterit, non quod dixerit Chriſtus, Hoc eſt corpus meum. Inſtitutio autem Cœnæ hoc tantùm effecerit, vt ibi detur & accipiatur. Præterea quod ais nos plus tribuere fidei, quàm Chriſto, quoniam fide credamus apprehendi Chriſtum, quanuis longiſsimè remotum, & tamen negemus efficere poſſe Chriſtum, vt corpus & ſanguis ipſius verè anſint: in eo rurſum nobis magnam iniuriam facis. Primùm enim quantamcumque vim fidei tribuimus, an non Chriſto ipſi adſcribimus? niſi fortè putas nos vſqueadeo inſanire, vt fidē credamus in ſeſe hanc vim habere, ac non potiùs Chriſtum in credentibus quicquid promiſit vna ſui Spiritus virtute efficere. Deinde non ſimpliciter, ſed ex hypotheſi dicimus Chriſtum non poſſe corpus ſuum in terris ita, vt vultis, ſiſtere, quoniā videlicet mentiri ac proinde contradictoria velle, vel facere non poſsit. Contradictoria autem eſſe dicimus, Chriſtum vnico corpore, eóque verè organica quantitate & ſymmetria præditum ſimul eodémque momento eſſe hoc ipſo corpore reipſa præſentem in terris, & quidem vel omnibus locis, vt volunt Brentiani, atque adeo vbicunque eſt Deitas: vel, vt nonnulli modeſtiores volunt, quot locis Cœna Domini ritè celebratur. Hoccine verò eſt Chriſti Deitatem omnipotentem inficiari, an potiùs illam cum ipſius patefacta voluntate copulare, & ex fidei analogia atque adeò ex ſacramentorum institutionis fine æſtimare? Sic certe nos ipſe quoque Auguſtinus argumentari docuit, quem locum rogo te, vt diligenter expendas, prout ſæpe iam eſtis admoniti. Minimè igitur ignoras duplex illud Manichæorum delirium, qui Deum quidem rebus omnibus inſitum veluti rerum ipſarum eſſentialem partem ſomniabant, Chriſtum verò in omni ligno & fructu, cuius etiam virtutem in Sole, ſapientiam in Luna ponebant. Illud autem prius cōmentum ſi dixero apertiſsimè à Iacobo Andrea rurſum inuehi, num (quæſo) fuerim mentitus? Scribit enim diſertis verbis, Deum, quod ad eſſentiam attinet, eſſe ſubſiſtentialiter in rebus omnibus, & perſonaliter omnibus ſanctis vnitum, quod puduiſſet ipſos Manichæos fortaſſe profiteri, Chriſtum verò Manichæi tantùm in omni arbore & fructu collocabāt: vos vbique eſſe reipſa totum contenditis. Et quidem quum id viderent Manichæi quadrare naturali corpori nō poſſe, apertè imaginarium tantùm quoddam corpus illi tribuebant. Vos autem iſtam repugnantiam nihil veriti, verum corpus Chriſto tribuitis, ſed quod virtute Deitatis ſit vbique, id eſt, corpus non corpus, finitum ſimul ac infinitum, ſiue quantum & non quantum, quod nobis quidē certè videtur ipſo Manichæorum commento abſurdius. Quid autē ad hæc Auguſtinus? Prius quidem illud multis locis refellit, oſtendens longè aliud eſſe Deum, quàm à Deo, & per Deum exiſtere. Poſterius autem ſic refutat libro aduerſus Fauſtum viceſimo, vt dicat, ſi Chriſti corpus eſſet in omni ligno & fructu, oportere alterum iſtorum ſequi, nempe vt vel, ſi corpus iſtud vnicum eſſe ſtatuatur, ſit per omnia ligna diſtentum, ac proinde in nullo ligno totum exiſtat, vel vt totidem corpora Chriſto tribuantur, quot ſunt ligna. Obſecro verò, an non idem prorſus reſpōſum multò magis nobis ſuppeditatis, qui Chriſti humanitatem vultis non tantùm in tot panibus, quot panes in Cœnæ celebratione in toto terrarum orbe diſtribuuntur, ſed etiam in omnibus locis ſine exceptione inexiſtere? Nec defuit Manichæis, vt eo ipſo loco tractatur, quod obiicerent de pane myſtico, in quo ſeſe dicebant Chriſtianos habere adſtipulatores, vt qui tot ſimul panibus Chriſti corporis nomen attribuerent. Num igitur Auguſtinus ad hypoſtaticam omnimaieſtatem, num ad τὸ ῥητὸν illorum verborum refugit? Nequaquam profectò. Tunc enim erant iſta Eccleſiæ Dei prorſus ignota, & ſeipſum ſuo gladio iugulaſſet, quoniam hæc eadem in ipſum retorſiſſent Manichæi, quæ fuiſſet in ipſos iaculatus. Sed duo reſpondet, vnum quòd panis iſte, quem Chriſtiani corpus Chriſti vocant, non naſcatur, ſed talis fiat, quum Manichæi omni ligno naturâ ineſſe Chriſti corpus dicerent, quod & vos hodie neceſſe eſt fateri ex dogmate veſtro conſequi, ex quo tempore Verbum caro factum eſt: alterum quòd panis iſte ſit corpus Chriſti myſticè, id eſt, ſacramentaliter duntaxat, cuius reſponſionis vides nullam vim eſſe potuiſſe, ſi SACRAMENTALITER & REIPSA in vel, ſub, vel cum pane eſſe, vnum & idem ſignificarent.

Vigeſimum Argumentum Bezæ.

IN Actis dicitur, Corda Chriſtianorum fuiſſe coniuncta, quia videlicet eorum idem fuit ſenſus, & voluntas eadem: eodem modo Chriſtus nobis coniungitur per fidem, vt idem cum ipſo ſentiamus. Nec eſt neceſſe ideo, vt ad nos de cælo deſcendat.

Reſponſio Pappi.

NVLLIBI in Scriptura docetur non alio modo Chriſtum Eccleſiæ ſuæ cōiungi, quàm fideles inter ſe coniuncti ſint. Sed hoc certum eſt ex S. literis, propter perſonalem vnionē Chriſtum etiam ſecundum humanitatem eſſe vbique.

Apologia Bezæ.

NE hoc quidem argumentum in Homiliis illis noſtris inueniſti, Pappe, neque vnquam diximus ſola voluntate tenus nos Chriſto conſociari. Imò faſſi ſemper ſumus oportere nos ipſummet Chriſtum participare: neque ignoras quomodo Cyrilli locum ex libro ipſius decimo in Iohannem cap. 13. interpretari conſueuerimus, vbi copioſe myſterium iſtud explicatur. Veteris ergo tranſlatione quæſtionis, quod certè factum non oportuit: quod vt melius perſpicias, ſcito inter nos non quid nobis à Deo Patre in Cœna ipſius detur controuerti, quum & ipſum Chri-

ſtum,& quæ ipſius carni inſunt, & quæ ab ipſo in nobis efficiũtur, noſtra fieri ad ſalutem oportere vltro fateamur: ſed in eo poſitam eſſe controuerſiam,quòd in ſimplici quidem verbo,ac etiam in Baptiſmo ſolam vim ἐνεργητικὴν Chriſti doceatis nobis cõmunicari, in Cœna verò ipſam præterea Chriſti humanitatem manibus & ore ſumendam vnà cum ſignis dari velitis: vnde ſequitur illius,quanuis(vt vultis)non localiter, tamen eo ipſo in loco, realis in ipſis ſignis,corporis & ſanguinis Domini inexiſtentia. Nos autem efficacitatem & effecta ipſius Chriſti neque in verbo ſimplici,neque in ſacramentis ſeiungimus,& tum ipſummet,tum quæ ipſius carni inſunt, in ſacramentis quidem myſticè ſignificari, ſpirituali autem virtute per fidem noſtra fieri affirmamus, vt nulla hîc ſit corporis noſtri actio præter meram ipſam ſymbolorum acceptionem. De hoc igitur quum quæratur, de eo demum reſpondere te oportuit. Nam quod de perſonali vnione inculcas,ſatis ſupérque eſt à me demonſtratum de homine quatenus Deus eſt,non de ipſa humanitate ſiue ſeorſim,ſiue coniunctim conſiderata intelligendum.

Vigeſimumprimum Argumentum Bezæ.

SOL in cælo exiſtens radiis ſuis nos calefacit, nec opus eſt propterea ad nos in terram deſcendat.Quare non igitur eadem vel multò maior ſit efficacia Solis iuſtitiæ,id eſt, Chriſti.

Reſponſio Pappi.

NON quadrat ſimilitudo. Nam Sol,vt reliqua aſtra,virtute ſua & influxu quodam in nos agunt:verùm Chriſtus ita in nobis operatur,vt ſimul ipſe ſit præſentiſsimus,quod S.ſcriptura manifeſtè teſtatur,& perſonalis quoque vnio euincit.

Apologia Bezæ.

MEA hæc verba ſunt. *Quum ſolis quantumuis procul poſiti calore vniuerſus orbis vegetetur, non poterit ſcilicet Chriſtus,carne & ſanguine in cælo permanentibus, vſqueadeo verè eſſe noſtrum myſticum caput,vt æternæ vitæ ſuccum nobis inſtillet* Minimè igitur iſta vt paria,ſed minus potiùs cum maiore comparaui:neque ſanè tibi facilè fuerit hoc argumentum refutare. Falleris autem vehementer ſi putas Chriſtum ipſummet idcirco nobis communicari, vt eius corpus cum noſtro eſſentialiter coaleſcat ac veluti ferruminetur. Nam potiùs, vt eſt ſpiritualis modus iſtius communionis,ita etiam ſpiritualis eſt ipſius finis,nempe vt ab ipſo nobis communicato quicquid ad ſalutem noſtram requiritur partim nobis imputetur, partim in nos vnà cum vita tãdem ipſa æterna ſpiritualiter per fidem deriuetur.

Vigeſimumſecundum Argumentum Bezæ.

CHRISTVS nõ alia ratione nobis præſens eſt in ſacramẽto Cœnæ, quàm olim ſanctis patribus,vt teſtatur Apoſtolus 1. Cor.10.Ergo non eſt præſens corpore ſuo.

Reſponſio Pappi.

PAVLVS eo loco minimè id dicit, quod ipſi fingunt, videlicet patres ſub veteri Teſtamento eandem eſcam manducaſſe nobiſcum: ſed inquit ipſos Iudæos, quos Dominus ex Ægypto educebat,eandem eſcam manducaſſe, hoc eſt, fuiſſe membra Eccleſiæ & participaſſe iiſdem ſacramentis: & nihilominus tamen eos qui peccauerunt à Deo punitos eſſe. Idcirco caueamus nobis & nõ permittamus nobis licentiam peccãdi,propterea quod membra ſumus Eccleſiæ. Certum autem eſt maximam eſſe differentiam veteris & noui Teſtamenti, propterea quòd iam credimus in Chriſtum incarnatum, qui reuera nobis adeſt, non tantùm Deitate ſua (quemadmodum patribus olim) ſed etiãhumanitate.Nam propter vnionem perſonalem nõ poteſt nobis adeſſe Deitas, quin ſimul adſit humanitas.

Apologia Bezæ.

RVRSVM aberras à noſtro argumento. Nec enim vnquam ſum inficiatus corpus Domini præſens eſſe in Cœna,ſed ſacramentaliter non reali inexiſtentia in,ſub,vel cum pane: & verè in Cœna percipi,ſed ſpiritualiter per fidem,non manibus aut ore. Vt autem vtrunque probarem,id eſt,vt iſtam realem inexiſtentiam,quam tu rurſum nõ inſtitutioni, ſed hypoſtaticę vnioni tribuis, oſtenderem, etiam ſi poſsibilem eſſe darem,tamen ad veritatem ſacramenti & veram perceptionem corporis Domini neceſſariam non eſſe, produxi quod teſtatur Paulus, Patres nimirum eundem potum bibiſſe,& eundem cibum atque nos manducaſſe,id eſt, ipſomet Apoſtolo interprete,Chriſtum ipſum, cúmque totum: etſi reipſa nondum humanitas ipſius erat in rerum natura, nedum vt realiter illis veteribus ſymbolis inexiſteret. Etenim neque abſque Chriſto fuit vnquam ſalus aut fides, neque Chriſtus dimidius vllos vnquam ſeruauit: ex quo conſequitur illorum fidei ſpiritualiter iam tum fuiſſe præſentem(de iure videlicet,vt loquũtur) Chriſti humanitatem naſcituram,ſicut noſtræ fidei itidem ſpiritualiter nunc eſt eadem præſens,ipſo, vt loquũtur,facto: ſymbolis videlicet variatis, eadem autem vbique tum re ſignificata, tum fide, & eodem præſentiæ ſacramentalis,ac ſpiritualis perceptionis modo.At tu contrà contendis non eſſe hãc Apoſtoli mentẽ,vt dicat patres & nos,ſed patres potius omnes eiuſdẽ inter ſe cibi,nẽpe Mannę,& eiuſdẽ potus,nẽpe riui ex petra profluentis,fuiſſe participes.Atqui ne tu quidẽ opinor in controuerſiã reuocaris,ſacramenta veterũ,quod ad rem ſignificatã attinet, fuiſſe cum noſtris eadem,quanuis ſignis diuerſa, quũ Chriſtum & quidem totum (quum dimidius nihil profit)adumbrarint venturum,noſtra verò Chriſtum qui venit, quæ tẽporis differentia nullũ in re ipſa

discrimen

discrimen constituit, sicut copiosè plurimis locis explicat Augustinus. Sed negabis fortassis Apostolum eò respexisse. Audi igitur eundem illum Apostoli verbis fretum disertis verbis nostram expositionem confirmantem. Sic enim ille tractatu in Ioh. 45. vt iampridem Illyrico illi totius Germaniæ pesti obieci. *Eundem potum spiritualem biberunt, spiritualem eundem, corporalem non eundem. Quid enim illi bibebant? Bibebant de spirituali petra, petra autem erat Christus. Videte ergo. Fide manente, signa sunt variata. Ibi petra Christus, nobis Christus, quod in altari ponitur. Et illi pro magno sacramento eiusdem Christi, biberunt aquam profluentem de petra, nos quid bibamus norunt fideles. Si speciem visibilem intendas, aliud est: sin verò intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt.* Et rursus in tractatu De pœnitentiæ vtilitate, quem γνήσιον esse non video cur dubitemus. *Eundem, inquit, cibum manducauerunt. Quid est* EVNDEM, *nisi* QVEM ETIAM NOS?

Vigesimumtertium Argumentum Bezæ.

FIDE absentia nobis sunt præsentia, & quæ nondum sunt, quia fides est hypostasis rerum non existentium.

Responsio Pappi.

VERVM id est: sed non inde sequitur Christum nobis non alia ratione esse præsentem, quia manifestè S. literæ nobis personalem ipsius omnipræsentiam confirmant. Deinde si ratio præsentiæ Christi penderet ex nostra fide, non tantùm miserè nobiscum ageretur propter nostram incredulitatem, verùm etiam fides nostra, vt dictum est, præstantior & potétior esset ipso Christo, vtpote quæ Christum nobis præsentem sisteret, vel absentem esse cogeret, prout videlicet quilibet vel crederet, vel non crederet.

Apologia Bezæ.

PERSONALEM præsentiam miramur, Pappe, à te non distingui ab humanitatis præsentia, quum, vt toties est à nobis anteà inculcatum, aliud sit Natura, quàm Persona, & personalis vnio saluas relinquat tum Deitati, tum humanitati suas essentiales proprietates, sua subiecta non egredientes, quamuis in hypostasi vnitas. Alteram autem partem tuæ responsionis, quid attinet pluribus refutare? Non enim dicimus fidem efficere, vt res significata sacramentaliter adsit, quum hoc ab vna Cœnam instituentis auctoritate pendeat: vel fidem sua virtute apprehendere, quod ipsi sacramẽtaliter præbetur, quum fides ea in re sit potiùs παθητικὴ quàm ἐνεργητική: Christo videlicet sese communicante, fide verò, quæ & ipsa donum Dei est, eum recipiente. Sed video vos certè libenter ab ipsis Papistis arripere tela, quæ in nos torqueatis, quum illos oportuerit potiùs communi consensu, vbi quidem nos calumniantur, oppugnari. Obiiciunt igitur illi doceri à nobis, quòd à fide pendeat sacramentorum veritas, quasi credentibus adsit Christus (sacramentaliter videlicet) incredulis autem non item, quod falsissimè nobis impingitur. Fatemur enim sacramenta tum dignis tum indignis integra præberi, ac proinde siue dignè, siue indignè ad ea accedatur, tam signum, quàm res significatas quibusuis accedentibus offerri. Sed sicut cæcis Sol etiam lucem præbens tamen non lucet, idque cæcorum vitio, vt rectè dicere liceat Solem solis videntibus lucere, & oculorum aciem efficere, non vt Sol luceat, sed vt intuenti luceat: ita dicimus fidem efficere, siue fide interueniente fieri, vt res symbolis significatæ credentibus adsint, incredulis absint. Aut igitur quid dicamus non intelligis, aut calumniam à Papistis contra nos mutuaris.

Vigesimumquartum Argumentum Bezæ.

AIT Beza non obstare sibi Christi omnipotentiam, quia etsi Deus posset hoc facere, tamen non vult: id quod his articulis fidei probare conatur, Ascendit ad cælos, Inde venturus est Iudicare viuos & mortuos. Deinde quia Deus non vult contradictoria: nam id esset mentiri. Sed Christum habere verum corpus, & interim esse omnipræsentem &c. implicat contradictionem.

Responsio Pappi.

PRIMVM quis sit sensus horum articulorum fidei, & quòd Christus verè nobis præsens esse velit, sæpe demonstratum est. Deinde hæc non implicant contradictionem, quia Christus dicitur esse omnipotens secundum humanitatem, non quatenus est humanitas (quo sensu vera esset contradictio) sed quatenus personaliter vnita est Filio Dei.

Apologia Bezæ.

IMò nunquam euinces in his articulis Ascendere & Venire è cælis aliter quàm propriè esse accipienda, ac proinde veram ac physicam mutationem loci declarare, quomodo intelligendos esse hos fidei articulos nemo ab ascensione Christi ad hoc vsque seculum dubitauit. Deinde, quæso, quomodo tandẽ hoc dictũ interpretaberis, Christũ esse præsentem secundum humanitatem, nõ quatenus est humanitas, sed quatenus est vnita Filio Dei? Num enim alia ratione humanitas esse potest humanitas, quàm qua ratione est in sese humanitas suis essentialibus proprietatibus cõstãs, quãtuncũq; nõ in propria, sed Verbi Deitate subsistat? Sed hominẽ sanè cõsiderare potes tũ in sese (& hac ratione vbiq; illũ esse dicere nõ minùs Eutychianũ fuerit, quã si dicas humanitatẽ vbiq; esse quoniã homo in sese cõsideratus nihil aliud est quàm humanitas) tũ κατ' ἄλλο, id est, quatenus Deus est, siue vnitus Verbo, quo respectu qui vbique esse negarit, Nestorianus sit oportet. Et ita

demum vitatur contradictio in concreto, non in abstracto: quod si semel expenderitis, ecce pax est Ecclesiis reddita, nec vllus, siue Transsubstantiationis, siue Consubstantiationis, siue Vbiquitatis controuersiis locus erit relictus.

Vigesimumquintum Argumentum Bezæ.

AFFERT Beza distinctionem ex scholasticis, vt Christo secundum gratiam vnionis collata sint omnia dona: secundum gratiam verò habitualem, quædam tantùm, videlicet quorum particeps esse possit creatura: nam tametsi mensura donorum in carne Christi sit summa, tamen esse mensuratam & per consequens definitam.

Responsio Pappi.

HVIC distinctioni apertè refragantur S. literæ, vbi dicitur datam esse Christo omnem potestatem in cælo & in terra, quod certè de humanitate, non autem diuinitate ipsius intelligi potest. Siquidem diuinitati nihil datum est, aut dari potuit, vtpote quæ ab æterno omnia habuerit. Item Apostolus inquit Col. 2. In Christo habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter. Et alibi dicitur, Datum ei esse Spiritum non ad mensuram.

Apologia Bezæ.

NVM igitur, quæso, existimas causam ab effectis in sacris literis non distingui, aut idem esse, *Homo est Deus vnita in vnam personam humanitate* atque, *Deus assumptam naturam ornauit suis sine finitis siue infinitis donis*? Dicere certè non potes humanitatem esse subiectum, cui inhæreat Deitas. Et tamen necesse est te fateri humanitatem esse subiectum, cui inhæreant omnia dona, quæ à Verbo cum ea vnito, sunt & in animam, & in corpus Christi effusa. Quî fit igitur, vt gratiam vnionis qua Homo euasit Deus non in sese, sed κατ' ἄλλο (nempe in assumente Deitate) à gratia habituali, qua homo iste Spiritus dona sine mensura accepit, distingui nolis? Quid? an non tu ipse hac distinctione veteris imprudens, quanuis concretum cum abstracto, id est personam, vt modò dixi cum natura confundas, humanitatem negans vbique esse, quatenus est humanitas, sed quatenus vnita est Deitati? Sed, inquis, datus non est ei Spiritus ad mensuram. Verùm quid hoc te iuuat, si verum est, quod tu ais, nempe hanc immensitatem in ipsa humanitate non inesse, sed in Verbo cui vnita est? Agitur enim hîc de donis ipsi humanitati, vt subiecto inhærentibus. Scito igitur hîc dici datum esse Spiritum Christo secundum humanitatem, id est dona Spiritus sancti in ipsius humanitatem fuisse effusa sine mensura, id est, non aliqua sed omnia, non aliquatenus sed summa. Verùm quorsum hæc ad essentiales illas, & gratia quidem habituali incommunicabiles Deitatis proprietates? Sed (inquis) data est eius humanitati omnis potestas in cælo & in terra. Esto. Quis enim hoc negat? ius videlicet omnium creatarum rerum administrandarum, vt ei flectatur omne genu. Num verò propterea essentialiter vbique esse eius humanitatem rectiùs concluseris, quàm si dicam Solem, quoniam ius habet totius hemisphærij illustrandi, totum hemisphærium suo corpore implere, aut totum esse in singulis illius partibus? vel Hispaniarum regem, quoniam potestas illi est attributa in maximam orbis terrarum partem ab Occidentali India in Orientalem, idcirco iisdem illis regionibus corporaliter adesse? Ais denique ex Apostolo omnem Deitatis plenitudinem in Christo habitare Corporaliter. Sanè ita est, ideóque intolerabilis est eorum error, qui plenitudinem Deitatis interpretantes plenissimam donorum in Christi carnem effusionem, proprietates essentiales naturarum cum Eutychete permiscent: &, quum disertis verbis dicant Deitatem subsistentialiter omnibus rebus adesse, & omnibus sanctis personaliter vnitam, σωματικὴν vnionem in ἐνεργητικὴν, & hominem Deum in hominem diuinissimum transformantes, personam cum Nestorio diuidunt: vtroque inde promanante errore, quòd gratiam vnionis quo Christus est Deus homo, à gratia habituali, siue ab illius vnionis intra Christi carnem effectis non distinguunt.

Vigesimumsextum Argumentum Bezæ, de manducatione Impiorum.

IMPIOS non percipere verum corpus & sanguinem Christi, sed nuda signa inde vult probare Beza, quia Christi corpus non sit separatum à suo Spiritu, qui vbicunque est, viuificat: impios autem idcirco esse reos corporis Christi, non quòd reuera sumant corpus Christi & verum sanguinem, sed quia id aspernantur, siue non discernant, vt Paulus ait.

Responsio Pappi.

PRIMVM impios etiam sumere verum corpus Christi & verum sanguinem inde constat, quia fides nostra non est causa præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Cœna, sed ipsa Christi saluatoris verba, quibus nobis id pollicitus est: alioquin fidem nostram facimus potentiorem ipso Christo, vt suprà diximus. Deinde quòd impij non inde viuificantur, sed id percipiunt ad iudicium, id fit propter illorum incredulitatem. Incredulitas autem hominum, Dei fidem non exinanibit. Rom. 3. Nec Christus ideo mendax est, quia ipsi non credunt. Et notandum est hoc loco Christum non tantùm esse saluatorem fidelium, sed etiam iustum iudicem impiorum. Sicut aliâs quoque prædicatio verbi Dei piis & fidelibus est odor vitæ ad vitam: impiis verò & infidelibus odor mortis ad mortem.

Apologia Bezæ.

PRIMVM omnium illud miror, cur quum antea toties realis præsentiæ corporis Christi in rebus omnibus causam esse dixeris personalem vnionē, nunc id ipsum institutionis Cœnæ verbis tri-

bis tribuas, quæ tamen, si verum illud est, non præsentiæ corporis in Cœna, neque in pane, sed sacramentalis tantùm præbitionis & receptionis causa fuerit. Sed, age, hoc omisso ad rem ipsam veniamus. Ais fidem nostram non esse causam præsentiæ corporis Christi in Cœna, sed ipsius Christi verba, ac proinde tam dignos quàm indignos corpus Christi sumere. Concedo antecedens, neque quisquam vnquam nostrûm dixit Sacramentorum veritatem à fide accedétium pendere: imò tum signum tum res significatas sacramentaliter Christi ipsius voluntate & instituto semper coniungi, & accedentibus quibusuis præberi fassi sumus, vbi ritè Cœna Domini administratur, siue digni siue indigni accedant. Sed consequens negamus, quoniam tam absurdum esse arbitramur contendere à quibusuis sumi signum & rem significatam, quoniam quibusuis præbeatur, quàm si concludatur Solem omnibus lucere, quoniam omnibus lucem suam præbeat. Ratio istius absurditatis hæc est, quoniam res quidem terrena, id est, panis & vinum corpori, res autem spiritualis, id est, corpus Christi spiritualiter & in spiritualem vsum præsens, intellectui ac fidei præbetur: ex quo consequitur, quum quiuis os corporis adferat, quosuis iisdem signa sumere: & quum soli credentes fidem afferant (vnicum rebus significatis sumendis aptum instrumentum) à solis credentibus res significatas sumi. Quòd si excipias, quum res significatæ soli fidei præbeantur, hinc consequi non præberi iis qui fide sunt destituti, perinde sanè fuerit ac si dicas solem cæcis aut exoculatis lumen suum non offerre, quoniam à solis oculatis lux Solis percipiatur. Quòd si meo responso contradicis, ad ipsum Brentium nondum vbiquitarium prouoco, id est, ad ea quæ in Iohan. 6. disertissimis verbis iam olim scripsit.

Venio ad alterum argumentum, quo contendimus separari Christi corpus à sua virtute spirituali non posse, ac proinde indignè accedentes ipsum non participare. Ad hoc tu respondes, quòd isti ex Christo vitam non hauriant, euenire ipsorum incredulitate, quæ non possit Dei fidem exinanire. Concedimus vtrunque, sed negamus quicquam hoc ad rem propositam facere. Nec enim, cuius culpa id eueniat, quæritur, sed an corpus Christi sumpsisse credendi sint, qui in morte manent, atque adeò iram Dei magis ac magis in sese cumulant, nedum vt ex Christo alimoniam vitæ, necessario vinculo ipsi inhærentem percipiant. Neque nos verò, vt modò declarauimus, fidem Dei exinaniri indignorum incredulitate dicimus, etiam si signum tantùm sumant, nisi fortasse putas adimi Soli lucem ab iis qui contendant ipsum cæcis non lucere. Respondes postea Christum proponi tum in verbo tum in sacramentis, non tantùm vt seruatorem, sed etiam vt iudicem. Sed ne id quidem, etsi verissimè, tamen appositè dicitur. Nam seruator quidem est eorum, qui ipsum oblatum apprehendunt (id est, credentium, quoniam non nisi fide apprehenditur:) Iudex autem eorum est, qui oblatum sua incredulitate respuunt. At tu vis illum & à credentibus & ab incredulis recipi, ab illis videlicet ad vitam, ab istis verò ad mortem: quod mihi quidem non minùs absurdum videtur, quàm si dixeris lucem Solis, sicut quibusuis offertur, ita etiam à quibusuis recipi, sed bonis quidem oculis præditos ipsius luce illustrari, oculis autem priuatos excæcari. Id autem eo etiam ipso confirmatur, quod tu subiicis, quòd videlicet Euangelij prædicatio sit piis & impiis multis communis, sed piis quidem odor vitæ ad vitam, impiis autem odor mortis ad mortem. Nam vt in sacramentis, ita quoque in simplici verbo diuino prædicato tum signa tum res significatas semper necessariò coniunctas agnoscimus, siue illi credatur siue minùs, vt scitè admodum sacramenta Augustinus visibilia verba nuncuparit. Signa sunt igitur in prædicatione verbi diuini, voces ipsæ quibus aures feriuntur, res significatæ sunt ipsa doctrinæ Christianæ mysteria ad credendum vocibus illis explicata. Quid igitur? nempe voces audiuntur à quibusuis, quibus prædicatur verbum. Res autem significatas soli fideles, intellectas per fidem ad vitam æternam recipiunt: increduli verò partim ne intelligunt quidem, partim vtcunque intellectas, incredulitate tamen sua respuunt. Christus igitur ipse tum in verbo tum in sacramentis eos quidem, à quibus sumitur, id est, fideles viuificat: incredulos autem non receptus, sed repudiatus iudicat.

Appendix Pappi.

NEQVE est quod blasphemi isti metuant, ne Christi corpus, si verè cum pane exhibeatur, etiā à canibus voretur, quod horrendum est & dictu & auditu. Non enim tam irreuerēter & irreligiosè à nobis hæc mysteria tractantur, vt ea canibus obiiciantur. Præterea Cœna Domini non propter canes, aut cæteras bestias, sed propter homines Christianos tātùm est instituta. Neque sacramentum est vnquam id quod esse dicitur extra vsum, quemadmodum nostri ex verbo Dei contra papisticam corporis Christi inclusionem & circungestationem sæpenumero demonstrarunt. Denique ait Beza D. Brentium nunquam viuente D. Philippo Melanchthone ausum fuisse mentionem facere vbiquitatis, quam ipsi ita contumeliosè appellant. Id manifestè falsum est, quum etiam in ipsius D. Lutheri felicis memoriæ scriptis hæc ipsa sententia ex verbo Dei diligentissimè contra Zuinglianos asserta & defensa reperiatur, in libro, cui titulus est præfixus, Quòd verba in Cœna, Hoc est corpus meum, adhuc firma sint: & in sua magna confessione.

Apologia Bezæ.

NEMO nos adhuc (Dei beneficio) legitimo iudicio, imò ne coram illis quidem accusatoribus, simul & αὐθαιρέτοις iudicibus citatos, vllius blasphemiæ coarguit. Itaque ab omnibus conseruos suos absente Domino verberantibus ad Dominum, atque adeo ad legitimam conseruorum etiam nostrorum cognitionem, prouocamus, Deum interea precati, vt hanc quoque nobis

abs te immeritissimè factā iniuriā tibi condonet. Quod autem huc apposuisti, aliūde quàm ex istis meis homiliis desumpsisti: & scholasticos ipsos sibi istiusmodi penè infinita obiicere non ignoras, quæ nunquā dissoluere potuerunt, nec sanè poterunt, quoniā ea reali præsentia & cōnexione corporis cum signo necessariò efficiuntur. Quid si verò ea hac quoq; vestra doctrina eadē illa coliguntur, quāuis pro Transsubstātiatione Cōsubstantiationē initiò statueritis, ac nunc tandem pro hac & illa Vbiquitatē statuatis? Negas igitur vos ita irreuerenter loqui. Atqui nō quæritur an sic loquamini, sed an ex vestris positis ista cōsequantur, quæ nos quoq; sine horrore ne cogitare quidem possumus. Falleris enim vehemēter si nos istas quæstiones mouere nisi inuitos putas. Ponite igitur nos ea vobis quærere (nec enim ea quoquā verū discere nos pudueris) quînā ista ex iis, quę tanquā pietatis arcem tutamini, nō efficiantur. Hîc siue peccamus, an vos potiùs, qui percontantibus non satisfacitis? Sed ad rem. Non ignoras canes & porcos à Domino vocari eos ipsos, quos ta mē cōtenditis ipsum corpus Domini sumere, nihilo certè minùs illis impuros, imò etiā ipsis canibus aut porcis immundiores. Quid igitur hîc prætexis? Non sunt, inquis, sacramenta extra vsum. Cōcedimus: sed quid vsum vocas? Legitimā, opinor, administrationē. Quid si igitur in ipso vsu, in ipsa, inquā, legitima actione tale quidpiā accidat? Non sunt, inquis, bestiis, sed hominibus instituta sacramenta. Sanè ita est. Sed si re ipsa absq; vllo tropo in, sub, & cum pane illo adest ipsum corpus Domini vsqueadeo, vt à quibusuis siue indignè siue dignè accedentibus, manu & ore corporis sumatur, quînam istud ad solos homines restrinxeris? Quòd autem refers de inclusione & circungestatione nihil profectò ad rhombum.

Superest illud in quo tu me mēdacij accusas: quòd videlicet alicubi dixerim Brentium non nisi mortuo magno illo beatæ memoriæ Philippo istas de Vbiquitate cōtrouersias mouisse. Tu cōtrà prouocas ad Lutherū, qui de Vbiquitate antea scripserit. At ego non de Luthero, sed de Brentio istud scripsi, quē negare nō potes arcanū istud omnimaiestatis ad obitū vsq; D. Philippi mussitasse quidē nonnunquā, at nunquā nisi illo extincto apertè effatū, cuius rei testes tibi omnes eius libros ante illud tēpus scriptos fero. Scripsit quoq; nōnihil tunc de Cœna Iacobus Andreas, quo videbatur viam quandā ad concordiā aperire, quum Vvestphalus & Hesbusius, nusquā tamen adhuc Vbiquitate, quasi mōstro quodā Gorgonis, apparēte, nos grauiter oppugnarēt. Tum, inquā, nullū de hac re verbū, sed περὶ τῦ ῥητῦ ἢ διανοίας disceptabatur. Quanuis enim Illyricus & eius factio Philippi auctoritatē apud ingratos discipulos imminuerent, adeo tamē bonorum istorū virorū præponderabat hominis auctoritas, necdum satis ad hæc instillanda Principum aures patebant. Sed in primis eos cohibebat ipsius Lutheri, à quo toti pēdere velle videbantur, admonitio grauissima, qui etsi (quod omnibus non cōtentiosis plus satis cōstat) tum calore disputandi vltra metā prouectus, tum peccatis nostris sic merentibus istius Vbiquitatis fundamēta postea iecerit, tamē id fecisse tanquam ea abūdanti videri voluit. Quod ne quis à me confictū dicat, & vt omnes intelligāt quibus gradibus & quo spiritu ad istā concertationē sit peruentum, ecce tibi Lutheri verba, quæ primus ego non cito, ex tomo Ienensi, 8. fol. 375 *Quæritur quomodo Christus possit esse corporaliter in sacramēto, quum tamen vnum corpus non possit simul & semel esse in pluribus locis. Ad hæc ego respondeo. Christus dixit quòd ibi adesse velit, ideò verè est in sacramento & quidē corporaliter & ideo veraciter est ibi:* NEQVE DABET *alia causa istius corporalis præsentiæ quæri, quàm hæc tantum. Verba enim ista sic sonant, idcirco necesse est ista fieri vt sonāt. Quod autē ad ipsum corpus attinet, potest Christus quādo vult, vbiq; & in omnibus locis esse, ac ideo alia est ratio ipsius quam nostri corporis. De Vbiquitate vel in omnibus locis præsentia, non debet disputari. Longè enim alia res est in hac causa.* Audis, Pappe, Lutherū asserere quidē corporis Christi Vbiquitatem vbicunque vult Christus, sed (vt Papistæ quoque docent) quæ ab ipsius absoluta voluntate ac potentia pēdeat, nulla personalis ac vnionis mentione facta? Audis illum velle præsentiam corporis in pane ab vnis institutionis Cœnæ verbis pendere? Audis illum nolle prorsus, vt quæstio de vbiquitate in hac controuersia audiatur. Sed in aliis postea scriptis, inquies, personali vnioni disertè vbiquitatem adscribit. Concedo: sed num audiēdus in foro testis, qui sibiipsi contradicat? Iam autē audias etiā quid olim ij ipsi, qui nunc istud dogma quàm acerrimè tutantur, de illo senserint, nisi fortè contra conscientiā tunc ista scripserunt, quod sanè non puto. Sic igitur scribit Kemnitius cōtra concilij Tridētini decreta, *Fūdamentū præsentiæ Christi in Cœna D. Luther monuit non esse collocandū in disputatione de vbiquitate, sed in veritate verborū institutionis.* Sic quoque Selneccerus primo de Cœna Domini libro, *Nemo hîc docet aut contendit de vbiquitate, hoc est, quòd corpus Domini sit vbique.* Item, *Non est necesse quemquam de vbiquitate solicitum esse, aut disputare quomodo Christi corpus sit vbique, sed tantùm hoc loco quæritur de institutione & veritate Christi, omnipotentis Dei.* Ac multò etiam acriùs Heshusius & quidē rectissimè in libro de Cœna, *Extra oleas*, inquit, *vagantur qui rixas de vbiquitate immiscent. Quum enim in Christo naturæ maneāt distincta, nō dicimus humanam carnē Christi esse vbiq;, non dicimus Christi corpus esse in ligno, in lapide, in frugibus.* Item, *vt maneat illud discrimen humanæ & diuinæ naturæ maneat in Christo, nō dicimus vbiq; esse corpus Christi, sed recipimus modū loquendi patribus traditū, Christus est vbique, scilicet cōmunicatione idiomatū, id est, diuinitas eius est vbique, & propter vnionē duarū naturarū hypostaticā, alterius naturæ proprietas toti personæ in cōcreto tribuitur.* Hæc illi, nec aliter viuente adhuc Philippo & aliquot post annis scripserunt plæriq; licet præsentiæ realis in sacramento propugnatores, donec Brentius classicū canens ἱερὸν μέλος iaceret, apertè Lutheri admonitioni verbis istis contradicens in tractatione verborū Christi, In domo patris mei, *Qui concedere & fateri non vult corpus Christi esse vbiq;, manifestè per hoc declarat, etsi multa verba faciat de vera præsentia Christi in Cœna Dominica, donis item & beneficiis quæ nobis in ea offeruntur, quòd tamē in intimo corde sit Zuinglianus.* Itē in Recognitione, *Qui nō crediderint Christū vnà*

cum

cum corpore & sanguine suo verè in Cœna præsentem esse prius quàm verba Cœnæ recitauerint, non video quomodo effugere possint magiã Papistarũ consecrationem. Item. *Credendũ est corpus & sanguinẽ Christi iam ante præsentia esse per eius Maiestatẽ, & talis præsentia verbis institutionis annunciatur tãtùm & distribuitur.* Quid autẽ Iacobus Andreas De colloquio Malbrunensi? *Quicunque dicunt,* inquit, *se credere verã corporis & sanguinis præsentiã in Cœna: & tamen Vbiquitatẽ, sicuti ea à nobis de Maiestate hominis Christi docetur, negãt, hos certè oportet aut Magicos Papistas esse, aut in intimo corde cum Zunghanis sentire.* Item, cõtra Theologos Heydelbergẽses. *Quicũque hanc Maiestatẽ Vbiquitatis nobiscum fateri nolunt, verũ fundamentum præsentiæ corporis Christi in Cœna negãt.* Quid Lucas Osiander in illis suis verè tribunitiis cõcionibus? *Intelligunt,* inquit, *Zunglians si fundamentum Vbiquitatis euertere possent quòd ex reliquis argumentis nihil posset cõtra ipsos obtineri.* Hæc igitur post Philippi demũ mortem dissidia inter vos apertè primùm eruperũt, quæ vtinã, vincẽte veritate, feliciter cõponere mallent nonnulli, quàm tot Ecclesiarũ excidio cõmunes aduersarios exhilarare, & Bestiæ plagã sanare. Nos quidẽ nullam legitimam cognitionẽ aut priuatã etiam *συζήτησιν* refugimus, cuius loco si vires geratur (vti cœptum est) & pseudanathemata obtineant, videat, audiat, requirat Dominus.

THEODORI BEZAE PRO CORPORIS CHRISTI VERITATE ADVERSVS VBIQVITATIS COMMENTVM, ET GVILIELMI HOLDERI CONVITIA RESPONSIO.



TV quidem, Holdere, ad mihi maledicẽdum vel tua sponte inductus, vel ab aliis cõductus, mihi conuitiator, quandiu & quantũ voles. Mihi verò tum existimationẽ meam re potiùs quàm verbis, tum veritatẽ solidis argumẽtis disputando, nõ rixãdo, tueri semper fuit constitutũ. Quia tamen silentio meo vos insultare tam insolenter video, agam etiam tecum nonnihil, vt & quàm vera in me scribas, & quàm appositè disputes, omnes intelligant.

Libelli tui inscriptio est, Admonitio de Theodori Bezæ libello aduersus D. Pappũ. Atqui si libellus meus cũ admonitione tua conferatur, nihil minus tibi propositũ fuisse liquebit, quàm vt argumẽta vel Pappi tuereris, vel mea refutares, quod fieri tamen oportuit, vt huic inscriptioni res ipsa respõderet. Collegeras igitur ista nimirũ iam pridẽ: & Osiãdri vestigia sequutus, Pappo tu quoq; palpare maluisti, quàm ostentandi ingenij tui occasionẽ prætermittere. Sed de hoc tuo cõsilio tu videris. Hoc autẽ ego corã Deo testor, me in vnã veritatẽ intentũ, si quid vel in tuo, vel in cuiusquã alterius scripto reperissem, ex quo me in errore versari intelligerẽ, vltrò fuisse veritati cessurũ: nec alia ratione in pristina sentẽtia permanere, quàm quòd vestris argumẽtis vestra quidẽ magis ac magis à vobis ipsis destrui, nostra verò confirmari, mihi quidem adhuc videantur.

Succedit inscriptioni tuæ præfatio Theologici Tubingẽsis Collegij nomẽ præferens, qua nos nimirũ, quasi Gorgone quadã obiecta, perterrefacere voluisti. Mihi verò nõ terribile, sed amabile potius fuerit Theologici Collegij & quidẽ Tubingẽsis nomen, in quo etsi nõnulli nũc sedeant parùm æqui, vel potiùs iniquissimi mihi iudices, vix tamẽ mihi persuasum fuerit, nullũ esse in eo veritatis & innocẽtiæ defensioni locũ relictũ. Nonnullis igitur potiùs quàm omnibus, & tẽpori potiùs quàm personis agẽdũ hæc iniuria mihi facta tribuatur, quã tamen à me repelli par est. Quod ergo Præfationis istius scriptores in ipso statim exordio, tũ veteris, tũ noui tẽpli (vt loquũtur) statũ seu cõditionẽ à fortuna suspendũt, viderint quàm Theologicè id faciãt: & quàm verè quoq; subiiciãt, nullos Ecclesiæ instaurationẽ magis impediuisse, quàm nos Sacramẽtarios quos vocãt. *Nempe,* vt ioquiũt, *quòd negata vera corporis & sanguinis Christi præsentia, Maiestati hominis Christi detrahimus.* Nã etiãsi tam verũ id esset quàm falsum est, tamẽ deteriores adhuc nobis certè atq; nocẽtiores comperiẽtur Antinomi legẽ Dei penitus abolẽtes: Libertini omne tollẽtes turpis & honesti discrimen: Anabaptistæ vix vllũ Christianæ fidei dogma saluũ relinquẽtes: Tritheitæ Deitatis essentiã discerpẽtes: noui Arriani Deitatẽ Christi abrogãtes, quibus si Brentianos adiũxero, quòd Brentius Recognitionis pag. 43. & 44. disertis verbis scribat, *Deũ nõ aliter in Christo sua essentia, & potẽtia, quàm in Petro habitare, nec aliter Christũ quàm Petrũ implere, & hoc vnũ esse inter Petrũ & Christũ discrimen, quòd Deus in Petrũ tãtùm nonnullas, in Christũ verò omnes suas proprietates effuderit,* nũ illis iniuriã fecero? Imò hoc ipsum dogma, neq; à Nestorii in naturarũ separatione, neq; in Essentialiũ proprietatũ cõfusione ab Eutychetis blasphemia discrepare cõtendi, & adhuc cõtẽdo, etiãsi pro Brẽtiana effusione, Kemnitiana *ἀντιχείρισις* asturè substituatur. Nos verò quĩnã de Christi humanitatis maiestate quicquã detrahimus, qui Christũ hominẽ, nõ quatenus homo est, nec quà homo ipse est, sed quaten' *τῷ λόγῳ* sic vnit' est vt etiã in eo subsistat, nõ Dominũ (vt est Petrus vel etiã Angelus quispiã, quorũ nullus est Deo hypostaticè vnit') ac nõ diuinissimũ quidẽ, sed verũ esse & æternũ Deũ: si verò in sese distinctè cõsideretur, supra cæteras res omnes creatas, sũmas, medias & infimas, conctũ esse, ac proinde, vt loquũtur Patres, seipso respectu diuerso, tum maiorẽ, tum minorẽ esse, ex Dei

verbo sentimus & docemus? *Sed negat*, inquiũt, *Beza veram Christi præsentiã in Cœna Domini, vt qui eã procul Christi corpus abesse ab illo pane dicat, quàm summi cali à terris absunt.* Hoc fatetur Beza, quia sic corporis Christi veritas, cui corporis glorificatio naturã, id est circũscriptionẽ, autore ipsomet Christo, nõ ademit, & eiusdẽ tum supra cælos ascensio, tum è cælis reuersio, ipse deniq; Sacramentorũ finis postulét. Sed illud primùm dicit Beza, ineptissimè colligi, abesse à Cœna quod à symbolis locorũ interuallo abesse rectè & verè dicitur. Deinde negat Beza se negare verã & illis immotis principiis, ac proinde analogiæ fidei cõsentientẽ veri corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiã atque *κοινωνίαν*. Hæc autẽ controuersia, non cõuitia ingerẽdo, nõ argumenta proposita partim prætereundo, partim eludendo, sed sigillatim bona fide recensendo, expendendo, solidioribus argumentis in timore ac tremore Domini sincerè refutãdo, dirimatur oportet: quod Beza sese pro viribus studuisse testatur ea suis omnibus scriptis apparere. Sed habẽt isti Bezæ aduersarij paratã scilicet idoneã exceptionem: *non esse nimirum nos audiendos, vt qui non verbo Dmini, nec Patrũ autoritate, sed Philosophorũ, Medicorum, Rhetorum, Grammaticorũ armis instructi pugnemus, quum tamen nõ meliores Philosophi quàm Theologi simus.* Ego verò de illo priore, id est, num humanis rationibus nitamur, postea pleniùs dicam: nunc autem quæ sit ista posterior criminatio videamus.

Brentius, vt modò dixi, & rursum prolatis ipsius verbis ostendã, inhabitationẽ Deitatis in Christo homine, ab eiusdẽ in Petro inhabitatione, id est, hypostaticã vnionem ab ἐνεργητικῇ participatione, non vno discrimine distinguit, quòd Deus in Petrum nonnullas tantùm, in Christum autẽ hominẽ omnes suas proprietates reipsa effuderit. Ab hoc autem intolerabili dogmate depulsus Iacobus Andreas, hypostaticam vnionẽ eo definire cœpit, quòd ὁ λόγος omnia per assumptam humanitatem agat. Ego verò Pappo istud posterius in me regerenti, sic respondi, vt quum humanitas in hoc genere dicendi, vel efficiens causa vel instrumentalis esse statuatur, neutro modo verũ id esse ostenderim. Mea enim hæc verba sunt de causa instrumentali, *Nouerat Christus quid in cordibus hominum lateret, vidit absentem procul Nathanaelem. Num, quæso, per Humanitatis organum?* Alibi etiã protuli resurrectionis exemplum, & quæsiui, *num animæ suæ, vel corporis sui instrumento, ac nõ potius sua Deitatis vnica Omnipotentia, Christus suum ipsius corpus exanime, adiuncta rursus illi anima, ex mortuis excitarit.* De causa verò agente, hæc subieci, *Quod si in istis humanitas operata est cũ Deitate, humanitas certè potius per Deitatem (id est Deitatis virtute) operata fuerit, quàm per humanitatẽ Deitas, nisi dicere malitis, animam per oculum (id est oculi virtute) quàm oculum per animam videre.* Quid ad hæc verò mei accusatores? Ne gry quidẽ ad argumenta proposita respõdẽt. Quid enim respõdere possint? Sed quæ de efficiente causa dixi, perinde interpretantur ac si ad instrumentalẽ causam pertinerẽt: & fortiter interim dissimulant teterrimos errores, falsam hypostaticæ vnionis definitionẽ ab ipsis excogitatã necessariò consequentes. Sic enim fiet, vt neque ὁ λόγος, excepto instrumẽti corporis motu, nec humanitas quoq;, vtpote quæ nihil agat, nisi à Deitate moueatur, per se quicquam agat: ac proinde vnica sit vtriusque naturæ, tum voluntas, tũ operatio, quod est Eutychianorũ, Monophysitarũ, & Monothelitarum erroris ac blasphemiæ fundamentũ. Ne destituti tamẽ mei criminatores omni responsione videantur, audiamus quid regerant. Cõcludunt vbiquitarii dissolui naturas, nisi quocũque loco est Deitas (est autẽ vbique & quidem tota) eodem etiam statuatur humanitas. Huic falsissimæ consequutioni respondẽs, quæsiui, *Num separati sint pedes à capite, quoniam vbi sunt pedes, ibi nõ est caput.* Ad hoc ipsi excipiunt *hanc similitudinem non conuenire, quoniam Deitas humanitati per certum aliquod contactus punctum non coniungatur, sed eam totam tota impleat.* Et hoc quidẽ posterius verum esse fateor, sed hinc effici nego, ineptam esse similitudinem, etsi non quadret per omnia. Satis enim est, quòd ista similitudine probetur, cõiuncta esse posse, quæ tamen eundẽ locum non impleant. At ego nunc quæro quînam fiat, vt partes totum vnum constituentes, etiam absque vllo intermedio vinculo cohærentes, tamẽ aliquibus sui partibus vnum & eundẽ locũ nõ impleãt, nec tamen propterea separatæ dicantur. Nempe quoniã alterius extra alteram partes porrigantur, siue duo inter se aliquatenus connectantur, vt collum capiti adiunctum, siue totum vnum altero cõprehendatur, vt cor thorace. Quod si in iis quæ partibus circunscriptis terminantur, hoc euenit, quanto magis id fatendum est in Christi naturis, quantũlibet hypostaticè vnitis? quatũ vna quum finita sit, quanuis Deitate totam illam illustrante, suis tamen finibus necessariò continetur: altera verò quum infinita sit tota, sic illam sibi vnitã continet, vt quanuis ab illa nunquam separetur, minimè tamẽ illa concludatur, sed extra etiam illam per omnia creata permeet? Rectè enim Eustathius Antiochenus à Theodoreto citatus. *Omnia* (inquit) *continet Deus, à nullo autem continetur: ergo ne à corpore quidem suo.* Et Athanasius. *Diuina* (inquit) *& inexplicabilis potẽtia, & qua & templum* (corpus videlicet suum) *comprehendens continet, & illinc vlterius procedens, omnes simul moles & magnitudines continens coercet & moderatur.* Et Seuerianus. *Continebatur quoad corpus: quãtum autem ad verbum attinet, contineri non poterat.* Viderint igitur quàm rectè syllogizent istius maledicæ Præfationis scriptores, quum ne animæ quidem humanæ licet finitæ, cum corpore suo hypostaticè vnitæ, sit æquipatentia statuenda. Dictum enim illud, non veterum physicorum, inter quos ne nunc quidem decisa est de sede animæ controuersia, sed recentium quorundam, Animã esse totam in qualibet corporis parte, vel nulla ratione nititur, siue ipsius essentiam, quãuis nullis organicis partibus, tamen proprietate sua finitam, siue ipsius facultates, non omnibus certè corporis partibus diffusas spectes: vel sic intelligendum est, vt anima in quacunque tandem corporis parte collocanda sit, tota ibi sit, quum nullis partibus compositam esse constet. Rectè igitur Nyssenus ex quo hoc argumentum desumpsi, *Si anima hominis*, inquit, *ex natura necessitate corpori admixta, non habet potestatem existendi vbique, quomodo necesse est dicere, Deitatem in natura Carnis includi?* Neque nos verò, dicetis, includimus. Fateor. Sed quum in hypostatica vnione tam maneant

salux proprietates Humanitatis quàm Deitatis, non minùs certè à vero aberratis carnem exornando æquipatentia seu potius infinitate Deitatis, quàm si Deitatem circunscriptione carnis terminaretis. Quanto verò minus subiecti & accidentium, præsertim aduentitiorum coniunctionem, consequetur ista æquipatentia? Itaque ad statuẽdam Christi carnis vbiquitatem, vix quicquam dici potuit ineptius similitudinibus illis lucis & laternæ, & carbonis siue ferri igniti, quas ex Patribus desumptas in alienam prorsus sententiam Kemnitius detorquet: nisi mendaces fortasse fuerũt Angeli, quũ resurrectionem Christi ex eo probarent, quòd eius corpus in sepulchro non esset: & temere optauit Paulus dissolui vt esset cum Christo, à quo etiam nos peregrè abesse dicit quãdiu in hoc corpore versamur: aut illudere nobis illi & iste voluerunt, illa visibilitatis & inuisibilitatis siue finitæ & Omnimaiestaticæ præsentiæ dissimulata distinctione. Sed de his hoc quidem loco nimiùm multa.

Cæterùm vsus sum etiam *Solis similitudine radios suos in vniuersum hemisphærium diffundentis, etiamsi in aliqua tantùm orbis sui parte consistat*: non vt Solem exæquarẽ Christi humanitati, nedũ Deitati: sed *vt exemplo à rebus imparibus sumpto, demonstrarẽ si tanta Solis vis est, multò magis ad hoc vt Christus sese Spirituali quidem modo, sed tamen certissimo & efficacissime nobis communicet, (no ad mutuã substãtiarum συνουσίαν, aut commixtionem vllam efficiendam, sed vt vera inde vita in nos insinuetur) realẽ Humanitatis ipsius in terris præsentiam minimè requiri*. Quid autem ad hæc mei accusatores? *Deus* (inquiũt) *est Ens simplicissimum, nec partem habet extra partem, imò ne partem quidem habet, nec instar radiorũ diffunditur*. Scilicet, hoc est rem acu attingere, quum de Humanitatis quantũuis hypostaticè cum Deitate τῷ λόγῳ vnitæ natura, suis partibus necessariò finita & circunscripta quæritur, de ipsius Deitatis immensitate respondere. *Sed tamen*, inquiunt, *testatur Dominus se in hoc sacro epulo verum corpus & sanguinem suum exhibere*. Concedo, si sicut spiritualis est huius exhibitionis finis, ita etiam spiritualis & mysticus eius modus statuatur. *Ergo substantialiter adest, & ore sumitur*. Nego. Quis enim sic colligentem quempiam ferat, Animal est, Ergo homo est? Idẽ autem Dominus testatur se verum & palpabile corpus habere: nõ perpetuò fore cum discipulis: sursum ascendere: anuntiandam in S. Cœna mortem ipsius donec vltimo demum die è cęlis redeat. Itaque quum idem & vnicũ corpus, tum nunc in cælis abesse, tum nobis hic in terris dari, ac proinde eo quo datur modo adesse dicatur: ne mendax ille deprehendatur, qui est ipsa veritas, distinguẽdus est præsentiæ duplex modus talis, vt, salua permanente veri humani suóque loco suísque dimẽsionibus circũscripti corporis Christi natura & substãtia, absens simul & præsens dici verè possit. Distinguẽda est ergo præsentia & absentia non in aliam quidem illocalem, inuisibilem, infinitã (quæ qualitates veritatẽ humani corporis quantumuis hyperphysicè glorificati necessariò destruunt, vtpote non ὑπερφυσικὰ sed ἀντιφυσικὰ) aliã verò localem, visibilem, & finitam (quibus qualitatibus spoliatum corpus quãtumuis glorificatũ, corpus esse desierit) sed in modum alium quidem spiritualem & mysticum, cuius mysteriũ magnũ esse dicit Paulus in Christi & Ecclesiæ spirituali & mystica vnitione, & secundũ quem nec corpus Christi multiplicari, nec Deitati coextẽdi, nec pluribus simul locis & nõ alibi quàm in cælis statui, ad veram ipsiusmet κοινωνίαν oportet: alium verò naturæ corporeæ, quocunque loco & tempore necessitati ineuitabili cõuenientem, *secũdũ quẽ* (inquit beatus martyr Vigilius aduersus Eutychetem) *sicut à cælis aberat, quando in terra fuit, ita nunc quia in cœlo est, non est in terra, quæ fides est & cõfessio Catholica, quam Apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt*.

Quid amplius? *Quis* (inquiunt mei accusatores) *Bezam ferat, aduersus Maiestatẽ Christi nõ tam scribentem quam euomentem, humanã Christi naturã in resuscitando Lazaro, secundum animam quidem voluntatem duntaxat, secundum corpus autem, hanc vocem accommodasse, Lazare veni foras: diuinitatem verò resuscitationis causam fuisse?* Imò verò quis istam istorum inconstantiam ferat, qui paulò antè contẽderunt Deitatem omnia per humanitatem agere, & nunc Deitatẽ esse resuscitationis causam inficiantur? Saltem enim ab illis adiici *Solam*, vel aliquid eiusmodi oportuit. Ponamus autem id ab illis ita expressum fuisse. Tamen ne sic quidem effugerint & inconstantiæ & blasphemiæ notam. Etenim si dictum voluerunt, Humanitatem causæ duntaxat instrumentalis rationem habere, certè totam efficientem causam in Deitate constitui decet, ac proinde à semetipsis discedent, vt qui nũc amplius aliquid humanitati tribui velint, nempe excitandi mortui facultatem. Ego verò sicut duas naturas sic considerandas dico in vnam personam vnitas vt vna tamen ab altera suis essentialibus proprietatibus distincta permaneat, sic quoque ponendas affirmo totidem volũtates & energias, ad vnicum excitationis Lazari ἀποτέλεσμα sic concurrentes, vt quanuis assumpta natura subseruiat assumenti, tamen vtraque secundum suam proprietatem per se agat: Deitate videlicet illud quod ipsius vnius proprium est efficiente, id est mortuo vitam restituente, Humanitate verò quod suum est agente, anima nimirum cum lachrymis de Lazaro & eius familia solicitudine affecta & gloriæ Dei studente, corpore verò Lazarum voce eiente ex sepulchro. Blasphemiam autem manifestam esse dico excitandi mortuos facultatẽ alteri naturæ vlli quàm illi vni tribuere (quantũuis τῷ λόγῳ hypostaticè vnitæ) quæ sicut sola ex nihilo omnia creauit, ita etiam vitã vnica potest mortuis restituere, immò etiam vnica naturæ ordinem immutare, ac proinde miracula edere sic propriè appellata. Edidit igitur sanè miracula homo etiam ille (nec enim personã diuidimus cum Nestorio) at certè non quatenus homo siue secundum Humanitatem, sed quatenus est Deus, siue secundum Deitatem, in qua sic subsistit, & per quam sic extraordinariis donis omnibus summè est in sese exornata Humanitas, vt tamẽ neque essentia, neque essentialibus, ac proinde necessariò ἀκοινωνήτοις proprietatibus in Deitatem euaserit. Neque ad istud blasphemum dogma stabiliendum facit Kemnitiana argutia, qui Brentianam realem omniũ Deitatis proprietatum in assumtam carnem effu-

ſionem meritò repudians, ſatetur quidem eſſentiales illas proprietates ſua ſubiecta (id eſt ſuas naturas) nō egredi, ſed vult nihilominus Deitatis proprietates & actiones aſſumptæ ipſi Humanitati tribui, quo quidē commēto nihil abſurdius, & Monothelitarum blaſphemiæ cōuenietius dici poteſt, perinde profectò acſi corpus hoc noſtrum, propter ſibi vnitam hypoſtaticè animā cogitare & ratiocinari dicas. Et ne iſti ſibi cum Beza non Theologo, imò ne Philoſopho quidem, negotiū eſſe arbitrētur, audiant quos & quales verbi diuini interpretes ſibi patronos aduocet. Prodeat igitur Bezæ de blaſphemia accuſato patrocinaturus primus Damaſcenus, quanuis tempore inter multos poſtremus, tamen in hoc quidem argumento fidei plenus, ſi quiſquam alius, quem ipſe nobis Kemnitius in primis iudicem tulit. Is igitur lib. de Orthodoxa fide tertio, cap. 15. *In Domino noſtro Ieſu Chriſto*, inquit, *miraculorum vis erat ipſius Deitatis actio: manuum autem in miraculis edendis adhibitio, & velle, & dicere, Volo, purgator, erat Humanitatis ipſius actio: ipſius autem actionis effectum, Humana quidem natura fuit, panum fractio, & quòd Leproſus audiuit, volo: Diuina verò, primum multiplicatio, & Leproſi purgatio.* Item. *In Chriſto Deitatis quidem ipſius actio eſt diuina & omnipotens, Humanitatis verò ea qua noſtra natura conuenit: & effectum quidē humana natura eſt quòd puella manus prehēſa fuerit, & attracta: diuinæ verò quòd puella ſit in vitā reuocata. Nā & iſtud eſt aliud. & illud quoque ab iſto diuerſum, quāuis vnum ab alio* (id eſt Deus ab homine) *ſeiūgi nequeat in actione Dei videlicet* (id eſt quatenus agit perſona quæ Deus & homo eſt.) Item. *Nec humana natura Lazarū à mortuis exſtitauit, nec rurſus diuina potentia lacrymatur. Nā lacryma quidem ſunt quiddam Humanitatis propriū, vita verò, eius eſt qui eſt ipſa in ſeſe ſubſiſtens vita.* Et ne quis iſtorū recentem eſſe hūc ſcriptorem excipiat, in multis etiam maximi momenti hallucinatum, audiamus Nyſſenum aduerſus Eunomium. *Neque humana natura*, inquit, *Lazarū viuificat* (auditis iſtud Theologi Tubingenſes?) *nec deflet iacentē in laubulis potentia, ſed lachryma quidem eſt hominis* (id eſt humanitatis) *propria: vita autem* (id eſt Deitatis) *ea qua verè vita ſunt. Non nutrit multa hominum millia humana mendicitas, non accurrit ad ficum omnipotēs poteſtas.* Et, Amphilochius ille Iconienſis, Baſilio quoque magno σύγχρονος. *Deus ſum & Homo, hæretice, Deus vt ſpondent miracula, Homo vt teſtantur affectiones.* Et Apollinaris. *Eſt hominis ſurgere à mortuis, Dei autem excitare.* Et Cyrillus. *Quomodo*, (inquit, libro in Ioan. 2. cap. 139.) *non eiuſdem cum eo erit ſubſtantia, qui eiuſdem naturæ habet proprietates, proprium enim eſt ſupremæ ſubſtantia, vt mortuos poſſit viuificare, quod æqualiter Patri atque Filio ineſt.* Proprium, inquam, ἀκοινώνητον: nam alioqui non procederet Cyrilli argumentum, Deitatem coeſſentialem Filii, etiam incarnati, ex mortuos viuificandi virtute colligentis. Et idem Cyrillus libro de Trinit. 5. *Quæ*, inquit, *diuino modo facta ſunt à Chriſto, non ſunt humanæ animæ aſtribuenda, ſed naturæ ineffabili, & omnem mentem tranſcendenti.* Et alius Cyrillus, nempe Hieroſolymitanus in Catechetica oratione 4. *Duplex*, inquit, *eſt Chriſtus, mortuus quidem verè, vt homo, quatriduanum autē cadauer ſuſcitās, vt Deus.* vt Deus inquā Patri ὁμοούσιος, nō quatenus eſt homo diuiniſsimus, id eſt, creatis ſummis donis ſupra cæteras res omnes creatas ineffabiliter exornatus. Non eſt igitur blaſphemus Beza, quum ſuas cuique naturæ proprietates aſſerit: iſti verò viderint, quînam Eutychetis & Monophyſitarū, & Monothelitarū teterrimos errores ab inferis non reuocent, ac proinde poſteriora faciant prioribus deteriora, & in Germaniam præſertim illas ipſas diuini iudicii pœnas non accerſant, quæ Orientis imperium, his iiſdem exortis hæreſibus, perdiderunt.

Sed, inquiunt, *hoc modo naturæ Chriſti humanæ nō plus tribuetur quàm Petro, qui & Thabitā reſuſcitare valuit, & ſurgere iuſſit: ac proinde Beza nihil illi præter conſenſum & vocē relinquens, filium illum hominis, quaſi in Apoſtolorum ordinem cogit, qui & ipſi in edendis miraculis vtrunque habuerunt.* Imò verò audiant ipſi, quid pro Beza reſpondeat Damaſcenus eodem illo loco. *Si vna eſt* (inquit) *Chriſti ἐνέργεια, eadem fuerit & diuinorum & humanorum operum effectrix. Atqui nulla res eſt quæ in naturali ſuo ſtatu manens, cōtraria poſſit efficere. Nec enim ignis refrigerat & calefacit, neq; aqua exſiccat & humectat. Quomodo igitur, qui natura Deus eſt, & factus eſt natura homo, vna & eadē ἐνέργεια, cùm miracula ediderit tum perpeſſiones obierit?* Illius autem aduerſus Bezā conſequutionis falſitas inde oritur, quòd autorē ſuum Brentium ſequuti, Deitatē Chriſti hominis, cum diuinitate Petri (id eſt deitatem eſſentialem carni aſſumptæ οὐσιωτικῶς ſiue ὑποστατικῶς vnitā) cum ἐνεργητικῇ & χαριστικῇ eiuſdē παρουσίᾳ, qua ſancti quidem homines diuerſa menſura ornātur, Chriſti verò Humanitas pleniſsimè donata eſt, ſiue, vt loquuntur in ſcholis, gratiam Vnionis cū gratia Habituali perpetuò confundunt, quod eſt Neſtorianum dogma in ipſarum naturarum ſeparatione. Et rurſum, errorem iſtum errore contrario cumulantes, pro creatis donis (quæ ſicuti dixi, in Chriſto ſumma ſunt, in reliquis verò ſanctis certa, prout Deo libuit, menſura definiuntur) eſſentialium Deitatis ipſius proprietatum realem in carnem Chriſti effuſionem imaginātur, quæ fuit altera Eutychetis blaſphemia: quam denique vt declinent, ex Scylla in Charybdin, id eſt ex Eutychetis blaſphemia, in Monothelitarum impietatem, & ſeſe & alios præcipitant, vnicam Deitatis & Humanitatis actionem ſtatuentes, & perſonale ἀποτελέσματα cum naturalibus energiis confundentes, arbitrati nimirum homini κατ' ἄλλο detrahi, quod humanitati ſecundum ſeſe tribuendum negatur. Ne cui verò Brentium calumniari videar, legatur pag. Recognit. ipſius 40. & 41. vbi inter cætera ſic ſcribit. *Chriſtus edidit multa miracula, edidit & Petrus: Vidit Chriſtus futura, vidit & Petrus: Chriſtus mortuus & ſepultus reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cælum, Petrus quoque reſurget à mortuis, & aſcendet in cælum, & quidem cum corpore ſuo in puluerem redactus, vt illud in Petro penè mirabilius, quàm hoc in Chriſto videatur. Dicis, Chriſtus reſurrexit à mortuis ſua ipſius virtute, Petrus autem aliena. Imò, ſicut Chriſtus excitatus eſt diuina virtute, ita etiam reſurget Petrus diuina virtute: nec minus ipſi quàm Chriſto intimè præſente, quòd vbi ſit diuinitas, ibi ſit tota. Quare ne hac quidem ratione dici poteſt quòd Chriſtus non autem Petrus ſit Deus.* Imò hic eſt ſcopulus apud quem licet tot iam Neſtorianorum naufragiis infamem, nauem quoque fregit

Brentius. Nec enim ὁ λόγος Christo duntaxat præsens fuit (nusquam enim abest) nec sic duntaxat habitat in Christo vt in Sanctis, sed in Christo vnus factus est caro: quod discrimen tantum est, vt Sancti quidem reliqui sint diuini, id est diuinis peculiaribus Ecclesiæ donis ornati, Christus autem solus sit essentialiter Deus & homo. Habemus ergo nunc Brentium suis ipsius verbis Nestorianismi conuictum, qui mox sese in reali essentialium proprietatum, in carnem assumptam effusione, Eutychianum esse tam absurdè prodit, vt etiam Petro & Sanctis omnibus eas, quanuis impari mensura, communes esse velit. Hæc enim sunt eius verba eodem loco: *ὁ λόγος non minus sua essentia, potentia & præsentia habitat in Christo, quàm in Petro*, itē. *Discrimen Christi & Petri non est sumendum simpliciter ab inhabitatione Filii Dei* (quod Nestorianum est) *sed à communicatione proprietatum eius* (quod Eutychianum est.) *Filius enim Dei etsi sua essentia implet Petrum sicut & hominem Christum:* (quod si ad ἐνέργειαν referas Nestorianum est, sin verò ad ipsam Deitatem, dupliciter falsum est: aut enim inde consequetur nec Petrum nec Christum essentialiter Deum esse, aut, si Christus est essentialiter Deus, Petrum quoque essentialiter Deum esse) *non tamen communicat Petro omnes suas proprietates, sed tantum nonnullas.* Ex his igitur quiuis intelligere potest, etiamsi Humanitatem Christi, cum Eutychete & Monophysitis non exornamus Deitatis spoliis, hominem tamen Christum à nobis sicuti par est, non modò supra sanctos omnes homines, sed etiam supra res omnes creatas ineffabiliter, quòd attinet ad dona in assumptam naturam effusa, & præterea gratiæ vnionis respectu, (id est quatenus hic homo Deus est Patri ὁμοούσιος) in ipso Deitatis solio collocari: vt ita Christus, quemadmodum rectè loquuntur patres, sit seipso homine maior, quatenus idem homo Deus est: & rursus seipso Deo minor, quatenus idem ille ὁ λόγος homo est, quantumuis nunc glorificatus, saluis videlicet manentibus in hypostatica vnione, tum naturis, tum naturarum proprietatibus. Itaque nec Petri nec Christi humanitas mortuos excitauit, quoniam alioquin & in Petro & in Christo Humanitas in Deitatem commutaretur. Nam, vt antè ostendimus, vitæ tribuendæ vis tam est incommunicabiliter Deitati propria, quàm æternum & infinitum, Iehouam denique esse. Sed Christus homo, etsi non quatenus homo, tamen quatenus Deus est dicitur mortuos excitare: & in concreto huic Homini attribuuntur propriæ τοῦ λόγου actiones, ne persona videlicet diuidatur: in abstracto verò non item, ne naturæ confundantur. Qua enim ratione Christus dixit se potestatem habere deponendi animam suam, & rursus sumendi (sua videlicet non aliena, & quidem suæ vnius Deitatis virtute, quanuis assumtæ humanitati vnitæ) eâdem & sese & alios à mortuis excitauit: inani alioqui futuro argumento Pauli, quo Christi Deitatem ex ipsius à mortuis resurrectione initio epistolæ ad Rom. euincit. At in Petro mortuos excitante nihil tale comperies. Nec enim Petrus, aut alius vnquam siue homo siue Angelus, vel naturali, vel aliunde sibi realiter collata virtute, vlla edidit miracula, quoniam hæc gloria vnius Deitatis est propria & incommunicabilis: sed (exceptis merè humanis actionibus, veluti Eliæ, Petri, Pauli, & aliorum precibus, & linguæ, aliarúmve corporis partium ministerio, quarum ratione dicuntur τοῦ Θεοῦ συνεργοί) merè παθητικὰ & λειτουργικὰ fuerunt instrumenta, quod Petrus testatur Act. 3. v. 12. & 4. v. 10. sicut etiam loquitur Marcus cap. 16. v. 20. Rectè enim Cyril lib. in Ioan. 1. cap. 17. *Sancti*, inquit, *non sua, sed superiore virtute signa operabantur, Christus verè, vt virtutum omnium Dominus*, id est vt essentialiter Deus. Ex his autem apparet quàm appositè isti Athanasium pro sua sententia citent scribentem *τὸν λόγον non edidisse prodigia separatim ab assumpta natura, sed ei placuisse per ipsam, in ipsa, cum ipsa, potentiam suam diuinam exerere.* Nũ enim quicquid & essentia, & suis proprietatibus ab alio distinguitur (sicut in Christo est ἄλλο καὶ ἄλλο) ab illo quoque separatur? Et quis nostrûm vnquam negauit τὸν λόγον per assumtam carnem agere, quatenus quidem humanæ naturæ ἐνέργεια in actionibus humanis, cum diuinæ vnius naturæ diuinis actionibus, ad vltimum ἀποτέλεσμα concurrit? & in ipsa quoque agere, quum in ea σωματικῶς inhabitet? & cum ipsa, quum id quod assumsit nunquam dimiserit? Sed quod isti inde colligunt, nõ minus profectò absurdè dicitur, quàm si corpus ratione præditum esse contenderet, quoniam anima corpori humano vnita, sensibus externis ad recipiendas rerum imagines vtitur, & intra ipsum corpus sita, per corporis organa suos effectus foris exercet, & cum corpore, quandiu viuit corpus coniuncta perseuerat.

Quærunt etiam, *nisi ipsa vitæ mortuis restituendæ potestas ipsi carni Christi reipsa fuerit insita, cur Cyrillus viuificam toties ipsam appellarit:* nempe non quòd duplex esse possit viuifica facultas, vna videlicet Deitatis æterna & increata, altera verò creata in tempore, & in assumtā carnem infusa, (quod falsissimum esse ex eiusdem Cyrilli & aliorum testimoniis paulò antè à me citatis liquet) sed *quia non abest ab ea vnigenitus Dei filius*, inquit idem Cyrillus lib. in Ioan. 10. cap. 3. cuius hæc verba sunt, *Caro vnigeniti, facta vitæ caro, ad virtutem vitæ traducta est, ideóque non potest à morte superari: & in nobis facta, interitum à nobis expellit. Non enim abest ab ea vnigenitus Dei filius, vnde, quia vnus est cum carne sua, Ego, inquit, suscitabo eum, id est caro, quum assumeretur ab vnigenito, facta est æterna vita viuens, vnde consequitur illam à morte non posse superari, & nostram factam nos viuificare.* Et ne quis putaret hanc vim viuificam ipsi carni licet assumtæ inhærere, prudenter addit Cyrillus, ideo viuificam esse, non quòd hanc qualitatem habeat sibi realiter insitam, (vt isti existimant gratiam vnionis cum gratia habituali confundentes) sed quoniam vnigenitus Dei filius, (nempe ὁ λόγος, in quo vno cũ Patre & Spiritu S. vita est) ab illa assumta Humanitate non absit, id est hypostaticè, non autem vlla qualitate, siue accidentaliter sit ei vnius. Sit igitur sanè Christi Humanitas quasi trames & canalis ipsius τοῦ λόγου hypostaticè in ea habitantis: cuius interuentu, diuina opera sua in nobis spiritualiter per fidem illi carni insitis, ὁ λόγος, efficiat. Sed quid hoc istos iuuerit? Quoniam autem propositam quæstionem de viuificandi siue mortuos in hanc vitam restituendi virtute, ad viuificationem

In æternam vitam istos transtulisse video, age hac de re amplius etiam aliquid dicamus. Nam hoc etiam quærunt *si in ijs rebus quæ nobis aduersa eueniunt sola diuinitate Christi iuuamur, cur carnem eius cum diuinitate adoremus, & cur non illam, quum precamur, à filio Mariæ separemus.* Nempe quoniam, quum Christus ita sit secudum vtramque naturam mediator, vt in hoc mediatoris munere, neque Deitas quæ sunt Humanitatis, neque Humanitas quæ sunt Deitatis peregerit, neque nunc peragat, sunt quidem hac ratione distinguendæ, at nunquam separandæ naturæ. Hac autem distinctione vtimur, vt in adoratione, Hominem quidem cum Verbo coniungamus, sed quatenus sic Homo est vt sit Deus, Humanitatem verò non quatenus Humanitas, sed quatenus est veri Dei Humanitas adoremus. Qua in re vt me calumniari semel isti desinant, audiant si libet, quid ea de re dicat Cyrillus lib. in Ioan. 2. cap. 92. in hæc verba, Nos adoramus quod scimus. *Christus adorantibus seipsum connumerat, qui cum Patre & Spiritu S. tam ab Angelis quàm à nobis adoratur. Conuenit autem maximè hominibus adorationem Deo tanquam debitam offerre. Adorat igitur etiam Christus vt homo postquam factus est homo: adoratur autem semper cum Patre & Spiritu, quoniam Deus verus secundū naturam est.* Dico igitur blasphemam esse Brentii doctrinam, qui pagina Recognit. 273. *Viuifica & adorandæ Christi diuinitatis nomine testatur se non intelligere diuinitatem quam filius Dei in se ab æterno habuit, sed quam tempore incarnationis filio hominis communicauit*: quam impietatem audiamus quàm apertè conuincat Cyril. eodem lib. cap. 141. *Quia non aduentitias*, inquit, *sed naturales habet regis omnipotētis & creatoris adorandi, & Dei ac Domini dignitates, propterea & a nobis & ab Angelis adoratur; quum certè nihil adorare scriptura præter solum Dominum Deum iubeat. Si ergo extrinsecus ei aduenisse has dignitates credunt, & tamen adorandum esse putant,* (vt docet Brentius, discrimen inter Christi & Petri diuinitatem in sola proprietatum Diuinitatis impari effusione reali constituens. & Diuinitatem non naturæ sed gratiæ, viuificātem & adorandam disertis verbis constituens) *non creatorem sed creaturam adorant, recentem quendam Deum per imperitiam statuentes.* Item, libro Thesauri 2. *Nemo ignorat* (imò ignorāt & ignorare docent Brentiani) N V L L I *prorsus naturæ præter quàm Dei, adorationem à Scriptura tribui. Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies. Sicut igitur Filius, quamuis verè adorandus, tamen adorat vt homo* (*nos enim, inquit, adoramus quod scimus*) *sic quamuis Deus secundum naturam sit, tamen Patrem, vt Homo, Deum suum appellat.* Et mox. *Si quis humiliter humanóque more dicta, Deitati attribuere audebit, & rursus quæ excelsè sicut de Deo dicuntur, Humanitati accommodabit, is naturas rerum confundet, & dispositionem qua factus est homo, perimet.* Vbi est igitur, Brentiani, vestra realis idiomatum κοινωνία siue ἀντίδοσις? Et in lib. de recta fide ad Theodosium. *Adoratur vt vnigenitus, etiamsi vocetur primogenitus, quod manifestissimè conuenit Humanitatis mensuræ. Num igitur vt hominem adorabimus Immanuelem? Absit. Deliramentum enim hoc esset, & deceptio ac error. In hoc enim nihil ab ijs differremus qui creaturam vltra factorem & conditorem colūt.* In summa igitur, vt nos docet idē Cyrillus in anathematismū octauū ex aperto diuinarū scripturarum testimonio, *vna adoratione colimus Immanuelē, sed secundum quòd essentialiter Dei filius factus est hypostatica vnione caro*: & vt loquitur Athanasius, *confitemur vnicā Dei verbi naturam, non separatā à carne, sed incarnatam, & vnica adoratione cum carne sua, adoramus.* Nota est similitudo à multis patribus vsurpata, de coronato & purpurato Rege, cuius purpuræ & coronæ communis est cum ipso Rege vnica ciuilis adoratio, quamuis coronæ & purpuræ nō exhibeatur quatenus purpura est & corona, sed quatenus is qui propriè adoratur, coronam illam & purpuram gestat: quod si locū habet in iis quæ accidentaliter duntaxat cōiuncta sunt, multò euidentiùs seruandum est in iis quæ hypostaticè & inseparabiliter sunt vnita. Cohærent certè fides & religiosa adoratio. Quid autem ait de proprio fidei obiecto Cyrillus eodem ad Theodosium libello. *Non tanquam in vnum nobis similem, neque etiam in hominem* (id est, Humanitatem ipsam) *fides, sed in Deum tendit naturalem* (nō illum Brentianum effusione reali proprietatum recenter Deificatum) *& verum in persona Deum.* Item lib. de Trin. 5. *Fides non est simpliciter in hominem, sed in Dei naturam.* Sic remittit peccata vnicus essentialiter Deus, *quod*, inquit rectè Cyrillus, *nulli qui inter creaturas numeretur facere licet.* Et tamen habet filius ille hominis potestatem etiam remittendi peccata, nempe vt κύριος αὐτῶν, quatenus est verus ille & essentialis Deus. Nam alioqui etiam quatenus Homo tollit peccata vt λύτρον pro nobis: & remittit peccata, tum vt & pro nostris eluendis peccatis mortuus, tum denique vt suæ ipsius Deitatis proprium in promulgando Euangelio instrumentum: pastores autem peccata remittunt vt separata ipsius organa, quatenus reconciliationis doctrinam annuntiant, siue quatenus plantant & rigant. Audiamus denique iugulatam eiusdem scriptoris auctoritate istam, siue omnia, siue plures simul locos essentialiter replentem Omnipræsentialem carnis realem maiestatem. *Posse*, inquit eodem libro, *implere omnia, & transire per omnia, & sequi in omnibus, concedes alteri naturæ præter Diuinā? Non equidem.* Et in lib. in Ioan. 2. cap. 141. *Nihil firmū*, inquit, *& stabile, nihil perpetuum soli Deo attribuetur, si creatura quoque substantialiter & per naturam* (id est in sui ipsius natura) *suscipere poterit quæ in Deo sunt substantialiter.* Et lib. 11 cap. 21. *Non ergo carni vt caro est, operationis diuinæ virtutem, sed naturæ τ͂ λόγου attribuimus.*

Sed agit, inquiunt isti, *vna natura cum alterius communicatione.* Concedo. Nec enim sum Nestorianus. *Ergo, vbicunq; est diuina, ibi etiam est humana.* Nego. Hæc enim κοινωνία fit per hypostaticā vnionem, in qua distinctæ seruantur tum naturæ, tum essentiales earum proprietates, tū naturales ἐνέργειαι ac proinde non effusione reali proprietatum vnius naturæ in alteram, quod est Eutychianum, neque vnius ἐνεργήματος, quod est Monotheliticum.

Sed est Christo data omnis potestas in cælo & in terra. Quis verò nostrûm hoc idem non asseruit? *Data est autem* (inquiunt) *vt Homini.* Assentior. *Ergo est etiam humana ipsius natura substantialiter*

& reali-

& realiter in cœlo & in terra. Id ego verò dixi & dico non minus absurdè concludi, quàm si quis principem quempiam diceret suæ ditioni coëxtendi. Hoc responsum Holderus quidem ridendo eludit, sed viderit ne potiùs hoc risu Sardonio sese deridendum propinet. Mihi quidem certè potiùs probatur illa Centurionis fides, tantopere à Christo laudata, prorsus aliter sentiẽtis. *Non sum, enim dignus,* inquit, *vt tectum meum subeas, sed dic tantùm verbum & sanabitur puer meus.* Visibiliter scilicet qui antea inuisibiliter apud Centurionẽ erat, si Breutianæ distinctioni locus est, quam nimirum ille didicerat. Quid autem hic rursum Cyrillus illa Christi verba explicãs, Caro nihil prodest, lib. in Ioh. II. cap. 22? *Christus,* inquit, *apertè hic ad sanctificandum & viuificandum nihil prodesse carnem ostendit, in quantum videlicet naturæ humanæ caro est. Quum igitur Deitati seruatio attribuatur, non debetis, inquit, carnis præsentiam propterea desiderare.*

Et de præfatione quidem illa plus satis. Nunc ad te venio, Holdere, quîcum sic agam vt ex plurimis extra rem in me coniectis conuitiis pauca quædam initiò refellam, non tam (per Dei gratiã) quòd egere me apud eos quibus bene sum notus ista refutatione credam, quàm vt quæ tua sit in me criminando conscientia, ac proinde quo spiritu impulsus ad mihi conuitiandum accesseris, omnes intelligant. Sum igitur tenebrio, lucifuga, vespertilio, quem etiam & nominis, & patriæ, & professionis pudeat: quod me in duarum quarundam homiliarum editione septimo ante anno editarum non Theodorum Bezam Vezelium, Geneuensem ministrum, sed Nathanaelem Nezechium inscripserim. Magnum profectò scelus, si pro Græco nomine & Gallico cognomento, Hebræam vtranque appellationem substitui, quod si tu nescis, magnam harum linguarum inscitiam prodis: sin verò nosti, & tamen tam acerbè reprehendis, quod sit tuum ingenium demonstras, quũ maximis autoribus, & quidem in re simili facilè me tueri possim. Quod enim iam olim & Philippo Melanchthoni, & Martino Bucero, vtrique tanto, vt penè sint omni exceptione maiores, non modò sine reprehensione, sed etiam tacita saltem cum bonorum & piorum omnium, qualium tunc erat maximus numerus, approbatione licuit, cur mihi quoque in re simili non liceat? Ille igitur sese Didymum Fauentinum Thomæ Emsero respondens inscripsit, & alicubi etiam Melangæum: iste verò scribens in Psalmos Aretium Felinum se dici voluit, nempe vt pio dolo dissimulatis suis nominibus, vænirent inter Papistas ipsorum libri. Mihi verò, quum vos nec minus iniustè, nec minus callidè piorum alioqui principum, sed à vobis fascinatorum autoritate ad eundem finem abutamini, nempe vt prius damnemur quàm quid doceamus intelligatur: cur non liceret Theodorum quoque in Nathanaelem, Bezam in Nezechium, transmutato tantùm idiomate, occultare, vt quid isti Sacramentarii, quos tam securè non auditos Iudæis & Mahumetanis deteriores facitis, doceant, aliquatenus homines priùs intelligere possint, quàm non auditi vestris anathematismis iugulentur? Vin' aliquid etiam amplius dicam, Holdere? Quis in te conscientiam paulò saltem pudentiorem non requirat, quum hoc ipso tempore, quo hæc in me exagitares, tuum Nicodemum, Laonici equitis aurati à Sturmeneck personam ementitum, in scenam, risum potius quàm stomachum moturum, prodire patereris?

Sed & miserum Bezam postea in architriclinum aut archimagirum transformas, lepidus sanè argutator, cui in mentem non venerit, vos istas potius cœnas adipales decere, qui carne & sanguine vultis re ipsa pasci, quum in esu & potu solo spirituali Beza acquiescat.

Sum etiam tibi vetulus canis. Sim ego verò canis vetulus, quando tu ita vis, modò ne vel aduersus lupos mutus, vel bonis allatrans. Vetulum verò molossum, necdum profectò vetulum, mirum si lasciuiens catulus perterrefecerit.

Ais etiam me alterũ iam pedem in cymba Charontis habere. Num quòd non alios quàm poeticos inferos credas? Prophana enim ista sunt. Ego verò non mihi, sed Domino meo sto, vel cado, maiore vitæ meæ parte, id est annis iam triginta duobus, per Dei gratiam, sic in Ecclesiasticis functionibus transacta, vt eius reddendæ rationem neque defugerim vnquam, neque nunc defugiam.

Denique quum poetica etiam illa quæ mihi adolescenti in medio papatu, non sine multorum etiam alioqui eruditorum applausu exciderunt, & quæ nemo priùs quàm ego damnauit, id est rancidam illam calumniam tu Holdere, & scurra ille vester reponitis, quid hoc causam tuam iuuat? Iampridem enim ego etiam non interpellatus, Ecclesiis hac de re satisfeci, quæ si tu obliuetari nõ pateris, meáne hæc culpa est, an vestra potiùs? Tu verò quis habendus es qui poeticũ nescio quod phantasma toties iam à me eiuratum mihi exprobras, & interim Omnimaiestaticum illud ἴνδαλμα quod Christianis Ecclesiis obtrudas, comere & pectere non desinis?

Sed ad rem. Libellum nostrum tibi visum est in quatuor veluti frustula discerpere, nempe in vera (quæ tamen ego mei oblitus, alibi subuertam) verisimilia, falsa, & calumniosè deprauata: quam distributionem ego quoque in hac responsione sequar, vt tibi gratificer.

Dicis igitur *me (vt alios fallerem) non semel confessum esse corpus ipsum Christi non tantùm significari, sed etiam verè & certò in Cœna Domini exhiberi, communicari, præsens esse: & veram esse rerum significatarum cum signis coniunctionem. Hæc autem à me ipso postea variis modis euerti.* Cedò quibus argumẽtis?

Primùm *quòd Solis similitudinem proposuerim, qui in cœlo existens, etsi in terram ad nos non descendat, radijs tamen suis nos calefaciat: qua similitudine qualem Christi præsentiam in Cœna intelligam, abundè demonstrarim.* Rectè profectò. Nam te ipso teste simul & accusatore absoluor, quum fallere minimè velit, se ne possit quidem qui quid sentiat abundè demonstrat. *At non,* inquies, *eodem tempore.* Imo verò quum hac de re primùm omnium aduersus Vvestphalum scriberem, quid aliud egi quã hoc ipsum, nempe vt, exploso vestræ corporalis præsentiæ modo, & orali vestra perceptione, Sacramentalem illum & simul Spiritualem, tum præsentiæ, tum perceptionis modum, verbo Dei,

id est claris & perspicuis Christianæ fidei de Christi vera incarnatióne & ascensione in cælos articulis, κατὰ τὸ ῥητὸν perpetuo Ecclesiæ Orthodoxæ consensu intellectis, atque adeò Sacramentorum naturæ & fini penitus consentientem, stabilirem? Quod autem attinet ad reliqua mea scripta aduersus Heshusium, Brentium, Iacobum Andream, Selneccerum & Pappum, aio & affirmo vix vllã extare pagellam in qua illud ipsum, quàm planissimè & quàm maximè perspicuè à me fieri potuit, bona & integra fide, vt omnis obscuratis & sophistices perpetuus hostis, nõ studuerim explicare. Sed tibi nimirum qui duplicem præsentiæ & absentiæ modum distinguere vel nescis, vel scire te dissimulas, & Cœnæ actionem cũ symbolis quæ in ea exhibentur confundis, qui denique in Cœna externam corporis actionem cum eo quod animo & fide geritur permisces, ideóque Præsentem esse in Cœna Domini, à vestris illis formulis, In, Sub, vel Cum pane & vino discernere nõ potes, ἀσύστατα & repugnantia videntur, quæ tamen optimè inter se conueniunt. Cæterùm illa similitudine à Sole desumpta, noluisse me à pari sed à minore ad maius argumentari, quum disertè Pappo in eo ipso quem oppugnas libello responderim, videris qua conscientia, defensione mea dissimulata, idem in me rursum occinas.

Obiicis deinde quòd scripserim *non alia ratione præsentem esse Christum in Cœna, quàm olim sanctis patribus, id est tam absentem quàm quum non esset in rerum natura.* Immò verò, Holdere, istud posterius meum non est, sed tuum glossema: & vt qua fide hîc quoque mecum agas omnes perspiciant, totum locum quem decurtatum citas, ex illius aduersus Pappum scripti pag. 124. proferam. *Nũquam sum inficiatus corpus Domini esse in Cœna, sed sacramentaliter, non reali inexistentia In, Sub, vel Cum pane: & vere in Cœna percipi, sed spiritualiter per fidem, non manibus & ore.* Hoccine verò est, Holdere, tergiuersari, nec apertè loqui? Deinde probans ex Pauli verbis, 1. Cor. 10. vestram illam inexistentiam & perceptionem realem & corporalem ipsius corporis Christi, ad veritatem Sacramenti nõ requiri, hæc verba subiicio. *Neque absq; Christo fuit vnquam salus aut fides, neque Christus dimidiatos vllos vnquam seruauit. Ex hoc consequitur illorum fidei spiritualiter iam tum fuisse præsentem* (DE IVRE *videlicet vt loquuntur*) *Christi Humanitatẽ nascituram: sicut nostra fides eidem spiritualiter nunc est eadem præsens* IPSO *vt loquuntur* FACTO, *symbolis videlicet variatis, eadem autem vbique tum re significata, tum fide, & eodem præsentia sacramentalis ac spiritualis perceptionis modo.* Hæc igitur mea verba sunt: hoc meum argumentum, cuius vel antecedens connexum, aut totum aut aliquatenus, vel negare, vel distinguere, vel concedere quum debueris: tamen nulla ex parte attingis. Et certè totũ concedas necesse est, ni Christianismũ eiurare velis. Supererat ergu vt istud ex illo cõsequi negares. Vndecunque verò id consequatur, Paulus id apertè dicit, eandem escam manducasse patres, & eundem potum bibisse, & hunc potum (ergo & cibum) testatur fuisse Christum. Inde verò efficitur necessariò, non illos simpliciter inter se, sed nobiscum in rei Sacramentalis, id est Christi perceptione conferri, nisi fortassis illis quidem præbitum fuisse Christum, nobis verò non eundem Christum in noui fœderis Sacramentis præberi velis. Et Augustino quid facies, qui, *re pares nostris, vt signis diuersa fuisse disertè dicit patrum sacramenta*? Stat igitur conclusio mea, qua vtrobique eandẽ esse rem significatam, nempe Christum totum: idem eius percipiendæ instrumentum, nempe fidem: eundem præsentiæ rei significatæ modum, nempe sacramentalem: eũdem denique perceptionis modum, nempe spiritualem statuo. Quî fit igitur, vt quod de præsentia dixi, tu ad absentiam trahas? *Quoniam*, inquies, *inexistentia præsentiam vtrinque tollis.* Concedo. Sed ita vt præterire non debueris discrimen quod in præsentiæ istius, eiusdem alioqui generis accommodatione est à me expressum: nempe quòd patres ipsam quidem carnem, non tamen vt reipsa iam existentem participabant, ac proinde ius tantùm in illam nascituram sibi acquirebant: nobis verò illa vt iam existẽs simili tamen effectu vtrinque communicatur. Nam & illi iure sibi in illam nascituram acquisito, inde quicquid ad salutem requirebatur hauserunt, & nos ipsius iam reipsa existentis compotes facti, in eadem seruamur. Aberat igitur à cælo & à patribus caro Christi essentia reali, quia nõdum erat creata, à nobis autem abest tantùm locorum interuallo: & tamen, tum illis aderat, nunc nobis adest, spirituali viuificáque tum præsentia tum perceptione per fidem, cuius vis & efficacia in eo quod promittit apprehendendo, neque temporum, neque locorum interuallis impeditur.

Sed ne illud quidem concoquere potes, quòd scripserim, *nihil aliud in Sacramentis, quàm in simplici verbo præberi & à credentibus accipi.* Nempe quòd ad rem attinet, tum verbo simplici, tum sacramentis significatam, ipsum videlicet Christum. Nam alioqui siccine insanire nos putas, vt negemus in Sscramentis aliquid præberi amplius quàm in verbo, symbola videlicet sacra, ritibus etiam peculiaribus adiuncta? Illud autem ab iis negari non miramur qui in verbo quidem simplici beneficia Christi ab ipso Christo, in sacramentis verò indiguè sumtis Christum à suis beneficiis separant. Nos autem ex Dei verbo neque absque ipso fundo fructus, neque fundum ipsum absque fructibus percipi affirmamus. Et ne primi vel soli sic sentire videamur, agedum sit etiam tibi blasphemus Hieronymus qui *Carnem Christi & eius sanguinem ait, quando verbũ Dei audimus in aures nostras fundi.* Quid autẽ Origenes, quem nemo certè vt hîc quoque errantẽ reprehendit? *Suscipitur*, inquit, *Caro verbi, non solùm in Sacramentis, sed etiam quum fideliter Dei verbum audimus.* Quid item Augustinus? *Quid vobis plus esse videtur? Verbum Dei, an corpus Christi? Si verum vultis respondere, dicetis quòd non minus sit verbum Dei.* Loqui verò Augustinum non de ipso Christi corpore in sua essentia, sed Sacramentaliter considerato, res ipsa demonstrat, & quæ illo loco subiiciuntur. Denique quum vos ipsi contenditis caput Iohan. sextum ad Sacramentum Cœnæ Domini non pertinere, an non carnem Christi manducari, & sanguinem bibi simplici quoque verbo fatemini?

Docet præterea Beza, inquis, *non magis adesse corpus & sanguinem Christi cum pane & vino Cœna,*

quàm

quàm sanguinẽ eius cum aqua baptismi, qui tãtum significatus sit. Agnosco illa priora, posterius autem istud, *qui tantùm significatus sit*, tuum esse dico, & penitus commẽtitium. Verã autem esse nostram sententiã, priorùm ex eo probo, quòd Christus nõnisi totus à nobis perceptus, idq; spiritualiter, & per fidem, nobis sit seruator: ac proinde, quanuis alia symbolica significatione, (nempe vt remissionis peccatorũ, & regenerationis lauacrum) tamen non minus sit, tũ simplicis verbi, tũ baptismi materia intrinseca, quàm Cœnæ Domini. Et certè Christo in Baptismo ἐνσωματοῦσθαι, καὶ συνθάπτεσθαι, καὶ σύμφυτον γίνεσθαι, & ex Spiritu renasci, & Christũ induere, non minoris est momẽti, quàm Christi carnẽ manducare & sanguinẽ bibere, & ipsi cõcorporari. Quòd si Patrũ etiam auctoritatẽ requiris, meminisse te oportuit eius quod Beda quoque ex Augustino citat, nempe *credentes per baptismum fieri corporis & sanguinis Christi participes, licet qui baptizantur, ad alterius sacramenti, nempe Eucharistiæ perceptionem non peruenerint.*

Quid plura? *Beza, inquis, statuarius, pro vero imperatore Christo statuã eius collocat.* Imò sũt potiùs statuarii vocãdi, Holdere, qui siue Luthero, siue Brẽtio, siue alio quopiã auctore, & ipsa veritate, & trecẽtorũ minimùm annorũ veteris Ecclesiæ historia reclamãte, secũdũ Domini præceptũ de nullis imaginibus religionis causa, siue faciẽdis siue colẽdis, inter cæremonialia præcepta recensent. Istud aotẽ quod tu calũniaris, sic habet. Vos vestra quadã peculiari Logica prorsus ἀναλογίστῳ, sic colligere cõsueuistis, *Qui indigne panẽ illum comedunt, & vinũ illud bibunt, rei fiunt corporis & sanguinis Domini. Ergo sumunt etiã ipsum Domini corpus & ipsum sanguinẽ.* Nos autẽ hanc cõclusionẽ nõ admittimus. Reos enim illos fieri corporis & sanguinis Domini dicimus, tũ quòd corpus & sãguinẽ Domini non minus verè sibi præbita, quàm panẽ illũ & vinũ illud, (quanuis diuersa ratione, hæc nimirũ corporis organis, illa verò spiritualiter per fidẽ sumẽda) sua incredulitate repudiarint: deinde quòd sacrorũ symbolorũ, ipsiusq; mẽsæ Domini prophanatio in Christũ ipsum redundet: sicut, qui Cæsaris statuã violauit, in ipsum Cæsarem peccasse meritò censetur. Hoccine verò est, Holdere, Christum in statuã transmutare, ac non tu potiùs manifestè calumniaris?

Denique, hûc vsque, inquis, progreditur Beza vt dicat, *Christum etiamsi possit corpore suo adesse, tamen hoc velle non posse.* Imò hoc docuit & docet Beza, non velle Deum quicquid potest: & Deũ multa noo posse, vt non posse mutari, mori, mentiri, nec tamẽ propterea Omnipotentẽ esse desinere, quoniam hæc posse, nõ sit potentiæ, sed infirmitatis, atque adeò vitii ἰσχυρῶν. Sed & illud docet Beza, quædam Deum ooo posse velle ex ὑποθέσεως, cuiusmodi est istud de quo nunc agimus. Quum enim Deus hoc statuerit, vt omne corpos humanũ suis organicis partibus cõstet, ac proinde vnico semel suo loco cõprehẽdatur: itémque vt tale corpus humaoũ ὁ λόγος in æternũ habeat (cui corpori gloria ἀφθαρσίαν, non ἀσωματίαν, naturã ac proinde dimensiooẽ ac circũscriptionẽ, essentialẽ videlicet ipsius proprietatẽ, nõ ademit) nõ posse Deũ propterea cõtrariũ nũc velle: id est vel hoc corpus abolere, quod perpetuum esse semel voluit, quoniã à seipso dissidere nõ potest: vel facere vt sit simul corpus & oon corpus, quantitate præditum, & quantitatis expers, siue finitum simul & non finitum, locale & nõ locale, quoniã simul contradictoria velle, siue mẽtiri nõ potest. Hoccine verò est Omnipotentiam Deo detrahere?

Et hæc quidem sunt magna illa scelera propter quæ clamitas Holdere, *Bezam vertiginis spiritu agitari: furere: duabus sellis sedere: vnum pedem in calceo, alterum in pelui habere: Proteo & Chamæleonte mutabiliorem esse: calidum simul & frigidum ex vno ore efflare: tergiuersari: simplicium facilitate malitiose abuti: denique alterum esse Lucianum.* Hi sunt enim flosculi quibus dum infamiam mihi conciliare studes, videris ne ipse tibi potius ex iis corollam texueris.

Saltem verò vel leuissimo quopiã argumento nostrã sententiã refutasset Holderus: qui tamẽ quũ nonnulla patrum, ex Papistarũ certè lacunis hausta testimonia nobis propinet, ea ipsa fide qua illi ad suam Transsubstãtiationem confirmandam iis abutuntur, age, quantum hîc quoque hallucinetur, ostẽdamus. Sed rem conferam in pauca, ne vel lectoris, vel meo ipsius otio abutar.

Citatur ab istis Augustini locus vbi dicit *hoc accipe in pane quod pependit in cruce.* Et quis aliud corpus pro re Sacramenti constituit, quàm illud ipsum vnicum Christi corpus? quis sacramẽtalem inaoem vnquam esse dixit præbitionem, si quid ipse Christus in pane, id est, præbito panis symbolo tradat, spectetur? Quis hanc præbitionem esse vanam docuit, siquis vnicũ illud apprehendendi Christi instrumẽtum, nempe fidem, afferat? Sed quod vult Holderus nempe essentialiter In, Sub, vel Cum pane reale Christi corpus adesse, & corporis organo sumi, absit vt Augustino, vel cuiquam patrũ ante inuectam Transsubstantiatiooem in mentem venerit. Quid enim ait alibi Augustinus suiipsius interpres, nempe in Ps. 98: *Non hoc corpus quod videtis, comesturi estis: neque sanguinem bibituri, quem illi effundent. Mysterium est quod vobis dico, quod si spiritualiter intellexeritis, viuificabit.*

Idem tamen contra aduersa. Legis lib. 2. cap. 9. inquit. *Christum nobis tradere suam carnem manducandam, & bibẽdum suum sanguinem, quem fideli corde & ore suscipiamus.* Nempe fideli corde spiritualiter: ore verò sacramẽtaliter. Quid enim addit August? Id nimirum quod tu astutè prætériisti, nempe *istam oris manducationem esse figuratè intelligendam quòd alioquin sit horribilius carnem edere* (reipsa nimirũ & ore, vt vultis) *quàm perimere: & sanguinem potare, quàm fundere*, vt etiã lib. 3. ca. 10. de doctrina Christiana disertè exponit. Quis igitur te nõ videt Holdere, vel ista malitiosè, quod tu mihi immeritò tribuis, citare, vel aliena fide patres proferre, quos ex solis indicibus noueris?

Theophylacti locũ, in quo dicit, *panem qui in altari sanctificatur, non esse respondentẽ figuram, sed ipsum corpus*, vide qua fide proferas. Omittis enim particulã exclusiuã SOLVM, quę in Theophylacto Basiliensis Bibliothecæ extat. Quis enim sacramenta esse ἀντίτυπα negarit, quod toties apud

Kk. i.

patres repetitur? *At nō nuda*, inquies. Cōcedo. Tunc verò nuda nō sunt quū id quod significatur, reipsa datur: fide nimirū spiritualiter percipiēdū, quū hic cibus sit nō dētis, sed mētis.

Chrysostomus ait, *Christum non fide solum, sed reipsa nos in vnam secum massam redigere, & corpus vnum efficere.* Num igitur vis, Holdere, nostra corpora cum corpore Christi reipsa, substantialiter coalescere, imo ipsummet Christi corpus essentiale fieri? ac non potiùs agnoscis veram quidem, sed spiritualem ac mysticam esse Ecclesiæ cum Christo concorporationem? Quod quum ita sit, quo pudore audes aliam panis & corporis quàm sacramentalem coniunctionem, & aliam quàm spiritualem eiusdē sumtionem statuere? Neque obstat, quòd id non fide solùm, sed reipsa fieri dicatur: quum his verbis non aliud significetur quàm reipsa percipi in Cœna Domini, quod fide apprehēdimus: id quod non euenit in iis, quæ sic credimus, vt adhuc speremus, veluti secundum aduentum Domini, vitam æternam, & eas omnes in genere promissiones, quarum exitum sæpe in fide petimus, suo tātùm tempore reipsa illas adepturi.

Idem Chrysostomus ait, *ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis, os nostrum accipit corpus Dominicum, carnem eius lingua contingis, labia sunt vestibulum, per quod ingreditur corpus Domini.* Ego verò miror à te præteritum quod ait idem auctor in Homilia de Encæniis, *Vides panem, vides vinum? absit.* Et quod scribit non semel August. nempe, *Corpus Christi confici, in terram cadere, atque adeò consumi.* Quis verò tales loquutiones non agnoscat esse sacramētales, quibus quod signorum est, idcirco de re significata dicitur, vt sacramentalis significatio minimè inanis esse significetur: nō autem, vt vel præsentia, vel perceptio eius statuatur, quæ & carnis veritatem tollat, & sacramentorum neque naturæ, neque fini & scopo respondeat? Nec enim hęc Sacramēta instituta sunt, vt substantię reipsa se contingentes corpus reale ex pluribus realiter, suáque substantia simul iunctis confletur, sed vt mysticū ac spirituale Christi corpus (Ecclesia videlicet) spiritu Christi, per fidem verè communicati capitis vegetetur, vt describit Apostolus diuinissimè Ephes. 4. 12. & 5. 32. & Coloss. 2. 9. & 1. Corinth. 12. 6. Alioqui si propriè & essentialiter corpus ipsum Christi vultis videri in pane, quorsum ista realis præsentia, quam tamē Omnimaiestaticā, & inuisibilē esse vultis? Quæ autē ratio est visus in istis mysteriis, eadē quoque est tactus, & gustus, & esus ac potus.

Quæ citas præterea ex eodem patre, *Carnibus Christi nos ali, & eius carnem per quam* (id est, cuius respectu, siue secundū quā, vt explicatur Heb. 2. 14.) *cognatus noster factus est, nobis cōcedi*, nihil istam vestram consubstantiationem realem iuuat, nisi vultis etiam carnem illam in alimentum corporeū nobis cedere, ac proinde realiter intra nos concoqui, & in sese deperire.

Eadem est explicatio eius, quod ex Leone depromis, *Ore sumi quod corde creditur.* Nam & idem Leo dicit, *non aliud agi ista corporis & sanguinis Domini participatione, quàm vt in eum quem accepimus transeamus, & eum spiritu & carne gustemus, in quo commortui, consepulti & conresuscitati sumus.* Num id verò realiter & essentiali modo, ac nō potiùs spirituali per fidē ratione? Et idē Leo (vt iam olim Gardinero respondit Petrus ille Martyr, beatæ memoriæ, ex quo discere ista omnia debuisti, Holdere) illos obiurgat, *qui ore indigno carnem Domini accipientes, sanguinem eius declinabant.* quod si de reali & substātiali per os rei ipsius sumptione interpretari pergas, realiter sanè corpus Domini exāgue in pane statueris, vt sanguinē corporis expertē in calice.

Sed & Gregorium illum Romanum profers, qui scripserit, *sanguinē Agni nō tantùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauriri.* nempe non tantùm ore sacramentaliter, sed etiam per fidem spiritualiter percipi.

Sed ait Tertullianus, *Carnem nostrā vesci corpore & sanguine Christi, vt anima de Deo saginetur.* Nū tu verò vt ore sumi, sic vētriculo concoqui carnem & sanguinem ipsum Christi putas? nū etiam Deitate realiter animas nostras saginari? Si hoc arbitraris, nemo Christianus ne ex Transsubstātiatoribus quidem, tecū disputandū cēsuerit. Superest ergo vt Tertullianus ipsius Christi vestigia sequutus, carnem & sanguinem vocarit illa corporea & materiata panis illius & vini illius symbola, quæ corpore sumūtur, non vt res cōmunes ad huius vitæ vsum, sed vt intus anima spiritualiter per fidem succum æternæ vitæ ex ipso Christo percipiat. Id autem ita esse apparet ex iis quæ pręcedunt eo ipso loco, vbi aquam baptismi quo corpus abluitur confert cum eo quod per aquam ipsam verè significatur, nēpe Christi sanguine animā emaculāte: itémque ex eo quod ait etiam apertiùs in libro de carnis resurrectione, *Christum videlicet carnem factum, esse auditu deuorandum, ruminandum intellectu, fide denique digerendum.* Non euacuamus igitur sacramēta, sed illum ab Augustino prudēter obseruatū scopulū cauemus, ne signa pro rebus significatis accipiamus, quod extremi stuporis esse testatur.

Nec alia respōsione indiget illud Ambrosii ad Theodosiū, *Quomodo huiusmodi manibus suscipies Domini corpus*: & illud Cyrilli, *Nos viuimus, qui carnem illam & gustamus, & manducamus.* Corporis enim & sanguinis illius tactum & gustum non cōuenire nostrorum corporū sensibus ipse sensus demonstrat, nec ipsi Transsubstantiatores dixerint, vtpote qui accidentium qualitates permanere doceāt, vt τῆς σαρκοφαγίας & αἱματοποσίας alioqui realis & essentialis horror tollatur. Superest ergo vt quod foris fit in signorum sumptione, ad rem ipsam quę intus fit spiritualiter per fidē idcirco transferatur, vt Sacramenti veritas ita sanciatur.

Et ex his quidē, Holdere, nō recuso quin omnes docti simul & pii diiudicēt, vtri cōueniat fanatici nomē quod mihi attribuis, & cui' sētētia veritati, & eruditæ vetustatis autoritati repugnet.

De verisimilibus.

Tu igitur, Holdere, non tantùm vera, sed etiam verisimilia in me putasti reprehendenda; ex

quo

quo efficitur ne verisimiles quidem esse tuas reprehensiones, veris & verisimilibus opposita. Sed ad rem, ne pro conuitiis videar iocos reponere. Verisimilia vocas quæ probabilitatem aliquam & veri speciem vel habeant, vel habere certè videantur: eáque duplicia, nempe partim ex philosophicis principiis à me inepto, absurdo, crasso Theologo, imò etiam ex impiis Poëtis aduersus piam doctrinam de Christi persona & sacra eius Cœna collecta, conquisita, & amplificata: partim ex aliquibus Scripturæ phrasibus, cum quibus illa videtur pugnare, & ex aliquot fidei articulis, non rectè explicatis desumpta. Et suam quidem laudem philosophiæ relinquis, sed adiecta cõditione, vt intra suos fines maneat, & verbo Dei regi se sinat, quod ipsemet alicubi scripserim. Accipio conditionem, & paucis tecum transigam. Ostende vel apicem ex sacris literis vnde constet, vel ante, vel post glorificationem essentiale corpus Christi vllam physici corporis proprietatem abiecisse. Demonstra corpori Christi quicquam ex physicis principiis affinxisse me, quod ei, quale nobis sacris literis describitur, necessariò non conueniat, & viceris. Sin minus tute falsissimam de persona Christi & sacra ipsius Cœna doctrinam agnosce & emenda. Non igitur Theologiam physicis principiis subiicio, quum naturali, quantumuis hyperphysicis donis ineffabiliter glorificato Christi corpore, ex sacris literis præsupposito, naturales simul & essentiales ipsius veri corporis proprietates tueor, vtpote quæ nullis hyperphysicis tollantur, sed exornentur. At quum pro hyperphysicis, antiphysica essentialia substituitis, an non & verbo Dei simul & physicis legibus repugnatis? Sed nulla certè necessitate probãda mea suscipio, quæ nullo ne leuissimo quidem argumento refutasti. Satis enim esse existimasti, si pro omni ratione tuas istas exclamationes subiiceres. *O diuinum ingenium. O acumen hominis, & exquisitum iudicium. Cedant omnes Philosophi & poetæ.* Enimuero, Holdere, hoccine est respondere, au tergiuersari? Addis patrum auctoritates de quibus postea sigillatim agam. Nunc vt vel cæci omnes perspiciant, egóne an tu potius, & verbo diuino, & patrum auctoritate abutaris de istis principiis sigillatim dicamus. Sunt autem ista.

1. Omne verum corpus humanum est in loco.
2. Omne corpus est Quantũ, dimensum, circũscriptum, finitum, visibile, palpabile.
3. Quæ alicui rei sunt propria quarto modo, reipsa cõmunicari disparato non possunt.
4. Idem subiectum non potest simul esse finitum & infinitum, circumscriptum & incircumscriptum, visibile & inuisibile.

Istáne tu verò simpliciter & in vniuersum, affirmatis videlicet ἀντιφατικῶς, inficiaberis? Nequaquam, opinor, tam procul omnes verecundiæ fines transilietis. Si petetis ergo vt Christi corpus ab illis regulis excipias. Sed quo iure? Physico certè nequaquam. Ergo nec diuino. Hic enim ita consentire dico sacras literas cum naturæ legibus, vt vtrunque te vel cõcedere, vel negare oporteat. *Tu dicis* inquies, *at nos negamus.* Cedò igitur, mentiri sacras literas doce. Eum enim qui physica simul & antiphysica, id est quæ stare cum essentialibus corporis proprietatibus nequeunt, vni eidemque corpori tribuat, mentiri sine vlla exceptione necesse est, quum & in ipsa rerũ natura, & in Theologia necessariò sit falsa contradictoriarum enuntiationum altera. Quum autem illa principia dicere audeas patrum testimoniis conuelli, age actum agamus, id est nihil minus verè abs te dici potuisse, prolatis, quod iam toties à nobis factum est, iisdem testibus rursum, sed paucis ostendamus.

Omne verum corpus humanum est in loco.
Est autem verum Christi corpus humanum
Ergo in loco.

Seuerianus, citãte Theodoreto, *Natus Christus est cælestis & terrenus* (id est verus essentialiter Deus, & verus essentialiter homo) *in loco versans secũdum corpus, extra locum positus, secundũ τὸν λόγον.*

Nazianzenus. *Docemus eundem Christũ corpore loco contineri, spiritu,* (id est essentiali Deitate, non autem Brentiana diuinitate homini Christo & Petro, quamuis impariter cõmuni) *loco non cõtineri.*

Tertullianus de Trinit. *Vbique inuocatum adesse, non hominis natura est sed Dei* (id est nõ humanitatis sed Deitatis essentialis) *vt adesse omni loco possit.*

Cyrillus de Trinit. dial. 2. *Si diuina natura partitionem reciperet, intelligeretur & corpus. Si autẽ hoc, in loco, omnino & magnitudine & quantitate.*

Idem dialogo 5. *Posse implere omnia, & transire per omnia & sequi in omnibus, non est alteri naturæ quam diuinæ* (id est essentiali ipsi Deitati) *concedendum.*

Vigilius contra Eutychen. lib. 4. *Aut Verbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum verbo vbique est: sed quia verbum vbique, caro autem vbique non est, apparet vnum eundémque Christum vtriusque esse naturæ: & esse quidem vbique secundum naturam Diuinitatis suæ, & loco contineri secundum naturam humanitatis suæ. Hæc est fides & cõfessio Catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt.*

Augustinus ad Dardanum, agens de hoc ipso Christi corpore, & quidẽ glorificato, *Spatia locorum tolle corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam, ergo non erunt.*

Idem in Ioh. tractatu 30. *Corpus in quo Dominus resurrexit, in vno loco esse oportet, Veritas autem* (id est diuina efficacitas ac virtus) *eius* (nempe Domini) *vbique diffusa est.*

Idem. ep. 3. *Quantumcunque sit corpus, vel corpusculum, vt loci spatium occupet necesse est.*

Idem, De essentia diuinitatis. *Dei filium in homine* (id est Humanitate) *assumpto corporeũ & localem post resurrectionem non profiteri, est profanum.*

Idem lib. 2. de Ciuitate Dei. *Christus vbique est tanquam Deus, & in loco aliquo cæli, propter veri corporis modum.*

Fulgentius lib.2.ad Thraſ. *Chriſti vera Humanitas quæ localis eſt Apoſtolica quoque doctrina inſinuatur,& abſque dubitatione monſtratur.*

Omne verum corpus ſuis organicis partibus conſtans, eſt finitum, circunſcriptum ac dimenſum,& tale ſemper ex quo creatum eſt fuit,ac futurum eſt Chriſti corpus.

Ignatius ad Traſlianos. *Verè natus eſt ὁ λόγος ex Virgine,corpore ſimilibus atque nos affectionibus prædito indutus.*

Didymus de Spiritu ſancto. *Ipſe ſpiritus ſanctus,ſi vnus eſſet ex rebus creatis, ſaltem circunſcriptam haberet ſubſtantiam,ſicut vniuerſa quæ facta ſunt.*

Theodoretus dialogo 2. *Corpus Domini quod reſurrexit,eſt quidem diuina gloria glorificatum,& dignitate ſeſſionis ad dexteram Patris donatum, corpus tamen eſt, & habet quam prius habuit formam figuram & circunſcriptionem.*

Nazianzenus. *Docemus eundum Chriſtum circumſcriptum corpore,incircunſcriptum ſpiritu,*(id eſt eſſentiali Deitate.)

Cyrillus de Trinit.dial.2. *Si caderet in diuinam naturam quantitas, non effugeret circunſcriptionem.*

Vigilius lib.4.contra Eutychen, in Brentianis quod ad realem effuſionem in carnem, non tantum nonnullarum ſed omnium Deitatis proprietatum renatum,dial.2. *Circunſcribitur loco ſecundum naturam carnis ſuæ* (non induitur ergo humanitas effuſa incircunſcriptione & omnipræſentia) *nec capitur loco per naturam diuinitatis ſuæ.* Nulla eſt ergo diuinitas in Chriſto quæ loco capiatur. *Hæc eſt fides quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roborauerunt,& fideles nunc vſque cuſtodiunt,* & cuſtodient,Holdere.

Ambroſius ep.22. *Eadem eſt in Chriſto corporis veritas quæ in nobis.* Et lib.de Spiritu S. *Nulla creatura dicenda eſt quæ non habeat circumſcriptam determinatámque virtutem.* certè igitur & eſſentiam. Vbi igitur Brentianam diuinitatem,non qua æternus Filius eſt Deus,ſed quam Deitas humanitati aſſumtæ reipſa communicauerit, Brentianam, inquam Omnipræſentiam & Omnipotentiam inueniemus?

Auguſt.ad Dardan. *Vbique crede Chriſtum per id quod deus eſt* (Deus eſſentialis, non reali effuſione factitius,ſiue Brentianus) *in cælo autem* (ergo cælum in quod aſcendit Chriſti caro non eſt qualitas cæleſtis,ſiue Vbiquitaria Omnipræſentia ſiue impium delirium) *ſecundum veri* (ac proinde circumſcripti) *corporis modum.*

Idem epiſt.146. *Ego Chriſti corpus ita in cælo eſſe credo,vt erat in terra quũ aſcenderet in cælum.* Ergo circumſcriptum ſua dimenſione, vt qui dicat,palpate.

Omne verum corpus humanum eſt viſibile,& palpabile. Ergo Chriſti corpus eſt viſibile & palpabile,vbicunque adeſt reipſa ſubſtantialiter.

Antequam huic dicto probando patrum auctoritatem perſpicuam adhibeam, refellendum eſt quod in me,ſiue per inſcitiam,ſiue maleuolentia potiùs quàm iudicio reprehẽdit Holderus, nempe quòd Lucretii,impii alioqui poëtæ hunc verſiculum citarim,

Tangere enim & tangi niſi corpus nulla poteſt res. Atqui tanto autore, & quidem in hac ipſa cauſa, iſtud feci vt Holderum potiùs iſtius reprehẽſionis pudere oporteat: Tertuliano videlicet, cuius hæc verba ſunt. *Non poteſt phantaſma credi qui contactum & quidem violentia plenum,detentus, & captus,& ad præcipitium vſque protractus admiſit. Nam etſi per medios euaſit,ſed ante iam vim expertus,& poſtea dimiſſus ſcilicet ſoluto,vti aſſolet,tumultu,vel etiam inrupto, non tamen per caliginem eluſit, quæ nulli omnino tactus ſuccidiſſet,ſi fuiſſet. Tangere enim & tangi,niſi corpus,nulla poteſt res, etiã ſecularis ſapientia digna ſententia eſt.* Audis, Holdere, quid, à quo,in quem & quo argumẽto hic certetur? Agitur de tuenda Chriſti corporis viſibilis & palpabilis veritate, aduerſus δοκήτας, haud paulò certè vobis vbiquitariis pudentiores. Videbant enim ſtare cum ſuo dogmate verè eſſentiale corpus non poſſe Itaque apertè malebant corpoream eius eſſentiam negare quàm à ſeipſis coargui. Vos autem comminiſci rationem ſtudetis qua eſſentiale verum corpus, ſimul & viſibile & palpabile,& tamen inuiſibile & impalpabile, locale & illocale,circunſcriptum & incircunſcriptum, denique corporibus noſtris ſimul præſens & abſens tribuatur. Agit autem contrà Tertullianus, quo conſtat neminem neruoſiùs aut eruditiùs illam Marcionis blaſphemiam oppugnauiſſe: idque argumentis à phyſicis corporis humani συστατικῶς proprietatibus manifeſtè deſumptis: ſicut aduerſus Arianos firmiſsima tela patres ab iis proprietatibus quæ ſunt in Deitate prorſus ἀκοινωνήτοις deſumpſerũt. Et tu,quis es cui hanc argumentandi firmiſſimam rationem eludenti credamus? Imò quorſum ego Tertullianum profero,quum ipſum Dominum oporteat vt Sophiſtam redarguere,quaſi parùm appoſitè his verbis, *Palpate & videte*, veritatem corporis ſui probantẽ, niſi qualitates iſtæ neceſſariò veris corporibus adhærere præſupponamus?

Sed age,audiamus etiam alios *Natus eſt Chriſtus viſibilis*(inquit Seuerianus) *ſecundum carnem, inuiſibilis ſecundum Spiritum.*

Nazianzenus. *Chriſtus habitat in cordibus noſtris,videlicet non ſecundum apparentem naturam, ſed ſecundum inuiſibilem.*

Auguſtinus de eſſentia Diuinitatis. *Dei Filium in homine aſſumpto viſibilem & corporeum ac localem poſt reſurrectionem non credere, profanum eſt.*

Idem ſerm.66.de verbis Domini. *Semper nobiſcum eſt diuinitate ſua*(eſſentiali) *& niſi corporaliter abiiſſet à nobis,ſemper eum corporaliter videremus & nunquam ſpiritualiter crederemus.* Quomodo igitur fidem Chriſtianorum promouent,qui Chriſti carnem realiter,In, vel Sub, vel Cum pane quærendum docent?

Idem

Idem corpus non poteſt ſimul finitum eſſe & infinitum, circunſcriptum & incircūſcriptum, viſibile & inuiſibile.

Vos quidem iſtud inficiari non poteſtis, ſed illud in ſcholis tritum excipitis, repugnantia non dici niſi ſecundū idem: quā diſtinctionem obiicis à me magiſtraliter quidē, ſed perabſurdè explicari, quaſi non aliud ſit *Secundum idem* quàm *In eodem ſubiecto*. At tu videſis potiùs ne ridiculus calumniator hic deprehendaris. Nec enim ignorare potes eo loco quē ex mea aduerſus Pappum defenſione citas, mihi non fuiſſe aliud propoſitum quàm vt explicarem quid ſit κατ' ταυτὸ apud Damaſcenum, cuius verba citaueram, & nunc repeto. Diſputat ab abſurdo aduerſus Monophyſitas Damaſcenus lib. Orthod. fidei 3. cap. 3. quoniam videlicet eadem natura (compoſita videlicet qualē iſti eſſe Chriſti volebāt) non poteſt ſecundū idem recipere cōtrariarū naturalium denominationem, hoc eſt eiuſdē ſubiecti reſpectu, ſed diuerſi, vt exēpli gratia, Humana natura, ſiue vniuerſaliter ſiue in quopiā homine cōſiderata, duabus diuerſis partibus hypoſtaticè vnitis cōſtans, rectè dicitur mortalis, & immortalis, corporea & incorporea. At non ſecundū idē ſubiectum. Nam hęc quidē ſecundū vnā eius partē nempe animā, illa verò ſecūdùm corpus dicuntur. Sic etiā dicitur vere Chriſtus creatus, & increatus, finitus & infinitus, ſed diſtinctis naturis, non vnius naturæ, tanquam ſubiecti reſpectu. Verba Damaſceni ſunt, *Quinam antē vnica natura contrariarum eſſentialiū differentiarum capax fieri potuerit?* (nec enim de accidentalibus quæritur, quę permiſceri poſſunt, ſed de eſſentialibus, aut quæ neceſſariò naturā ipſam eſſentiarum conſequūtur, cuiuſmodi eſt rerū corporearū circunſcriptio & localitas.) *Quomodo enim fieri poteſt, vt eadem natura ſecundum idem* (κατ' ταυτὸ, vel vt aliqui codices habent κατ' ἑαυτὸν, id eſt in eodem, ſcilicet ſubiecto, putà Chriſto) *fuerit creata & increata, mortalis, & immortalis circūſcripta & incircūſcripta?* Hoc ipſum eſt autē argumentū quo aduerſum vos quoque, etſi diuerſa nonnihil via, tamen ad eundē ſcopulum naufragiū facientes vtimur. Negamus enim vnam & eandem naturam, ſiue diuinā ſiue humanā poſſe contrarias eſſentiales aut τῇ φύσει neceſſariò & ἀχωρίστως παρεπομένας differentias in ſeſe recipere, ac proinde vllū veſtræ Omnimaieſtaticæ ſimul & realiter corporeæ ac eſſentiali præſentiæ locum relinqui. Negamus Chriſtum alia ratione Deū eſſe quàm ea Deitate eſſentiali quā in ſeſe vt æternus Dei Filius ab æterno habuit: & blaſphemiā qua Brentius pag. Recog. 40. & deinceps, gratiā vnionis cum donis in carnē ipſam effuſis, & rurſum hæc creata dona cū eſſentialibus æternæ vnicæque illius Deitatis proprietatibus, idē pag. Recognit. 46. & 275, & alibi ſæpe confundit, execramur: qua de re ſic alibi rectè idem Damaſcenus eodem illo capite, omnē veſtram illam realem effuſionem his paucis verbis euertens, & Monophyſitas eos etiā appellans, tam qui eſſentiarum ipſarum, quàm qui eſſentialium, ſiue proprietatū, ſiue παρεπομένων, realem ab vna natura in alteram μεταχώρησιν ſiue ἔγχυσιν ſomniant. *Subſtantialem*, inquit, *naturarum differentiam integram & incolumē ſeruari definimus*. Nunc, quid per differentias intelligat, audiamus, & quomodo ſaluæ manſerint. *Nam creatum manſit creatum & increatum quod increatum* (quod vos ipſi à vobis diſſentientes, poſtquam omnes Deitatis proprietates docuiſtis in carnē aſſumptā realiter effuſas, ſicut nonnullę tantùm in Petrum effuſæ ſunt, excipere cogimini) *quod mortale, mortale:* (donec videlicet reſurgendo fieret beatiſsimæ immortalitatis particeps) *quod immortale, immortale: circunſcriptum quod circunſcriptum* (eant nunc Brentiani, & audeant aſſerere localitatē eſſe accidēs à corporea eſſentia ſeparabile, nec ad eſſentiā pertinere, vt ſcribitur pag. 59, recog. 82. & 255) *incircunſcriptum quod incircunſcriptū: viſibile quod viſibile: inuiſibile quod inuiſibile.* Et mox κοινωνίαν ἰδιωμάτων, realem quidem quod ad perſonam, non autē quòd ad naturas in ſeſe cōſideratas attinet, declarans (nā alioqui falſiſsimū eſſet quod modò affirmarat) *Verbum, inquit, ea quæ Humanitati conueniunt ſibi vendicat quòd ipſius ſint, quum ſanctæ ipſius carnis ſint* (non igitur quòd ipſimet τῷ λόγῳ inſita ſint) *ac viciſſim carni impertit quæ ſua ſunt* (id eſt ſibi propria, non igitur communia, niſi quatenus vnum eſt ὑφιστάμενον ὅλως κατ' μέρος conſideratum) *mutua commutationis videlicet ratione, ob partiū inter ſe* (perſonam vnicā conſtituentiū, non naturā, neque in eſſentia ipſa neque in proprietatibus) *reciprocationem ac perſonalem vnionē: & quia vnus & idem eſt diuina & humana efficiens.* Et mox. *Quomodo differentia ſeruari poſſit, niſi ſeruentur quæ inter ſe differunt?* Sed age alios etiam audiamus.

Cyrillus lib. in Ioan. 2. cap. 3. licet de Deitate loquens. *Quomodo*, inquit, *vni eidémque ſubiecto, quæ inter ſe contraria ſunt ſimul accadent?*

Idem lib. Theſ. 2. *Quæ naturaliter diuerſa ſunt, ea omnia proprietatibus quibuſdam naturalibus inter ſe differunt.* Atqui reali communicatione quæ propria ſunt, fiunt reipſa communia. Itaque naturales proprietates, ſi ſaluæ maneant naturæ, ſunt reipſa incommunicabiles.

Idem eôdem libro. *Simile in ſimili videtur: quæ verò natura differunt, nunquam in alterutris videbuntur.*

Ibidem. *Non omnis differentia ſeparat ſubſtantias, ſed ea ſubſtantias ſeparat quæ naturas definit.* Eſt ergo ἀκοινώνητος.

Ibidem. *Virtutem creatricem ſuſcipere creatura non poteſt.* Eadem eſt ratio ſubſtantialis Omnipræſentiæ & ſimilium.

Quid plura? *Proprietates non egrediūtur ſua ſubiecta*, vt inquit centies Kemnitius veſtram realem effuſionem iugulans, qui tamen vt realis inexiſtentiæ ac præſentiæ, & oralis manducationis cōmentū, quamuis euerſo ipſius fundamēto ſtabiliat, reipſa ineſſe aſſumptæ carni ſomniat, quod tamē nullo modo inſit vt ſubiecto: id eſt ſublato antecedente ponere vult cōſequēs, & μεταχώρησιν vnionis (quę vtrinq; eſt reciproca, éſtque κοινωνίας ἰδιωμάτων & ἀντιδόσεως in cōcretis denominationibus fulcrū) cū ea cōfundit quę eſt habitualis (vt ſcholaſtici loquūtur) & dūtaxat in abſtractis lo-

cum habet,& ita quidẽ vt communicabilia qoidẽ diuina humanitati,humana verò deitati nulla tribuantur.Itaque ex Scylla in Charybdin iocidit:tanti est momenti veritatem sincerè quærere, & inucotam recta prorsus conscientia tueri.

Et de priocipiis quidem illis physicis hactenus dictum esto. Nunc ad merè Theologica veniamus.Sunt autem ista.

Christus ascendit in cælos,ibíque sedet ad dexterã Patris, (id est inde res omnes admioistrat) & inde veoturus est vltimo demum die. Nemo autem est in eo loco quem reliquit, aut in eo in quem venturus dicitur,nec aliter illa quàm de physica loci mutatione dici possunt. Ergo Christi corpus essentiale noo est nunc in terris : neque In,Sub,vel Cum symbolis realiter,neque manu & ore ipso corporis,sed spiritualiter per fidem sumendum traditur:non tamen vt substantiæ mutuò se contingant, sed vt spiritualiter ac mysticè in voum veluti corpus sub eo capite cõiuncti,ęternam iode vitam animo & corpori hauriamus.

Hæc enim est horum argumentorum ab analogia fidei,veritate corporis Christi, & sacramẽtorum fine petitorum firmissima consequutio,non qualem tu nobis affingis,quasi videlicet qui spiritualiter fidei præsens esse,& spiritualiter per fidem communicãdum Christi corpus doceot, nuda signa statuant,& pro vera veri corporis perceptione,phantasma substituãt.Istis verò prorsus immotis principiis , quum tu nihil præter auctoritatem patrum opponas,age primùo ex iis ipsis patribus,qua fide nobis illorum testimooiuio obtrudas, dispiciamus, iis postea responsuri quæ ex ipsis desumta protulisti.

Apollinaris citante Theodoreto, *Christi copulatio non mutat corporis naturam.* Ergo hypostatica vnio corporis Omnipræsentiam non gignit. .

Origenes Hom.33.in Matthæum. *Vt homo,peregrè est* (id est à nobis abest vt abesse à Domino dicimur 2.Cor.1.5.) *qui est vbique secundum diuinam naturam. Nec enim est homo* (id est occ enim Christus quateous homo,siue secuodum humanam naturam) *qui est vbicunque duo vel tres congregati fuerint in ipsius nomine:neque homo nobiscum est ad consummationem vsque seculi: nec congregatis vbique fidelibus præsens est homo* , (quatenus homo,sed quatenus Deo vnitus est.)*sed virtus diuina quæ est in Christo Iesu.*

Athanasius, citante Vigilio, *Eius est* IRE & VENIRE , *qui aliquibus locorum terminis circunscribitur & eum in quo erat locum* DESERERE, *vt ad alium vbi* NON ERAT VENIAT. *Quomodo igitur ait,Vado ad Patrem,cum quo semper erat,& à quo nunquam recesserat,nisi quia vtique de illo quem assumserat homine loquebatur* ? Vides igitur Holdere,Patres illud Abire, Ascendere, Venire, κατὰ τὸ [illegible] intellexisse humanitati attributa , quam expositionẽ perpetuò Ecclesiæ Orthodoxæ aduersus [illegible] & Eutychianos defeosam abolere non potest sessio ad dexteram Patris , quum Spiritus sanctus sibi ipsi minimè repugnet.

Theodoretus dial.2. *Corpus quidem Domini quod resurrexit est diuina gloria glorificatum,& sessionis ad dexteram Patris dignitate donatum & ab Angelis adoratur*(quia videlicet est Dei corpus , noo in sese simpliciter(*corpus tamen est,&* HABET *quam* PRIVS *habuit formam,figuram , & circunscriptionem.* Quónam igitur pudore Ascensionem Christi io cælos allegoricè interpretamini, cum sessione ad dextram Patris confusam? qua fide sessionem ad dextram Patris, resurrectionem & ascensum in cælos,permutata articulorum fidei serie ad iocarnationeio refertis?qua conscientia ex sessione ad dextram patris, chimæram illam corporis Omnimaiestatici, Omnipræsentis , & Inuisibilis extruitis?

Cyrillus de Trinit.dial.2. *Nullus ambigit*(imò ounc oon tantùm oon abigitur,sed contrarium disertissimè & pertioacissimè affirmatur, & omni coactionis genere sancitur) *quum ad cælos ascenderit, quamuis virtute Spiritus*(id est essentiali deitate efficacissima) *semper adsit , præsentia tamen carnis ipsum abesse.* Et,oe quis per Spiritus virtutem intelligat aliquid reale in ipsam carnem effusum,aut quod ipsi carni reipsa , nec tamen subiectiuè siue habitualiter, ioxta Kemnitianam chimæram insit, (id est insit & non insit)audiamus eundem Cyrillum libro in Ioan.11.ca.22.sic scribentem. *Quum igitur Deitati solus attribuatur ,non debetis carnis præsentiam* (realem videlicet & aliam quàm spiritualem,& cuius sola fides est instrumentum apprehoodens) *propterea desiderare.* Et eodem lib.cap.3. *Post passionem in cælos ascendens Spiritum misit.Non enim conuersari cum Apostolis carne*(id est humanitate sua *poterat,quum ad patrem ascenderit.* Cui assentiens August. sermone 60. de verbis Domini. *Semper quidem nobiscum est diuinitate sua* (nempe essentiali, non illa Brentiana realiter communicata,quæ execrandum esset idolum si vspiam existeret)*sed nisi corporaliter*(id est humanitate sua,etiam in cælis locali , vt suprà iisdem testibus demonstratum est) *abesset , semper eius corpus carnaliter*(visibile enim esse est veræ corporeæ naturæ humanæ [illegible] inseparabile) *videremus,& nunquam spiritualiter crederemus.* Arcet igitur nos à vera communicatione Christi, figmentum & Transsubstantiationis,& realis, Io, Sub, vel Cum symbolis Consubstantiationis: & tantùm abest vt patres cælos io quibus nũc est Christi Humanitas, Vbiquitate gloriosa(quod facit Breotius) descripserint, vt contra ex Ascensione realem essentialis corporis à terris absentiam(quod & ipsi facimus)tanquam necessariò consequentem colligant.Nam & idem Augustinus tract. in Ioan. 36. & 50. *secundum carnem* (inquit) *quam Verbum assumpsit*(id est etiam à verbo assumtam,ne quis putet vnione hypostatica quicquam in ipsius essentia & [illegible] eius partibus immutatum)*ascendit in cælum,nõ est hic.* Idem tractat. 87. *A quibus homo*(id est quatenus homo)*abscedebat*(verè, non disparitione)*Deus*(id est quateous Deus, vbique solus existens) *non recedebat. Ergo ibat per id quod homo erat,& manebat per hoc quod Deus erat.Ibat per hoc,quod vno loco tantũ erat, manebat per hoc quod vbique erat.*

Et a-

Et alibi. *Ideo Dominus noster absentauit se corpore, vt fides ædificetur.*

Fulgentius lib.2. ad Thras. *Vt localem ostenderet humanitatem suam dicit discipulis suis, Ascendo ad patrem meum.* Et mox. *Quomodo ascendit in cælum, nisi quia verus & localis est homo: aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia immensus & verus est Deus?*

Sed & de Sessione Humanitatis ad dexterā patris, cuius ratione dicit disertè Brentius se exæquare naturas nō *ἴσως* sed *ἐξίσως*, (idque duplici blasphemia, quia Deitatis *ἐξουσία*, nec magis multiplicari quàm Deitas ipsa potest, nec in vllam rem creatam magis effundi quàm Deitas aliqua factitia esse potest) audiamus quàm bene cum patribus Vbiquitarii Omnipræsentiales consentiant.

Cyrillus lib. in Ioan. 11. cap. 3. *Christus patri pro nobis apparens & ad eius dexteram sedens, etsi abest corpore, tamen habitat in sanctis per Spiritum.*

Augustinus ad Dardanum. *Vbique crede Christum per id quod Deus est, in cælo autem per id quod homo, secundum* VERI (ac proinde, vt idem inquit, circumscripti) *corporis modum. Cui corpori* (vt idem ait lib. 22. de Ciuit. Dei & alibi) *immortalitatem dedit, naturam non ademit, ac proinde nec localitatem, nec circumscriptionem.* Inquit enim idem Epist. 146. *Ego Christi corpus* ITA *in cælis esse credo, vt erat in terra quum ascenderet in cælum, & quemadmodum ipse Christus discipulis de ipsius resurrectione dubitantibus ait, Palpate & videte, Spiritus carnem & ossa non habet.*

Fulgentius lib. 3. ad Thras. *Christus inseparabilis terram secundum hominem quem accepit, localiter deserens, in cælum ascendit, & ad dexteram patris sedet.*

Sed & ex eo quòd Christus secundum Humanitatem vēturus est è cælis in terras, eius corporis realem à terris absentiam colligunt Patres, minimè id facturi, si ex Brentianorum sententia, Ascensum quidem pro disparitione, vel pro spectaculo ad nubes vsque accepissent, vel reditum illum essent interpretati, reditum ab Inuisibilitate ad Visibilitatem.

Vigilius li. 4. aduersus hoc ipsum dogma. *Quando caro in terra fuit, non erat vtique in cælo: & nūc quia in cælo est, non est vtique in terra: & in tantum non est, vt secundum ipsam exspectemus venturum de cælo, quem secundum verbum nobiscum esse dicimus in terra.*

Augustinus ad Dardanum. *Noli dubitare ibi nunc esse hominem Christum, vnde venturus est secundum Christianam confessionem, in eadem videlicet carnis forma, cui immortalitatem dedit naturam non abstulit.*

Visibilis igitur, localis, & circunscriptus semper fuit, est & erit, quatenus homo. Addit enim August. *Secundum hanc formam* (Humanitatem videlicet ipsam, non autem secundum Humanitatis infirmitatem accidentalem, vt volunt Vbiquitarii, quum hāc Christus abiecisse per immortalitatem, illam verò retinuisse in gloria hoc ipso loco dicatur) *non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim ne ita Diuinitatem adstruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus.* Nēpe, inquit, Iacobus Andreas, quia est etiam vbique, sed per communicatam diuinitatem, non autem illam essentialem. Acutum sanè glossema: nisi superioribus ipsis verbis Augustini repugnaret, aut quasi vlla factitia esse posset Deitas, id est omnipræsentia: quem saltem ex Cyrillo in Ioan. lib. 3. cap. 1. discere oportuerat, ista similitudinis aduerbia in communi loquendi vsu: nec quum de aliquibus dicūtur æqualitatem semper ponere, sed duntaxat similitudinem: neque quum de aliquibus negantur, semper inæqualitatem duntaxat, sed etiam summam dissimilitudinem interdum declarare.

Augustinus lib. de Vnitate & Trinit. cap. 2. *per id quod Deus, est æqualis patri & vbique præsens est: per id quod homo, & passus ac mortuus est, & resurrexit, & ascendit in cælū, sedétque ad dexteram Patris, & sic veniet ad iudicandum viuos & mortuos, quemadmodum est ire* VISVS *in cælum, in eadem forma carnis, & substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit.*

Fulgentius lib. 2. ad Trasim. *Vt Christi veri hominis corpus localiter contineri Apostolus monstraret, ait, Conuersi estis ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo & vero, & expectare filium eius de cælis quem suscitauit à mortuis: ipsum vtique monstrans corporaliter è cælo venturum, quem corporaliter nouerat à mortuis excitatum. Propterea rursus ait, Nostra autem conuersatio in cælis est, vnde etiam Saluatorem expectamus.* Et paulò post. *Hanc veritatem corporis Christi de cælo venturi Ioannes quoque confirmat, dicens, Ecce veniet in* NVBIBVS. Quomodo verò in nubibus, si cælos Brentianos vbique sitos credimus?

Sed quorsum ista quanuis ex plurimis pauca, toties iam vobis superioribus annis, & à magnis illis beatæ memoriæ viris, Petro Martyre, Henrico Bullingero, Iosia Simlero, & à me quoque inculcata? nempe vt tandem vobis ad ea respondere in mentem veniat. Quæcunque verò tu in contrariam sententiam accumulas, mirum est animaduertere te non potuisse partim ad quæstionem propositam non pertinere, partim etiam teipsum redarguere. Nec enim quæ commemorāt patres de incomprehensibili Dei in his sacris mysteriis virtute, & fidei natura & efficacia, huc spectant, vt realem simul & inuisibilem statuant ipsam Domini corporis substantiam, In, Sub, vel Cum pane adesse (nam & à Dei verbo, & à seipsis dissiderēt) sed ad sacramentalis præbitionis veritatem, & ipsius rei significatæ spiritualem & humanæ rationi incomprehensibilem perceptionem: ad huius denique perceptionis effectum, mysticam videlicet nostrā cum Christo coalitionem pertinent, quarum rerum verè magnum esse mysterium Apostolus Ephesiis scribens meritò pronuntiat. Nam quòd attinet ad ipsam sacramentalem cōiunctionem simpliciter consideratam, id est extra rei significatæ dignitatem & participationem, quum ea sit merè significatiua, & in negotiis etiam ciuilibus valeat, nullum certè in ea miraculum statui potest. Habita

autem rei significatæ ratione, stat illud Augustini, Veneranda esse sacramenta vt religiosa, stuporem autem habere non posse vt admiranda. Ipsam verò rerum significatarũ spiritualem [illegible], nostrum omnem captum superare, tantùm abest vt negemus, vt è contrario modum illius verè diuinum, & qui humanum omne acumen superet, quem vos tollitis, statuamus. At vestrũ dogma, præterquã quòd articulis fidei perspicuis, ipsa corporis Christi veritate, ipso sacramentalis institutionis fine & effectu spirituali, irrefragabili denique Orthodoxę Ecclesiæ cõsensu, io asserenda corporis Christi essentialis circunscriptione, localitate, & absentia, manifestè refellitur, nullum in his admirationi locum, excepta veri corporis [illegible] infinitate, relinquit. Quid enim mirum est quod reipsa & sui essentia præsens manibus & ori traditur, manibus & ore accipi? Miraculum verò ambulationis super aquas, in aquis certè potiùs quàm in ipso Christi corpore editum, & Petri quoque corpori commune, qua conscientia, quæso, ad Omnipræsentiam realem corporeæ substantiæ astruendam profertis? Longè enim aliud est molem & pondus corporis miraculo suspendere, quàm corpulentiam ipsam & localitatem corpori adimere. Ingressus autem Christi ad discipulos ianuis clausis, quocunque tandem modo accipiatur, manifestè vos refutat. Nam si vobis creditur, qui iam antea vbique erat, intus etiam apud discipulos erat. Itaque (si vobis creditur) INTRARE io illa historia, sicut VENIRE, quum de secundo aduentu agitur, non significabit ex vno loco in alterum sese inferre, sed ex inuisibili sese aspectabilem præbere. Et quando, tandem, obsecro, Christianam fidem exponere omnium gentium ludibrio desinetis? Deoiq; quorsum vlla miracula in medium adducitis? Quum enim in veris miraculis ordo naturæ mutetur, rerum ipsarum etiam mutatio oecessariò sequitur. Vos autem quoties premimini vera hypostaticæ vnionis definitione, in qua dicũtur saluæ tum naturæ ipsæ, tum earum essentiales proprietates omnes permanere, cooceditis Christi corpus esse quantitate circuoscriptum: & tamen vsque adeò illud ipsum eodem momento extra suæ circunscriptionis fines protenditis; vt vbicunque est Deitas (est autem vbique) illud quoque realiter & essentialiter corporibus etiam nostris adesse, id est simul finitum & infioitum, locale & illocale, in cælis & in terris esse contendatis. Itaque vt paucis tecum transigam, Holdere, malum te exemplum Brentii apertè sequi dico, cuius hæc verba sunt recogoitionis siue repetitæ impietatis, pag. 143. *Scio*, inquit, *Theodoretum, scio alios* (immò omnes tum Græcos tum Latinos patres eodem perpetuo consensu, ne Trãssubstantiatoribus quidem exceptis, quanuis à seipsis postea disidentibus) *dicere corpus humanum habere in altero seculo eandem circunscriptionem quam habuit in hoc seculo* (addere autem debuit Brentius illos qui contrà sentiant vt blasphemos & impios ab iisdem ex professo oppugnari.) *Sed respondi iam ante, & iterum respondeo* (id est Eutychen ab inferis reuocans dixi & dico) *istud nullo firmo & rectè intellecto sacra Scriptura testimonio duci: & has pueriles cogitationes* (audis istud Germania, & ferre potes?) *de rebus cælestibus in patribus ferẽdas, in Cinglianis detestãdas esse.* (& hoc non est [illegible] esse? Qua verò cõscientia, si istud sentire quod cum illis sentimus est Christi siue diuinitatẽ siue Humanitatem, vt declamitatis, exinanire, hanc impietatem potestis in quoquam tolerare?) *Præterea quòd illi simpliciter sequuti sint communem errorem* (expungite igitur, vnico à tẽporibus Apostolorum vero Theologo Ioan. Brentio auctore, quicunque Augustanæ confessioni subscripsistis, quod ibi de Ephesinæ & Chalcedonensis synodorum vniuersalium iudicio & approbatione dicitur) *sine aliorum contumelia & veritatis oppugnatione* (veritas igitur fuit quod in tetertimis illis hæreticorum monstris, patres illi oppugnarunt, & veritas nunc fuerit quod ex illis hæreticis damnatissimis repetitum Ecclesiæ nunc reponis) *Cingliani verò hunc errorem* (id est, vt loquitur ille Eutychianismi vndecimo ab hinc seculo ex professo doctissimus & sanctissimus expugnator Vigilius Episcopus simul & Martyr, fidem & confessionem catholicam, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nũc vsque custodiunt, cuius proinde fidei defensores non Cingliani sed Christiani sunt) *sic tuentur, vt veritatem oppugnent.* Hanc igitur etsi planè in Ecclesia Dei intolerabilem, tamen ingenuam Brentii professionem, si tu quoque amplecteris, Holdere, *γνήσιος* videlicet illius discipulus, quo pudore nobis in hoc argumento patres obtrudis? & quorsum ego tecum de horũ testimoniorũ pondere, veráve explicatione amplius contẽdero?

Quatuor autem illa quæ nobis hîc obiicis cuiusmodi tandem sunt? *Negas nos tantum saltẽ honoris Christi verbis tribuere, vt credamus in prima illa Cœna (quo tempore neque ascensus in cælum, neque alter aduentus è cælis impedire realem corporis Christi præsentiam poterat) Christum corpus suum discipulis distribuisse.* Respondeo nos id semper testatos & testari, non aliter esse Christum nunc sacramentaliter præsentem in his mysteriis quàm tunc fuerit quum ea institueret: &, quanuis non iisdem omnibus, tamen vno eodémque fundamento nitentibus argumentis (Christi videlicet corporis veritate) vestram illam realem & essentialem corporis In, Sub, vel Cum pane præsentiam, & oralem inde manantem perceptionem, vt prorsus analogiæ fidei repugnantes repudiare: nec tamen propterea veram Sacramentalem cooiunctionem, & efficacissimã per fidem veri corporis Christi communicationem spiritualem negasse vel negare. Etsi enim tum Christus secũdum carnem proximè illis symbolis quæ manu tenebat, adhærebat, qui nunc quàm longissimè ab illis abest: sese tamen tunc non alia ratiooe quàm nunc aut ipsis symbolis adiunxit, aut symbolorum præbitione suos Apostolos corporis sui membra effecit.

Quæ verò postea ex Luthero & Brentio inculcas, *argumentum ab ascensione Christi in cælos sumptum, ea ratione eludentibus, quòd Christus Cœnam ante suum ascensum instituerit*, vix absq; illorum aliquo dedecore proferri abs te potuerũt. Quis enim illos non miretur præsentiam realem corporis Christi ex sessione ad dexterã patris, id est ipsius glorificatione ascẽsione io (vt vbique scri-

ptura

ptura,& ipsa Christianæ fidei articulorum series ostendit) consequuta, confirmatam velle, qui tamen absentiam eius ex ascensione idcirco probari nolint, quòd eam antecesserit Cœnæ institutio? Nam quòd vos omnium hominum primi ausi estis sessionẽ ad dexteram patris ad hypostaticam vnionem, id est ad incarnationis articulum referre, partim ita est absurdè excogitatum vt ne refutatione quidem indigeat, quum eodem tempore gloriosa simul & tam abiecta Christi humanitas esse reipsa non potuerit, vt & ab Apostolo Maledictus dicatur, & vermi non homini apud Dauidem conferatur: partim verò vos ipsos apertißimè redarguit. Quorsum enim, obsecro, nos ad institutionis verba reuocatis? quorsum τὸ ῥητὸν vrgetis? quorsum illud Christi testamentum à vobis retineri, à nobis irritum fieri contenditis, si ab ipso incarnationis momento Christus iam vbique erat, ac proinde iam in illo pane ante Cœnæ institutionem realiter & substantialiter inerat? Et rursum, si verum est dogma istud vestrum, quod erit inter panem Sacramentum, & panem vulgarem discrimen? Excipitis in eo esse discrimen quòd in solo pane sacramento insit vt in eo distribuatur. Sed quid hoc ad rem? Nec enim nunc quæritur an in illo pane præbeatur & recipiatur, sed an in ipso pane realiter & essentialiter insit: &, si in eo sic inest, fiátne istud tunc primùm ex ipsa Cœnæ institutione his verbis testata, Hoc est corpus meum: an verò iam antea virtute hypostaticæ vnionis, huic pani, vt & aliis quibusuis panibus, quamuis in diuersum finem insit. Sed & illud tibi demonstrandum erit, Holdere, si Christi corpus propter hypostaticam vnionem est in quouis pane, imò in re qualibet (quandoquidem censet Lutherus separari naturas, nisi vbicunque est Deitas (est autem vbique) ibi etiam realiter adsit vnita humanitas) quînam inde non consequatur, quoties quicquam à quoquam accipitur, corpus quoque simul accipi? Nam si recedere à cæteris rebus Christi corpus dicatis, vt ibi non sit quum accipiuntur, vestra rursum perierit vbiquitas. Cur non hic igitur meliore iure in te retorsero quæ in nos conicis?

Assentimur, inquis, *Christum spiritualiter etiam posse per fidem nobiscum coniungi, sed negamus cum Cyrillo, nullam præterea nobis cum illo coniunctionem esse per carnem. Itaque Beza aerem verberat, & cum laruis luctatur.* Fatetur verò Beza se cum laruis quidem luctari, vestram vbiquitatem oppugnando, in hoc autem de quo hic agitis, ait sese cum sophistis luctari. Satis enim supérque vobis liquet, ista aduerbia Spiritualiter, ac Corporaliter à nobis quidem ad participationis modum, à vobis autem ad res ipsas quæ communicantur referri. Itaque hîc etiã à vobis magis quàm optauerimus, non à Cyrillo, dissidemus, quîcum agnoscimus Spiritus Christi (id est ipsius Christi virtutis saluificæ & nos regenerantis) non posse nos fieri participes, nisi carnis ipsius nobis verè communicatæ interuentu: sed spiritualem esse huius communicationis modum, & fidei instrumento in nobis peragi dicimus. Vos autem & spiritum hunc Christi in simplicis verbi prædicatione à carnis ipsius communicatione, id est fructus à fundo, & alimentum à cibo seiungitis: & contrà, dum in Sacramentorum vsu carnem tum ab indignis, tum à dignis corporali modo præsentem, corporeo quoque organo sumi contenditis, cibi substantiam à succo in indignis separatis, & spiritualia, intolerabili errore corporaliter intelligitis.

In disputatione quoque de impiorum manducatione, vide, si potes, Holdere, quantam ipse tibi non nobis maculam inuras. *Ais, dignos ipsos à Beza excludi a corporis & sanguinis Domini participatione.* Assumis enim illud ipsum de quo quæritur, quod maximum est in disputationibus vitium: nempe eos demum corpus & sanguinem Domini participare, qui ore in sacramento realiter & essentialiter illa comedant & bibant. Nos autem hunc participandæ carnis Christi modum Cyclopicum esse, non Christianum, dicimus, quem vt veritati corporis Christi, fidei articulis repugnantem, & à nostræ religionis scopo penitus alienũ orthodoxa semper Ecclesia explosit: minimè verò propterea veram illam spiritualem ac mysticam per fidem omnium credentium cum Christo ipso coalitionem sumus vnquam inficiati.

Sed hic demum audiamus ex te, Holdere, solidum quidpiam. Iubes me hunc nodum expedire. *Si omnino res significata cum signis sacramẽtalibus V E R E coniuncta sunt, quomodo quis signa accipiat, simul rem verè coniunctam non accipiat.* At ego miror, Holdere, quînam vir tanto acumine præditus, in hoc expediendo nodo hæreas. Nam in ipsis etiam rebus corporeis humano modo coniunctißimis, quid obstat quominus is cui simul duo præbentur, vnum tamen duntaxat altero repudiato accipiat, nec tamen propterea qui duo præbebat, vnum tantùm dicatur verè præbuisse? Sed hic alia sese offert ratio longè opportunior, quam te priùs animaduertere oportuit, quàm de rebus tibi incompertis disceptares. Nos enim duas quidem res quibusuis à Deo tum in verbo simplici, tum in verbo sacramentis additis veluti vestito, à Deo præberi dicimus, vt qui nunquam sit fallax: nempe Christum, Euangelii materiam, tum verbo simplici, tum sacramentis additis, ita quibuscunque hominibus significato, vt simul quidem semper & cum verbo & cum symbolis offeratur, sed ita vt sicut hæc sunt duo (nempe verbum aut symbolum & Christus ipse) ita ad hæc duo simul recipienda, duobus semper sit opus instrumentis. Nam Corporis quidem instrumento (auribus puta ad audiendum verbum, manu & ore ad symbola recipienda) fide verò ad ipsum excipiendum Christum opus esse dicimus, quum verbum quidem auribus, symbola verò manibus & ori, ipse denique Christus menti & fidei præbeatur. Itaque verbum quidem & symbola tum à dignis, tum ab indignis, Christum autem ipsum à solis fidelibus sumi meritò affirmamus. Quid igitur mirum est, Holdere, etsi Christus & sacramẽta Christi, sint semper quod ad Deum attinet, coniunctißima, simúlque, vt diuersis tamen instrumentis percipienda, præbeantur, vtraque ab iis solis sumi qui vtrunque afferant instrumentum? Imò quînam aliter fieri posset?

Sed audiamus rursum acutissimi Theologi dilemma. *Siquis impius & incredulus*, inquis, *corpus & sanguinem Domini non accipit in Cœna Domini, hoc accidit, vel præbentis culpa vel accipientis.* Concedo, & vna accipientis culpa non accipi dico, vt qui fidei instrumentum non afferat, quo vno Christus applicari nobis potest. *Atqui dicit Beza*, inquis, *veritatem sacramentorum à fide accipientium non pendere*. Imò dicit Beza te, Holdere, rursum calumniatorem & sophistam agere, quod antea Pappo responderat. Nam hæc Bezæ verba sunt, eo quem citas libro nempe pag. 128. *Obijciunt Papistæ à quibus hoc telum arripis, doceri à nobis quòd à fide pendeat sacramentorum veritas, id est fidem efficere vt res adsit Sacramentaliter, quum hoc ab vna Cœnam instituentis Christi auctoritate pendeat: fiat fidem sua virtute apprehendere quod ipsi Sacramentaliter præbetur, quum fides ea in re sit potius ληπτικὸν instrumentum quàm ποιητικόν, Christo videlicet sese communicante, fide verò qua & ipsa Dei donum est, eum recipiente. Obijciunt igitur doceri à nobis quòd à fide pendeat sacramentorum veritas, quasi credentibus adsit (sacramentaliter videlicet) incredulis autem non item, quod falsissimè nobis impingitur. Fatemur enim sacramenta tum dignis tum indignis verè præberi: ac proinde siue dignè siue indignè ad ea accedatur, tam signum quàm res significatas quibusuis accedentibus præberi. Sed sicut cæcis Sol etiam lucem præbens non lucet, idque cæcorum vitio, vt rectè dicere liceat Solem non alijs quàm videntibus lucere, & oculorum aciem efficere, non vt Sol luceat, sed vt intuenti luceat: ita dicimus, fidem efficere, siue fide interueniente fieri, vt res symbolis significata credentibus adsint, incredulis absint.* Viden' igitur, Holdere, te ex araneorum filis, non tam Bezæ quàm veritati retia tetendisse?

De falsis.

Dicit alicubi Beza, inquis, *Corpus Domini esse præsens in Cœna, alicubi verò panem & vinum esse tantùm visibilia corporis & sanguinis Christi in sese & reipsa absentium signa. Ergo alterutrum falsum.* Imò neutrum. Aliud enim est aliquid præsens esse, In, Sub, vel Cum sacris symbolis realiter, & suiipsius essentia, quod negamus: quàm præsens esse In Cœna, spiritualiter nostræ menti & fidei. Cœna enim Domini est actio, non illud ipsum quod in actione adhibetur: & partim corporalis est, partim mentis & fidei actio: teste etiam Chrysostomo, iubente nos vt aquilas ad corpus respicere, neque hærere in pane in terris sito, sed à pane in cælum vbi corpus est, alis fidei subuectos euolare: quo etiam spectat illa solennis acclamatio, SVRSVM CORDA. Num igitur quia tu malè distinguis, Holdere, ego malè colligo? Sed & in eo falsarius deprehenderis quòd ex libelli mei pag. 111. profers. Nec enim ibi scripsi, panem & vinũ esse tantùm visibilia signa corporis & sanguinis, sed scripsi esse σύμβολα non tantùm mortis, sed etiam ipsius corporis Christi.

Falsum est, inquis, *quum de persona Christi redemptoris nostri loquimur, quòd sola diuinitas intelligatur: Beza verò dicit Christum personam vocari ratione Deitatis tantum, & Solius Deitatis respectu propriè.* Agnoscit hoc hoc vtrunque Beza, sed illud negat ex isto consequi. Si hoc non intelligis expende quæ ex Damasceno illic citaui. In summa verò tibi respondeo illud ipsum quod Pappo: non negari de toto quod de singulis partibus non dicitur. Sic in hypostatica vnione hominis, non negat hominem dici animæ simul & corporis respectu, qui tamen hominem illum esse negat, vel animæ vel corporis seorsim habita ratione. Itaque etiamsi (quod absit) neque Deitatis, neque humanitatis seorsim consideratarum respectu Christum personam statuerem, nõ tamen inficiarer vtriusque coniunctæ respectu personam dici. Sed adieci, quod omnem tibi calumniandi ansam præcidere debuit: nempe Christum etiam naturæ vnius, nempe Deitatis distinctè consideratæ respectu propriè dici personam, id est quòd Christus ex natura vtraque constans persona est & dicitur, acceptum referri propriè vni Deitati, vtpote quæ vnica per se subsistat: nec tamen propterea excludi à personæ appellatione Humanitatem, sed ita comprehendi in personæ vocabulo, vt hoc in sese non habere propriè Humanitas intelligatur, sicut habet Deitas, quoniam non per se sed in Deitate assumente subsistat. Non dixi, inquam, Humanitati in se consideratæ conuenire personæ appellationem impropriè seu propriè: vel personæ nomine hypostasin Filii ab assumpta Humanitate seiunctam intelligi: sed dixi & dico, omnem personalitatis (vt ita loquar) rationem, propriè à sola Deitate peti, & illi vni propriè competere: quod ne vos quidem negaturos opinor, quanuis in Deitate ex Brentii dogmate in carnem realiter effusa, nullo modo possit hæc veritas inueniri.

Præterea, inquis, *Beza alicubi fatetur corpus Christi adesse sacramentaliter, at non realiter: alicubi verò nempe pag. 26. in Pappum, assentitur* SACRAMENTALITER & REALITER *non esse opposita. Ergo in alterutro falsum dicit.* Imò vtrunque verum est, & inter se consentiens, si homonymiam distinguas. Nam si REALITER id adesse significetur, quod minimè vanum est & imaginarium, item si accipiatur pro RE ipsa, id est pro ipsamet Christi carne, ne meritorum duntaxat communicatio in Cœna statuatur, ista duo necessariò cohærent, quum verè semper præbeatur quod symbolis significatur. Sin verò vt vos facere consueuistis, REALITER accipitis vt ita dicatur reipsa & sua essentia, nec tantùm fide præsens in terris corpus adesse In, Sub, vel Cum symbolis: tum sanè hæc sunt è diametro opposita. Et ne queri possis hoc à me exprimi debuisse, dico à me fuisse liquidò expressum & te rursum falsariũ hic deprehẽdi. Nam eo ipso quem citas loco, post hæc verba quæ citas: *Quòd autem* SACRAMENTALITER *non videmus* VERE & REALITER *opponi, vt et tibi assentimur*, hæc adieci, quæ tu astutè præteris, *modò realitatem nullam ponas quæ circunscriptam proprietatem tollas, neque duas oppositas qualitates eidem substantia, Circunscriptionem videlicet & Incircunscriptionem tribuas: qua repugnantia certò non tollitur, etiamsi circumscriptionem tribuas natura, Incircumscriptionem gratiæ.* Et hoc est scilicet bona fide agere.

Falso

Falsò etiam dicit Beza, inquis, *nos à Papistis tela arripere, quũ ipsemet argumentum 25, & alia sit à Papistis mutuatus, & Theses Ingolstadianas Geneuæ imprimẽdas curarit.* Imò longè aliud est Papistarum calumnias & commentitias scripturæ sacræ, & patrum explicationes nobis reponere (quod à vobis fieri dixi & dico) quàm ea quæ non ipsi commenti sunt, sed ex puro Dei verbo & rectè sentientibus patribus sumpserunt obseruare, vt in hoc Vbiquitatis argumento ab illis factum fuit, argumentis aduersus Eutychianos, Monophysitas, & Monothelitas ex scriptis patrum & Dei verbo repetitis. Neque verò nego mihi sic placuisse Theses illas aduersus Iacobi Andreæ blasphemias Ingolstadii scriptas, vt hic etiam quominus ederentur non obstiterim. Nec enim sunt Papisticæ, sed verè piæ, ex Dei verbo & orthodoxis patribus summo iudicio conscriptæ: imò Papisticam Transsubstantiationem, vt & vestram Consubstantiationem, solidis argumentis expugnant. Ideò alteram illam theseon partẽ Papisticam, & priori disputationi prorsus repugnantem, nequaquam excudendam putauimus.

Scripsi, fateor, *nulla fronte à nobis peti vt Augustana cõfessioni nullis conditionibus subscribamus, quum vix vllum supersit eius caput de cuius explicatione inter vos conueniat.* Tu verò quæris, cur vestræ illi concordiæ non subscribamus, & communi consensu pontificios hostes non oppugnemus. Respondeo, quoniam errores erroribus cumulare, conseruos tyrãnicè verberare, ipsum Romanum Antichristum in damnandis nõ auditis superare, arcano pauculorum αὐθαιρετῶν cõciliabulo coacto conscientiis fidem præscribere, non est inter dissidentes sanctam & Christianam pacem constituere.

Falsum etiam esse vis quod scripsi 1. Cor. 10. *Dici veteres eandem atque nos escam comedisse, & eundem potum bibisse, nisi*, inquis, *istis licet qualibet tanquã ex tripode dicta pronuntiare.* Imò verò, Holdere, quo pudore hanc interpretationem quasi à nobis excogitatam dicis Ecclesiæ obtrudi? Nec enim ignorare potes quid Pappo saltem ipsi responderim, nempe habere nos grauissimum auctorem huius explicationis Augustinum in Ioan. tract. 45. & in lib. de Pœnitentiæ vtilitate, quibus locis nunc addas licebit eundem August. tractatu in Ioan. 26. & in Psal. 77. Cyrillum lib. in Ioan. 4. cap. 10. & lib. de recta fide ad Theodos. & alios quoque à scholiaste Græco commemoratos. Et certè si patres Paulus non nobiscum sed inter se compararet, quid attinebat dicere illos in mari & nube baptizatos, & Christum nominare? *Sed*, inquis, *quomodo conueniret quod additur, quum Apostolus* OMNES *illos in duas cohortes diuidit, quorum alios prostrauerit, alios approbauerit Dominus?* Optimè profectò. Nam vt sacramenta vetera cum nouis, ita vetus populus cum nouo confertur, & quidem vterque bipertitus, vt apparet & ex eorum qui Sacramentis abusi sunt, & ex eorum qui rectè iis sunt vsi comparatione cum Corinthiis, quos sicut ab illorum imitatione deterret, sic ad istos imitandos Apostolus hortatur. Itaque, nisi aliud oraculum nobis ex vestra tripode proferatis, vix ac ne vix quidem nos ex nostra sententia, tantorum virorum testimonio, támque firmis argumentis confirmata, depuleris.

Cæterùm quando cœperit apud vos de ista Vbiquitate disceptari, & quo progressu incaluerit ista disputatio vobis inquirendum vltro relinquo. Illud quidem constat Lutherum, etsi pedetentim admodum in cognitione veritatis profecit, nihilominus in iis asserendis quæ meritò postea emendauit, non minus fuisse securum & vehementem, quàm in iis quæ meritò semel cognita retinuit, quòd ita soleat acribus præsertim ingeniis euenire, vt naturæ impetus non possint, ita vt par erat moderari. Sed & illud inficiari non potestis, aspersum potiùs initiò aliquid de ista hypostaticæ vnionis interpretatione, in ista controuersia fuisse, quàm copiosè explicatum, disceptantibus potius vtrisque de verborum Institutionis sensu, donec Brentius hanc Camarinam ab ipso vsque fundo commoueret. Et audiui ego his meis auribus Vvormaciæ D. Philippum, audiente & silente Brentio, satis falsè istud Vbiquitatis dogma perstringentem. Quod vtinam de hoc potiùs semel restinguendo incendio quàm de illius sparsi tempore citra vlla præiudicia, sinceráque conscientia, ex Dei verbo, & purioris Ecclesiæ consensu quæreretur.

Dixi ego, fateor, *loco legitimæ Synodi rem apud vos vi geri*, quod quum tu de vi armata interpretaris, & bella ciuilia Gallica & Belgica, tum generaliter omnibus nobis, tum non in Caluini aut cuiusquam alterius ne Angeli quidem, sed in vnius Dei verbum iuratis, ac etiam mihi priuatim tanquam instigatori exprobras, rursum qua conscientia mecum agas ostendis. Legitimam enim Synodum quam semper postulauimus, & quam à Papistis vos quidem ipsi tot ante annis efflagitastis, nos verò à vobis obtinere ne nunc quidẽ possumus, quum isti vestræ vi oppono, satis perspicuè ostendi, non aliud à me vim dici quàm λῃστρικὰ illa αὐθαιρετῶν pauculorum cõciliabula, quibus egregiam illam farraginem, vtinam sub Concordiæ nomine, non horrendi incendii flammas tota Germania spargentem, acceptam ferimus. Sed & quibus artibus, & qua vi subscriptiones à plerisque extorseritis, & quorum autoritate ad pios tam multos vexandos abuti, ne nũc quidem desinatis, fallimini, si orbi terrarum ignotum esse creditis, aut vestram, vestram inquam, istam non autem piorum alioqui & Ecclesiarum paci studẽtium principum, maculam sola inficiatione elui posse existimatis. Bella verò tum Gallica tum Belgica sint ne à nostris excitata, aut suasore me suscepta, si non ex tot scriptis verissimis ac iustissimis defensionibus, at certè ex illustrissimorum quoque Germaniæ non paucorum principum inspectis archiuis cognoscere potestis, quorũ & iudicio & pietate, hæc vestra calumnia satis superque refutatur. Sed ne de illis quidem refellendis quæ mihi de blasphemi & Mahumetani Syluani supplicio cuius suasor fuerim, & de Satanæ excremento (dissimulatis iis quæ hac de re toties antea verè respondi) mihi apud bonos & pios laborandum opinor. Vos autem, vestríque similes, ne tantillum quidem moror.

Sed quod subiicis à me scribi, *non aliter proprietates diuinas Humanitati, quàm Humanitatis Diuinitati tribui*, operæpretium est ab omnibus intelligi quàm calumniosè à vobis peruertatur: quum quod ego de sola gratia vnionis dixi, tu ad dona effusa transfers. Mea autem hæc verba sunt, à te rursus detruncata, pag. libelli aduersus Pappum 57. *Quod ais, Pappe, aliter communicari Deitatis proprietates Humanitati, quàm humanitatis Deitati, verum esse non potest si ad gratiam vnionis referas. Est enim eâdem prorsus vnione hypostatica Verbum homo, qua homo Verbum: & qua ratione Filius Dei dicitur crucifixus, Filius etiam hominis erat in cælo quũ esset in terris, nempe κατ' ἄλλο, non in sese, quanuis dignior sit assumẽs natura quàm assumpta. Hinc verò illud sequitur cuius ignoratio vos fefellit, & in hæc præcipitia Lutherum & Brentium impulit, κοινωνίαν videlicet ἰδιωμάτων, siue φυσικὴν ἀλλοίωσιν, siue ἀντίδοσιν siue περιχώρησιν κατὰ τὸ ἕν, de tota quidẽ persona ὅλως οὐ κατὰ μέρη cõsiderata, & tamen ab alterutra naturarum in concreto denominata, verè & realiter dici, ne personam cum Nestorio separemus. Et tamen ei natura à qua in concreto persona denominetur non reipsa, sed verbo tantùm conuenire, ne naturas cum Eutychete confundamus.* Deinde subiicio, quæ tu quoque astutè præteriisti: *Sin verò ad vnionis effecta istud referas concedimus tibi non fuisse Deitatẽ ab humanitate affectã, sed humanitatẽ ab vnito sibi verbo inenarrabiliter* suprà res cæteras creatas euectã. Hæc igitur quum expressè distinxerim, quo pudore quæso, istam distinctionẽ præteriistis, vt istud rectè & verè dictum torqueretis, qui tamen, etsi imparem, eandem tamen in genere communicationem Deitatis in Christo & Petro statuitis?

Illam autem περιχώρησιν secundum vnionem esse reciprocam, & eadem penitus ratione secũdum illam humana de Deo, & diuina de Homine in concreto dici, tum res ipsa demonstrat (quoniam alioqui Deus & Homo essent duæ personæ) tum Damasceous cum tota vetustate plurimis passim locis, ac præsertim expressè loco antea citato, nempe lib.3.cap.3. declarat. Sed & alia quoque est περιχώρησις ad abstracta pertinens, qua fit vt Deitatis quidem, non ipsa idiomata essentialia (quæ vere ἀμετάδοτα semper sunt) sed creata dona vt effecta illorum essentialium, reipsa in Humanitatem, vt in subiectum qualitates effundantur, Humanitatis verò in Deitatem nequaquam. Quis enim Deitati quidpiam adiecerit, aut detraxerit? quas multùm diuersas περιχωρήσεως species non distinguens Kemnitius, hoc ipsum quod stabilire voluit, euertit, dum insitam realiter naturam oaturæ esse vult, quæ sit distinctis maoentibus naturis earúmque proprietatibus personaliter duntaxat vnita.

Negat, inquis, Beza, *Deum omnibus rebus creatis adesse essentialiter, & sustentare res omnes essentialiter, vel etiam substantialiter.* Vbi verò negat? pag. inquis, in Pappum 23. Inspiciatur ergo & illa pagioa tota, & quatuor præcedentes: & comperietur Holderum omnem pudorem in Beza tantæ impietatis accusando exuisse. Non, inquam, negaui, Holdere, Dei essentiam vbique adesse, quam è contrario contra vos tueor vnicam & solam vbique esse. Num enim me inter Anthropomorphitas recensebis, quibus vbique clamitat iniuriam factam Lutherus, quòd nunquam tale delirium cuiquam in mentem venisse sibi persuadeat. Sed hoc ego passim clamitaui & clamito intolerabilem esse Iacobi Andreæ impietatem quam ex Brentio acceptam amplificauit, quòd videlicet scribat Christum nõ aliter esse in Christo quàm in omnibus rebus creatis, quod est merè Samosatenianum & Nestorianum. Neque verò negat Beza, imò disertè fatetur Deum adesse rebus omnibus, quum illum aliter esse dicit in assumpta illa carne (σωματικῶς videlicet) quàm in reliquis rebus, quia nimirum sic istis adest, vt tameo illis sese non vniat, & io ipsis aliquid duntaxat, & quidem impariter efficiat, quæ παρουσία dicitur ἐνεργητική: assumptæ verò voi illi humanitati semetipsam Filii hypostasis vniuit, quæ præsentia vni huic assumptæ carni propria, propterea hypostatica vnio vocatur, & perperam ex ἐνεργείας modo definitur, quum species non ex altera specie, sed genere communi definiatur. Itaq; eò magis etiam abominor illam inauditam in Ecclesia Dei enuntiationem, *Deum rebus omnibus subsistẽtialiter adesse.* Nam aliud est aliquid vi sua in ipsius, vt in Scholis loquuntur, ESSE conseruare, aut etiam rei non existenti dare vt sit, quàm hypostaticè adesse, id est, ita vt in vnam hypostasin cum re quapiam vniatur, quod fuit Manichæorũ delirium à Serueto nostra memoria renouatum. Itaque etsi locum illum alterum, quem ex Iacobo Andrea citaui, in quo videbatur personalem vnionem facere Christo cũ sanctis omnibus communem tibi largiar malè fuisse à me intellectum, tamen sic ille non absoluitur, quum hypostaticè sustentare, & personaliter sese vnire, vnum & idem apud sacros omnes scriptores declarent: & vt antea ex Brentio citaui, sic Petrũ Dei essentia, præsentia, & potentia, vt Christum ipsum impleri disertè doceatis.

Sed & illa falsitas quanta est, quòd Deum negem essentia sua cælum & terram implere, quoniam sic illum vbique esse dico, vt tamen VELVT sedem ipsius in cælis excelsissimis collocem? Quomodo enim hæc non essent ἀσύστατα si sic acciperentur vt tu vis? & cur adderem particulam VELVT? cur etiam exprimerem istius rei causam, nempe quoniam cælorum structura & splẽdor peculiari quodam modo Dei gloriam annuntiant? Cælos autem illos Brentianos vbique sitos mirum est, Holdere, si probare isto testimonio te posse putas, quo dicitur Deus cælum & terram implere. Etenim si vbique sunt, quînam illos à terra separaris? & si cæli quoq; vbique sunt, certè non tantùm Deitas per se, & Humanitas per gratiam, sed etiam cæli vbique erunt. Num etiam, quæso, hypostaticè vniti, quandoquidem istam Vbiquitatem ab hypostatica vnione, vt effectum à causa suspendit? Et hîc quidem tute habes Holdere, in quo tuum istud acumen exerceas.

Sed audiamus mirificum istius acuminis argumentum. Negaui, eidem naturæ posse oppositas esseotiales, aut τῇ φύσει necessariò ἀντικειμένας proprietates simul tribui. Res enim vnaquæque suis proprietatibus ἀχωρίστοις dignoscitur quibus mutatis, ipsas quoque res mutari oecesse est, nisi dispa

nisi disparata velis vnum & idem esse. Quid autem Holderus? *Omnipotentem esse*, inquit, *est essentialis proprietas Dei,& tamen Omnis potestas data est Homini Christo.* Imò ipsamet quoque essentialis Deitas vnita est huic assumtæ Humanitati: & sic datum est huic homini vt sit Deus. Num verò in sese? Hoc quidem dixerit siue Eutyches, siue Brětius, vt qui scribat disertis verbis pag. apologiæ modò citatæ 25. *Diuinitatem hominis Christi non esse illam ἰδίως, sed communicatam à secunda hypostasi*, quasi vnio hypostatica sit naturæ diuinæ in humanam realis effusio. Sed Orthodoxi Christiani fortiter id vt manifestam blasphemiam execrabuntur. Sit ergo sane, vt est, hic vnus Homo Omnipotens, at quatenus Deus, nō quatenus homo: siue non secundum Humanitatem, sed secundum Deitatem τὸν λόγον essentialem, cui sic vnita est vt idem sit & vnus Deus & Homo. Quod attinet autem ad hanc Omnem potestatem, quæ huic etiam ipsi Humanitati in sese tribuitur, ea & ὁμωνύμως & ἑτερωνύμως sic vocatur. Ὁμωνύμως quidem, quatenus in Deo quidem est essentialis, imò ipsamet Deitas, in hoc homine verò est qualitas creata & donata. ἑτερωνύμως autem Latinè dicitur Omnipotentia. Nam à Græcis ipso etiam nomine distinguuntur δύναμις & ἐξουσίας quorum illa quidem significat potentiam efficiendi, quæ in Deo est essentialis & infinita, in rebus autem creatis est qualitas, eáque vel naturæ legibus, vel extraordinariæ diuinæ liberalitatis finibus circumscripta: hæc verò declarat potestatem in rerū creatarum gubernatione, quæ Christi humanitati concessa est supra res omnes creatas, sic tamen vt Deitati ne quidem exæquetur, quanuis id arbitrentur Vbiquitarii. Est enim Christus secūdum Humanitatem seipso secundum Deitatem minor. Quorsum autem istud, vt contraria essentialia idiomata eidem subiecto inesse dicantur, quum ne accidentibus quidem omnibus citra distinctionem id conueniat?

Quid plura? Holderus etiam sese alio argumēto acutissimum Theologum, Bezam autem metaphoricum & Capernaiticum esse probat: acutè scilicet, quum Capernaitas ne ipse quidem inficiari possit Christi sententiam non metaphoricè, sed κατὰ τὸ ῥητὸν intellexisse. *Præsentiam corporis* (inquit) *& sanguinis Domini in Cœna dicit Beza sese non inficiari.* Dicit profectò: ideóque Holderum in manifesta falsitate deprehendi quum à Beza signa sacra exinaniri vociferatur. *At ea præsentia* (inquit) *est aut visibilis aut inuisibilis.* Concedo siue ad rem ipsam, siue ad præsentiæ modum hoc referas. *Atqui visibilem esse non dicet Beza.* Dicet etiam, opinor, Holderus, nisi forte videt id quod non est, quanuis hæc contra se verba ex Chrysostomo citarit, Ipsum vides, ipsum tangis. *Ergo inuisibilem præsentiam agnoscit Beza. aut si hanc etiam negat, omnem præsentiam negat. Nihil enim est tertium. Itaque sā Beza Cretēsis factus, nec Galliæ modò sed honestatis & verecundiæ fines transiluisse sue ipsius testimonio comperietur, vt qui dicat, inuisibilis & visibilis præsentia carnis Christi discrimen fuisse omnibus seculis in Ecclesia Dei inauditum, & tamen aut inuisibilem præsentiam fateatur, aut omnem præsentiam neget.* Imò verò, Holdere, ne sic quidem mendax deprehendor: nec me crucis Christi, id est, voluntariæ extra cæcam adhuc Galliam propter veritatem secessionis pudet, quā quoties tu mihi exprobrabis, toties non honestatis & verecundiæ tantùm, sed Christianitatis ipsius oblitus fuisse comperieris. Vt autem de re ipsa respondeam, non ego simpliciter negaui istud visibilis & inuisibilis præsentiæ carnis Christi discrimē, sed eo demum sensu, quo à vobis Consubstātiatoribus, & à Pontificiis Trāssubstantiatoribus vsurpatur. Nā Pontificii quidē vt ipsum essentiale Christi corpus tū in cælis tum in terris reipsa eodē momento in illis suis infinitorū & incantatorū panū speciebus adesse statuāt, vos autē vt illud ipsum itidem eodem momēto sua quoq; essentia vbiq; præsens adesse confirmetis, vel tum visibile, tum inuisibile simul, vel inuisibile semper illud esse ponatis necesse est: quod commentū veritati corporis Christi ex diametro repugnās, illi quidē, sacramētalibus verbis, vos autem, illi vestræ omnimaiestaticæ chimæræ attribuitis. At nos veritatem, ac proinde circumscriptionem & visibilitatem perpetuam corporis Christi ex sacris Literis, & totius Ecclesiæ orthodoxæ perpetuo consensu asserentes, ipsum in sese Christi corpus sua essentia nunc nusquam esse nisi in cælis, in quos verè terras deserens transcendit: & suis illis quantumuis glorificatis, veris tamen ac visibilibus partibus organicis constare: ac proinde nonnisi visibile & nunc à nostris corporibus verè abesse affirmamus: & hactenus vestrū illud Quanti & Non quanti, Visibilis & Inuisibilis præsentiæ discrimen, vt impiū repudiamus. Nec tamen propterea mentis & fidei oculis tum in verbo simplici tum in sacramētis, spiritualiter Christum totum, & Christi totum contemplantibus, inuisibiliter illud adesse, & credentibus verè communicari diffitemur, imò corde & ore confitemur, expectantes diem illum, quo corporis etiam oculis illo essentialiter præsente perfruemur.

De calumniis.

Dicis præterea, Holdere, in eo calumniatorem esse Bezam quòd scribat *ex reali Consubstantiatione & τῷ ῥητῷ seruato, consequi corpus ipsum Christi antequam comedatur, vel paulò pòst euanescere, vel in ventrem simul traijci. Dicat enim Beza*, inquis, *si vir bonus est, quis vnquam nostrum ita senserit, scripserit, docuerit.* Vos omnes certè ait rursum bona fide Beza, vos inquam illud ipsum sentitis, scribitis, docetis quotquot ore ipsum Christi corpus reale & essentiale comedi sentitis, scribitis, docetis: & qui in nos, qui sola fide spiritualiter præsentia illa recipi docemus, & voces Accipiēdi, Comedendi, Bibendi, de ipsis quidem signis propria, de corpore autem & sanguine Christi, translatitia significatione accipiēda ex regula toties à veteribus patribus inculcata sentimus, nil præter diras & anathemata crepatis. Nam, obsecro, mi homo, in quamcunque te partem conuertas, si accipiēda sunt hæc verba sicut sonant, quid est Comedere, nisi dētibus cōminutum in vētriculū traijcere? quid est Bibere nisi ore haustū eodem trāsmittere? Et si iam antea in ore & ventriculo

hæc erant, vt ex vestra reali Vbiquitate colligendum est, quinam eò immitti realiter dicentur, vbi iam existebant? Sed & hæc ipsa Lutheri verba protuli. *Vtinam tam Christianè egissent omnes papa, vt Pontifex ille cum Berengario egit.* Quid autem ille Papa? *Credimus* (inquit) *verum corpus & sanguinem Christi non solùm sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus* ATTERI. Quid tu vero contra, Holdere? ne γρῦ quidẽ. quid enim responderes, qui neque Lutheri hyperbolas agnoscere, neq; veritatem fateri sustines? Ais tamen Lutherũ in eo loco nõ VERE & PROPRIE sicut scripsi, sed RECTE & BENE, scripsisse & addidisse, PROPTER SACRAMENTALEM VNIONEM. Ego coniunctionem dici malim. Sed quid ista te iuuant? Nam probat disertè Lutherus illius Papæ decisionem: & glossam iuris Canonici reprehendit nominatim, quæ vt Papam excuset, verba illa negat propriè esse accipienda. Deinde quid est aliud ACCIPERE VERBA SICVT SONANT, quàm illa propriè intelligere? Ista verò Sacramentalis vnio nihil Lutherum subleuat, quum à vobis realis & essentialis in terris esse statuatur: neque de illius locutionis causa, sed an κατὰ τὸ ῥητὸν illa comedantur & bibantur inter nos disceptetur.

Istud autem cuiusmodi tandem est? *Nos*, inquis, *tibi libenter Beza, concedimus, non quæsituros nos aliam causam præsentiæ Christi in Cœna, quàm Institutionis verba: & quia longè aliam rationem esse præsentiæ Christi in Cœna (quam Sacramentalem esse dicimus) & omnipræsentiæ causam, quæ ex vnione personali dependet, nos ipsi fatemur: in hac quidem controuersia de Cœna Domini posthac de Vbiquitate nullum faciemus verbum. Peto quidnam Beza amplius.* Respondet Beza absurdum esse aliam causam specialis præsentiæ, realis & essentialis in Cœna ponere, quàm generalis Omnipræsentiæ, quum causa generis sit etiam speciei causa. Hypostatica igitur vnio si omnipræsentiæ, erit quoque præsentiæ in Cœna causa: sed Institutio Cœnæ faciet vt hęc præsentia sit in Cœna Sacramẽtalis, id est rei præsentis in Cœna percipiendæ causa instituta. Hoc verò si ita est, petit hoc amplius Beza, vt si seriò Humanitatis Vbiquitatem silentio vultis obrui, id quoque quod ex ea posita consequitur, & ea sublata tollitur, (id est realem istam & essentialem In, Sub, vel Cum symbolis præsentiam, ac proinde oralem quoque sumptionem) abrogetis. Petit denique vt quod vester ille dictator spopondit, reipsa præstetis. Nosti enim illum in responsione ad Sperlingum, cuius verba aduersus Pappũ citaui pag. 64. vltro promisisse, *si ea est humanæ naturæ proprietas, vt non nisi vno aliquo loco esse possit, neque a diuina natura ipsi cõmunicari vllo modo possit, quo & ipsa cum λόγῳ in pluribus aut omnibus (simul videlicet) locis esse queat: se pro asserenda vera corporis & sanguinis Christi præsentia in Cœna, ne ad momentum quidem pugnaturum. Si enim simpliciter* (inquit) *id impossibile esse fatear, qua ratione id fieri posse ex Cœnæ verbis demonstrare conarer? Verba enim Cœnæ* (inquit idem Andreas alibi) *sunt tantùm verba dispensationis corporis & sanguinis Domini, iam ante & ex alia causa essentialiter in pane & vino præsentium.* Audin' Holdere, præsentiam vestram realem nõ pendêre ab institutionis verbis quæ tantopere vrgere consueuistis? audin' cum Vbiquitate tolli vestrum illud In, Sub, vel Cum realiter & essentialiter abrogari? Vtrumque igitur à vobis fieri peto, quum posterius ex prio re quod vltrò pollicemini dependeat.

Citaram etiam locum ex Luthero, in quo eos reprehendit qui ex Christo omnipotentem hominem faciant, duas naturas permiscentes, quod alibi vt piè scriptum laudem, alibi vt erroneum reprehendam. Ego vtrumque factum agnosco, & vt rectè factum tueor. Est enim certè Orthodoxum quod dictum voluisse Lutherum apparet, nempe ipsi Humanitati Omnipotentiam non posse communicari quin naturæ confundantur. Sed ipsa phrasis, Hominem hunc non esse omnipotentem falsa est, quum Homo iste sit Deus, κοινωνίᾳ videlicet ἰδιωμάτων, siue ἀλλοιώσει, quam idem Lutherus postea non rectè reprehendit. Sed quid ad hæc Holderus? de re ipsa ne γρῦ quidem contentus Bezam vt inconstantem carpere ipse, in errore pertinacissimus.

Alium prætereà Lutheri locum à me prolatũ in quo copiosè explicat quomodo dicatur Christus non nostri duntaxat, sed suæ ipsius animæ respectu, verè pro ratione ætatis creuisse sapientia, negat Holderus contrà se facere. Legatur locus integer, & periti Theologi diiudicent. Illud certè falsum est quod ait, *negare nos humanitatẽ esse Deitatis instrumentum*, quod absit vt recto sensu inficiemur. Sed hoc quidem verum est, huius dicti merè Monotheliticam expositionem quam afferunt à nobis repudiari, quasi videlicet vnica sit duarum naturarum ἐνέργεια, & vnicum ἐνέργημα. Nam neque Deitas quæ sunt Deitatis propria per Humanitatem vt in merè diuinis operibus efficientem causam cooperantem agit: nec Humanitas quæ sunt Humanitatis propria sic impellente ipsam Deitate operatur, vt tamen αὐτοματῶς, non tantùm παθητικῶς agat quæ suæ sunt naturæ: quanuis neutra separatim agat, sed sicut suis & essentiis & voluntatibus & energiis & ἐνέργειαν distinctæ naturæ manent, ita etiam distinctè agant singulæ quod est singularum proprium: licet commune sit postea ipsum personale ἀποτέλεσμα: humanitate nimirum in suis distinctis humanis actionibus Deitati, & ipsius diuinis operibus subseruiente: sicut est à nobis antea rationibus & exemplis declaratum, quum de miraculis à Christo editis ageremus.

Patropassianorum errorem alicubi dixi illa reali omniũ Deitatis proprietatum effusione stabiliri. Respondit tandem Andreas, se Deitatem cõsiderare non absolutè, sed in vnica filii persona, quæ sicut est vnica incarnata, ita suas omnes proprietates, non quatenus absolutè in Essentia tribus Personis communi spectantur, sed relatè ex sese, vt genita videlicet, in carnem assumptam effuderit. Sed non animaduertunt isti Personam quidem à Persona re differre (quanuis reali tantùm distinctione personalium notionum, nõ separatione siue diuisione essentiæ) ideóque numero multiplicari: Personas verò ab Essentia ratione tãtùm discerni, id est ἐπινοίας τρόπῳ, ex quo itidem efficitur proprietates essentiales numero non multiplicari. Itaque alius quidem est Filius

reipsa

reipsa quàm Pater, ideóq; incarnata dicitur Filii non Patris Persona: ac proinde Filiationis non Paternitatis respectu, Deitas est assumptæ Humanitati vnita. At quamuis Omnipræsentia, cæteræque essentiales proprietates Deitatis absolutè consideratæ in essentia, relatè in Personis spectentur, non tamen alius est quâ Omnipræsens Pater quàm Filius. Non igitur pari ratione Omnipræsentia Filii dici potest assumptæ carni vnita qua ipsa Filii persona. Hæc enim sic vnita est, vt paternitas neque re, neque ratione dici possit vnita: Omnipræsentia verò Filii quæ carni vnita est, ratione tantùm non est vnita cum Patris Omnipotentia, quum reipsa vna & eadem sit Patris & Filii Omnipræsentia non persona. Iam verò quum illam ipsam Omnipræsentiam quæ vna est, dicāt isti passim, realiter effusam fuisse in carnem assumptam, vt Deitatis essentialem, nusquam autem vt in Filio assumente personaliter consideratam, quæ omnipræsentia in ipsa quoque Filii persona quum essentialiter cōsideratur, vnica est ipsi cum Patre & Spiritu sancto communis, quis isto argumento nos vsos esse mirabitur? Pappum verò, siue quemcunque alium eorum quibus responsiones meas opposui, auctorem, qui tandem sit Holdere, si seriò & sincerè veritati patrocinaris, vt plures Omnipotentias constituentem, vel non tuearis, si rectè sentit, vel, si impius est, mecum non condemnes? an quòd vos quoque plures Deitates statuere non pudet? Sic enim disertè loquitur tū passim Brētius, vt antea ostendimus, tum in primis Andreas in illa sua ad Ingolstadianas theses apologia: alterius sanè Andreæ Musculi impietati aditum aperiens, qui Deitatem ipsam apertè in assumpta natura fuisse natam, passam, mortuam & excitatam scribit.

Quod autem scripsi, & iterum scribo nempe sic à vobis declarari Christi Deitatem, vt κατὰ τὸ πλέον, non κατὰ τὸ γένος à donis in cæteros homines collatis differat, si tibi propositum erat vt calumniosè à me scriptum inficiari, cur non ad eos locos respondes quos ex Brentio & Iacobo Andrea αὐτολεξεὶ descripsi, & qua tandem ratione dilui possint non explicas? Taces? at ego non reticebo quod meridiana luce clarius est: fieri non posse quin ita illi senserint, scripserint, docuerint, vel aliud senserint quam scripserint. Illa igitur quæ mihi ex Andrea citas in cōtrariam sententiam, nullius me calumniosæ accusationis arguunt, sed ipsius palinodiam euincunt: eámque minimè sinceram, quum antea impiè scripta nō tamen eiurarit, & ipsum hinc exortum errorem tueri perseueret. Imò audaculus hoc ipso suo dedecore factus Iacobus Andreas, sese madido linteo impudenter abstersisse non contentus vsus est ἀντικατηγορίᾳ. Dixit enim in eo mē errasse quòd dixerim, *energia quæ personalem vnionem sequitur, carnem Christi à reliquis creaturis comparatè tantùm differre.* Cedo quamobrem? *Quoniam* (inquit) *quum diuinitas filij non habeat actiones ab Humanitate separatas, hinc sequitur energiam carnis Christi simpliciter & propriè differre ab energia in sanctis, quorum sint separatæ actiones, vt separatæ personæ.* Quæ verò hæc inscitia, Deus bone, quę impudentia est? Nec enim ego energias Deitatis in humanitate Christi & in sanctis inter se comparaui, sed hoc millies repetii, gratia quidem vnionis Hominē illum assumptum esse essentialiter Deum, ac proinde hāc gratiā toto genere à cęteris beneficiis differre quibus res creatas Deus creator affecit: gratia autem habituali quam vocāt (id est, si qualitates seu dona creata in assumtā carnem effusa spectentur) Christi humanitatem hoc demum respectu à sanctis differre secundùm plus & minus: vt qui solus spiritum, (id est illa dona) ex vnita sibi essentialiter deitate τοῦ λόγου profluentem sine mensura acceperit, vt indè velut ex capite in sua membra, certo modulo, prout ipsi libuit, redundent. Dixi autem ista illud Brentii refellens, vbi negat hac ratione Christum à Petro differre, quòd Christus quidem sua, Petrus verò alterius, à sua videlicet persona separati, virtute miracula ediderit. Quid ad hæc bonus Andreas? Fortiter dissimulatis quæ obieceram, persuadere vult se non aliter vnquam sensisse, & tamen ne hoc quidem satis intelligit quod ex me aliquatenus didicerat. Itaque pro ipsis donis substituit eorū vsum, & stultè concludit quoniam Christi Humanitas his donis non vtatur separatim à Deitate, idcirco hanc gratiam habitualem, quam vocant, id est qua factum est vt Humanitas Christi absque mēsura ditaretur, toto genere ab ea differre qua Deus in sanctos secundùm mensuram creatas itidem qualitates sanctas effundit: quasi verò non idem sit diuinæ in creaturarum liberalitatis genus, quamuis Christi quidem Humanitas istis donis vtens à deitate sibi vnita non separetur: sancti verò sic à Dei spiritu agantur, vt separatæ sint à Deitate personæ. Sed & quantopere in eo hallucinetur quòd Deitatis & Humanitatis actiones sic vniat, vt neque Deitatem propriè diuina ἐνεργήματα, neque humanitatē propriè humana opera per se operari velit, id est Monothelitarum hæresin reuehat, satis supérque antea demonstrauimus.

Osiandri verò tribunitias conciones an meritò vocarim, quibus clarissimum illud lumen toti Germaniæ prælucens, D. Ioan. Sturmium, id est illius aurei seculi reliquias obruere maledicentissimus homo ille studuit, vt sibi nomen quasi incēso Dianæ delubro, quæreret, non Argētinensis tātùm Academia, neq; tota duntaxat Germania, sed exteræ quoq; gentes omnes norunt.

Num quid verò amplius? Imò grande aliud superest Bezæ facinus, qui scripserit, *posita reali Cōsubstantiatione, effici vt bestiæ quoque symbola sumētes, Christi corpus ipsum essentiale vorent: in suo verò aduersus Pappum libello istud à se factum neget.* Agnosco ἁμάρτημα μνημονικὸν Holdere. Sed quàm mallem à vobis vel id dogma semel repudiari ex quo ista tam absurda & tam impia, non minus necessariò quàm ex Transsubstantiatione consequantur: vel cur ista ex vestris non rectè concludantur, ostendi. Nam quæ tu nobis ex Luthero & Brentio depromis, Pontificiorum scholasticorum in eo quoque expediendo nodo frustra sudantium gerris ac nugis nihilo sunt grauiora.

Sed & illud malè habet Holderū quòd Brentiū alicubi dixerim, initiò nō tantopere à nostris dissensisse. Quid igitur? Errauerit sanè semper Brentius, & errando tandem penitus à veritate ad

Eutychianismum vsque paulatim desciuerit, atque adeò nimiùm multos secum eò abduxerit, quandoquidem sic Holdero placet. D.Philippus verò placidissimi vir ingenii, quid apud plerosque sua illa nimia lenitate promouerit, tot ipsius ingrati discipuli testantur, vt non immeritò studuerit Caluinus illius lentitudinem velut expergefacere. Quid autem ipse in istis controuersiis senserit, ex posterioribus eius scriptis, non ex illis prioribus prius editis quàm legendis & expendendis nostrorum responsis, vir candidissimus, & veritatis amans, profecisset, æquum est æstimare: ac proinde non immeritò nobis à Philippo fas est ad Philippum prouocare. Ex iis autem maledicis profectò potius quàm cum iudicio & sedato spiritu scriptis Lutheri testimoniis, ab Holdero citatis, vnicum tantùm seligam, ex quo quantum ille non semel intemperiei suæ indulserit perspiciatur, & quàm tanti viri, sed hominis tamen, nomini ipsique Ecclesiæ malè consuluerint, qui pleraque ipsius polemica scripta non maluerunt obliterari potiùs quàm in publicum edi. Sic igitur ille quodam loco pro suo æstu, *Audi, inquit, tu porce, canis, fanatice, aut quisquis fueris, insulse asine: Etiamsi Christi corpus sit omnibus locis, non tamen tu statim ipsum vel deuorabis, vel helluaberis, vel attinges.* At vos audite, qui Lutheri *auctoritatem* tantopere vrgetis. Si hoc verum est, quînam verum erit, quod ipse alibi tam pertinaciter tuetur, nempe indignissimos etiam quosuis verum corpus Christi, quanuis ad iudicium, manducare?

Denique intolerabilem D.Cancellario Smidelino fieri iniuriam conquereris Holdere, quòd illud ipsius dictum *Deum quasi per accidens homini coniungi*, perperam interpreter, quum id postea ipse Bezæ respondens, declararit. Quasi verò satis sit admissum crimen negare. Extat illud ab eo totidem verbis in suis illis thesibus scriptum, quod non modò vt falsò, sed etiam vt inscientissimè dictum reprehendi, quum inter Accidens & Substantiam nihil sit medium. Et quid pluribus hic opus? Quoties Brentius & ipse istud inculcant, *per firmam Dei & Diuinitatem Christi, non illam immensam & æternam intelligi, quam habeat cum Patre & Spiritu sancto communem, sed eam qua sit ipsi à secunda hypostasi Trinitatis communicata? & carnem assumpsisse*, NIHIL ALIVD *esse, quàm omnem suam plenitudinem, id est omnia sua dona illi communicasse?* quod si tam verum esse vult quàm falsum est ac Nestorianum in naturarum separatione, & Eutychianum in proprietatum effusione, aut duas in Christo substantiales Deitates poni, aut vnam quidem substantialem, alteram verò accidentalem statui necesse est.

Et hæc quidem hactenus de istis dicta sunto, quæ si efficere potuerint vt ab his tam portentosis erroribus discedatis, erit de quo Deo Opt.Max. gratias agamus. Sin minus, legitimam vllam Ecclesiasticam cognitionem minimè defugio. Vestra autem conuitia posthac solo silentio vlcisci decreui.



AD PVTIDAS QVASDAM A IACOBO ANDREA PARTIM RECENTER CONFICTAS, PARTIM ALIVNDE REPETITAS CALVMNIAS RESPONSIO.



IACOBVM Andream iam olim quidem missum feci, Apostoli præceptum sequutus: qui tamē quum facinorosos illos imitatus, qui de suis sceleribus rogati, satis se purgatos ex aliorum accusatione cēsent, criminari nos maluerit, quàm duplici inspietati, cæterisque sibi non temerè obiectis blasphemiis respondere: paucis non illi quidem, quem insanabile tenet maledicēdi cacoethes, sed ad ipsius accusationum capita respondebo, vt quæ sit istius hominis in rebus sacris tum scientia, tum conscientia, ii si fieri possit intelligant, quorum credulitate tam diu abutitur. Prima hæc est igitur criminationum nobis ab ipso nuper obiectarum quas literis quibusdam aduersus Clariss. virum, & meritis in remp. literariam suis iam olim immortalem gloriam consequutum, D. Ioannem Sturmium, Academiæ Argentinensis rectorem scriptis adiecit.

Thesis I.

Deum maximam partem humani generis ad æternam damnationē prædestinasse & ordinasse, vt non possint salui fieri: nec Deum velle eos saluari, aut illis mortem Christi filij sui prodesse.

Responsio.

Nullum esse doctrinæ Christianæ caput calumniis humanæ sapientiæ magis obnoxiū, vel religiosiùs tractandum, quàm Prædestinationis, Apostoli ea de re disputatio, & Augustini in primis aduersus Pelagianos cōcertationes ostendūt. Alii igitur omnem prædestinationē tollūt, alii sic eam ponunt vt ponendo subuertāt: alii (inter quos iste est) altero, nēpe Reprobationis membro mutilatam proponūt: quasi verò possit stabiliri aliquorū electio (nec enim eligit qui accipit omnia)

omnia) quin cæterorum reiectio affirmetur. Nos igitur & mille locis expressum Dei verbum, & ipsius rei naturã, & Augustini in primis disputationes eruditissimas, quibus olim Pelagiani sunt prostrati, & nunc Semipelagiani Sophistæ iugulantur, ipsius denique Lutheri in lib. de seruo arbitrio sententiam sequuti, vt Electionis sic Reprobationis quoque decretum æternum, & quod ad euentum attinet, immutabile, id est, tam misericordiæ, quàm iræ vasa statuimus: neque hinc tamen vel Stoicam necessitatem consequi, siue contingentiam tolli, vel Deum statui vllius mali, siue exitii cuiusquam auctorem: sed in electis quidem gratuitam illam misericordiam, in reprobis verò iustam ipsius seueritatem spectandam ad nominis eius gloriam præberi demonstramus. Sed de his plenius nunc disputare non placet. Ad hanc autem istius sycophantæ triplicem calumniam quod attinet, ita sigillatim respondemus.

De primo, docemus ex Dei verbo, Nasci imò etiã cõcipi omnes homines iræ Dei reos, & æterna damnatione dignos. Ex his plures verbo Dei ne vocari quidem, quàm vocari: & rursum plures esse vocatos quàm electos: nec Deum propterea iniustum aut crudelem, sed iustum potiùs iudicem in iis quos vel prorsus non vocat, vel efficaciter non vocat, censendum: Neutrum istorum absque Dei decreto, quod causas omnes secundas ordine antegreditur, euenire: Hoc æternum decretum euentui quidem necessitatem immotam, voluntati verò, quæ est humanarum actionum causa, necessitatẽ non, nisi ex hypothesi, imponere. Huius decreti causam esse Dei tum æternam benignitatem in iis quos ipsi libuit, ad salutẽ prædestinantis, tum æternũ mali odium ad iustam damnationem quos ipsi libuit, ordinantis: cur hos autem potiùs quàm illos saluti vel damnationi destinet, causam προηγουμένην nullam esse aliam quàm ipsius voluntatem; quæ non à iustitia regulam accipiat, sed ipsius iustitiæ sit norma. Nec enim, Dei ordinantis respectu, ordinatur quidpiam, quia id in sese iustum sit, sed contra quicquid iustum est, iustum est quoniam & quatenus ipsa rerum omnium existentia Dei ordinatione nititur: at non ipsius ordinatio creatione vel existentia rerum. Hoc Dei decretum causas omnes secundas & tempore antegrediens (vtpote æternum) & ordine antecedens (vtpote summum) ab eius decreti executione distinguendum esse, vtpote quæ & suis demum temporibus ac momentis, & non nisi secundarum causarum interuentu eueniat. Certum esse igitur plures damnari quàm seruari (vt ipse Christus testatur) & neutros absque æterno, &, quod ad euentum attinet, prorsus necessario decreto nasci: sed in iis quidem qui seruantur, summam apparere Dei misericordiam, in iis verò qui damnantur, causam damnationis ipsorum totam hęrere: ac proinde Deum summè benignum in illis, summè seuerum in his seipsum declarare, in quibus duobus vera ipsius gloria potissimùm elucescit. Nec enim aut saluti destinatorum glorificationem, aut ad exitium descriptorum sempiternam condemnationem vltimum esse finem illum in quem Deus prædestinans intuetur: sed ipsius nominis gloriam, propter quam omnia quæ condere ab æterno decreuerat, condidit: & singula quotidie per causas secundas existere vult, etiam impium ad diem malum.

De secundò, quòd videlicet ordinarit Deus vt non possint salui fieri reprobi, docemus non posse quidem exitio destinatos non damnari, idque non absque Dei decreto euenire: Deum tamẽ non esse damnationis causam προηγουμένην efficientem, sed partim eam corruptionem, qua homo primus merè voluntaria corruptione sese peccato mancipans, humanum genus obligauit, partim illius corruptionis spontaneos effectus, id est, peccata.

De tertio, quòd Deus nolit reprobationi destinatos seruari, aut illis mortem Filii prodesse istud concedimus Christi verba sequuti, qui testatur se pro mundo non rogare: & fundamentum illud amplexi, quod declarãs Apostolus ait Nouit Deus qui sint sui: modò illud adiiciatur, Non damnari reprobationi destinatos, quòd ipsi seruari velint, Deus autem volentibus resistat: sed partim propter hæreditariam & mentis & voluntatis corruptionem, partim propter voluntariam & perpetuam ipsorum contumaciam, quæ est illius corruptionis fructus.

Thesis II.

Quod non omnes infantes in Baptismo regenerentur, sed ij duntaxat quos Deus in arcano suo consilio & decreto ad vitam æternam prædestinauit.

Responsio.

De hoc capite iam pridem est Heshusio responsum, Nos videlicet arcana ista de singulis personis iudicia Deo relinquere, &, quòd ad nos attinet, eos omnes potiùs præsupponere ex electorum esse numero, quàm reprobatos, quos Deus vel ex fidem Christi profitentibus nasci voluit, vel etiam aliunde adscitos & catechizatos in Ecclesiam suam inseruit. Sed quum nonnisi ex Christo per fidem apprehenso iustificemur & regeneremur: fidem autem cõstet vsque adeò non esse omnium (excipiẽdi sunt enim hypocritæ, & qui fidem habent non illam veram, sed πρόσκαιροι, quos Deus καρδιογνώστης suo tẽpore, vel patefacit, vel etiam non patefactos in suum locum extrudit) sicut vnum baptisma, quod ad Deum promittentem attinet, ita, quod ad effectum, duplicem baptismum ponimus, sicut Paulus duplicem circuncisionem, in cuius locum Baptismus successit.

Thesis III.

Quòd regeneratio eorundem electorum non semper fiat in ipso Baptismo, quando infans baptizatur, sed sæpenumero in senectu ipsorum denuo fieri. Ideo que etiam docent Baptismum tantùm signum esse regenerationis, & sigillum seu testimonium, quemadmodum & panis Eucharistiæ tantùm signum sit corporis Christi.

Responsio.

Quid sit istud *Denuò fieri* fateor me non intelligere, & puto Denuò pro Demum Typographum excudisse. Quod autem ad primam huius Thesis partem attinet, illā pro vera vsque adeò agnoscimus, vt gratiam, cui velut obsignandæ Baptismus adhibetur, remissionem videlicet peccatorum & regenerationis donum affirmemus interdum antecedere Baptismum, vt Abrahamus fuit iustificatus, ac proinde remissionem peccatorum adeptus, & nouus homo factus, priusquam circumcideretur, & Cornelius cum suis priùs baptizatus Spiritu quàm aqua, sic denique omnes adulti vera & actuali fide præditi, antequàm ad Baptismum adhibeantur: interdum vero Baptismum subsequi. Obsecro qui in infidelitate positus, & tamē seipsum fidelem profitēs, baptizatur, num Baptismi gratiam consequitur? Si hoc putat noster criminator, age trāseat apertè in eorum partes qui opus operatum tuentur. Num verò qui fuerit hodie in infidelitate baptizatus, postea fide donari non potest? Si hoc neget iste, doceat nos à quo spiritu sciētiam istam hauserit. Num verò sic fidelis factus iterum baptizabitur? Nequaquam responderit, opinor, Andreas. Ergo in hoc homine vel tanto post tempore sequuta fuerint ipsius effecta quantum inter Baptismum & conuersionem eius intercesserit, quod nos docemus: vel si fuerit in eo inutilis Baptismus qui eo ipso tempore quo fuit administratus illi non profuit, conuersus iste sine vllo Baptismo seruabitur, quod Andreas dicere minimè sustineat. Quid si verò infidelis iste baptizatus nunquam conuertatur? nempe vel ad opus operatum confugiat rursus Andreas, vel Baptismum non ipsius Dei vel Baptismi vitio, sed sola infidelis baptizati culpa fateatur oportet sine interiore gratia fuisse istiusmodi infideli collatum: ex quo rursus istius hominis, qui tamen cæteras Ecclesias damnandi auctoritatem sibi vsurpat, quanta sit inscitia simul & audacia quis non videt?

Ad posterius autem huius capitis membrum quod attinet, in eo dupliciter calumniatur Andreas quum Baptismum à nobis dicit tantùm pro signo seu testimonio regenerationis haberi. Etenim neq; Baptismum esse duntaxat signum dicimus, sed signū Sacramentale, id est, cum quo, quòd ad Deū attinet, res significata verè semper fide accipiēda præbetur: neque regenerationem tantùm, sed etiam vel in primis ablutionem à peccatis dicimus esse Baptismi effectum. Deinde nihilo doctior est Logicus quàm Theologus, quum ex eo quòd Baptismo exteriore baptizatos, dicimus interdum interioris non esse participes, à nobis exinaniri symbola colligit: quasi videlicet valeat hæc consequutio, præbetur omnibus interior cum exteriore, ergo ab omnibus qui exteriorem recipiunt, interior recipitur: de qua merè falsissima & absurdissima collectione quum toties sint isti disputatores an conuiciatores admoniti, quis illorum vel stuporem vel peruicaciam satis possit admirari?

Thesis IIII.

Quòd humana Christi natura, hoc est, corpus & anima Christi, in omnem aeternitatem omnipotentiæ Dei neque capax, neque particeps sit. Et contrarium affirmare tam absurdum esse, acsi quis dicat, aptitudinem ad disciplinas capiendas lapidi aut trunco infundi posse. Siquidem finitum non sit capax infiniti.

Responsio.

Enimuerò quæ hæc impudentia, dicere audere negari à nobis humanam Christi naturam esse participem Deitatis, in qua vna plenitudinem Deitatis Verbi, etiam σωματικῶς, habitare fateamur? Sed duo requirunt isti sub anathematis pœna: vnum, vt Deitatis nomine non illam οὐσίαν tribus personis cōmunem, non hypostasin ipsam Filii, sed ἰδιώματα ἐξισωμένα intelligamus. Hoc enim totidem verbis ipsi centies inculcant. Alterū, vt Deitatis quam vocant participationē non vnione hypostatica, sed blasphemo ipsorum commento, nempe vel reali proprietatū omnium Deitatis essentialium in carnem effusione, siue ἐξισώσει exæquatione, vt Brentius & Andreas loquuntur, siue Monophysitica siue Monothelitica συγχύσει, vt loqui mauult Kemnitius, definiamus. Et quid est illud quæso, humanitatem esse Deitatis capacem? Clamitant nos esse Iudæis & Mahumetanis deteriores, quòd cum Angelis dicamus Christi carnem cœlis capi, id est contineri, ac proinde tanto eum à nobis interuallo, quòd ad humanæ naturæ essentiam attinet, abesse, quanto absunt suprema cælorū, vnde Christus secundum carnem veniet, à terris in quibus nunc illum expectamus. Nec interea nouum hunc Diotrephen pudet credere iubere, Deitatē Verbi sic carne assumpta contineri, vt non absque illa (hoc enim absit vt inficiemur) sed extra illam carnem nusquam sit: quam Scyllam vt vitent, in Charybdin vltro incurrunt, quum assumptam carnem tam latè atque ipsam Deitatem, id est, vbique essentialiter & reipsa patere, omnipræsentiæ siue Vbiquitatis reali in carnem effusione pertinacissimè contendunt, quasi minor sit impietas ex finito infinitum, quàm ex infinito finitum facere, id est, Humanitatem in Deitatem, quàm Deitatem in Humanitatem transformare. Iam verò quod ad illam trunci vel lapidis similitudinem attinet, quibus tandem istud conuitium conuenit, nobisne qui humanitatem à Verbo hypostaticè assumptam supra reliquas res omnes creatas inenarrabili sublimitate euectam non modò vnionis gratia, sed etiā collatis in eam donis affirmamus, an illis potiùs qui Deitatis in Christo præsentiam non ex vnione hypostatica, sed perfectiore quàm in aliis sanctis ἐνεργείᾳ definiūt? En quò cæcitatis sub doctoribus nō lusciosis, sed planè cæcis recidisti, Germania, quæ tamen tam multis antehac oculos aperuisti! num vt in te quoque compleatur illud Christi, fieri in nōnullis posteriora prioribus deteriora?

Thesis V.

Quòd humanæ in Christo naturæ, ne voce quidem, aut grammatica vel verbali communicatione omnipotentia Dei tribui vel adscribi possit.

Respon-

Responsio.

Ludunt sophistæ in Omnipotentiæ & Humanitatis vocibus. Si Omnipotentiam vocant omnium rerum creatarum administrationẽ, illam absit vt inficiemur Christi humanitati concessam cuius etiam carni, vnica excepta Deitate, ac proinde seipso etiam secundum Deitatem excepto, omnia, suprema, media & infima subiecta sunt. Sin verò hoc nomine infinitam illam vim omnia quæ libuerit creandi, efficiendi, imitãdi, Deitati essentialiter propriam, intelligant, vt hoc crassissimo delirio suam omnipræsentis essentialis carnis chimæram conficiant, hominem quidem hunc verè & essentialiter factum esse Deum, sed hypostatica vnione quæ neque naturas neque proprietates earum cõfundat affirmamus: quam humanitatem euasisse Deitatem siue essentia, siue vlla ipsi humanitati inexistente essentiali Deitatis proprietate, constanter negamus: atque adeò tam insanire illos dicimus qui duas Omnipotentias quàm qui duas Deitates statuunt, siue vtranque illarum essentiale quidpiam esse volunt, vt substantia substantiæ accidat, aut quasi accidat, vt Andreas falsissimè & ineptissimè scribit: siue vnam substantialem, alteram verò creatam qualitatem esse comminiscuntur. Humanitatis autem nomine abstracto, quum sola natura humana qualis in sese est intelligi debeat, tam falsum & tam impium esse dico Omnipotẽtiam, ita vt modo diximus intellectã, vllo modo ei attribuere, quàm si dicas Humanitatẽ esse Deitatẽ: sin verò Humanitatem pro homine ipso assumpto, & Deitati assumenti hypostaticè vnito accipiant, ferenda quidem non est illa ἀκυρολογία propter Eutychianos & Monophysitas, ac etiã Monothelitas: sed tamen, quòd ad sententiam ipsam attinet, (vt modò diximus) absit vt vnquam negemus hunc assumptum hominem esse vere & essentialiter omnipotentẽ, atque adeò quicquid Deus est, quum hic homo sit Deus: sed ea demum ratione qua Deus est, nẽpe nõ vt in sese, aut ex sese, sed quatenus est à Verbo personaliter assumptus.

Thesis VI.

Christum secundum humanam naturam, hoc est, ipsius Animam & Corpus, accepisse potentiam mediam, quæ maior sit quàm potentia Angelorum & reliquorum beatorum hominum, & minor quàm potentia Dei: cum Omnipotentia autem, quæ Diuinitatis propria est, nihil commune habere.

Responsio.

Potentiam carni Christi à Deitate, corporaliter in ea inhabitante, donatam, quam Apostolus per nomen quod est supra omne nomen intelligit, non tantùm κατὰ τὸ πλεῖον, sed κατὰ τὸ εἶδος differre ab illa infinita & essentiali Dei Omnipotentia ἀσυγκρίτως affirmamus. Itaque media statui non potest nec debet, quum illa sit supra & extra ipsarum creatarum substãtiarum omnem, vt ita loquar, κατηγορίαν, creata verò potentia ne inter substantias quidem, sed inter qualitates recenseatur. Cui verò nisi acutissimo isti tam Theologo quàm Dialectico vnquam in mentem venit vt qualitates inter substantias distribueret? Sed & illud, naturam humanam nihil habere cum omnipotẽtia Deitatis cõmune, quàm calumniosè in nos dicatur, per se satis perspici potest, quasi videlicet Nestorianis ipsis simus deteriores, id est, ne ipsam quidem Verbi ἰδιοποιίας agnoscamus, & humanam naturam alienum quiddam & separatũ à Verbi Deitate à qua est assumpta statuamus, qui tamen & σωματικῶς illi vni vnitam in Verbi persona Deitatem esse, & ipsis etiã Angelis inenarrabilem inde dignitatem ipsi conciliatam tuemur. Sed istis scilicet Nihil habere cũ Deitatis Omnipotentia commune, idem valẽt, atque realiter infusas in sese, sibique vnitas proprietates omnes Deitatis non habere, id est, Eutychen ab inferis non reuocare.

Thesis VII.

Christum secundum humanum spiritum etiam nunc in gloria sua collocatum TANTVM *scire, quantum ipsum* DECEAT ET NFCESSE SIT SCIRF, *& quantum illi* SVFFICIAT *ad iudicium celebrandum.* OMNIA *autem scire ita esse* SOLIVS DEI *proprium vt nulli creaturæ, adeóque* NEC SPIRITVI AVT ANIMAE CHRISTI *communicari possit.*

Responsio.

Rectè faceret omnino conuitiator iste noster si de sua augenda scientia & emendanda conscientia, potiùs quàm de Christi humanitatis supra Angelos etiam ipsos collocatæ, sciẽtiæ finibus dimetiendis disceptaret, quam absit vt prophanè & curiosè scrutemur, quum nobis potiùs illa regi & gubernari sit satis. Illud quidem dicimus naturam humanam Christi, etiam glorificatam, sicut quòd existit hoc habet à Deitate à qua fuit assumpta, ita ab eadẽ tum essentiales suas proprietates, tum accidentales qualitates, nec tamen extrinsecus, vt nos meræ creaturæ, sed à seipso ratione personę habere, quatenus videlicet vnus & idem est Deus qui homo. Quærere vero an omnia suæ nũc glorificatæ carni suggerat Verbum, an verò plurima duntaxat, quorsum laboraremus: modò in ipsius etiam carne redundare sciamus, quæcũque ad totius mundi ac suæ imprimis Ecclesiæ gubernationem potentissimam & sapientissimam opus est?

Thesis. VIII.

Quòd CHRISTVS TANTVM COGNITIONIS DEI *habeat,* QVANTVM *ei reueletur.*

Responsio.

Quum Christus sit Personæ nomen, quis istius criminatoris impudentiã non agnoscit? Quinam enim Filius, qui & ipse vnus est cum Patre Deus, Patrem, ac proinde seipsum perfectissimè ab æterno non nouerit? Sin verò assumtam naturam seorsim consideratam sophisticè sic intelligit Andreas: fatemur sanè doceri à nobis verè creuisse illum vt hominem & ætate, & sapientia, durante adhuc quam pro nobis susceperat naturali infirmitate: quod si negat iste, litiget cũ Luthero, cuius scripta vult iste haberi pro certa veritatis norma. Sed & in illa gloria diuina Christi

dicimus ſecundum carnem non niſi ex ſuæ Deitatis reuelatione noſſe quæcunque non aliter quàm ex reuelatione noſci res creatæ poſſunt: vt qui ſit, teſtibus etiam Patribus, & ſeipſo maior ſecundum Deitatem, & ſeipſo minor ſecundum humanitatem.

Theſis IX.

Quòd Chriſtus eodem modo quo alij homines ex Maria natus ſit. Nam etſi nec à Ioſepho, nec vllo alio viro conceperit, clauſtra tamen virginei corporis poſt partum nõ inuiolata permanſiſſe, ſed Chriſtum cruento partu editum eſſe.

Reſponſio.

Quæſtionem hanc non modò quia turpis & prophana eſt, ſed etiam quoniam ad noſtræ ſalutis myſteriũ minimè pertinet, ideóque nullo Dei verbo explicatur, totam D. Cancellario gynæceorum aſſeclæ relinquimus. Nam illud quidẽ ad ſalutem requiritur vt ſciamus & credamus, in Virgine intacta tum ex Spiritu ſancto conceptum, tum poſtea natum Seruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum. Sitne verò cæterorum hominum more, perrupto videlicet vtero, an ὑπερφυῶς ratione natus, (quod & teſtimonium à Luca prolatum aliquo modo videtur indicare, & ex vetuſtis Patribus non pauci, vt Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus ipſe denique, ſatis apertè affirmant) minimè laborandum nobis arbitramur. Semper enim virgo fuerit Maria quæ concubitus fuerit expers. Sed fuit nimirum hoc quoque miraculum cæteris adiiciendum, vt aliquid Omnimaieſtaticæ primùm, ac deinceps Vbiquiſticæ chimæræ ſubſterneretur. Verùm quo tandẽ pondere ſeu momento? Nam etiamſi iſtud concedamus, quod tamen neque Verbi auctoritate, neque fidei analogia, neque alicuius Patrum probabili coniectura nititur, ad Chriſtianam denique fidem nihil facit, quis tamen non dixerit in ipſa virgine potiùs quàm in infante quem pariebat, hoc editum miraculum, ſi virginitatis ipſius probandæ τεκμήριον eſſe debuit vterus nõ perruptus? & quis iſtius τεκμηρίου teſtis eſt potuiſſet, ſi probandum illud fuiſſet? Virginitas ergo Mariæ alio teſtimonio nititur quàm iſtis quæ quotidie quoque fallere obſtetricum oculos leges Ciuiles teſtantur. Satis illam certè ipſius integritas Prophetico ſpiritu inter pios teſtata, & reliquæ virtutes, & ipſius mariti integritas, & Propheticæ prędictiones in reliquis miniſterii Meſsiæ partibus palàm impletæ, ex intecta virgine natum eſſe prædicabant, vt iſtas mouere quæſtiones cuiquam Chriſtiano verè religioſo, imò honeſto viro ne in mentem quidem venire decuerit. Aio igitur, vt hoc daretur, in virgine ipſa potiùs editum miraculum quàm in infante, cui ſua moles viſibiliter conſtabat, & quem in præſepi faſciis vt cæteros inuolui, & tum à paſtoribus, tum à magis ſpectari & adorari verè & phyſicè prorſus oportuit. Imò ſi hypoſtaticæ vnionis momentum, vt iſti περιπόλλην volunt, fuit Vbiquitatis humanitatis aſſumptæ cauſa & initium: adeò vt, ſicut Brentium ſcribere nòn puduit, quo tempore fuit in præſepi, eſſet in cælo (id eſt, vbique) illa ipſa humanitas reipſa, quoniam niſi vbicunque eſt Diuinitas aſſumens, ibi fuiſſe humanitas ab vnionis, id eſt conceptionis puncto ſtatuatur, diuidatur perſona: nempe nec vnquam ſic exierit ex vtero vt non eſſet in vtero, nec vnquam in vtero fuerit quin extra vterum fuerit. Semper igitur à conceptione, & natus & non natus fuerit. Egreſſus denique ipſius ex vtero fuerit inane ſpectrũ vſque in præſepe, & aſcenſio vſque in nubes. Et hæc fœda monſtra diutius ferre potes Germania, vt in Africam tandem transformeris?

Theſis X.

Quòd Chriſtus non per clauſum ſepulchrum egreſſus, aut per clauſum oſtium ad ſuos diſcipulos corpore ſuo ingreſſus ſit aut ingredi potuerit.

Reſponſio.

Clauſo an reuoluto lapide reſurrexerit Dominus, ex hiſtoria Euangelica colligi non poteſt. Quòd ſi vera eſt Vbiquitatis doctrina, adhuc tam eſt Chriſti corpus in ſepulchro, quàm quum in eo reponeretur, imo ſimul pendebat in cruce, & iam erat in ſepulchro, quandoquidem vbique fuit, eſt, & erit reipſa caro eius aſſumenti Deitati vnita. Tantummodo igitur id quod per ὀνειρώδη illuſoriam in oculos incurrit, ſpeciem omnipræſentiæ variat. Itaque abſolutus iam eſto Marcion. Multo minus enim inſaniuiſti viuens quàm iſti abortiui, tibi mortuo poſt tot ſecula ſurrogati. De ingreſſu per ianuas clauſas quoties à noſtris dictum eſt? Sit tamen ingreſſus Chriſtus: certè palpabilis, nec abiecta corporis mole, quum ingrederetur, vt ex illa ipſa corporea palpabilique mole, & planè phyſica reſurrectionem ſuam ipſis externis ſenſibus, viſui, auditui, tactui diſcipulorum probaret. Cur igitur quantitatem, vel ad breuiſsimum momentum deponeret, id eſt corpus eſſe deſineret? Nam, inquit ille ipſe Auguſtinus de hoc ipſo corpore in cælos aſſumpto diſſerens, & huius miraculi accuratus explicator, Tolle ſpatium corporibus, & corpora non erunt, imò ne erunt quidem. Quis ergo non in ipſo Chriſti corpore, ſed in pariete, momento temporis, nulla vi humana interueniente, ſed Dei tum iuſſui patente, tũ ſeſe rurſum occludente miraculum editum non videt? Quid amplius? ſi vobis Vbiquitariis creditur, erat iam intus Domini corpus antequàm eò introiret, neque foris eſſe deſiit poſtquã eò introiit. Quódnam igitur tandem erit iſtud miraculum quod vos ipſi deſtruitis? Nunquámne verò vos iſtarum vaniſsimarum ineptiarum pudebit? nunquam oculos aperient quos tam inanibus præſtigiis faſcinaſtis?

Theſis

Thesis XI.

Quòd humana natura Christi nos redemerit cum qua in passione λόγος reuera nihil commune habuerit?

Responsio.

Imò verò quum adhuc nemo te natom esse sciret, Andrea, & quum Brentius simul suam Vbiquitatem cuderet & rem faceret, à magnis illis viris D. Philippo, Io. Caluino, & Petro Martyre oppugnatum fuit & expugnatum Stancari dogma quod nobis impudenter impingis, de quo sic habe in summa: Mediatorē fuisse Christū, ac proinde Redemptorē, tū personæ totius cōiunctim, tum naturarū sigillatim consideratarū respectu, ita vt neque Humanitas absque Deitate, neque Deitas absque humanitate sit mediatrix: sed ita vt sicut tum naturæ ipsæ, tum earum proprietates citra confusionem vllā constituunt Personam vnicā Mediatoris, sic in ipso pro nobis obeundo Mediatoris munere sua cuique naturæ ἐνέργεια, suum cuique ἐνέργημα incōfusum seruetur. Sit igitur sanè passus ὁ λόγος in carne, vt & conceptus, & natus, & mortuus, & sepultus, cui quum fuerit ipsa Deitas in persona Verbi vnita, quomodo nihil cum ea commune in istis habuerit? At si in sese vllo modo passam Deitatem dicis, age etiā conceptam, crucifixam, mortuā denique dicito, vt te ipsi Dæmones vna cū Eutychetis execrabilibus manibus detestentur.

Thesis XII.

Quòd doctrinam, quæ indubitata veritas est, bona & inuiolata conscientia nemo sua subscriptione approbare aut confirmare possit, quæ non priùs in Concilio aut Synodo tanquam orthodoxa approbata & confirmata sit.

Responsio.

Pergit idem mendacij spiritus. Nunquam hoc quisquam nostrûm censuit, nedum scripserit aut docuerit. Sed hoc affirmare non veremur, in negotio religionis magnam esse tum controuersiarum de quibus quæritur, tum personarum de quibus agitur, habendam rationem, vt zelus sit secundum scientiam, & infirmis conscientiis consulatur. Ad controuersias quod attinet, aliæ sunt prorsus nouæ, aut de quibus vel nondum quæsitum vel non apertè decisum fuerit, aliæ veteres aut ex veteribus interpolatæ: quædam caput ipsum religionis petunt, quædam non tā magni sunt momenti, vt religionem ipsam vel directè vel ex consequenti conuellant: quædam sunt inueteratæ, & nō paucorum animis altè iam insederunt, quædam recens à paucis agitatæ, neque dum latiùs sparsæ. Magnam igitur horum omnium discriminum habendam esse rationem dicimus, ne per imperitiam remedium malo ipso peius adhibeatur. Itaque quum etiam de maximi momenti rebus, quum de multis aberrantibus, quum de inueteratis erroribus euoluēdis agitur, quantumuis iam antè fuerint generalibus etiam Synodis, communi Ecclesiarum cōsensu approbatis, decisi, piis quidem Pastoribus sedulò prouidendum dicimus, docendo, monendo, vrgendo, tum vt deuios in viam reuocent, tum vt, quantum in se est, saluum reliquum gregem, accedente religiosorum quoque magistratuum vbi fieri potest autoritate, præstent: sed tum in primis esse legitimis conuentibus opus, in quibus non αὐθαιρετοὶ pauci, non ii ipsi qui rei sunt, non odiis in quemquam inflammati, non imperiti & meritò suspecti fratres, iudicandi ius sibi tyrānicè arrogent, sed spectatæ tum doctrinæ, tum pietatis, tum etiam moderationis viri collocutionē moderentur, in qua liberè quidem, sed sanctè simul placidéque omnes audiantur, controuersia omnis ex puro Dei verbo, minimè quoque neglectis veterum sanctorum Patrum, & Ecclesiæ purioris testimoniis, componatur: ita denique decisæ controuersiæ quorum decet autoritate sanciantur: iis meritò, qui, legitima præeunte cognitione, rectè constitutis non acquieuerint, ab Ecclesia excludendis, aut etiā, si quid seditiosè fecerint, à magistratu duriùs habēdis. Sic enim Apostoli quondam factitarūt: sic aduersus Arrianos, Nestorianos, Eutychianos, Monophysitas, Monothelitas actum est: quæ Synodi etsi blasphemias illas non statim, at paulatim tamen, oppresserunt, & hoc ipso tempore nobis aduersus illas repullulantes arma suppeditant. Quid amplius? Annon vos ipsi tot iam annis & viuo & mortuo Luthero, inter vos & Romanum Pōtificem sic agi postulastis? Qui fit, igitur, quæso, vt in eo ipso, quod nisi vobis aduersum communem aduersariū tribuatur, iniquissimè vobis negari meritò clamatis, tantopere vos inexorabiles nobis præbetis? Num quòd deteriores quibusuis hæreticis sumus? Deus meliora. Nemo certè nos adhuc hæreseos vllius accusatos, præter vnum illum communem aduersarium eodem atque nos loco vos habentem, ad dicendam causam euocauit, nedum vt auditos damnarit. Imò in qua tandem orbis Christiani synodo (exceptis illis de Transsubstantiationis idolo verè Satanicis veteribus ac recentioribus conuentibus) de coniunctione sacramentali disceptatum fuit? Quod si veterum Synodorum communi consensu receptarum autoritas tantum valet, vt iisdem de rebus postea ambigentes, quantumuis multos, sit nefas audire, quo iure vos Brentianos Nestorium in naturarum separatione: Eutychen in reali proprietatum essentialium in carnem assumptam effusione: Monothelitas denique in vnica ἐνεργείᾳ, toties iam pridem omnium orthodoxarum Ecclesiarum iudiciis auditos, conuictos, damnatos, ab inferis reuocantes, tolerari fas fuerit? quāto minus verò vos eosdem pauculos, quos causam dicere, non iudices sedere oportuit, æquum fuerit aliquot piorum alioqui & religiosorum credulitate abutentes, toti Germaniæ fidei vestræ normā præscribentes, & pessimis artibus emēdicatis vndique, imò etiam interdum extortis subscriptionibus

bus fretos,tot gentes,tot Ecclesias,tot spectatissimæ pietatis ac doctrinæ vitæque inculpatæ Pastores, vestris anathematismis ferientes ferri? Hæ sunt igitur causæ, quæ nos non ad id sentiendum,quod nobis iste criminator falsissimè impingit, sed ad pii quoque Magistratus implorandam fidem quum ita opus fuit,impulerũt,Africanorum nominatim aduersus Donatistas & Circumcelliones exemplum imitatos.

Thesis XIII.

Quòd subditi sese ordinario Magistratui opponere & contra eundem bella bona conscientia gerere possint,donec illis liberum exercitium religionis suæ concedat,& firmam pacem iureiurando confirmet.

Responsio.

Nempe deerat istud ad extremam impudentiam.Imò vt norit iste quis noster sit animus: hoc dicimus & asserimus,non tantùm in religionis causa,sed ne in aliis quidem vllis negotiis homini priuato licere gladium aduersus Magistratum sibi diuinitus impositum , quantumuis etiã tyrannicè agentem,vsurpare.Ita, inquam, sensimus, & sentimus, & Deo fauente, sentire nos tum verbis tum reipsa,semper testabimur. Obscurum verò non est quorsum hæc tendat criminatio. Gallica nimirum & Belgica ciuilia bella sic iste designat, de quibus quum Illustrissimorũ Germaniæ Principum non pauci tũ potentissimi tum religiosissimi(quos egregius scilicet iste Christi in calente hypocausto martyr seditiosos & Diaboli martyres clamitat)sic iudicarint vt & pecunia & milite adiuuerint , atque adeò ne suæ quidem ipsorum in iis adiuuandis vitæ pepercerint,quid attinet istam calumniandi rabiem pluribus refutare? Illud quidem certè mirum videri posset isti criminatori excidere potuisse,parum memori quorum nunc Principum hæredibus, donec mensuram suam impleat,abutatur.

Thesis XIIII.

Quòd in hereticos gladio & igne sæuire licitum sit.

Responsio.

Deus hanc linguam maledicam compescat. Excitarunt hanc quęstionem Seruetani primùm, deinde Tritheitæ,Sebastiano Castalione & Lælio Socino,nominibus dissimulatis, hanc causam agentibus.Ecce verò nunc illam isti renouant,arrepta nimirum inde occasione , quòd ex perditissimis duobus qui & à Christo ad Mahumeten defecerunt , & scriptis libris alios ad idem scelus pellicere tentarunt,vnum dolui malè fuisse custoditum,alterum capitalem pœnam , qua postea fuit Heidelbergæ affectus, mereri scripsi. Quis verò id in me ausit reprehendere quin alterũ Eusebium Nicomediensem,& Dioscorum Alexandrinum,aut vtroque etiam istum deteriorem imitetur? Ad rem autẽ ipsam quod attinet,piis & verè Christianis Magistratibus docemus præcipuè dandam operam vt purus ac sincerus Dei cultus vigeat , eiúsque perturbatores , prout res postulat,auctoritate sua legitimè iudicatos,capitali quoque pœna,si necessitas & sceleris magnitudo postulent , coerceant , potiùs quàm Ecclesia detrimentum accipiat. Errorem autem ab hæresi , discipulos à magistris , ignorantes à sceleratis , dociles à pertinacibus & indomitis , seditionem denique itidémque blasphemiæ crimen ab hæresi simplici discernimus. Immo in quosuis, etiam puniendos , pœnam capitalem decernendam , cui tandem nostrûm vnquam venit in mentem , vt censeret ? Hoccine verò est aut tyrannicæ carnificinæ fauere , aut vim conscientiis afferre.

Thesis XV.

Quòd corpus Christi à pane Cœna Domini tantum absit, quàm procul summum cælum ab infima terra distet.

Responsio.

Agnosco quam tu potiùs blasphemus blasphemiam vocas, sed addo quod tu astutè præteriisti, nempe de ipsa corporis essentia (quæ , vt ait Augustinus, vt à cælis aberat quum in terris esset,nunc contrà quum sit in cælis, vsque adeo abest à terris , vt inde ventura speretur) & de nostris vicissim corporibus , quæ nunc in terris quum sint , à cælis absunt , hanc absentiam esse intelligendam: quæ minimè tamen prohibeat quominus verum illud corpus quibusuis tam verè & certò præbeatur spirituali modo & organo , nempe ore fidei percipiendum, quàm verè symbola traduntur corporali modo & organo , id est , ore corporis accipienda , ac proinde quin menti ac fidei sit præsentissimum , quod à corporibus nostris tanto dissitum est interuallo. Hæc , inquam , agnosco , & aliter sentientes , siue Transsubstantiatores siue Consubstantiatores, dico antecedens ponere , ex quo veram non esse Christi carnem , verbo Dei, summóque veterum omnium orthodoxorum Patrum consensu repugnante , necessariò consequatur. Veritatem autem Sacramenti in eo minimè positam dico , vt eo loco adsit res significata in quo adest Sacramentum , sed vt tam verè præbeatur fide percipiendum quod promittitur, quàm certò sacramentum corpori recipiendum traditur. Hoccine verò est blasphemare, vel Sacramenta euacuare, ac non potius suam & carni Christi & Sacramentis veritatem asserere?

Thesis

Thesis XVI.

Deum sua omnipotentia præstare non posse, vt Corpus Christi simul & semel in cælo & in terra præsens sit aut esse possit.

Responsio.

Hæ sunt præstigiæ quibus bonus iste vir cum suis gregalibus eos, quorum credulitate abutuntur, in nos prouocare non desinunt, quasi Omnipotentiam Deo detrahamus, qui tamē contra istos Vbiquitarios illam vni Deitati tam propriam esse vociferamur, vt etiam prorsus reipsa ἀκοινώνητον esse defendamus. Quid ergo? Non hoc quæritur, sycophanta, sítne Deus omnipotens, quem vnicum esse omnipotentē, ne carne quidē Christi excepta, contra te tuemur: sed hoc quæritur, possítne Deus simul velle contradictoria, id est, mendax esse & mutabilis, quod certè posse non est omnipotentem sed impotentem esse. Túne verò contradicentia esse negabis quę in vna & eadem Christi carne simul cōstituis? contradicentia, inquam, vt veritatis quantumuis glorificati corporis Christi legibus immotis, ita etiam immotæ Dei omnipotentis ordinationi de vero & organico in æternum mansuro Christi corpore, in ipsius verbo nobis patefactæ. Hoc verò qui ex Dei verbo, & irrefragabili totius orthodoxæ Ecclesię consensu tot Synodis confirmatæ tuentur, non certè omnipotentiam Dei inficiantur, sed ipsius diuini decreti inuariatam firmitatem defendunt. Qui verò carnis perpessiones volunt etiam reipsa fuisse Deitati communes, quînam possunt Deum omnipotentem statuere?

Thesis XVII.

Christo impossibile esse TANTVM VELLE *vt Corpus ipsius Ore manducemus, & sanguinem eius Ore bibamus.*

Responsio.

Hîc quid sibi velit iste criminator, diuinare nesciui. Hoc quidē dicere non dubito post Augustinum, Dei naturæ, qui tam seuerè fundi sanguinem hominis prohibuit, non posse conuenire vt scelus quod ipsa cæde longè est immanius, vnquā κατὰ τὸ ῥητὸν præceperit, & Ecclesias Christianas in Cyclopum antra transformarit.

Thesis. XVIII.

De essentia Diuinitatis stultè imaginantur, quòd Deus sua essentia sit in cœlis illis summis tantùm ad quos Christum ascendisse fingunt: sua autem potentia tantùm & virtute præsentem esse in creaturis omnibus, quasi in Deo aliud sit essentia, aliud potentia Dei.

Responsio.

Deitatis scilicet essentiam aliquibus finibus circunscripserint, & vllo cælorum ambitu concluserint, qui vbique esse, vnius Deitatis proprietatem essentialem & prorsus ἀκοινώνητον esse aduersus istos Vbiquitatis tam prodigos effusores tuentur. Iidem scilicet non didicerint vnum & idem esse reipsa Essentiam & potentiam Dei, qui præsentiam essentialem & eius effecta distinguūt, quorum ratione in solis sanctis habitare Deus dicitur. Deinde qua conscientia potuit iste, quod dicimus de Christi carne, (nempe reipsa, siue suipsius substantia illam minimè nobis adesse, & tamen illius per fidem cōmunicatione spirituali & incomprehensibili fieri, vt ex ea æternæ vitæ in ipsa inhabitantis succum bauriamus) ad Deitatem transferre, quasi ipsius essentiam à virtute sua separemus.

Thesis XIX.

Quidam ex eorum numero non verentur affirmare: Christum non iuxta humanitatem, sed secundum Diuinitatem vltimum Iudicium celebraturum.

Responsio.

Proferatur testimonium. Hoc enim nullus orthodoxus ex nostrorum scriptis sic affirmarit. Scimus enim, Dei gratia, datum esse omne iudicium Filio, etiam quatenus homo est.

Thesis XX.

Cœnam Domini non esse rem tantam, aut adeò Christianis necessariam, quin ea carere possimus.

Responsio.

Hoc quoque ab isto criminatore impudenter confictum credemus donec idoneos testes produxerit, quamuis ne Baptismo quidem, nedum Cœnę Domini, simpliciter & sine exceptione salutem alligemus. Quòd si quis etiam tale quicquam scripserit, nostrum non est singulorum errata præstare.

Thesis XXI.

Diuus Lutherus de ipsis ante annos 52. scripsit, quòd non modò nullum articulum Symboli Apostolici de Christo, sed etiam de Deo & ipsa Diuinitatis Essentia prorsus nihil isti credant, idque se certò scire, & in corde suo persuasissimum habere.

Responsio.

Si viueret Lutherus, Deus bone, quibus ille vos fœdos gnathones, imò manifestos idololatras, verborum fulminibus feriret, qui Lutherani etiam dici & cogoominari, intolerabili cum Christianorum omnium dedecore, vultis? Nam, ne nescias, Andrea, idem est Diuus quòd Deus, augustius etiam nomen quàm olim Baalis nomen Hebræis fuerit: quod mirum ni mox

Principibus etiam illis tribuatis, quorum nominibus prorsus, ni cauerint, indelebilem maculam inusseritis. Ad rem autem ipsam quod attinet, hoc vnũ respondeo, Mutato nomine de vobis Fabula narratur: si fabula dicenda est res tã seria, vt à Græcis μῦθος dicitur: nec aptiùs prorsus in vos dici quicquam, ab hoc vestro, quum sic velitis, Propheta potuit: siquidem si vobis fides habenda est, delenda sunt necessariò, vel intolerabili & adhuc inaudito sensu explicanda quatuor ista Christiani symboli capita, Conceptus est ex Spiritu sancto, Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris, & inde venturus est iudicandis viuis & mortuis. Negas? At res ipsa te tuósque conuincit. Non credis? Nullus verò id non credere Brentii discipulos miretur, qui Christi & Petri Deitatem communi vtrique mensura metiantur.

DE VERIS ET VISIBILIBVS ECCLESIAE CATHOLICAE NOTIS, TRACTATIO.

THEODORO BEZA VEZELIO AVCTORE.



QVAERITVR hodie de Ecclesiæ notis & auctoritate, quæstione ab iis exorta, qui quum errores suos ex Dei verbo refelli vident, Ecclesiæ nomen sacrosanctum imperitis rerum istarum obtendunt, &, accumulatis veterum aduersus hæreticos certaminibus, nos in inuidiam vocant, quasi tum verbi diuini tabulas corruperimus, tum omni Ecclesiæ auctoritate violata, Donatistarũ exemplo, altare contra altare erexerimus: quasi denique, quia iugum Babylonis excussimus, Ecclesiam deseruerimus: extra quam tamen (nobis ipsis confitentibus) nulla sit salus. Neque verò hæc sophistice imperitos duntaxat à cognitione veritatis arcet, verùm etiam facit, vt quidam ex iis quoque vacillent qui firmissimi videbantur. Quinetiam hac occasione non pauci media quædam concilia ineunt, & sicut in dogmatibus lucem cum tenebris, sic etiam in vera Ecclesia dignoscenda adulterinas notas cum veris ac genuinis permiscere student. Atqui nisi vltro falli vellẽt homines, facillimè posset istorum dolus agnosci & deuitari. Prius enim quænam sit Ecclesia quæri oportuit, quàm de ipsius auctoritatis finibus definiendum: quem ordinem qui non sequuntur, admittunt certè crassum illum & flagris dignum errorem, quem Petitionem principii appellant. Age igitur, quid istis sit Catholica Ecclesia dispiciamus.

Ecclesia prius cognoscenda quàm de ipsius auctoritate quærendum.

Contendunt isti certè, quicquid dissimulent, Ecclesiam in qua nobis sit perstandum si salui esse volumus, esse Episcoporum cœtum, quorum nomenclatura ab Apostolis ipsis repetatur. Nos successionem istam merè personalem dicimus neque esse Ecclesiam, neque quicquam ad istos pertinere.

Catholicam Ecclesiam nõ rectè dici omnem cœtũ in quo sit Episcoporũ successio.

Ecclesiam non esse primùm ex eo vel ipsis pueris liquere potest, quòd Ecclesiæ propriè accepto nomine certum sit non tantùm pastores, sed etiam greges comprehendi: sit autem planè ridiculum velle Partem vt Totum ipsum definire, quoniam alioqui totum & pars vnum & idem essent.

Episcoporũ ordo non est Ecclesia.

Excipiunt sese cum pastoribus ipsos etiam greges illis adhærentes intelligere. Atqui hoc quoque ridiculum est, quum & hæretici ac apostatæ pastores orthodoxis pastoribus, & hæretici greges veris ouibus possint succedere: & interdum hæretici quidem sint pastores, oues autem veræ, & contrà veri pastores hæreticas oues nanciscantur. Illud quum euenit, totam eiusmodi Ecclesiam, (etiam si maiores verè Apostolicos habuerit, & consentiant inter se in defectione tum pastores tum greges) tamen penitus falsam esse ne ipsi quidem aduersarii negare audeant, quin hæreticum & catholicum esse pro eodem accipiant. In posteriore autem casu falsitas saltem altera in parte deprehenditur, quamuis vtrinque personalis illa successio comperiatur. Ergo neque ipsa per se successio personarum, neque consensus istiusmodi, veram Ecclesiam necessariò arguit, quum & vbi vtrumque inuenitur, Ecclesia tamen interdum sit falsa: & ibi vera esse aliquatenus possit Ecclesia, vbi vel pastor ab ouili, vel ouile à pastore dissentit. Exemplis autem & præteritis & præsentibus probari ista nimiùm sæpe euenisse nemo, vt arbitror, inficiabitur.

Consensus Episcopi. & gregis non semper est veræ Ecclesiæ nota.

Sed rursum aiunt se non agere de particularibus Ecclesiis, quas posse deficere concedunt, sed de illa catholica siue vniuersali, quæ sit fulcrum & fundamentum veritatis. Etenim Catholicum istud quomodo tandem definiunt? In primis, certo loco, vt qui Catholicam & Romanam idem

Catholicum & Romanum idem non sunt.

idem esse velint: deinde multitudine, vt qui nobis paucitatem exprobrent. Qualia sint igitur ista videamus. Sunt autem, nisi fallor, huiusmodi (si iustis argumentandi legibus cõstringantur.) Romana Ecclesia sic docet, plurimi præ paucissimis sic credunt, & sic nobis per manus traditũ est. Ergo ista est Catholica veritas. Quis autẽ est vsque adeò rationis omnis expers, vt rursũ hîc peti principiũ, & τὸ κρινόμενον pro confesso assumi nõ videat? Demõstrate igitur, Sophistę, aut saltẽ probabiliter docete, primùm quînã pars sit totũ (vt vestrã Ecclesiã Romanã vobis concedamus Catholicę Ecclesiæ vel præcipuũ esse mẽbrum) deinde vnde tandem istã Romanã Ecclesiã didiceritis pro perpetua veritatis norma cõstitutã, & vnde verũ id esse, quod maiori numero probatur, hauseritis. Illud certè neq; ex veteris, neq; ex noui fœderis tabulis vnquã euincetis. Putida enim illa, Super hãc petrã ędificaui Ecclesiã meã: Rogaui pro te Petre ne deficiat fides tua: & illud, Pasce oues meas, ter repetitũ, apud homines nõ penitus istarũ rerũ imperitos, ne refutatione quidẽ amplius indigent. At ex veterũ fortasse scriptis istud probabitis. Quasi verò idẽ sit fidẽ Romanæ Ecclesiæ (quandiu laude digna fuit) prædicare, atque illam pro Catholica, aut Catholicę perpetua norma statuere. Et quũ Ecclesię Romanę nomine (si dicere volũt adulatores isti quod sentiunt) nihil aliud quàm Episcopũ ipsum Romanũ intelligant, quæ hæc obsecro, insania est decisionẽ tantæ cõtrouersiæ ab ea sede velle dependêre, in qua testibus ipsis eorũ scriptoribus, tot iã seculis, non tã hominũ monstra, quàm ipse Satan sedisse videatur? Excipiũt isti vitiis personarũ non tolli dignitatẽ ipsam & auctoritatẽ sedis, quemadmodũ verus fuit Leuiticus pontificatus, tum quoq; quũ à sceleratis & impiis pontificibus occupabatur. Neque nos verò sentimus ministrorum vitiis aboleri posse ministerii vel dignitatẽ vel etiã efficacitatẽ: (quod isti tamen sentiũt quũ libet, vt qui suã illam Transsubstantiationẽ à suorum sacrificulorum intentione, fune certè valde putri, suspendant) sed hoc dicimus, posito istorũ principio, Episcopum Romanũ esse caput illud quod Ecclesiæ Catholicæ quasi vicem animę sufficiat, consequi prorsus oportere, vt istud caput sapiat, si volunt omnia eius mẽbra, id est, particulares Ecclesias sapere: & vicissim, si illud insaniat, totã Ecclesiã insanire. Insanisse verò à multis iã seculis Romanos pontifices non modò vt priuatos homines, sed etiã in primis vt Episcopos: id est, nõ modò sceleratissimos omniũ hominũ penè singulos fuisse (quod isti nõ possunt inficiari, nisi malint suis ipsorũ testimoniis conuinci) sed etiam quod ad dogmata nostræ religionis attinet, partim omnẽ religionẽ verã neglexisse, partim etiã oppugnasse, atq; adeò, (quod ab vno & altero seculo Petrarcha scripsit, cui' versus cãtillãt) Romam à mille minimùm annis, templũ hæreseos extitisse, & omne prorsus Christi officiũ quantũ in se fuit subuertisse, adeóque sese supra ipsum Christũ erexisse (sicuti, interpretibus probatissimis quibusque Græcis ac Latinis aliarũ Ecclesiarũ episcopis, Apostoli omni exceptione maiores, Ioannes & Paulus prædixerũt) nisi satis adhuc probauimus, probare rursum coram omnibus æquis iudicibus parati sumus. Diiudicetur ergo prius ista controuersia, Sophistæ, quàm isto cõmẽtitio quasi cõcesso vobis fundamẽto vtamini. Sed age, demus tales fuisse Romanos Episcopos, quorũ successio tã numerosa ab istis profertur: quis tamẽ, nisi prorsus amens, idcircò cõcluserit Episcopũ Romanũ esse vniuersale caput, cui quisquis adhæreat verum Ecclesiæ Catholicæ mẽbrũ sit cẽsendũ? Et tamen hæ sunt bellorũ istorũ hominũ captiũculæ, qui Catholicũ & Romanũ vnũ & idẽ esse volunt: quia nimirũ scripsit Paulus fidẽ Romanorũ fuisse suis tẽporibus toto orbe celebratam. At nos quãto nũc rectius dixerimus illius meretricis fœtorẽ non modò terram repleuisse, sed etiam in cælum vsque ascendisse, & illam Apostoli excellentem *ad veteres Romanos* scriptam epistolam, verè nunc *aduersus Romanos* illorum successores inscribi oportere?

Veniamus iam ad eos, qui suam illam catholicam Ecclesiam æstimant ex asseclarum numero, ac splẽdore. Certè si verum isti dicũt, meritò fuerit Christus cũ suo grege declaratus ἀπατεὼν, & turba illa fuerit Ecclesia Catholica, quæ toties vociferata est, Tolle, tolle, crucifige eum. Mendax quoque fuerit Apostolus Corinthiis scribens, Videtis, fratres, vocationem vestram: nos non multos esse sapientes secundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles. Denique tũ isti digni fuerint de quibus refutandis laboremus, quum plures esse sapientes quàm stultos, aut ratione aut exemplis euicerint. Iam igitur satis liquere arbitror ex illa nuda, quam isti iactãt, successione non posse veram illam Ecclesiã Catholicam, in qua sit permanendum, discerni à falsa, à qua sit necessariò discedendum. *Catholicam Ecclesiam ex multitudine censendam non esse.*

Sed tamẽ antequã hũc locũ concludamus, refellendum nobis est argumentũ quod isti Sophistæ palmarium videri volũt. Nã, inquiunt, Patres sic agunt aduersus veteres hæreticos ex Episcoporũ successione. Sed rursum quidnã esse potest istã captiũcula putidius? Hæc enim illa est pueris etiã cognita quã solẽt Compositionis & Diuisionis elenchũ vocare. Primùm igitur nego vlli veterũ in mentẽ venisse, vt episcoporũ recensione vteretur, quin ad Apostolos vsque recurreret. Cũrnã id verò, nisi vt doctrinæ potius quã personarũ auctoritas adstrueretur? At isti suorum verè Apostoporũ successionẽ nobis opponũt, doctrinę ipsius Apostolicæ mentione vsque adeò prætermissa, vt de ea quærere nefariũ esse velint, aduersus eum qui sese veteribus Episcopis successisse probet. Obsecro verò quot blasphemiarũ auctores in præcipuis illis sedibus Antiochena, Alexãdrina, Constãtinopolitana, sederũt? Imò quã mihi sedẽ isti paulò nobiliorẽ dederint, vbi sedẽ hæretici aliqui Episcopi nõ tenuerint? Et quod ad Romanã cathedrã attinet, à qua isti, putrido sanè fune, Ecclesiã Catholicã suspendunt, in ea sedisse Honorius monothelita, publicè ab vniuersali Sexta Synodo, & priuatim ab altero Romano pontifice Agathone dãnatus & Ioannes vicesimus secundus de animabus malè sentiens, ab ipsa Sorbona itidẽ dãnatus, compe- *Quomodo vsi sint successionis personalis argumento veteres.*

ritur: vt Liberium, Vigiliū, & Anastasiū prætercam, quos video à nonnullis excusari, quāuis istū postremū quoque vt Acatianum Gratianus inter damnatos retulerit 2. dist. 19. Quod siquis obiiciat istos ex numero Episcoporum expunctos, ac proinde in illa successionis nomenclatura nō comprehendi: hoc tamen cogetur nobis concedere, nempe tum saltem interruptam successionem Romanæ sedis fuisse, quum isti propterea sint expuncti, (quos tamen ipsi adhuc in suo catalogo recēsent) quòd ab Apostolica doctrina desciuissent: ex quo cōsequitur quod rectè ait Tertullianus, nō ex personis fidē, sed ex fide personas probari oportere. Sed hîc profectò fateor me ineptire. Quum enim de doctrina quæritur, quid hoc ad Ecclesiæ Romanæ Episcopos attinet, quos tot iam seculis de nulla re minùs, quàm de doctrina vlla seu vera seu falsa, sed de sua duntaxat tyrannide stabilienda & propaganda fuisse sollicitos, vniuersus Christianus orbis nouit? At istos, inquient, nemo damnauit. Fateor. Quis enim hoc sibi ius arrogasset aduersus illorū Tyrānidē, qui se à nemine esse iudicādos omnibus persuaserant? Itaq; nō interruptio, sed plena iampridē multisque iā seculis cōtinuata est Romanæ successionis à Catholicæ veræ Ecclesiæ corpore abruptio. nisi fortasse censent isti minus aliquid esse nihil neque credere neque docere, quàm hæreticum esse.

Verā doctrinam oportet præire veræ successioni.

Et, quæso, quæ hæc impudentia est, veritatis dignotionē à successione velle pendêre, quum è cōtrario veritatē successioni præire necessariò oportere ne isti quidē inficiari possint?

Ecclesia Christiana temporibus Christi nō potuit ex successione personarum dignosci.

Et isti Sophistæ si tēporibus Christi extitissent, ex qua tandē Episcopali successione verā Ecclesiā agnouissent? nequaquā certè ex Leuiticorū Pontificū nomenclatura, quoniā sacerdotium istud tū finiebatur, neque successor Aaronis dici potest Christus, quin Iudaismus rursum stabiliatur: quamobrem etiam non secundum ordinem Leui, sed instar Melchisedeci factus pontifex dicitur. Itaque tūc absque personalis successionis nota Ecclesiam Catholicā agnouerunt sancti: nimirum ex doctrinæ propheticæ cū Christi ipsius & Apostolorū doctrina cōparatione: quod vsque adeo verum est, vt cōtrà nulli minus agnouerint Christum, quàm qui successioni Pontificiæ adhæserunt. Non est igitur vera vel perpetua Catholicæ Ecclesiæ nota illa personalis successio. Obiiciēt isti fortasis rursum, à Leuitica successione depulsi, alteram successionem prophericam. Verùm ne sic quidem verum dixerint, si in personis ipsis hæreant. Neque enim perpetua fuit prophetarum successio, sicuti sacerdotum: imò diu post Malachiam præsertim, fuit abrupta. Opponent etiam nimirum illud, Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi. Sed meminisse vicissim oportuit eundem Christum dixisse, Cauete à fermento Pharisæorū: ac proinde illo Christi dicto nos non ad personarum, sed ad doctrinæ successionem reuocari.

Argumento successionis personalis nō vsi sunt veteres aduersus quoslibet hæreticos.

Sed aliud habeo præterea magis (vt ipsi loquuntur) peremptorium quod respondeam. aduersus illud in quo isti sese patrum in dignoscenda Ecclesia auctoritatem sequi falsò gloriantur, ex quo magis, ac magis ipsorum dolus patefiat. Nego igitur veteres patres vllos vnquam istius successionis meminisse, nisi vel aduersus Schismaticos, stante adhuc legitima successione sicuti actū est aduersus Donatistas: vel contra eos, qui nouas nostræ religionis tabulas proferebant, quales fuerunt initio penè innumeri, vt Simon, Valentinus, Basilides, Montanus, tota denique illa impudentissimorum hominum cohors. Sic igitur orthodoxi aduersus istos Enthusiastas colligebant. Si vestra doctrina vera est, aut nunquam adhuc fuit Ecclesia, aut vetus est doctrina quam profertis. Vtrumque autem istud falsum esse constat ex eo quòd & Apostoli Ecclesiam Christi collegerunt, & vos vestra non vt ex Apostolicis scriptis desumpta, sed vt recenter vobis à Spiritu Sācto patefacta docetis. Et rursus (aiebant patres) hoc vtrumque liquet ex eo quòd & nostrarum Ecclesiarum primordia sursum ad ipsos vsque Apostolos ascendēdo, enumeramus: vos autem accipere ab Apostolis vestra non potuistis, quæ primi excogitastis. Hîc supererat vnū, quod illorum fanaticorum versutissimi excipiebāt: nēpe nō omnia fuisse Apostolis patefacta, ac proinde suis quoque reuelationibus credendum. Sed Tertullianus, (quem mirum est postea decipi à Montani paracleto potuisse) copiosissimè & neruosissimè istam præscriptionem refutat, ostēdens neque quicquam celasse Dominum Apostolos Ecclesiæ suæ architectos, nec vicissim Apostolos quicquam eorum reticuisse, quæ à Christo accepissent. Sic, inquā, patres successionis personarum argumento aduersus illos vsi sunt planè ἀποδεικτικῶς: aduersus Samosatenianos verò, Sabellianos, Arianos, Pelagianos, vllos denique cum quibus nō de tabulis ipsis sed περὶ διανοίας quærebatur, non item: quoniā hoc ineptissimū fuisset. In summa igitur duo ista respondeo: Veteres, quorum auctoritate isti impudenter abutuntur, neque à doctrinæ Apostolicæ successione vnquam separasse Episcoporum ipsorum successionem: neque aduersus alios hæreticos, hanc opposuisse successionē, quàm aduersus eos à quibus noua quæpiam reuelatio, sicut hodie ab Anabaptistis, Libertinis, Schuencfeldianis, prætexebatur: ac proinde quum nunc inter Romanistas & nos duabus tantùm de rebus controuertatur, nempe de Scripturæ interpretatione, & an scripta Prophetica & Apostolica plenissimè complectantur quicquid nobis credendum est: efficitur illos in priore quidem capite impudenter abuti patrū exemplo in successionis argumēto aduersum nos proferendo: in altero autem nobis certum etiam ad eos refutandos telum subministrari. Quòd autem successio etiam ista aduersus Donatistas prolata fuit tanquam schismaticos, nihil hoc ad nos pertinet, quos isti non pro schismaticis propriè, sed pro hæreticis habent: qua de rē tamen suo quoque loco nonnihil dicemus.

Argumento à successione Apostolica personali, nō modo nō fulciri Romanā pseudecclesiam, sed etiā euerti etiam si de doctrina non quæratur.

Sed age, gratificemur istis aliquantulū, & (quod nullo veritatis præiudicio fiat) istis suæ illius personalis successionis quantācunq; vim cōcedamus: quid hoc obsecro, causā ipsorū adiuuerit?

Nullum Apostolicum vn-

Etenim, (vt ab ipsorum Hierarchiæ, quam vocant, summo gradu, id est ab illo vniuersali ministeriali

nisteriali capite, inchoemus, cui nomen Papæ omnibus Episcopis antea commune, propriū postea fecerunt:) Satanam tam facilè in regno Dei quàm eiusmodi vllum caput, vel in noui fœderis tabulis, vel in antiqua Ecclesia inuenerint. Notum enim est ipsis quoq; pueris, quàm falsa, inepta, absurda sint quæcunque ex scripturis ad id probādum afferunt: &, quod ad illius veteris purioris Ecclesiæ historiam attinet (id est hac quidem in re vsq; ad Phocæ illius parricidæ tēpora) τὰ πρωτεῖα, quæ Romano Episcopo tribuebātur, nullos comperient (licet Romani quidem Episcopi nihil magis ambirēt, neq; deessent qui ipsis impudētissimè iā tum adularētur) ita fuisse interpretatos, vt propterea gradum istum vniuersalis capitis ad illum transferrent. Itaq; nō Christum, non Petrū, sed Illū omnium hominum teterrimum, Phocam inquam, Imperatorem, istius vniuersitatis auctorem: Bonifacium verò tertium habent istius tyrānidis, aut, vt ipsius Gregorii Magni verbis vtar, Antichristianismi caput, adeò vt Mahumetismum Papismus Romanus annis duntaxat sedecim ad summū antegrediatur. Quibus autē artibus istā tyrannidem monstrū istud inuaserit, quis tandē hodie ignorare potest, nisi historiarum imperitus, aut cuius oculos Satā excæcarit? Imò quum beatissimus iste Pater sese nō vnius Petri, sed Pauli quoque successorē iactet, quorum etiam capita non tam à Neronis carnificibus, quàm ab ipsomet Papa trūcata, plumbeis illis sigillis suis insculpat: aut duo capita in vnum cōflata postea fuisse necesse est, cuius deinceps potestas ad istum vtriusque successorem scilicet transierit: aut neque Petrum neque Paulū fuisse vniuersale istud vnicum ministeriale caput: nisi malit profiteri Catholicam Ecclesiā in initio bicipitem in terris extitisse. Quid verò? vt de tot Antipapis nihil hic commemorem, quum Liberius & Damasus vno eodemq; tēpore illam Romanam sedem communi omnium consensu obtinerent, vbi tunc vnicum illud vniuersale caput extabat? Et hæc quidem de spiritualis illius gladii per manus traditione dicta sint. Ad alterum autem illum gladium quod attinet, quem secularem vocant, quo Magistratus omnes iugularunt, vnde tandem istius Iurisdictionis initiū ducūt? Nam, vt fabulam illam donationis Constantini tam veram esse credamus quàm est impudenter conficta, nō erit certè Apostolica, sed Imperatoria: neque à Christo aut Petro, sed ab hominibus cōcessa: quod tamē neque Constantino facere, neq; Episcopo Romano, etiā si vltrò oblatū esset, recipere licuit. Itaq; si vtrasq; istas pennas suo iure repetierint, illas quidē Ecclesia, istas verò Reges ac Principes, (quod vtrūq; suo tēpore eueniet) nō iā caput Ecclesiæ, sed deplumis cuculus iste apparebit. Et hæc quidē paucis de isto capite, quoniā sunt iāpridē à nostris copiosissimè & ex Dei verbo & ex priorū tēporū certissimis historiis, ipsorū denique Pōtificū testimoniis demonstrata.

quam fuisse ministeriale vniuersale caput, ac proinde illius successionē non esse Apostolicam.

Detruncato autem istius successionis capite, quodnam fuerit reliquum corpus præter putre ac fœtidum cadauer? Certè proximum illi capiti gradum, nempe, Cardinalatum, qualis nunc est, repeti à vetustiore ætate non posse, coguntur ipsimet confiteri. Sequuntur Primates, & Archiepiscopi. Nam Patriarchatus vix nomen ipsum superest, & litem inter Quartumviros illos primùm, ac deinceps inter Quintumviros exortā, Mahumetes tandē diremit. Horū igitur originē, siue Nicena quidē Synodus ad diuinū verbū aut Apostolicā ordinationē, siue ἔγγραφον siue ἄγραφον, sed ad veterē consuetudinē refert. Itaque ne hæc quidem successio Apostolica videri potest.

Nullam esse posse in Cardinalibus, Primatibus aut Archiepiscopis Apostolica successionem.

Supersunt Episcopi sic ab istis appellati, supra presbyteros videlicet in quaque diœcesi cōstituti. Reliquos enim ordines inferiores isti Successionarii nihil morantur, quorum tamen vnica successio speciem aliquam Apostolicæ successionis habet. Atqui non modò nullum talem Episcoporum gradum ab Apostolis institutum, qualis est postea statim ab Apostolorum temporibus in Ecclesiam inuectus, cōstare ex priore ad Corinthios epistola liquidò potest: nec fuisse tale quicquam Apostolo probatum, nempe vt alius esset Episcopi quàm presbyteri gradus, siue vt quispiam non gregis, sed συμπρεσβυτέρων suorum respectu Episcopus diceretur. Quis enim dubitat quin hoc consilium vel daturus fuerit Corinthus Apostolus, vel ipsemet executurus, & Cephæ vel Apollo attributurus, si (quod Hieronymus ad Euagriū & in cōmentariis in priorem ad Titum epistolam tradidit) commodum, nedum necessarium hoc remediū cōpescendis schismatibus futurum censuisset? Sed, siue gradum istum in Ecclesia instituere licuit, siue minus (de hoc enim disputare nunc quidē non placet) non tantùm illud ex Hieronymo liquet in epistolā ad Titum, Episcopos consuetudine magis, quàm dominicæ dispositionis veritate presbyteris esse maiores, sed etiam ex testibus, quos isti vt omni exceptione maiores proferre consueuerūt, veluti Lucino Papa, Clemente secundo, Anacleto (nisi nothæ sint eorum potius epistolæ, quas isti tamen pro authenticis citant) Lombardo lib. sentent. 4. dist. 24. Gratiano, Cardinali denique Cusano lib. de vnitate Catholica, & Platina in vita Bonifacii tertii pontificis: qui omnes disertè testantur totū istum hierarchicum ordinē suprà Presbyteros, esse ad Romani imperii exēplar ab hominibus excogitatum: id est veram esse bestiæ imaginem in Apocalypsi Ioannis descriptam, cui operam etiam initio quoque nauarunt nonnulli, qui minimè id factum volebant. Tanti fuisse momenti res ipsa tandem docuit, à verbo Dei vel transuersum vnguem deflectere.

Episcopatus gradū quo supra presbyteros siue pastores reliquos, attolluntur, fuisse Apostolis ignotum, ac proinde nullam eius esse successionem Apostolicam.

Hæc autem quum ita sese habeant, id est quum neque personarum ista successio satis vera ac genuina sit Ecclesię nota, neque, vt talem esse demus, quicquā ad istā Papisticā laruā pertineat, quid tandē istud rei est in quo nonnullos hodie tantopere videmus hæsitare, vt etiam non pauci quasi obiecto Gorgonis capite, pedem referant? nempe hæc quidem est spiritus erroris efficacia, vt qui probi sunt & ἀκέραιοι, manifesti fiant.

Conclusio disputationis de successione personarum à successione doctrinæ seiuncta.

Audiamus autem aliud quoque non dissimile istorum impudentię testimonium. Volunt quoque eam demū censeri Ecclesiæ notam, vbi vigeat ordinaria ad sacrū ministeriū vocatio. Istud verò quid aliud est quàm Chalcidensis illius hospitis exemplo, eandem escam interpolatam nobis repo-

Ordinationē canonicam non esse perpetuam & necessariam Ecclesiæ Catholicæ notam.

nere? Quia tamen hîc rursus velut ad scopulum, & quidem non sine naufragii periculo, hærere nõnullos video, conabor illos hinc quoque veluti veritatis flatu impulsos extricare.

Mitti quidẽ à Domino semper oportet pastores: sed non est semper eadẽ missionis ratio.

Certè si istos iubeas quid Ordinationis nomine intelligãt, explicare, (quæ petitio in hac quæstione prorsus honesta est, atque adeò necessaria) tũ aperte leonũ istorũ vngues sese prodẽt. Proferẽt igitur illud Apostoli, Quomodo prædicabũt nisi mittãtur? & illud, Oportet in domo Dei ritè & ordine fieri omnia. Assentimur. Dicent veteribus canonibus totum illum ordinem comprehendi, qui violari nullo modo possint aut debeant. Respondemus primùm, ex ipsorum Canonum comparatione liquere vnum & eundem ordinem in Christianis Ecclesiis, neque præscriptũ semper, neque vbique seruatũ: neque etiã hoc pati posse circũstãtiarũ varietatem, vt idem vbique, & semper ordo in his rebus ad amussim obseruetur: ac proinde importunè tãquã absolutè necessariò exigi Canonũ, etiã vetustissimorũ & optimorũ obseruationẽ. Quòd si tã hîc sunt impudẽtes, vt hoc inficiẽtur, arguã ipsos profectò vt manifestos præuaricatores. Nã si quicquã ex canonibus prætermittere sine vlla exceptione nefariũ est, vnde ille maximus Romanæ curiç ex Iuris quoque ipsius diuini dispensatione quçstus? Neque me verò ab istac exceptione detrudi facile patiar.

Canonica ordinatio, etiãsi statuatur perpetua Ecclesiæ Catholicç nota, Romanam Pseudecclesiã coarguit.

Sed age, hîc etiã istis gratificari libet. Dicamus igitur, (dilata illius exceptionis disceptatione) Vocationẽ esse rationẽ nõ tãtùm verbo Dei, sed etiã veteribus puris ipsis canonibus consentaneam, qua munus Ecclesiasticũ cuipiã cõmittatur. Cõcedamus etiã (nullo tamẽ cũ veritatis præiudicio) ibi demum vbi ordo iste integer vigeat, veram Ecclesiam videri: aio tamẽ sic certissimè liquere istã Ecclesiam Papisticam nihil minus esse quàm illam Catholicam cuius nomẽ sibi vendicat. Cedò enim, quis ordo iste est? nempe vt legitima præeunte doctrinæ & morum cognitione, & graduum Ecclesiasticorum ordine non temerè violato, quispiam ex libero totius alicuius Ecclesiæ de qua agitur, consensu, ad sacrum Ministerium designatus, à quibus decet ordinetur, id est, in suæ functionis veluti possessionem mittatur. Hunc autem ordinem si quis violet, id est, siue in examine, siue in electione vitium interueniat, omnes puri canones irritum id omne censeri iubent, atque adeò ordinantem grauissimis pœnis subiiciunt. Hoc ita se habere ne isti quidem inficiari possint: quamobrem paginas multas, canonum citatione onerare nolui. Iam prodeant isti, & nobis ex vniuerso ipsorum clero vel vnum proferant, in quo sit ordo iste, vel dicis causa, obseruatus. Non quæro an ista, tum à verbo Dei, tum à puris canonibus præscripta, sint ab istis ad amussim multis iam seculis obseruata: sed hoc quæro, an vllus sit plerisq; locis apud illos electionis vsus, quum de ipsius abolitione cũ Regibus & principibus pepigerit, eáque pacta excludi, & prostare Romana meretrix patiatur. Vbi verò aliqua superest electionis species, adeóne existimauerim istorum quenquam esse posse impudentem, vt quæ emptis manifestè suffragiis inter ambientes & Canonicos, quos vocant, id est, inter porcos & asinos, immunda prorsus animalia, ex cõparato palàm geri vniuersus mundus nouit, ausint aliud esse negare quàm abominandã omnis & diuini & ipsius purioris Canonici, quod vocãt, iuris cõculcationẽ? Examinis autẽ doctrinæ & morũ legitimi scilicet testes sunt illi perditissimi homines, nõ aliũde partim in istius Romanç Ecclesiç prouinciis, partim in ipsius Romanæ meretricis sinu, quàm ex quotidianis manifestis periuriis victum sibi comparantes. Et hoc scilicet ignorant Pontifices ab his verbis suas Bullas inchoantes, *Vitæ ac morum honestas, super quibus fide digno apud nos cõmendans testimonio*, &c. Quid? Collationis siue ordinariæ, siue deuolutæ, quas vocant, & Resignationis iura, vbi tandẽ nisi in Satanæ coquina sunt excogitata, intrita, percolata, ac tandẽ omnibus summis & infimis dementandis propinata? Et isti scilicet vocationem Ecclesiasticam penes se euicerint residêre.

Temere adversum nos contẽdere Romani pseudoclerum de manuum impositione.

Sed rursum audiamus, quod magis etiam istorum impudentiam coarguat. Quum de vocatione nobiscum litigant, vrgere solẽt Manuum impositionem, quasi in ea situm sit verum legitimæ & adulterinæ vocationis discrimen. Atqui bonos viros istos oblitos non fuisse credo quod modò dixi, nempe ex omnibus veteribus Canonibus irritam censeri eius ordinationem, qui nõ fuerit legitimè examinatus & electus, & qui tales ordinent, grauissimis etiam pœnis subiici: ac proinde frustra ipsos sibi vindicare quod nusquã apud illos inuenitur.

Manuum impositione nullos creari Pastores, sed iã creatos mitti in muneris sui possessionem, & Deo commẽdari.

Deinde illud quoque ipsos scire oportuerat, non creari Pastores manuum impositione, sed legitima Electione (quæ vox Dei est) creatos, Deo sic commendari & in possessionem Ministerii sui mitti. Quòd enim ipsi illum impositionis manuum ritum inter Sacramenta, eâdẽ atque Baptismum, & Cœnam Domini ratione numerãt, prorsus vanum esse delirium dicimus, quum neque præceptum illius ritus expressum extet, neque promissio sacramẽtalis illi ritui sit adiuncta, neque tamen aut hunc ritum reiicimus, aut preces Ecclesiæ Pastorem sibi à Deo missum (missio enim diuina est legitima electio) eidẽ cõmendantis, ac veluti offerentis, inanes esse censemus. Sed hîc nimirum istis hypocritis, quod in cæteris quoque rebus cõtigit, nempe vt, iis omissis in quibus vera vocatio consistit, (doctrinæ videlicet ac vitæ perscrutatione, & legitima totius Ecclesiæ electione) in externa ceremonia hçreant, quã & ipsam infinitis histrionicis ritibus cõspurcarũt, vt horrendam illam nundinationem, veterúmque canonum de beneficiorum quæ vocant multiplicatione, & de ordinatione per saltum (vt ipsi loquuntur) conculcationem prætermittam. Et tamen ita quoque summo veterum Synodorum consensu, non ordinationem modò, sed etiam cæteras vocationis partes potiores irritas cẽseri ne ipsi quidẽ ignorant.

Ne legitimã quidem ordinationẽ esse perpetuam & absolutè necessariam Ecclesiæ verę siue Catholicæ siue particularis notam.

Sed age, ponamus etiã legitimè omnes istos & electos & ordinatos: an idcirco fuerit illorum cœtus Catholica Ecclesia, ac nõ potius latronũ spelunca, si vocatione abutentes lucẽ cõuertãt in tenebras, & hoc vnum agant, vt oues ad Christum adducendas, Satanæ mancipent? Et tamen

ne si

ne si hoc quidem faciat istius pseudecclesiæ caput(quid autem aliud facit?) à quoquam mortali iudicari se posse sustinet. Sic enim non dicere modo, sed etiam scribere isti iampridem ausi sunt. Quod si hoc planè est Antichristū esse, quæso, quænam ista Catholica est Ecclesia, cuius Antichristus sit caput?

Itaque, vt tandem hunc locum concludam, constare iam hæc duo satis arbitror, neque successionem nudam personarū aut externæ vocationis obseruationem, esse veræ Ecclesiæ necessariam ac perpetuā notam illam, quam logici Proprium quarto modo appellant, neque, etiamsi ita esset, ista quicquā ad Ecclesiā Romanā, qualis est, id est, ad Papatū pertinere: sed potiùs quæcūque Antichristi Ecclesiā coarguūt, in ista meretrice sic apertè eminere, vt qui illam pro adultera repudiata nō agnoscat, refugiat & execretur, planè vel ista nihil curet, vel oīs intelligētię sit expers.

Conclusio totius superioris disputationis de successione personali, & ordinatione.

Quoniam verò propositum nobis est, non tantùm falsas notas ostēdere, quod à nobis esse factū putamus: sed etiā veras ac genuinas proprias Ecclesiæ notas veluti digito cōmonstrare, age posterius istud aggrediamur. Dicimus igitur verā Ecclesiæ veræ siue particulariter, siue vniuersaliter cōsideratæ definitionē esse, qua dicitur esse cœtus qui verū Iesum Christum vnicū seruatorem suum agnoscat. Vnicum enim hoc esse veræ illius spiritualis domus Dei fundamentum: vnicam illius mystici corporis animam, vnicam illius ædificii amussim Iesum Christum.

Vera Ecclesiæ veræ definitio, & genuina nota necessaria ac perpetua.

Respondebunt aduersarii idē se quoque agnoscere ac prædicare. Idcirco adiicimus, Quū multi sint Christi falsi, nos de vero Christo agere. Idē & isti excipiēt se fecisse & facere. Tertio igitur loco addimus, Eum demū Christū verū esse, qui sese per os Prophetarū & Apostolorū plenissimè patefecit. Os autē Prophetarū & Apostolorū interpretamur ipsorum scripta authentica quibus plenissimè & perfectissimè cōprehensa omnia Christianæ fidei dogmata, partim expressè, partim ex necessariò consequentibus, affirmamus.

Verum Christum à falso ex vnis scriptis Propheticis & Apostolicis esse agnoscendum.

Æquè enim absurdū esse credimus existimare Apostolos aliquid nesciuisse mysteriorū Christianorū, vel non omnia mundo reuelasse, (quod vtrumque dementiæ meritò tribuit Tertullianus) atque non omnia ad salutē necessaria scriptis tradidisse: vel deniq; nō ita tradidisse, vt vel ex se nō satis pateant, vel, si quid obscurius scriptū est, aliūde quàm ex ipsismet eorū scriptis vera sit eorū interpretatio accersenda. Hic verò apertè dissentientes habemus aduersarios, non omnes tamen, neque pari impudentia. Sunt enim qui vtrunque illud concedant, Apostolos videlicet salutis doctrinā omnē perfectè cognouisse, & eandē totā Ecclesiæ optima fide nuntiasse: quod certè meritò concedunt, quum hoc testetur ipse disertissimis verbis Christus Ioh. cap. 15. & cap. 16. 13. & Paulus Act. cap. 21. 27. Galat. 1. 8, & Hebr. 1. 1. Alioqui falsum esset, aliquatenus saltem, quod idē Paulus ait, Ecclesiam videlicet superstructā esse Prophetarū & Apostolorū fundamento, & quod de sacris scriptis testatur, 2. Timot. 3. 16. 17. Imò etiā falsum fuerit, quod dicit idē Apostolus, Ecclesiam esse columnam veritatis, nisi in ea columna veritas omnis insculpta prostet. Alii quidam impudentiores nescio quid iis relictum autumant, quos Apostolorū successores vocant: adeò quidem confidenter vt etiam ea in re errari non posse contendant, quorum dogma apud sani iudicii homines arbitror nunc quidem refutatione non egere.

Idcirco ex Propheticis & Apostolicis scriptis perfectè discere verum Christum, quoniam fidem Christianam omnem planè & perspicuè tenerint, & docuerint, & adhuc suis scriptis doceant Prophetæ & Apostoli.

Sed in duorū posteriorū ac presertim in postremi capitis oppugnatione prorsus istos omnes video aduersum nos consentire. Vrgent enim verbū nescioquod ἄγραφον, quod Apostolicas traditiones vocant. Et certè nō inuitus illis cōcedo, nō fuisse sigillatim præscripta quæcunque pro temporum, locorum & personarum circunstantiis sunt in forma ipsa diuini cultus ab Apostolis aut eorum consensu obseruata.

De Verbo nō scripto quid sentiendum.

Sed quis idem statuendum esse de ipsius doctrinæ placitis concesserit? Denique quum quænā ista sint dogmata proferre iubentur aduersarii, tū prodit sese mēdax ille spiritus, quoniā quæ per manus tradita esse volūt, tradi ab Apostolis neq; voce neque scriptis potuerūt, quin à seipsis dissentirent. Atqui lōgè aliter patres etiā omnes orthodoxi de scripturarū sacrarū summa intégerrimaq; perfectione iudicarunt, quorū testimoniis millies prolatis has paginas implendas nunc quidem non putaui.

Superest quęstio de Scripturæ interpretatione, quæ sic profectò ab istis agitatur, vt blasphemiæ crimen effugere non possint. Sunt, fateor, nonnulli scripturæ loci partim ob linguarum ignorationem, partim etiā alio nostro vitio nobis ad hunc vsque diem ita obscuri, vt ne nūc quidem inter doctissimos quoque & optimæ conscientiæ interpretes de illorum proprio ac genuino sensu per omnia constare potuerit. Sunt quædam etiam in sacris literis vsque adeò subtiliter dicta, vt non quibusuis eò vsque progredi liceat. Denique sunt etiam quædam iis verbis scripta vt, quod ait Augustinus, acuere nostrā in iis scrutandis ac meditandis diligentiā appareat Spiritū sanctum voluisse. Ac nisi doctrinæ ac religionis Christianæ necessaria capita sic planè ac perspicuè, populariter denique, Propheticis & Apostolicis scriptis explicata sunt, vt in Ecclesia percipi (interueniēte Dei Spiritu, quo sanctos omnes suos illustrat) manifestè possint, quorsū ad scripturas suos auditores Dominus ablegaret? imò quorsum & Prophetæ & ipse quoque Christus, & Apostoli loquuti fuerint, si intelligi illa noluerūt, quæ scire omnes oportet?

Verbi scripti interpretatio non aliunde quàm ex eodem ipsomet verbo locorū videlicet collatione, & analogia articulorum fidei petenda.

Dicam aliquid audacius, quod tamen probare me posse confido. Vt Christianæ fidei placitis tāquam veris assentiamur, ac multò magis vt ea nobisipsis applicemus, oportet certè nobis aures aliunde aperiri, carneum cor tribui, nos deniq; aliunde quàm à carne & sanguine doceri, quòd Ecclesia sit eorū cœtus qui θεοδίδακτοι sunt & quibus brachiū Domini reuelatū est. Vt autē quid de singulis nostrę religiōis articulis in sūma senserint ac docuerint Prophetæ & Apostoli intelligatur, solo penè nō penitus obtuso ingenio, & linguarū peritia, attenta deniq; lectione opus est.

Dogmata Christianæ religionis quæ sint, posse etiā naturali intelligētia ex scriptis Propheticis & Apostolicis cognosci.

Distinguenda esse in sacris literis κατάληψιν, ἐπιστήμην, & πληροφορίαν quorum illa naturalis est, altera spiritualis quidē, sed cū reprobis etiā nonnullis cōmunis, tertia filiorum Dei propria.

Longè enim aliud est percipere quid hic vel ille dicat, quàm quæ percipias sic intelligere vt etiam probes,& non tantum τὸ ὅτι,sed etiā τὸ διότι teneas:& aliud est κατάληψις quàm ἐπιστήμη in prophanis etiam rebus: & hæc rursus in Theologicis ἐπιστήμη aliud est quā πληροφορία. Itaque κατάληψις quidem omniū est aliquo iudicio præditorū:ad ἐπιστήμην autē externa quoque Spiritus diuini illustratione propter humani iudicii cæcitatē opus est, quod tamē donū est multis etiā malis cum bonis commune. At πληροφορία electos à reprobis discernit, éstque proprium sanctorū peculium.

Quibus in capitibus hodie dissideamus quum de Verbi diuini interpretatione quæritur.

Itaque explicationem Verbi diuini non modò vt vtilem, verum etiam vt necessariam requirimus,nequaquam tamen ob quam causam isti putant,neque inde petendā vnde isti existimant. Arbitrantur enim illi sic illud obscurè traditū,vt aliunde illata luce,quasi αἰνιγματῶδες quippiam indigeat: & quum ab iis quæritur vnde tandem lux illa sit accersenda,rursum Ecclesiæ Catholicæ laruam nobis obtendunt: quo nomine interdum hos vel illos ex patribus,interdum cōciliorum particularium vel vniuersalium centones, sępissimè denique longam consuetudinem pro irrefragabili testimonio imperitis obtendunt : quibus si quis non statim assentiatur, quasi reus diuinæ & humanæ maiestatis peractus, olim quidem quadam iuris specie ad ignem dānabatur, nunc verò nulla præeunte cognitione, furentis plebis gladiis obiicitur. Et hic quidem nunc est istorum zelus. Nos verò, vt vno verbo omnia quæ huc spectant exponamus, Ecclesiam Christi esse dicimus scholam in qua verbum Domini non modo recitandum ex scripto, sed etiam docendum sit vt rectè intelligatur,& ita quidem vt adhortationes,correptiones,consolationes, tū publicè,tum priuatim adhibeantur,quod apud Paulum prophetandi nomine intelligitur.Deinde & hoc adiicimus quod hîc est præcipuè animaduertendum : non aliunde quàm ex ipsis scripturis petendam esse earum interpretationem:non modò quoniam vnicum verbum Domini est αὐτόπιστον, sed etiam quia nusquam alibi quàm in scriptis Propheticis & Apostolicis illa veritas est nobis patefacta. Notissimum enim est ac verissimum illud Augustini, scripturā esse ex scriptura interpretandam. Nec pigebit hîc adscribere insignē locū ex hom. 49.operis imperfecti in Matthæum,quòd nostris temporibus penitus cōueniat. Qui vult(inquit ille) cognoscere quæ sit vera Christi Ecclesia,non cognoscat nisi tantummodo per scripturas.Et mox.Christiani ergo volentes firmitatem accipere fidei veræ,ad nullam rem fugiant nisi ad scripturas. Alioqui si ad alia respexerint,scandalizabuntur,& peribunt,non intelligentes quæ sit vera Ecclesia:& per hoc incidēt in abominationem desolationis,quæ stat in sanctis Ecclesiæ locis.Sed penes quem erit,inquient isti,scripturarum interpretatio?Certè non omnes sunt Prophetæ , non omnes Doctores. Sed vicissim clamat Esaias,&Sacerdotes & Prophetas errasse in visione:neque admoneret Christus fugiendum Pharisæorum fermentum,si fuisset sine exceptione iis assentiendum , qui in cathedra Mosis sedebant: neque fugiendi essent pseudoprophetæ,si omnes Prophetæ verum dicerēt:neque Christum damnasset Caiaphas & vniuersa Sacerdotum synodus, si Spiritus sanctus in Aaronis sede sedentibus,fuisset sine exceptione alligatus:Quid ergo?

Vetustas aut nouitas nihil facit ad verā interpretationem à falsa dignoscendā.

Audiant igitur isti tandem quod toties sumus surdis vociterati : nos videlicet neque veteres, neque recentiores Synodos,siue particulares,siue vniuersales,nisi aperte [illegible]:non veteres, nō nouos scriptores nisi palàm aut superstitiosos,aut ridiculos , aut communi consensu abrogatos: non veterum,non recentiorum,siue Ecclesiasticorum siue Laicorum, vt isti vocant,scripta (nec enim Deus est ἀπροσωπολήπτης & sæpissimè per infimos confundit sapientissimorum arogantiam) nisi manifestè impia,superstitiosa, aut inepta simpliciter repudiare: sed hoc tātùm exigere quod doctissimi & religiosissimi quique ex veteribus scriptoribus sedulò faciendum monent , nimirum vt hæc omnia ad diuini verbi scripti normam accuratè exigantur. Vetustas enim & scribentium auctoritas inducere quidem potest falsitati aliquem veritatis colorē:at vt verum sit quod à scriptis Propheticis & Apostolicis vel tantillum discrepat,id verò efficere nunquā potest.Deinde ipsa experientia plus satis ostendit , fundamento ab Apostolis posito non tantùm fœnum & paleam:sed etiam ferrum & æruginē,veritati denique mendacia iā olim fuisse superstructa ,.quæ omnia verbi diuini luce & igne consumi tandem oporteat.

Vetustarum Synodorum Symbola, & patrū aduersus hæreticos iudicia minimè à nobis repudiantur: imo contra aduersarios fortitèr (quantùs non vt αὐτόπιστα) defenduntur.

Et ne rursum isti conquerantur sic in dubium reuocari quicquid in vetere Ecclesia fuit repetitis conciliis statutum:agnoscere nos fatemur Symbola communi totius Ecclesiæ cōsensu perpetuo comprobata,nempe Apostolicum,Nicenum,Athanasianum,Cōstantinopolitanū, Chalcedonēse,cum Ephesini cōcilii secundi aduersus Nestorium anathematismis : & hæreses omnes illis quatuor conciliis, ac etiam Constantinopolitanis Synodis quinta & sexta confossas , atque adcò quæcunque postea vel exortæ vel interpolatæ, expressa vel tacita Ecclesiæ totius cōsensione ex Dei verbo sunt damnatæ,& ore & corde detestari:nō quod ab vllis Synodis siue Symbolis pendeat veritas,sed quoniā quæ in iis pręscripta & sancita sunt,agnoscimus ex Propheticis & Apostolicis scriptis rectè diiudicata:tantū abest vt Ecclesiæ auctoritatē abrogemus, aut piorū siue antiquorū siue recentiū cōsensū aspernemur,quod aduersarii nobis falsò & impudēter obiiciūt.

Conclusio disputationis de Christo vero vnica, vera, perpetua, & absolutè necessaria Ecclesię verę nota.

Sūma autē omniū istorū hæc est,Christū esse veram,perpetuā,necessariā denique & vnicā Ecclesiæ Catholicæ notā,Christū inquā verū,id est,qualē sese initio tū in scriptis Propheticis tum in Apostolicis scriptis perfectissimè , quod ad salutis rationē attinet , patefecit. Stat enim illud. Qui mecum non colligit,spargit:& illud,Christū esse angularē illum fundamenti lapidē ex quo totum ædificium exurgit: & caput illud vnicum quod corpori suo,id est Catholicæ veræ Ecclesiæ,sensum omnem ac motum subministrat : esse denique ostium , viam, resurrectionem & vitam. Itaque vbicunque verbum illud sicuti par est auditur , ibi demum Christus regnat : & vbi Christus regnat , ibi demum Catholicam illam visibilem Ecclesiam esse arbitramur , neque cer-

que certo vlli loco, neque multitudini alligatam. Nam vbi illud πτῶμα, Christus videlicet crucifixus, ibi sunt illæ aquilæ: ibi salus, vbi illud vnicum nomen, in quo salui fieri possumus: ibi Filii lucis, vbi Sol ille illucet: ibi veræ oues, vbi Pastoris illius vox sonat, etiam si duo aut tres duntaxat in vniuerso terrarum orbe fuerint verè in ipsius nomine cógregati: &, vt paucis dicam, vbi semen illud verum seritur, ibi est ager Domini, & ibi messis illa crescit nunquã exurenda.

Sed rursum quoniam, partim propter ingenii humani in præstantissimis etiam hominibus imbecillitatem, partim Pastorum improbitate aut negligentia fit, vt vix vnquam Christiana doctrina ab Apostolorum temporibus sic annuntiata fuerit in Ecclesia Dei, quin næuus aliquis irrepserit, quod ex Apostolicis epistolis etiam liquet, illis quoque superstitibus, factum: quoniam denique constituit Dominus non modò vt doceretur verbum, sed etiam ne à quouis doceretur, & propterea ordinis istius certas leges perscripsit, duo sunt hîc mihi rursum explicanda, nempe quatenus puram esse necesse sit illam vnicam veræ Ecclesiæ notam, Verbi diuini videlicet annuntiationem: & quantum sit Pastorum ipsorum ordinationi ac successioni tribuendum.

Ergo quod ad illud prius attinet, tria pono in primis, Vnum, etsi nihil nobis in Sacris literis proponatur quod non sit ad salutem vtilissimum ac penè necessarium, quædam tamen esse præcipua nostræ religionis capita ac veluti fundamenta, quæ sint ab aliis discernenda. Alterũ, quædã & olim Catholicæ Ecclesiæ fuisse, & aliis tẽporibus esse subinde posse rudimenta aliquarum Ecclesiarum particularium, quæ tamen propterea veræ Ecclesiæ esse non desinant. Tertium, non esse metiendam Ecclesiæ, siue Catholicæ, siue particularis alicuius fidem ac notam ex eo quod hic vel ille Pastor voce aut scripto doceat: neque ex eo quod aliquæ seorsum oues senserint, aut ex aliquorum siue multorum, siue paucorum disceptationibus, sed ex ea doctrina quæ communiter sit in Ecclesiis recepta modò sit verbo Dei consentanea.

Quatenus puram esse doctrinã fidei in Ecclesia necesse sit vt vera sit Ecclesia, siue particularis, siue vniuersalis.

Hæc autem αἰτήματα quoniam in controuersiam vertuntur, age certis rationibus & exemplis illa comprobemus. Quod ad primum attinet, res ipsa demonstrat, de quibusdam cõtrouerti salno fundamento religionis Christianæ posse, & quædam rursus tolli non posse quin totum ædificium funditus obruatur. Qui Christum negat venisse in carnem, ex Deo non est, sed est spiritus Antichristi. Ergo Δοκητῶν, Marcionitarum & aliorum huiusmodi cœtus non sunt Christi Ecclesiæ: vnde efficitur dogma de Christi vtraque natura esse caput Christianæ religionis fundamentale. Rursum Hierosolymitana Ecclesia (in qua, quis fuit Petro doctior?) ignorauit incircuncisorum vocationem, & tamen quæ tum erat in orbe terrarum vera Ecclesia, si Hierosolymitana non erat? Ergo dogma de vocatione incircuncisorum non est per se ex fundamentalibus Christianæ religionis capitibus. Aliquod igitur est inter ea quæ nobis credenda in scripturis proponuntur discrimen.

Non omnia Christianæ fidei dogmata esse fundamentalia.

Alterum probari manifestiore etiam exemplo potest. Quis enim dubitat quin si vspiam fuit vnquam Ecclesia vera ac penè vnica & tota Catholica, ea fuerit ipsius Christi familia, cum suis illis duodecim discipulis etiam secũdum carnem versantis? Quis item ignorat resurrectionis caput, cuius basis est ipsius Christi resurrectio, tanti esse momenti, vt iure pronuntiet Apostolus illo sublato totum Euãgelii fructum aboleri? Atqui ille ipse cœtus vix credere potuit Christum resurrexisse: & ne suis quidem condiscipulis fidem habuit Thomas: imò ne suis quidem oculis videntur fuisse credituri discipuli, nisi dixisset Dominus, Spiritus carnem & ossa non habet.

Quædam esse Ecclesiarum particularium rudimenta: quod etiam olim in Catholica visu venit.

Tertium autem illud, ex Achaiæ & Galatiæ Ecclesiarum exemplis cõfirmatur, quas certè vocaturus non erat Apostolus, Christi ac proinde veras Ecclesias, si Corinthiacam Ecclesiam resurrectionis carnis dogma, & libertatis per Christum partæ beneficium Galaticas Ecclesias repudiasse propterea existimasset, quia Corinthi nõnulli ex ipsis etiam fortasse Pastoribus de resurrectionis capite ambigebant, & ex Galatis plerique Circũcisionis & reliquarum ceremoniarum vsum reuocabant: quum tamen idem Paulus dicit, Si circuncidamini, Christus vobis nihil prodest, & eos qui non ignorantia, sed pertinacia circuncisionem vrgebant, testetur in aliud Euangelium translatos, ac proinde Apostatas manifestè appellet, & canibus, animalibus videlicet immundis, comparet. Sed aliud est errare per ignorantiam, quàm veritati pertinaciter obsistere, sicut αὐτοκατάκριτοι solent: aliud est hæresis quæ extra Ecclesiam est, si de fundamentali capite agatur, quàm hallucinatio sese doceri petens ac sustinens: aliud est denique Solis Eclipsis, quàm absentia, & vespera quàm noctis tenebræ: imò ipsa nox cui dies succedit, aliud est quàm fuerint tenebræ quum abyssum obtegerent.

Ex aliquorũ siue multorum siue paucorũ disceptatione nõ esse de alicuius Ecclesiæ falsitate aut veritate statuendum. Phil. 3.

His igitur positis facilè fuerit diiudicare, non quemuis errorem abolere veræ Ecclesiæ nomen, & simul falsissimum esse quod aiunt aduersarii, Catholicam Ecclesiam errare non posse, & tamen non omnem errorem abolere Catholicę Ecclesię nomẽ. Nam quòd ad hoc posterius attinet, si particularis aliqua Ecclesia errare potest in aliquo etiam præcipuo Christianæ religionis capite, & tamen Ecclesia propterea vera esse non desinit, cur non idem de particularibus omnibus, non sigillatim, sed vniuersaliter consideratis (hæc enim est Catholica Ecclesia) dicere licebit? Probabile certè non est vllos tum vixisse homines quũ Christus resurgeret melius aut perfectius in vera fide institutos, quàm selectos illos discipulos, noui populi veluti patriarchas futuros. Et tamen hunc totum cœtum videmus de Christi resurrectione, sicuti modò dixi, ad tempus vsq; adeò dubitasse, vt propterea scribat Lucas Christum quadraginta dies post resurrectionem cum illis mansisse, vt plenam eis resurrectionis suæ fidem faceret. Itaq; illud concludimus, oportere quidem necessariò præcipua nostræ religionis capita salua manere in Catholica Ecclesia vt Catholica dici posit: sed aliquam interdum nubeculam (pastorum præsertim oscitantia)

Posse aliquos errores in Ecclesiam Catholicam irrepere etiã in aliquo fũdamentali capite fidei.

incidere posse, quę modò huic modò illi articulo aliquid tenebrarum obducat, quæ nihilominus Spiritu sancto illucescente mox euanescat. Non est igitur idem semper & sine exceptione ἀδιάπτωτον quod ἀψευδὲς, vt imperiti homines autumant, quum vniuersalis etiam aliquis error ad tempus esse posit. Idem autem multò magis de particularibus istius vniuersitatis cœtibus dici potest ac debet. Quod si hæc vera sunt in ipsis etiam religionis nostræ fundamentis, quantò magis idem existimandum quoties obrepunt errores, quibus ipsa religionis fundamenta non conuelluntur? Hæ sunt enim paleæ quæ interdum (auctore Apostolo) super ipsorum Apostolorũ fundamentum extruuntur, apparente tandem die Domini euanescentes. Sed dies iste aliquando citiùs, aliquando seriùs illucet. Sic Africani, penè dixerim, Episcopi omnes cum Cypriano irritum Baptismum ab hęreticis administratum crediderunt, quod, quamuis falsum, salua tamen manente fidei summa, doceri & credi perperam potuit. Sed diuturnus hic error non fuit. Eadem est prorsus ratio multarum traditiuncularum, quæ falso Apostolicæ idcirco vocari tandem & credi cœperũt, quòd vsu diuturno confirmatæ, ab ipsis vsque Apostolis profectæ existimarentur: quas etiam propterea ne nunc quidem dies Domini, qui nostris rursum temporibus illuxit, abolere sine maximis certaminibus potest. Absit igitur vt propter istiusmodi nęuos, aliqui cœtus ad Catholicæ Ecclesiæ corpus non pertinere existimentur: quamuis summa sit piis ac diligentibus Pastoribus opera adhibenda vt hæ quoque maculæ spongia Verbi diuini abstergantur.

Nęuos initio tolerabiles interdum desinere esse nęuos, sed in gangrenam euadere.

Sed illud in primis hîc obseruandum est, næuos istos & veluti tubercula, interdum eò vsque excrescere vt in gangrenam euadant, & mẽbra ipsa à corpore auellant, quod Pastorum in primis culpa euenisse, tum veterum, tum nostrorum temporum exempla longè turpissima demonstrãt. Sic exorcismus, alius quidem energumenis proprius, alius verò omnibus adultis ad Christianismum à Paganismo accedentibus communis, Pastorum oscitantia in Baptismum infantium ex Christianis nascentium inuectus, initio fuit næuus duntaxat, qui à veteribus Episcopis non animaduersus, eò vsque tandem auctus est, vt in Papatų quidẽ quasi necessarius retineatur, ac proinde in ἀδιαφορίαις, rem minimè iam indifferentem, euaserit: in aliquibus Ecclesiis verò, quamuis Euangelii luce illustratis, quasi non inutilis, magno certè Pastorum dedecore, retineatur. Tanti est momenti tempestiuè leuissimis etiam erroribus occurrere. Palea fuit initio ritus vnctionis in Baptismo, quæ velut athletis aduersus Satanam & carnem certaturis adhibebatur. At hæc palea tandem quousque euaserit videmus, quum chrisma etiam adorari cœperit, quod tamẽ aquæ ipsi, vero & essentiali Baptismi symbolo, nondum euenit. Sic crucis consignationem constat initio fuisse apertam Christianismi professionem, cuius tandem abusus effecit vt crucifixi loco crux ipsa sit collocata, nec vlla execrabilior sit in orbe terrarum idolomania. Sic celebrata fuerũt panegyricis orationibus & incredibili concursu μνημεῖα martyrũ, & celebriorum Episcoporum funera: vnde mox inuocationes mortuorum ad illorum sepulchra ac tandem reliquiarum adorationes exortæ. Fœnum verè fuit quarto circiter à Christi morte seculo parietum pictura in Christianorum templa, absque vllo tamen cultu, inuecta. At quousque næuus iste sit progressus videmus, adeò vt secundum Decalogi præceptum fuerit eo nomine palàm à Papistis expũctum: & (quod dici absque incredibili quorũdam dedecore non potest) etiam hodie inter ceremonialia præcepta à nonnullis, quos minimè oportuit, referatur. Tale fuit initio quadragesimale ieiunium, & aliquis ciborum delectus, nulla cultus opinione adiuncta, quæ nunc videmus ita confirmata, vt in iis aliquatenus sitam esse peccatorum remissionem, imò etiam meritorum dignitatem, pertinacissimè non pauci tueantur, qui maximè Catholici videri volunt. Quid, obsecro, magis indifferens videri potest initio fuisse, quàm celebrãdæ Cœnæ causa lapideam aut ligneam mensam habere? atqui si nunquam βωμοῖς Græci, Latini altaria in celebratione Cœnæ adhibuissent, communibus mensis, vt Apostolorum temporibus, contenti: probabile est nunquam exorituram fuisse de illa execrabili idolomania Missatica cõtrouersiam, qua nunc videmus vniuersum orbem terrarum conflagrare. Quorsum autem hæc? nempe in primis vt hæreses ab erroribus: fœnum & paleæ, ab iis quæ vel per se, vel propter inuectam cultus opinionem, vel impia vel superstitiosa sunt, in diiudicandis Ecclesiæ veræ notis distinguantur: & tamen intelligant omnes Ecclesiarum administratores sicut olim extruendum altare non fuit ex lapidibus humana industria politis, neque vel clauum in tabernaculo figere licuit, nisi ad exemplar illud quod Moses viderat in monte: ita etiam nunc omnibus verè piis Magistratibus & cunctis veris pastoribus dandam operam vt in restaurando templo Domini tot modis collapso, non tantùm ea restituãt quæ ab Antichristis sunt euersa, verùm etiam omnes vel leuissimas maculas ab iisdẽ profectas quàm diligentissimè detergant, quantumlibet templi parietibus sint veluti incrustatæ: & illis μεθοδείαις Satanæ ex præteritorum temporum historia, & præsentium etiam Ecclesiæ ruinarum inspectione animaduersis, deludi sese prolatis vetustorum quorumcunque patrum exemplis, aut vlla consuetudinis inani specie minimè patiantur: sed potiùs non desistant donec doctrina, & ritus & gubernatio quoque Ecclesiastica omnis, non ad typicam aliquam imaginem, qua sub pædagogia legis opus fuit, sed ad illã absolutissimam εἰκόνα ad amussim adaptetur, quam nobis ore suo ipsemet Filius Dei, & illius postea Apostoli perfectissimè suis scriptis expresserũt. Sed hac de re plenius alibi, vt spero, quum egregiis illis μεσίταις, qui nos vt nimium rigidos istius operis exactores reprehẽdunt, ac præsertim Cassandri scripto sigillatim respondebitur, vt omnes intelligant nullos magis opus Domini quàm Samaritanos istos remorati.

Quæ sint fundamentalia fidei Catholicæ capita.

Quoniam autem nonnullos rursum video iis non acquiescentes, quæ de fundamentalibus, siue præcipuis nostræ religionis capitibus in genere diximus, quænam sint illa rogitare: respõdeo,

fundamenta

fundamenta dici quibus positis totum ædificiũ permaneat:& quibus euersis superstructa omnia corruant. Illa autem omnia Symbolo quod Apostolicum vocant summa breuitate & perspicuitate ex verbo Dei fuisse descripta profitemur, quod adiici decalogo & orationi Dominicę oportet, quorum illa Christianæ vitæ rationem omnem, ista verò rectam inuocationem κατ᾽ ἐπιτομὴν ostendit. Hæc inquam, est fundamentalis illa, vera, ac perpetua Catholicæ Ecclesiæ nota, nunquam ad finem vsque seculorum delenda: sed quam tamen opurteat ex Propheticis & Apostolicis scriptis vnde desumpta est explicari, vt ab omnibus intelligatur, & pro virili obseruetur.

Est autem huius explicationis ratio duplex. Vna rudior omnibus necessaria: altera explicatior longè & vberior, sicuti videmus, Apostolicum Symbolum fuisse aliis postea sanctarum Synodorum symbolis declaratum, vt hæresibus occurreretur, & conscientiæ in sana doctrina magis ac magis stabilirentur. Itaque quamuis vt aliquis sit verum Christi membrum, non sit necesse vt τὰ ὅλα exactissimè intelligat & omnes Theologicarum disputationum decisiones norit: tamen vnumquenque pro suo captu quid credat & cur credat nosse oportet, neque in fidei, quam Implicitam vocant, diabolico figmento acquiescere, sed ad illam rudiorem κατήχησιν accedere quoque sacrorum scripturum enarrationem, cuius quatuor capita proponit Apostolus 2. Tim. 3. nempe Doctrinam, Redargutionem, Correctionem & Consolationem, quæ omnia sunt à diligentibus Pastoribus ac Doctoribus ad credentium captum publicè & priuatim accommodanda.

Quæ doctrinæ Catholicæ explicatio in Ecclesia requiratur.

Superest vt quantum successioni & ordinationi personarum sit tribuendum ostendamus. Diximus vnicam veram, perpetuam ac necessariam Ecclesiæ Catholicæ notam esse doctrinã à Prophetis quidem πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως voce primùm ac deinceps scriptis traditam, à Christo verò ipso tãdem & suo ipsius ore & per Apostolos perfectissimè proditam. Est enim hoc verbum, vt post ipsum Christum ait Petrus, semen illud ex quo Ecclesia Catholica, tum initio mundi emersit, tum ad finem vsque seculorum perdurabit. Atqui semen frustrà est nisi seratur, & huius sationis per hominum ministerium faciendæ rationem, Dominus & sub vetere & sub nouo fœdere præscripsit, sationis, inquam, necessariò, (alioqui mox desitura Ecclesiæ propagatione) ad consummationem vsque seculorum duraturæ. Ita sanè esto. Ergo, inquies, ordinatio quoque & successio illarum personarum nota etiam est Ecclesiæ, vera, perpetua, ac necessaria, cum altera illa, seminis videlicet, nota, penitus cohærens. Sic nostri aduersarii cõcludunt, sed falsò & ineptè. Nam vt illa duo tam à nobis refutata prætereã, quòd videlicet de successione personarum, prætermissa doctrinæ ipsius Apostolicę successione, garriunt: deinde quòd successionem aliam proponunt quàm quæ ab Apostolis ipsis est inchoata: aut non vident, aut videre se dissimulant, etsi satio quoque & satores non minus quàm semen ad hunc Ecclesiæ agrum excolendum requiruntur, non seruari tamen eandem semper vel sationis faciendæ, vel eorum ordinandorum, quibus hæc satio committitur rationem. Et hoc tamen illos, tum ex Prophetarum prædictionibus, tum ex historiis sacris didicisse oportuit, quod nobis probandum restat. Nũquam igitur, fateor, absque Dei verbo fuit Ecclesia. Sed ostendant nobis isti certum ac perpetuum aliquem fuisse, iisdémque semper ordinationis legibus adstrictum sationis illius & personarum illi sationi adhibitarum ordinem, antequàm primùm sibi Dominus primogenitos consecrasset, Exodi cap. 3. 2. & 19.22. & 24.5. quorum loco postea Leuiticum illud Sacerdotium infinitis penè ritib. cõstitutum est. Numer. 8.18. Tum demum igitur cœpit certa illa & ordinaria successionis & ordinationis ratio, id est, sationis & eorum quibus ipsius sationis procuratio fuit demandata, qua successione & quo ordinandi modo si prius caruit Ecclesia, efficitur illam ordinariam successionem & vocationem, neque necessariam, neque perpetuam semper fuisse, quum ante vtramque illam tot seculis steterit visibilis Ecclesia. Iam videamus an leuiticum hoc Sacerdotium absque interruptione ad Christi aduentum vsque steterit. Aaronis certè posterorum propagationem vsque ad ipsius templi euersionem legimus: sed quemadmodum, non abolita Dauidis stirpe, regnum tamen Dauidis, sicut prædixerat inter cæteros Ezechiel, abruptum fuisse dicimus à Sedechia ad Zorobabelem, à cuius temporibus pro regibus duces, ac tandem, Asmonæis potentiam omnem sibi vindicantibus, pro ducibus senatores euaserunt Dauidis posteri, donec tandem istis quoque ab extraneo Herode sublatis, & Iudæa in prouinciam redacta, atque sic, demum, vt prædixerat Iacob, sublato à Iuda omni sceptro, exortus est ille Dauidis filius in sempiterno throno sessurus: sic Leuiticum omne Sacerdotium non semel interruptum fuisse constat, donec, succedente æterno Melchisedecico Sacerdotio, penitus aboleretur. Etenim vt illas populi sub Iudicibus clades publicas, ac in primis tempus illud quod quinque vltimis historiæ Iudicum capitibus narratur prætermittam, (quibus tẽporibus ministerium publicum magnopere labefactatum ac penè interdum abolitum fuisse apparet) quis in decem tribuum regno Ecclesiam aliquam veram fuisse à Ieroboami primi ad euersionem Samariæ temporibus negauerit? Nullam tamen prorsus illic fuisse Leuitici Sacerdotii successionem neque ordinationem, apparet ex eo quòd Leui ex decem tribuum regno demigrasse scribitur, & ex illa tristissima Heliæ querela, quæ ab Apostolo repetitur Rom. 11. 2. Nam quod postea de centum Prophetis in spelunca occultatis refertur, 1. Reg. 18. 13. ordinarium illic ministerium vllum fuisse non euincit. Excipiunt aduersarii, pios Israelitas adiisse Ierosolymam, ac proinde ad Leuiticum Sacerdotium pertinuisse. Esto verò, adierint aliqui: fuit tamen aliqua vera Ecclesia tunc in regno decem tribuum neque vrbem adiens, neque ordinaria sacrificia vsurpans, neque vllum Leuitici Sacerdotii vsum retinens. Sed, rursus inquiũt isti, habuerunt tamen collegia Prophetarum, & conuentus piorum statis etiam diebus, vt liquet

Ordinariõ quoque legitimo ministerio caruisse non semel verã Ecclesiã, etiã Catholicã: ac proinde ad tempus sæpe abruptam fuisse ordinariã illam legitimam ordinationem ac pastorum successionẽ.

nominatim ex 2.Reg. 4. 23,ac proinde ministerii ordinaria succesſio ne tunc quidem destiterit. Neque verò ex hoc loco concludo sacrum Ministerium nullum in Israelis regno tunc extitisse, sed hoc vnum colligo, tum in Israelis regno prorsus abruptam fuisse Leuitici ministerii (quod vnicum ordinarium erat)succesſionem. Nam neque Prophetæ hominum ministerio creabâtur, neque erat illorum ordo continuus. Excipiũt rursum succesſionem ordinariam desinere in particularibus Ecclesiis posse, in Catholica verò Ecclesia, id est vniuersaliter, nequaquam: quum tunc quoque steterit templum in regno Iuda. Ego verò præterquàm quòd possum excipere ex prophetarum testimonio Iudam sese ita tunc gesſisse non tantùm in moribus, sed etiam in ipso diuino cultu, vt ipsum Israelem iustificauerit,& templum etiam Domini clausum fuisse sub Manasse,postquam fuisset Prophetarum sanguine cruenratum, & horrendam illam idolomaniam Ezechieli in visione demonstratam, duo præterea excipio: Vnum,si Ecclesia aliqua particularis absque succesſionis & ordinationis ordinariæ nota potest Ecclesiæ Catholicæ membrum esse, effici necessariò notas illas non esse proprium illud quarto modo,vt Dialectici loquuntur,nempe quod vni speciei, & singulis indiuiduis semper conueniat, de quo nunc quærimus, ac sanè meritò quærimus, quum tota vis definitionis propriè in differentiæ notione consistat. Alterum, si (quod antea demonstrauimus) Catholicæ Ecclesiæ pars aliqua carere ad tempus illa succesſione & ordinatione ordinaria potest, consequi particularibus singulis Ecclesiis id euenire posse. Cur enim huic potiùs quàm illi? Atqui vbi hoc euenerit, in quo tandem vniuerso inueneris, quod in singulis ipsius partibus desideres?Sed ne isti rursum clamitent, non tamen euenisse quod euenire potuit,progrediamur longiùs, & quæ fuerit Catholicæ Ecclesiæ sub Babylonica captiuitate conditio consideremus. Vllum tunc certe fuisse Leuiticum Ministerium ordinarium isti nunquam euincent. Nam Susannæ δρᾶμα refellitur ex vera Danielis historia,vt vel fabulosa vel merè allegorica sit narratio,quemadmodum & Iudithæ libellus. Et, vt Ezechiel fuerit Prophetæ munere alicubi interdum defunctus, vt ex eius Prophetiis liquet, ex eo tamen Leuiticum Sacerdotium interruptum non fuisse nequaquam probabitur. Atqui, inquies,tunc mansit Circuncisio. Concedo,fuit enim hoc singulare Dei beneficium, sicuti patrum & nostra memoria Satan facere non potuit, quin Baptismi tessera remaneret. Sed eadem Circuncisio temporibus oberrationis in deserto,annis illis quadraginta, non fuit vsurpara, vbi tamen Catholica Ecclesia si non fuit, nusquam fuit. Carere igitur ad tempus Ecclesia aliquibus Sacramentis quum posſit,ne ista quidem Ministerii publici pars est absolutè perpetua & necessaria Ecclesiæ nota, quod de verbi tamen ipsius semine dici non potest. Aliud enim est ipsum fœderis diploma quàm sigillum ipsi diplomati appensum: vt isto quidem carere ad tẽpus multis obiectis impedimentis posſit Ecclesia, illo verò nequaquam:quamuis qui illud contemnat,vtrumque aspernetur,ac proinde meritò fœderis expers iudicetur.

Quid ergo? nẽpe neq; semine verbi,neque satione,neq; satoribus carere vnquam potest Ecclesia: sed & sationem & satores quominus ad ordinatiam succesſionem & vocationem restingere posſimus,prohibet in primis Pastorum segnities & improbitas. Hoc autem duobus modis accidit. Vno, quum vacuæ quidem non sunt cathedræ, sed qui in eis sedent, siue per ostium, siue per fenestram sint ingresſi, aut suum officium prorsus negligunt, aut zizania semini permiscent, aut nihil præter venenum spargunt, qualis Ecclesiæ veteris Catholicæ sub plerisque Iudicum interregnis, & postea in Iuda sub plerisque regibus, ac tandem Christi in terris versantis temporibus conditio fuit: altero, quum ordinaria illa, tum satio, tum ordinaria satorum vocatio, ad tempus quasi intermortua desinit: (nam prorsus hæc aboleri ante consummationem seculorum non posse agnoscimus) qualem fuisse diximus Ecclesiæ decem tribuum, & Catholicæ Ecclesiæ in Babylonica captiuitate faciem. Dico igitur interdum accidisse in Ecclesia, iusto Dei iudicio,quod ad sationem & ad satores attinet, illud ipsum quod famis & belli temporibus non semel euenit, nempe vt sationi nullus prorsus locus relinquatur: quod quum incidit, non omnes tamen moriuntur, sed qui supersunt famelici congestis ex superiorum annorum messe frugibus sustentantur, quemadmodum olim Iosephi temporibus Ægyptii nihil nisi septimo ipso famis anno videntur seuisse. Sic Danielem, Ezechielem, Zorobabelem, Ezram, Nehemiam, & piorum reliquias oportuit in Babylone, quum ordinarium ministerium deesset, sibiipsis prophetas esse ac pastores, asſidua sacrarum scripturarum lectione ac meditatione cum precibus ardentisſimis coniuncta, sicut in illa historia factum legimus: nisi dicere malimus Mosen & alios Prophetas quorum tunc scripta extabant, quamuis iampridem mortuos, tamen illorum in hoc exilio pastores extitisse,tantisper dum Sionis suo tempore Dominus misereretur.

Notam succesſionis, & vocationis ordinariæ nõ aboleri quouis interueniente vitio.

Sed inter istas Ecclesiæ labefactationes multum tamen interest. Nam vbi pastores officium duntaxat negligenter faciunt, aut in moribus tantùm peccant, manet tamen adhuc salua ordinaria & aspectabilis Ecclesiæ nota duplex, nempe & seminis & sationis, atque etiam ordinationis, si modò Pastores isti quamuis negligentes, tamen legitimè vocentur. Quod si duntaxat fermentum aliquod admiscent, cauendum quidem fermentum, sed nihilominus audiendi sunt quatenus super cathedram non Petri,sed Christi sedent: nec propterea istiusmodi cœtus in Catholica Ecclesia censeri desinit,aut Catholica Ecclesia visibilis nusquã est,etiam si fortè nulli alii Pastores nisi negligentes, moribus corrupti,& fermentum aliquod admiscentes in vniuerso terrarum orbe inueniantur. Tales erant temporibus Christi Pharisæi, & Sadducæi, & legis doctores, quorum fermentum docet fugiendum, quos tamen audiri iubet super cathedram

Mosis

Mosis sedentes. Sed hic locus fortasse non est à quibusuis satis diligenter animaduersus. Obseruandum enim est ex aliis locis, scripta Mosis & Prophetarum fuisse in Synagogis seorsim recitata, quod & sectiones etiamnum hodie in Hebraicis Bibliis certa serie annotatæ demonstrant. Huic autem puræ ac syncerae recitationi subiungebatur interpretatio fermenti plena, cuiusmodi sunt illa, quæ apud Matthæum præsertim, à Christo copiose refutantur. Itaque quod ex pulpito syncere de more in Synagogis ex Mose & Prophetis recitabatur, audiri iubet Christus, fermentum verò quo puritatem doctrinæ inficiebant vitari. Sic externum illum cultum in templo diligenter absque idololatria fuisse Christi temporibus vsurpatum, dubium non est, quem etiam pii homines diligenter obierint: quanuis rectus sacrificiorum & totius legis vsus à Pharisæis iustitiariis, & à Sadducæis, qui resurrectionem, id est, præcipuum sacrificiorum finem negabant, prorsus destrueretur. Qualis tum quoque fuerit pontificatus nundinatio contra legis præscriptum ex historiis liquet. Sed vitium istud personale in tanta rerum perturbatione ipsa Sacerdotii acta non à Sacerdote, sed à diuina sanctione dependentia non abolebat. Quiddam enim medium est inter merè priuatos & legitimè vocatos: quum videlicet aliqui, aut ignorantia, aut conniuentia locum legitimè vocatorum occupantes tolerantur, & eorū nomine publicum aliquid agunt, sicut de Barbario quodam Philippo in Romano iure sancitum legitur, qua de re alibi plenius diximus. Itaque Ecclesia quidem in Pharisaismo & Saduceismo suam seminis Diuini & aliquatenus etiam sationis notam, licet veluti obsoletam, retinuit, quamuis neque Pharisaismus, neque Saduceismus esset Ecclesiæ syncerae pars.

Sed quoties ex professo euersa prorsus est veritatis cathedra, neque hinc quidem panis syncerus, inde verò fermenti aliquid sic proponitur, vt illum quidem accipere, istud verò repudiare possis, sed venena etiam inuitis propinantur: quis aut horum luporū, aut eorum qui eos sequuntur cœtum pro vera Ecclesia, siue Catholica, siue particulari habuerit? Talem autem paulatim euasisse Papismum, id est, Romanam quam hodie vocant Ecclesiam affirmo, iis videlicet impletis quæ tum Paulus 1. Thess. 2, tum Ioannes in imaginibus bestiæ descriptione tot iam antè seculis velut ob oculos spectanda proposuerunt: & veteres tum Græci, tum Latini interpretes, Irenæus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Beda & Cusanus ipse Cardinalis de Romana sede sunt interpretati. Quænam etenim ex tribus illis Ecclesiæ Catholicæ notis, (quarum vnam duntaxat immotam esse ac perpetuam, alteras duas interrumpi interdum ostendimus) in Papistica Ecclesia superest? Nam vt de illa verè propria, perpetua & absolutè necessaria, id est, sacro verbo scripto primùm dicamus, quum illud non nisi frustulatim discerptum, & quidem peregrina lingua ibi proponatur, eò vsque etiam progressa istorum impudētia, vt neque in vulgaria idiomata illud conuerti, neque barbaram & multis locis falsam Bibliorum Latinam interpretationem ex Hebræo & Græco sermone emendari sustineant, écquis, nisi iusto Dei iudicio excæcatus, istos Catholicam Ecclesiam esse, in qua vna sit salus, ac non potius Babylonē illam esse censuerit, ex qua sit omnibus qui perire nolunt, discedendum? Imo (inquiunt ex iis nonnulli) Prophetica & Apostolica scripta non modò recipimus, sed etiam veneramur, & quidem auctiora quàm vos recipiatis. Addunt enim, propter vnum & alterum locum, apocryphos etiam libros. Quasi verò codices habere gemmis & auro exornatos, chartas in idola transformatas adorare, frustulatim discerptas particulas peregrina lingua cantillare, aut ex collo suspēdere, aut magicis quoque incantationibus adhibere, idem sit atque Prophetica & Apostolica scripta docere, ex istis totum diuinum cultum procurare, vniuersam denique vitam instituere. At enim, inquiunt, conciones, & Doctorum quoque prælectiones, & denique parochialia, quæ vocāt, monita singulis dominicis diebus habemus. Habetis profectò, sed quando, quales, à quibus, & quorsum habentur? Vt autem paucis omnia comprehendam, quum tres sint corrumpendarum sacrarum tabularum modi, Vnus, quū aliquid illis detrahitur: alter, quum iis aliquid adiicitur: tertius, quum in iis quippiam immutatur, totidem falsi speciebus istos reos peragi, quis tandem non videt? Vt à lege incipiam, Verbum illud ipsorum ἄγραφον quod volunt esse potissimam diuini cultus partem, & ius illud legum conscientiis ferendarum quod sibi arrogant, quo nomine appellabimus? Secundum autem præceptum ánnon prorsus absque vllo pudore expunxerunt, vt idolomaniæ genus omne, immutatis tantùm veterum nominibus, palàm & aperte instaurarent? Christianorum conscientias miseras nónne non modò nouis & repugnantibus ex diametro traditionibus obruerūt, eóque prætextu non tantùm viduarum domos, vt olim Pharisæi, exhauserūt, sed etiam imperia & regna deuorarunt? Legis denique totius finem & vsum à fundamentis ipsis ánnon euerterunt? In Euāgelio verò, (altera eáque potissima diuini verbi parte) quid integrum reliquerunt? Primùm qualem nobis Christum proponunt? Incorporeo corpore nunc quidem certè præditum. Num vt qui sit nobis factus à Deo sapientia? scilicet, quatenus naturalem nostram lucem adiuuat. Num vt iustitiam nostram in solidum? nempe quatenus hoc nobis partim à nobis ipsis partim à gratia præparatis tribuitur, vt nostræ iustitiæ meritis æternæ vitæ merces ex condigno adscribatur. Quid si verò nostra ipsorum merita nō sufficiant? nempe adiicientur nobis, sed certo pretio ab ipsis institoribus comparata, certorum quorundam sanctorum merita, quorum thesaurus ne nunc quidem sit exhaustus, & quorum sanctorum obsecro? quos scilicet ipsi Romani Pontifices in album suum retulerint, & quos vnusquisque sibi patronos & intercessores delegerit. Num verò Christum vt sanctificationem nostram proponūt? nempe rursum quatenus naturalis nostræ sanctitatis reliquias adauget. Num vt vnicam redēptionem nostram? verbo id quidem, re verò ipsa nihil minus. Nam pœnæ satisfactionem excipiunt, quo posito

In Romana, qualis iam pridem est, Ecclesia, nō aliquatenus vitiatæ sed penitus abrogatæ sunt veræ Catholicæ Ecclesiæ notæ omnes, sicut ab Apostolis prędictum fuit.

Deum ipsum iniustissimum faciunt. Quid enim inquius quàm ab eo qui in culpa non sit pœnas satisfactorias exigere? & quorsum Dominus peccata nostra super lignum tulit? quorsum super eum castigatio nostra? Iam verò quum ad satisfactiones illas ventum est, an nō isti Deum & homines manifestissimè irrident, quum in aquæ incantatæ aspersione, cera, sputo, oleo, signo crucis, ciborum delectu, certarum precum etiam non intellectarum demurmuratione, imaginariorum plerumque sanctorum suffragiis, statuarum adoratione, campanarum pulsu, certo vestitus etiam post mortem genere: quid amplius? (O scelus omnium quæ à quoquam sunt vnquam patrata teterrimum!) in ipsa reali Christi ipsius pro viuis & mortuis tanto efficaciore quanto sæpius iterata fuerit oblatione, id est, aperta ac manifesta oblationis semel pro nobis factæ conculcatione, satisfactionem pro peccatorum pœna, nobis tum viuis, tum mortuis, in illo suo purgatorio igne vstulatis, ab ipsis emendam docent? Quale igitur istud Euangelium? & qualis iste est Romani Papismi Christus? Quis etiam illos ex Verbi diuini collatione non intelligit sua operis operati doctrina, præter veritatem corporis Christi, ascensionis eiusdem in cælum, & descensionis è cælo dogma, omnem sacramētorum vsum euertisse? transsubstantiationis dogmate definitionem Sacramenti destruxisse? Baptismi ceremoniam infinitis sordibus conspurcasse? Cœnæ Domini alteram primùm speciem sustulisse, deinde plusquàm abominādo scelere, sacramento in detestandum illud sacrificium expiatorium transmutato, omnem illam sacram actionem funditus sustulisse, ac proinde noui Testamenti pactionis sigillum apertè reuulsisse? nouis denique quotquot libuit fabricatis falsissimis sacramētis sibi vnius legislatoris nostri Iesu Christi potestatem arrogasse? Quam ergo diuini verbi partem isti non corruperunt, vel potius non abrogarunt? Vbi igitur illa Ecclesiæ Catholicæ vnica, vera, perpetua, necessaria nota? Vbi semen illud, quo sublato tolli quoque Ecclesiæ in terris propagationem necesse est? Quod si de Ecclesiastica administratione quæritur, vt paulò plenius hac de re disseram quàm antea, quid, obsecro, præter imaginem illam bestiæ in Clero Papistico inuenias? Annon iste Pontifex maximus alteri Romano Pontifici maximo successit? quid dico? ánnon occupata tandem & aliquot iam seculis infessa Roma, Imperatoris ipsius Romani nomen ac potestatem omnem sibi Romanus ille Papa arripuit? Etenim quæ supersunt non tam Imperii Romani quàm Germanici regni reliquiæ, quid aliud sunt iam pridem quàm inane nomen, non modò quòd istius bestiæ pedes vltrò nunc ipsi Imperatores adorent, sed etiam quòd ex suo pseudoclero ne vnum quidem esse patiatur, cuiquam seculari, quam vocant, potestati obnoxium? Imò quis istum perditum non videt ne hoc quidem tanto scelere contentum, illum ipsum esse quem Paulus, euerso imperio Romano, in Dei templo sessurum, & supra omne numen sese sublaturum prædixit? Annon enim hic est qui se à nemine ac ne ab Angelis quidem iudicādum palam testatur? qui dato pretio cælum vel inferos sese aperire gloriatur? qui, pro arbitrio, diuinas omnes & humanas leges apertè violat? qui sancitas ab ipsa natura leges (quod facinus prophana etiam olim Romæ ciuitas, imperante Claudio exhorruit) non semel paucis etiam his annis refixit? qui eos ipsos canonas, quorum nomen territare imperitos consueuit, vel teruncio addicit? Purpurati autem illi Cardinales quid aliud sunt quàm Romani Senatus, non illius veteris, sed imperatoribus seruientis, & tyrāni dem cum illo partientis imago? Illam verò δυνάστων distributionem, quis tam est imperitus rerum Romanarum (quod etiam ipsi Romani Pontifices & iis addicti scriptores testantur) vt Romani euersi imperii simulachrum esse non animaduertat? Aliarum autem functionum ecclesiasticarum, ita vt sunt à Christo per Apostolos cōstitutæ, quid apud illos præter inanissima nomina superest? Nā Episcopatus qui initio, teste quoq; Hieronymo, id est florente Ecclesia, nihil aliud quàm presbyterium fuit, in illos quos diximus dignitatum, &, vt ipsi loquuntur, prælaturarum fumos quum statim post Apostolorum seculum dissolui cœpisset, iam pridem apud istos totus euanuit. Quid autem apud illos est presbyterum esse? num gregi alicui pascendo, num morum inspectioni & censuris Ecclesiasticis præfici? minimè verò, sed Christi rursus offerendi ius obtinere. Quid Diaconum esse? num Ecclesiæ bona procurare? Ministris & pauperibus ritè dispensare? rationes accepti & expensi referre? Apage. Nam hoc vnicum est potius, excepta rationum relatione, totius Papistici cleri, & ipsius in primis Papæ, præcipuum ac omnibus commune munus: ita quidem solicitè vel auarè potius administratum, vt ex ipsis etiam ante multos annos mortuis grauissimum tributum exigant: viuis autem ne tantillum quidem gratuitò largiantur. Itaque nullus apud illos Episcopus siue presbyter Apostolicus, & Diaconus ne vnus quidem. Et tamen hi sunt qui successionem Apostolorum nobis obiiciunt. Quod si vel vnus ille vetus Canon, toties in vetustis Synodis iteratus, & verbo Dei prorsus consentaneus, valeret, quo irrita esse prorsus ordinatio censetur, in qua pretium interueniat, (vt præcipuas iustæ vocationis Ecclesiasticæ partes, examen videlicet, & cum totius Ecclesiæ libero consensu coniunctam electionem, ab ipsis penitus, si rem ipsam spectes, abolitas prætercam) quænam ordinationis Apostolicæ nota apud illos comperietur? nisi fortè volunt ordinem ab Apostolis institutum ludibrio habere, idem esse, atque illum per manus traditum diligenter custodire: & ex nuda insculpta imagine, ac non potius ex ipsa materia probos nummos ab adulterinis esse distinguendos contendant, præsertim quoties eandem vtrique imaginem præferunt.

In summa igitur quænā est Catholica ista Ecclesia, in qua pro vero Christo falsissimum idolum, saltem quod ad officium attinet: pro Verbo diuino puro, partim humanæ, partim verò diabolicæ traditiones: pro successione & ordinatione Apostolica manifestissima, & ipsi penè Satanæ detestabilis animarum Christi sanguine redemptarum nundinatio tam impudenter obtinet,

vt in

vt in ista quidem inquirere nefas esse velint, quin læsæ maiestatis, tum diuinæ, tum humanæ crimine, indicta causa, homines damnent: illa verò si concedas, nihil sit tam impium, tam blasphemum, tam cogitatu horrendum, quod sentire, dicere, scribere per ipsos non liceat?

Sed (inquient isti) etiam si nihil minus essemus quàm quod videri volumus, num consequitur vestris Ecclesiis conuenire Ecclesiæ Catholicæ nomen, quod nobis adimitis? Nequaquam. Itaque ex re ipsa iudicium fieri frustrà iam pridem postulamus. Nos igitur tres Ecclesiæ Catholicæ notas, verbi nimirum scripti semen, & restitutam à nobis rectam ac legitimam Ecclesiasticam vocationem ac successionem, penes nos esse asserimus. Hæc illi fortiter negant. Controuersia paucis decidi non potest, neque id ego nunc molior. Sed quod probandum susceperam spero à me factum, nempe falsas & adulterinas Ecclesiæ notas refutatas, veras autem demõstratas. Aliud enim est de iis notis, quænam sint, quàm penes quos sint disceptare. Quia tamen paucis quàm illæ apud illos non sint ostendi, hoc mihi quoque dicere nunc liceat, duas saltem grauissimas coniecturas pro nobis contra illos facere: nempe quòd in dogmatibus diiudicandis in vnico verbo Dei scripto, id est, Propheticis & Apostolicis scriptis acquiescimus: quòd eius interpretationem ex vnica locorum collatione & articulorum fidei analogia peti postulamus, nec tamen vllius seu veteris, seu recentioris scripta repudiamus, modò ad eandem illam normam, nempe ad Dei verbum & analogiam fidei exigantur. Quid illi verò tam æquis postulatis opponant, satis constat. *Nostras Ecclesias habere veras omnes Ecclesiæ Catholicæ notas, ac primum quidem, purum putum Dei verbum.*

In successionis verò & ordinationis argumento paucis abhinc annis putarunt se certiorem nostri oppugnandi rationem inuenisse. Quærunt enim magno supercilio, vt ostendamus quibus successerint qui nostra memoria Ecclesias nostras constituerunt, quasi nos non magis quàm Donatistæ monstrare originem possimus. Respondemus doctrinam quam tuemur, ab Apostolicis vsque temporibus, quantumuis inualescentibus hæresibus, & Romanis ac aliis ab ista meretrice inebriatis pseudepiscopis, illam per aliquot secula quibuscunque modis licuit conspurcãtibus, tamen ad nostra vsq; tempora perstitisse, & ad finem vsque seculorum perseueraturam: ab annis autem circiter ducentis, cœpisse hanc Euangelii lucem ex latebris in quas illam isti detruserant, singulari Dei beneficio rursus in Occidente ex Papistico luto emergere, donec repositis quæ ablata fuerant candelabris, electi populi ad eam hinc & inde confluerent. Ad sacri verò Ministerii successionem quod attinet, dicimus mysterium illud iniquitatis quod suo iam tempore cœptum fuisse testatur Apostolus, non nisi successu temporis peractum, ac proinde Romanam illam veterem Ecclesiam nonnisi paulatim ex Apostolica Apostaticam euasisse: neque alias Ecclesias, sicut ex historiis apparet, statim à fundamento descíuisse, sed tum demum quum in illa quidem pseudepiscopus & perditionis filius, sese vniuersale caput Ecclesiæ vocans, tãdem sese supra ipsum numen sustulit: in aliis autem regionibus ab ista meretrice fascinati Reges ac Principes, adeóque ipsi Pastores, sese ad Antichristi pedes summisere. Id autẽ quando & quibus gradibus & artibus sit effectum non aliunde meliùs quàm ex ipsa Pontificũ vita ab idoneis scriptoribus explicata non modò cognosci, sed etiam ipsis penè oculis perspici potest: ita congruentibus euentis cum Apostolicis prædictionibus, & eruditorum, tum veterum, tum etiam quorundam recẽtiorum explicationibus, quos ne aduersatii quidem nostri reiicere audeant, vt quod de suo ministerio dixit olim Apostolus, iis demum tectum fuisse suum Euangelium qui perirẽt & quos Deus huius seculi excæcasset ne illis irradiaret lumen Euangelii gloriæ Christi, id verissimè nunc nobisde ista perdita Antichristiana colluuie nomen Ecclesiæ Catholicæ emẽtita testari liceat. Itaque antecessores post Apostolos habemus illos ipsos orthodoxos, non tantùm Romanæ Ecclesiæ, sed aliarum etiam Ecclesiarum Pastores, quorum successionem ab istis Lupis & Tyrannis abruptam, nos Dei gratia tandem instaurare cœpimus: tantum abest vt vel nos legitimo successionis argumento destituamur, vel illi successionem vllam Apostolicam proferre possint. *Nostras Ecclesias verã habere Apostolicam successionem.*

Ergo inquiunt, vbi ante annos circiter ducẽtos erat Ecclesia illa Catholica visibilis? Respondet pro nobis Christus ipse tum fuisse & adhuc esse aliquatenus in sceleratorũ colonorum manibus, qui & ipsi missos Domini seruos, atque adeò filium ipsum, quãtum in ipsis fuit rursus extra vineam eiectum trucidarunt: & eius loco verbo quidem Christum, quo populos ludificantur, reipsa verò sceleratissimum quemcunque ex suis nancisci potuerunt & possunt substituerũt. Sed bene est, quòd neque re ipsa eiici rursum æternus illius vineæ custos, neque rursum trucidari potuit qui Deo viuit, & nunc rursum apparens illam vineam cœpit bonis ac fidis colonis elocare. Respondet etiam nostro nomine Paulus prædicens quod impletum cernimus: nempe vsurpaturum fuisse sibi templum Domini perditum illum, donec cum rursus Dominus retegeret. Respondet etiam Ioannes mulierem illam puerum recens enixam cum puero suo aduersus Draconem Regum ac Principum potentia fretum in solitudine delituisse, & vrbem illam sanctam interea, non ad exiguum momentum, sed mensibus quadraginta duobus, siue diebus mille ducentis sexaginta, permansisse. Ac nos quidem calculum istorum dierum subtilioribus relinquimus, rem ipsam duntaxat vrgemus. Itaque, vt apertiùs loquamur, dicimus tantisper dum magnus ille Michael appareret, verbi sui gladio quem fidis seruis suis rursum commisit, siue oris sui spiritu, Draconem illum paulatim conficiens, Ecclesiam Catholicam (id est, quantumuis exiguum numerum veri Christi tum personam tum officium retinentium) in Babylonis Romanæ sordibus, perdito illo cum suis Angelis sedem ministerii vsurpante & meretrice septem suis montibus insidente & mundum inebriante, delituisse. *Ecclesiã Catholicã fuisse & aliquatenus adhuc esse in Papatu, quamuis Papatus non sit Ecclesia Catholica, neque illius pars.*

Nn.i.

Quo sensu Ecclesia vera dicatur visibilis.

Sed, inquiunt, visibilem semper esse hanc veram Ecclesiam oportuit. Ad hoc verò si respondero, visibilem quidem semper fuisse & futuram Ecclesiam veram quatenus ex veris visibilibus membris constat, neque inanis est chimæra: & quatenus etiam notas externas & conspicuas habet: non autem quasi semper ita conneniant veram religionem sectantes, vt & qui sint & vbi sint digito quiuis commonstrare posit, dixero certè quod res est, & quod est à me paulo ante rationibus & exemplis demonstratum. Sed ne hùc quidem refugio. Dico enim, memoria ab ipsis vsque Apostolis repetita, qui hunc perditum & totam ipsius pseudecclesiam veluti digito commonstrarunt, seculum vix vllum fuisse in quo simulatque Antichristus iste caput exerere cœpit, aliquos non excitarit Dominus qui sese illius tyrannidi opponerent. Istud si negent, sponsionem faciant, sed datis vadibus, Ni ex testibus idoneis, & claris, euidentibus, perspicuis testimoniis ex ipsis eorum archiuis depromptis ita sese rem habere cunctis, nisi vltrò cæcutire malint ostenderimus.

Penes nos esse veram manuum impositionem.

Sed ne sic quidem cohiberi possunt aduersarii, quin regerant, quam tandem manuum impositionem proferre posimus eos accepisse à quibus nostra memoria sunt Ecclesiæ nostræ constitutæ. Sic enim Spensam Sorbonicum doctorem (à quo postea spissum volumen, calumniarum plenum, editum est his de rebus) aduersum nos declamitare memini.

Manuum impositio quatenus habita sit ad legitimã vocationem necessaria.

Respondeo primùm quod ille ipse alicubi ex Hieronymo aduersus Luciferianos annotauit, quem locum etiam Gratianus in Decretum suum retulit, nempe manuum impositionem post Baptismum ad honorẽ sacerdotii potiùs quàm ad legis necessitatẽ pertinere. Sic igitur, inquam, sensit Hieronymus, quem illi inter sanctos suos inuocant. Sed excipient nimirum, illum agere de Impositione manuum Confirmatoria, non Ordinatoria, vt ipsi loqui solent. quod vt ita esse concedam, quamuis aliter sensit Spensa, quid eos ista exceptio iuuerit? Nam Cõfirmationem ipsi non modò inter Sacramenta numerant, sed etiam quum libet ipso Baptismo potiorem ducunt. Verùm hoc omittamus. Fatentur ipsi, (nisi à Bernardo dissentire velint, ep. 77. qui tamen & verbo Dei, & Augustini, atque Ambrosii quoque auctoritate nititur) adultos Baptismi contemptu, non priuatione ex Ecclesia expungi. Quidni verò ex impositione manuum ordinatoria idem multò magis dixerimus? nisi fortassis illam ad sacrum Ministerium magis requiri dixerint, quàm Baptismum ad salutem. Contempsisse verò impositionem manuum, quinam videri possunt magni illi serui Dei, qui nostra memoria, diuino planè impulsu, Ecclesiam ab Antichristi tyrannide asseruerunt, quum nullum habuerint à quo illam legitimè petere aut accipere, vel ex ipsis veteribus Canonibus, potuerint? Antea enim ostendi, & adhuc istud affirmo, in vniuerso Clero Romano, ne vnum quidem inueniri posse, qui legitimam suam ordinationem tueri ex puris & antiquis Canonibus posit. Quid quòd in ipsa quoq; purissima Ecclesia, non vsque adeo necessariam habitam fuisse manuum impositionem constat? Quis enim, obsecro, manus imposuit Philippo, vt ex Diacono fieret Euangelista? quis illis manus imposuit, qui in dispersione illa prima Hierosolymitana, insciis quoque Apostolis, Euãgelium in Samaria tanto cum fructu annuntiarunt? Sed, inquiunt, missi sunt postea Petrus & Ioannes, qui manus illis imponerent. Nempe iis qui crediderant, & baptisati fuerãt: at nulla fit eorum mentio, qui prius illis Euangelium prædicarant. Sed ponamus de his quoque istud intelligi. Ratum igitur habuerunt Apostoli quod illi, oblata occasione, etiam ante examen, & ante electionem ordinariam fecerant, nedum vt manuum impositionem ordinariam absolutè necessariam esse vellent. Quòd si isti sunt Apostolorum successores, quales haberi & dici volunt: cur non accurrerunt etiam ipsi, Apostolorum exemplo, vt piorum hominum zelum saltem approbarent? aut cur saltem Archiepiscopi Coloniensis illius conatum non adiuuerunt, potiùs quàm illum Antichristo Romano dederint: cuius etiam sceleris præmium Gropperus Cardinalitium pileum, dignum certè patella operculum, retilit? Nempe, inquient, quoniam hæretici estis. Ergo de doctrina, non de manuum impositione quæratur, &, vt confido, vicerimus. Sed illa rursum excipient, nascentibus primùm Ecclesiis, licuisse: nunc verò ordine semel constituto, idem non licere. Respondeo, fateri me magnam habendam temporum rationem, nec eos tolerandos, qui leges Ecclesiasticas bene positas violent. Sed quid si iustæ ac legitimæ ordinationis leges non à nostris violatas dicam, sed quum ab iis essent sublatæ ac deletæ, qui se illius ordinis custodes mentiuntur, studuisse nostros earum restitutioni ac instaurationi? Hoc enim ita esse ex eo apparet, quòd exceptis ritibus meritò antiquatis, omnia in verbo Dei, & veteribus puris Canonibus præscripta, ad vnguem in nostris Ecclesiis obseruantur, apud illos apertè negliguntur. Quis autem quum pastores communi conspiratione in lupos sunt commutati, expectandum dicat ouibus à lupis istiusmodi præsidium: & damnandum qui, Prophetarum exemplo, sese vltro lupis opponat? Priùs ergo disceptetur ista controuersia, quàm de ordinationis forma quæratur: & desinant isti pastorum habitum iactare, quum intus sint lupi rapaces. Christus certè nõ ex manuum impositione, sed ex fructibus, id est, doctrina & moribus, veros pastores à falsis distingui iubet. Quid ad hæc isti bullati pastores?

Miracula necessaria non esse probandæ vlli legitimæ vocationi sacræ, siue ordinariæ, siue extraordinariæ.

Coacti extraordinarias vocationes non semel & sine exceptione damnare, confugiunt ad Miracula, quæ volunt necessariò ad vocationem extraordinariam requiri. Sed siquis eos iubeat proferre ex quo tandem Scripturæ loco regulam istam deprompserint: tum illos vel obmutescere tanquam pisces, vel extremam impudentiam prodere necesse est. Primùm autem constat miraculorum donum fuisse semper arbitrarium, id est, in vnius Dei manu positum, qui certis temporibus & personis illud est largitus: itaq; in nullã regulam cadit. Deinde, quum nõ modò

Christus

Christus prædixerit,sed etiam historiæ veteres ac recentes testentur hoc donum esse tum veris, tum falsis prophetis commune, cuius fuerit dementiæ ex miraculis falsam missionem à vera discerni velle?

Ergo,inquies,cuiuis in Ecclesia licebit docere? Nequaquam certe. Quisquis enim vbi ordini locus est,eum aspernatur, hoc ipso testatur se à Deo non esse, ac proinde audiendum non esse.Itaq; meritò sunt hac ratione damnati Donatistæ verè schismatici: quoniam etiã si verissimũ fuisset quod Cæciliano obiiciebãt ,non erat tamen propterea Ecclesiæ violãdus ordo: & intolerabiles erant, quũ ex aliquarum Ecclesiarum defectione, vniuersum orbem apostatasse clamitãrent. Sed vbi ἀταξία vniuersalis grassatur ordinis specie,nec ab istius mali auctoribus remedium expectari potest,tum sanè, sicut exorto in vrbe incendio, cessantibus, aut vrbem ipsam incendentibus iis quos ex institutis vrbis oportuit ad illud restinguendum incendium accurrere, cuiusuis boni ciuis est extra ordinem aquam deferre,& flammis iniicere:ita in hoc longè periculosiore templi Domini incendio cuiusuis est pii hominis pro virili sese illi malo opponere: & pii Magistratus procurare,vt legitimus ordo instauretur. Sic olim Prophetæ, sic pii reges Ezechias & Iosias factitarũt:& nisi verè Christiani Imperatores, grassantibus hæresibus auctoritatẽ suam interposuissent,nulli magis Ecclesiam pessundedissent(sicut tandẽ factum videmus) quàm qui præcipuas sedes regebant.Quod si nihilominus extraordinaria vocatio nulla,Synodorũ illarum veterum tẽporibus,extitit: nẽpe id contigit,quòd ordo legitimus tunc in Ecclesia nõ esset prorsus abolitus,vt ab aliquot iam sæculis per Pseudepiscopi Romani tyrannidem factũ fuisse liquet, nulla ne tenuissima quidem vmbra præcipuarũ Ecclesiasticæ vocationis partium,nẽpe examinis & electionis relicta,& sola post fœdissimam nundinationem,histrionica manuum impositione, ad fallendum vulgus vsurpata. *Vnde falsæ vocationes propriè discernendæ sint.*

Verùm, vt ista non valeant, quæ tamen firmissima sunt, quid ad nos extraordinaria vocatio? Primos enim illos Patrum memoria domus Dei instauratores, VViclefum, Hussum Pragensem, Lutherum, Bucerum, OEcolampadium, Zuinglium, Pellicanum, Hallerum, & alios passim plurimos, constat manuum quoque impositionem,qualemcunque isti requirunt,à suis episcopis ad docendum habuisse,à quibus postea paulatim instauratæ sunt Ecclesiæ,in quibus veram, id est, verbi diuini præscripto consentaneam Pastorum, Doctorum & Diaconorum vocationem restitutam affirmamus. *Nobis ne illam quidem manuũ impositionem deesse quam pseudecclesia Romana falsò facit simpliciter necessariam.*

Sed hic rursum inuenisse sibi videntur ἄτακτοι nostri Ordinarii,in quo nos manifestè coarguãt. Negant enim etiamsi isti quos modò nominauimus, presbyteri fuerunt,propterea nos legitimè ordinatos,quum soli Episcopi presbyteros creent, ne dum vt Episcopi simus. Ego quidem illis libenter relinquo totum istum Episcopatus gradum, cuius apertè dico Spiritum sanctum non fuisse auctorem, sed humanam prudentiam, cui nisi animaduertimus Deum maledixisse, certè nihil ne nunc quidem videmus,& viperam in sinu fouemus, quæ rursum matrem necabit. Sed de hoc aliàs. Nunc tãtùm ex istis quæro vnde istud deprompserũt.Scilicet à Canone secundo Apostolico,quem vocãt.Atqui Gelasius Papa illos Canones inter apocryphos libros recenset:nẽpe opinor, quòd ad inscriptionẽ saltem attinet. Nimiũ enim sit impudẽs oportet, qui neget Canones istos non vno seculo editos fuisse:tantùm abest vt ridiculum illud figmentum, nescio cui Clementi attributum,& Græcè ac Latinè nuper editum,in quo introducuntur Apostoli sigillatim ista statuentes, à quoquã satis sani capitis homine cõprobetur.Sed quorsum ista pluribus? Euangelistas fuisse presbyteris,de quibus agimus,superiores(nam alioqui Petrus Apostolus sese etiam συμπρεσβύτερον appellat.1.Pet.5.1.)negare isti nõ ausint, vt qui ab Apostolo pastoribus & doctoribus anteponantur,Ephes.4.11. Atqui Timotheũ non episcopũ Epheso vel alii alicui Ecclesiæ addictum,sed Euangelistam & Pauli Apostoli asseclam,testatur ipse Paulus,manuum impositionem ne ab ipso quidẽ,sed à presbyterio,id est presbyterorũ cœtu,accepisse. Agãt igitur non cum Geminiano,vt dicere solent Iurisconsulti,sed cum Paulo ipso,qui tyrannidẽ pseudepiscopalem tueri volunt. Nos legitimè ordinatos esse eos demum arbitramur qui præeunte ex Apostolica norma doctrinæ & morum accurata inquisitione,liberáq; & sancta electione, ex totius Ecclesiæ cui præsunt consensu,Deo solennibus precibus,ipso etiã adhibito,si ita videtur, manuum impositionis ritu,eóque simplici,& nullis traditionibus humanis inquinato,consecrantur. *Presbyteri esse manuũ impositionẽ, non gradus episcopalis ab hominibus excogitata.*

Quæ quum ita se habeant,dico frustra proponi à pseudecclesiæ Romanæ fautoribus, tres illas Ecclesiæ notas,Successionẽ videlicet merè personalem, & ab Apostolica doctrina seiunctã Vocationem,& Manuum impositionem:tum quod nihil istorum sit per se vera, vel simpliciter necessaria, vel perpetua Ecclesiæ Catholicæ nota, tum quòd etiam,si ita esset, nulla tamen prorsus ex iis notis in pseudecclesia Romana,quæ se Catholicam falsissimè vocat cõperiatur. Cõtrà verò affirmo vnicam illam,veram,necessariã perpetuámq; Ecclesiæ Catholicæ notam, doctrinam videlicet Propheticis & Apostolicis scriptis perfectissimè comprehẽsam, in nostris Ecclesiis refulgere:veram deniq; personalem sacri veri Ministerii successionem,vocationem,ordinationem esse in iisdem nostris Ecclesiis restitutas:neq; nos Sionẽ deseruisse, sed ex Babylone, sicuti Deus monet,fugisse:neque Ecclesiam scidisse,sed Pauli factum in Ephesina Ecclesia secutos,Act.19.8. discipulos separasse:neque altare contra altare, exemplo Ieroboami aut Donatistarum erexisse, sed altari Damasci ex æde Domini eiecto, verum diuinũ cultum instaurare cœpisse: quod etiam opus confido,quantumuis per suos domi & foris obsistat Satan,tamen filio illo perditionis per Spiritum oris Dei tandem penitus prostrato,feliciter absolutum iri. *Conclusio totius tractationis*

1582.

DE COENA DOMINI, ADVERSVS IODOCI HARCHII MONTENSIS DOGMATA,

THEODORI BEZÆ RESPONSIO.



ONSTITVTA Sacramenti definitione, & in suas partes, id est, in signa & res significatas, partitione, mihi quidem videntur omnes de Cœna Domini controuersiæ, quibus & nostra & Patrum memoria, rantopere agitatam Ecclesiam videmus, ad has quæstiones commodissimè reuocari.

1 Quæ sint signa.
2 Quæ res significatæ.
3 Quæ sit signorum & rerum significatarum analogia.
4 Quæ signorum & rerum significatarum copulatio.
5 Quomodo percipiantur signa.
6 Quomodo percipiantur res significatæ.
7 Quæ sint Sacramentorum vsus effecta.

Nulla est autem istarum quæstionum, quam non deprauarit Satan infinitis modis, vt Sacramenta, vel in contemptum adduceret, ea extenuando, vel ea supra modum efferendo, in Idola transformaret: quò magis omnes Pastores, in quibus & ipse nomen meum profiteor, laborare de asserenda veritate in tanti momenti controuersia decet. De his igitur omnibus, & cum Papistis, & cum Anabaptistis, magna, quanuis non vnius generis, nobis editam in Heluetia Confessioné vt veram amplexis, contentio est. Cum iis verò qui Lutherani dici, & haberi volunt, duabus tantùm de rebus, nempe tum de signorum & rerum significatarum copulatione, tum de rerum significatarum perceptione controuersia superest: quibus de rebus aliâs à nobis plenissime, Deo fauēte, disputabitur. Nunc verò cum Iodoco Harchio quodam Montensi nobis negotium est, cuius librū VVormatiæ, si vera est inscriptio ante septem annos editū quum perlegissem, probaui quidem hominis voluntatem, qui hæc à se scripta sedandis istis controuersiis testaretur: sed illum ad tantam causam agendam credidi multò plus iudicii, confidentiæ verò multò minus afferre debuisse. Tacui tamen, & licèt vrgentibus nonnullis vt falsissimo sane ipsius dogmati, vtpote quo nouæ potiùs controuersiæ excitarentur, quàm veteres tollerentur, refutationem opponerem, silentio potiùs eiusmodi scripta esse obruenda respondi. Nullum enim fore arbitrabar, qui tam absurdis sententiis assentiretur: quæ spes quum me fefellerit, cogor amicorū precibus, quàm hæc vana sint demonstrare, id est, penè cum ratione insanire. Adscribam autē primo loco ipsius Iodoci verba ex variis eius libri paginis optima fide descripta, vt quæ sparsim, & prorsus perturbatè scripsit, adeò denique ἀσαφῶς & obscurè, vt de industria texisse potius quàm apertè suum dogma spectandum proposuisse videatur, meliùs appareant: & ne quam etiam, homini præsertim, vt audio, iam mortuo, iniuriam in ipsius erratis annotandis, & refutandis, fecisse me quisquam suspicetur.

Ex pagina 12.

QVÆ precor est illa gratia quā Dominus addidit pani & vino? Respondet Augustinus vt
" *supra, Spiritus & vita, hoc est verbum viuificum & Spiritus sanctus. Non igitur amice lector,*
dat nobis Christus corpus illud suum viuificū, crucifixum olim, ore in Sacramento manducandum, sed spiritualem suam carnem & diuinā, impalpabilem in visibili hoc sua carnis nutri-
" *mento dat nobis mente potissimùm degustandam, suæ nimirum diuinitatis substantiam: quæ vt vbique est per generalem præsentiam, ita non nisi per verbum & in nobis est per specialem habitationis gratiam, & potissimum in hoc Sacramento: cui certè carni, vt ait Augustinus, vtrobique debemus quoque specialem latriæ cultum, externis verò illis rebus, in quibus sic habitat, sanctis scilicet hominibus & Sacramentis (ne quis in posterum putet, ea sic contemni de-*
" *bere, vt hactenus factum est, proh dolor!) specialem venerationem. Substantiam ergo diuini-*
" *tatis accipimus in Sacramento, & cum hac licèt similem, non tamen eandem numero (& nota)*
" *corporis sui visibilis substantiam.*

Pagina

Pagina 13.

In Sacramento solam suam dat tibi diuinitatem, non animatam humanitatem, siuè carnem.

Pagina 14.

Spirituale & impalpabile est corpus quod nobis dat Christus in alimoniam spiritualem, inuisibili luce sua carnis Sacramento contentam. Impalpabilem igitur dico esse, quod nobis vel extra Sacramentum, vel cum Sacramento, sed fide erutum, & propter certum Dei verbum in panem illapsum, datur manducandum, & intrò in animam recipiendum realiter & verè.

Pagina 15.

Corpus Christi naturale non suscipitur ore à fidelibus in Sacramento, sed spirituale illud & diuinum: de quo in Threnis capite quarto dicitur, Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Id exponens Ambrosius de Sacr. Corpus, inquit, Christi, corpus diuini est spiritus. proinde verbum illud æternum, quod caro factum est, & Spiritus sanctus, in Sacramento nobis proponuntur, & à fidelibus, in animam fidei ore admittuntur: quæ tamen mirabiliter vnita pani & vino, panem & vinum suo modo carnem & sanguinem Christi efficiunt: ex quibus etiam alitur caro Christiani.

Pagina 16.

Quódnam corpus, precor, Christo vnitum est vt homini, nónne corpus diuini spiritus, nónne Verbum Dei æternum, nónne ipsa Christi deitas, quæ suo modo dicitur corpus?

Pagina 19.

Magna cum laude asseruerunt hactenus aliquot Euangelici, D. Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, Beza, Dathenus noster, Petrus Martyr, Christum, in quantum homo est, non nisi fide & spiritualiter, aut (si mauis) spirituali contemplatione passionis eius manducari. Vnum illis videtur deesse, quod modum manducandi non adeo studiosè explicarunt. At nos pro modulo facultatis nobis à Deo concessæ, adeò firmiter rationem manducandæ naturalis carnis Christi sola fide & spiritualiter tantum fieri asseremus, & eius rei modum ita lucidè exponemus, vt ampliùs non sit futurus (ni fallor) contradictioni locus. Quòd si igitur quis, mei consilij ignarus, quærat, cur alienis vestigiis insistens actum agam, Respondeo, frustra equidem & id attentaturum fuisse, nisi simul id quod Neotericis illis Euangelicis defuerat, subsidio veterum Patrum & doctorum resarcire pro spe reconciliationis aniterer. Nam sicuti nemo non multis efferat encomiis illorum & diligentiam, & industriam, quæ aliquot Pontificiorum (non enim omnes ita senserunt) impium dogma subuerterunt: ita nemo est, qui non dolere debeat, illis tam peruacuræ fuisse, vt quemadmodum spiritualis, etiam Sacramentalis manducationis & dignitatem patefacerent, & rei veritatem digna veneratione celebrarent. Quum enim nonnulli ex iis videantur Sacramenta pro nudis signis habere, nec vllam rem spiritualem, vim aut energiam cum signo realiter coniungere simul & ineffabiliter, & sic diuinam institutionem minuere: verendum est (si animo hoc peruerso & ambitioso fiat) ne parem condemnationem subeant cum illis, qui verbo Domini addunt: & tam rei sint, qui vllam Domini carnem, aut (vt melius) vllam carnis eius substantiam in Sacramento manducari aut negant, aut dissimulant, quàm qui simpliciter ipsam, quæ in cælo est dentibus atteri defendunt. Est quidem posterior hæc opinio nefandissima, fateor, & intoleranda: prior tamen non est dissimulanda, nisi Dominum nostrum Iesum Christum, qui se ad infantiã nostram accommodat, contemnere velimus, qui in sensibilibus dignatur nobis dare insensibilia & inuisibilia, quia sumus corporei: vnde etiam factum est, vt inter Mart. Lutherum & Philippum Melanchthonem, nunquam satis laudatæ & pietatis & eruditionis viros, tum inter ipsum D. Zuinglium & Oecolampadium, Caluinúmque nulla potuerit hactenus inueniri sarciendæ concordiæ ratio. Lutherus enim examinata veterum Patrum doctrina facile collegit aliquid reale esse cum pane post consecrationem quam vocant, aliquid, inquam, carnis dominicæ quo aleretur caro Christiani, vt interim anima de Deo satiaretur. Verùm quoniam eam carnem ipsissimum corpus esse voluit, aut voluisse creditus est, quod Christus habet in cælo cum Pontificiis, & (vt paucis dicam) Christum ipsum realiter esse cum pane & manducari ore: non mirum est si ei restiterunt & fortiter & laudabiliter tum Zuinglius tum Oecolompadius. Contrà. quum ipse Zuinglius videretur Luthero & suis omnia trahere ad

spiritualem manducationem, nihilque reliquis facere in Sacramento quo reuera aleretur præter communem vsum caro Christiani, factum est vt pari obstinatia nec minus laudabili cum conatu illis contradixerit. Interim hac dissensione adhuc in hodiernum diem perdurante, & religio penè abyt pessum (proh dolor) & reuerentia circa Sacramenta penitus intercidit, & eorundem suscipiendorum feruens & quotidianum desiderium penè est collapsum. Proinde vt concordia aliquam viam inueniamus, neque tamen aut ad sinistram, aut ad dextram veræ doctrinæ viam declinemus, spiritu Dei nos per gratiam adiuuante, dicimus ipsum Zuinglium simul & Oecolampadium aliósque, Christi manducationem spiritualem bene asseruisse, & magna cum laude cum Athanasio pronuntiasse, corpus Christi nos spiritualiter nutrire è cœlo, quoties vera fide erecti in cœlum Iesum Christum & fatemur & aspicimus pro peccatis nostris (quibus tamen mori statuimus) quondam natum mortuum tandem & crucifixum: Cuius resurrectionis beneficio tum omnium bonorum eius simus participes, tum spiritualis carnis & sanguinis ipsius occulta & potenti opera S. sancti consortes. Et hæc est pulcherrima illa dispensatio carnis Christi, & sanguinis potatio spiritualis, quam si fuissent edocti Capernaitæ, non ita temerè ad Domini verba exhorruissent. Eam quoque si & nos hodie reciperemus, nihil horrendi, nihil impy aut doceremus, aut committeremus manducando, tantùm sub assueta recordatione passionis Christi, spiritualiter totus Christus manducaretur, & illius caro veluti in partes comminuta, aut distracta in viscera cordis traijceretur. Vnde exurgeret in anima mirus charitatis sapor, mirabile amoris delectamentum.

Pagina 23.

Sacramentum vocatur corpus Christi, idque non sine ratione. Nam licèt naturale corpus Christi ibi nō sit localiter aut corporaliter cum sua anima, sed nomine tantùm, virtute & imagine (vti postea dicemus) ab ea tamen veluti à typo ad veritatem scilicet, ad corporis quod in cœlo est contemplationem inducimur (si cœlestium aliquod nobis superest desiderium) vt postmodùm in eius quod est in Sacramento possessionem inducamur.

Pagina 26.

Intelligis igitur & percipis, amice lector, quomodo in pane lateat gratia corporis Christi, lateat eius natura, dotes & virtutes, & quomodo illa erui possint, hoc est manducari, extenta scilicet fide & amore cordis sursum ad signata, priusquam manu visibili & carnali ad signa. Verùm si nec tibi satis est coniungi Christo in virtutibus, in natura aut dotibus, sed vis quoque substantiam corporis ipsius tibi impartiri, & eam habes in Sacramento visibili, habes & eam in teipso.

Pagina 27.

Duæ sunt carnes Christi, non numero sed natura & specie eadem, & sibi similes, vti dicemus: quarum altera quæ est illi naturalis, & è Maria virgine sumpta, in cœlum gloriosa ascendit, altera quæ est in Sacramento virtute & potentia, facta ex pane & vino, in alimoniam corporis Christi mystici, hoc est omnium fidelium quotidie sumpta transit, à qua fideles corpus Christi dicuntur. Si igitur vis carnis Christi verum experiri gustum, & tibi non sufficit Sacramentum, tuum arripe & deuora brachium. Nam non aliter differt caro Sacramenti à tua carne (modo verè fidelis sis) quàm quòd tua est in actu, illa in potentia, vtraque per gratiam.

Pagina 28.

In pane est caro potentia similis illi specie, quam ipse gestas in corpore: ergo sumens panem, sumis tuam carnem. Iam quum in panem sese infuderit Verbum viuificum, & Spiritus sanctus, Sacramentum autem hoc sit apparatum iis qui Spiritum sanctum habent, & fideles sunt denique & per Baptismum regenerati, sequitur quod fideles, qui in charitate, vnitate, veritate perseuerant, hinc accipiunt nutrimentum pietatis, veritatis, charitatis, vnitatis, quæ sunt (teste Augustino) ipsum corpus Christi spirituale. Ista igitur sunt quæ videntur omisisse Neoterici aliquot Euangelici D. Zuinglius, Caluinus & aly. Omiserunt inquam docere populum (quod seueriter vult fieri Cyprianus) quomodo panis fiat caro Christi, ex qua alitur caro Christiani. Nam in eius rei cognitione totum pendet mysterium & dignitas Sacramenti. At D. Zuinglium facilè excusabit, opinor, diuus Cyrillus, qui in Ioan. scribens, lib. 2. cap. 47. sic ait, Attendamus, obsecro, nos qui docendi potestatem accepimus, melius esse vt simpliciter fidem, quàm profundiori ratione diligentiùs expositam Neophytis tradamus. Nam & lacte Paulus nutrit, &c. Ex hoc colligis lector, non apud omnes fidei mysteria esse promulganda.

ganda. Proinde satisfecit D. Zuinglius rudi suo tempori, & populo, iamdudum in idololatria submerso, docendo quod Eucharistia *non esset Christus, nisi forsitan eo modo quo petra erat Christus, de qua dicit Augustinus, Petra erat Iudæis Christus, nobis Christus quod super altare ponitur.* Iam *autem quum populus Christianus magnos fecerit in fidei cognitione progressus, aliqua opera succedentium Euangelicorum, sine periculo docere, & possumus, & debemus, quomodo* Eucharistia *sit caro Christi.*

Pagina 31.

Scias Sacramenta non esse nuda signa, aut illis diuinitatem adesse vulgari modo, sed ineffabili. Quocirca etsi certum est fidelem omnem ali verbo viuifico, & proinde spirituali carne Christi etiam extra communionem, quotienscunque fideli oratione sibi tale alimentum à Patre Deo propter Christum deposcit: Vt tamen Deus imbecillitati fidei nostræ sese accōmodaret, & conuentus fidelium stabiliret, haberemúsque visibile nostræ resurrectionis symbolum in visibili sua carnis nutrimento stabilitum, denique vt certo sui contactu nos foris & intus sanctificaret, voluit quoque, & in Sacramentalem panem ineffabili modo infundi, vt tibi corporeo in corporalibus quoque sese misericorditer insinuaret. Proinde quicunque hanc ineffabilem diuinæ maiestatis præsentiam, (nam aliâs etiam suo modo vbique est) in Sacramento non docent, & annunciant, qua fit vt panis, qui potentia caro est, in carnis Christi virtutē & naturam transeat, minuit Sacramenti dignitatem, inde & circa Sacramenta deuotionem: & per consequens resistere videtur Christo præcipienti & dicenti, Accipite & manducate. Ipsa *est ergo diuinitas siue verbum viuificum quod se infundit in panem, manente in cælo Christo, sic tamen vt illa diuinitatis præsentia cum pane, panem efficiat carnem Christi in potētia, ex qua alitur caro Christiani.*

Pagina 32.

Carne Christi (quæ est in Eucharistia) carnes nostræ vera nutritione aluntur. Somniant ergo (ne quid durius dicam) qui in Cœna Domini solam alimoniam spiritualem affectant, & sacramentalem siue carnalem vel ignorant vel respuunt. Qui contra Cyrilli doctrinam Euāgelio consonam nos vniri tantùm Christo per Spiritum, & non per carnem affirmant.

Pagina 32.

Panis & vinum altaris transeunt in virtutem carnis & sanguinis Christi, virtute ineffabilis præsentiæ diuinæ, aut (quod idem est) ratione mysticæ benedictionis, vt vult Nyssenus, & Nysseno consentiens ipse Cyrillus.

Pagina 36.

Nota bene amice lector, vt scias quæ fuerit fides de Eucharistia *per vniuersum orbem huius sanctissimi viri tempore. Credebant enim* Eucharistiam *esse corpus, siue carnē Christi potentia, & habere eius imaginem, non tamen Christo per omnia similem aut æqualem, sed per gratiam siue ad mensuram.*

Pagina 37.

Ergo conclude lector, Eucharistia non est Deus: Nam licèt Deus infuderit & coniunxerit se pani ineffabiliter, non tamen assumpsit eum sibi in vnitatem personæ, vnde verè Christus dici possit: substantia tamen est carnis Christi viuifica & creatura nobilissima (fateor) at vt ait Ambrosius *lib. 4. de Sac. creatura licèt solennis. Vnde etiam patet, quòd nō per vulgarem gratiam adest Deus Sacramento, sed per mirabilem & ineffabilem.*

Pagina 38.

Panis & vinum altaris per verbum Dei à legitimè ordinato ministro pronuntiatum, fiūt mox etiam ante māducationem, caro verbi, & sanguis verbi, non sanguis carnis. fit igitur vinum sanguis Christi non formaliter. sed virtute, sanguis inquam Christi non idem numero, sed specie idem cum sanguine quem Christus habet in cælo, vel (vt mox dicemus cum Cyrillo) idem sanguis per affinitatem: aut cum Epiphanio, idem per gratiam. Est igitur sanguis potentia non actu, sanguis verbi nō carnis. Nam vt fiat actu sanguis, aut caro, debet māducari non circūgestari, & nutritionis ordine in veram carnem conuerti, & nostræ carni assimilari.

Pagina 39.

Si panis quem Christus comedebat non erat caro actu ante manducationem, sed potentia, ita neque nunc est in altari. Erat quidem & fiebat diuinus in Christo propter diuinitatem in

Christo habitantem. Sic & nunc est & fit diuinus in altari, propter infusam illi diuinitatem per Verbum. Vnde caro quæ ex pane illo in nobis per concoctionem efflorescit, quum sit caro diuina, efficit vt magis simus diuini: quum sit sancta, efficit nos sanctiores. Quod si dicas mihi, cur Dominus igitur vocat sanguinem, si non est verus sanguis, cur carnem, si non est vera caro, & informa, vt dicunt? Non respondebo tibi vt faciunt Pontificij, qui dicunt id factum à Domino vt horror carnis euitetur, quoniam horrendum est comedere crudam carnem, propterea voluisse eam Dominum tegi accidentibus. Nam obsecro, nónne æquè horrendum esset si quis diceret, Accipe, comede, hæc est caro Patris tui tecta saccharo, æquè, inquam, horrẽdum, acsi non esset tecta? Audi igitur August. de Genes. contra Manich. affirmantem phrasim esse Scripturæ passim vsitatam, vt aliquid dicatur esse quod non est, sed quod vel mox erit, vel esse potest. Informis, inquit, illa materia quam Deus de nihilo fecit apellata est primò cælum & terra, non quia iam hoc erat, sed quia esse poterat. Nam & cælum dicitur postea factum. Quẽadmodum si semen arboris postea considerantes, dicamus esse radices, & robur & ramos, & fructus & folia, nõ quia iam sunt, sed quia inde futura sunt. Innumerabiles tales loqutiones in Scripturis diuinis reperies. hæc Augustinus. Ex quo discis lector nihil esse absurdum quod dicimus, panem Eucharistiæ nõ esse carnem actu, etsi sic apelletur, sed quia manducatus ab homine fideli, & eo qui est corpus Christi, transit demum in carnem actualem, vt sic dicam, licèt antea vim, virtutem, energiam carnis Christi habuerit.

Pagina 42.

Duo genera sunt eorum qui manducant Corpus Christi, vnum infidelium & hæreticorum, qui totum quidem Sacramentum manducant & proinde corpus Christi, sed nomine & Sacramento tenus: alterum eorum qui in vnitate fidei in Ecclesia *perseuerant, & hi rem accipiunt Sacramenti (vnitatis fidei donum scilicet:) quæ quoque (vt alibi August.) nonnullis cedit ad vitam, alijs ad mortem. Tertium restat, & est eorum qui & Sacramentum & rẽ, & fructum Sacramenti (qui est Spiritus sancti & caro Christi spiritualis) percipiunt.*

Pagina 45.

Corpus quod dat Dominus vel contemplationis fidéique ore suscipiẽdum, citra panem visibilem extra cœnam nobis orantibus, vel quod in Ecclesia *dat cum vel in pane, est corpus Verbi æterni, quod tamen in panem illapsum mirabili & ineffabili modo, panem facit trãsire in substantiam illius carnis, quam sursum euexit in cælum, éstque cum ea eiusdem generis caro, ex qua verè alitur carnis nostræ substantia. Manet ergo substãtia vini, licèt spirituali mutatione transeat in naturam sanguinis Christi. Sic stabilitur pulcherrima & minimè horrenda manducatio carnis Christi, eius, inquam, carnis quæ fit ex pane & vino, & est in Sacramento.*

Pagina 45.

Si igitur qui Augustanæ sunt confessionis de tali substãtia carnis Christi intelligunt, quũ docent in suis Catechismis, Christum verè, scilicet secundum diuinitatem, & substantialiter per substantiam carnis, quæ fit ex pane & vino, per gratiam adesse Sacramento, nihil absurdi aut à Scriptura, aut à Patribus alienum hactenus docuerunt.

Pagina 47.

Panis Eucharistiæ est caro Christi potestate & virtute, non actu, per gratiam, non per naturam, denique caro quæ facta est ex pane & vino, non quæ ex purissimo Mariæ virginis sanguine, nisi speciem accipias pro indiuiduo, aut partem pro toto, qua ratione dicebat Augustin. Accipe in pane quod pependit in cruce, & bibe de calice quod effusum est de latere. Nam reuera diuinitas & æternum Dei verbum sumitur cum pane, quod aliquando pependit (loquendi quodam modo) in cruce.

Pagina 48.

Quocirca certum nunc est eos errare qui nihil agnoscunt in pane, aut carnis dominicæ, aut maiestatis diuinæ. Deinde & eos grauiter falli, qui eandem numero substantiam carnis Christi ponunt in Sacramento cum illa quæ est in cælo. Proinde fœdè, & forsitan damnabiliter nonnulli, qui Augustanæ sunt confessionis, in tali sententia persisterent. Licèt enim (vt bene dicit Cyrillus in Ioannem*) Christus & spiritualiter & carnaliter sit vitis, nos palmites, vnde Christus nostri generis carnem habet, & nos quoque eiusdem substantiæ carnem cum ipso habeamus, proinde vnum simus vnitate in Christo, sicuti palmites eiusdem substantiæ sunt cum trunco & vite, palmes tamen truncus non est, nec Petrus Christus est: quare etiã & hac inferò, quod etsi substantia panis mirabili infusione diuinitatis facta sit substanta carnis Christi,*

propterea

propterea tamen panis Christus non est, nisi nomine & per gratiam, nec eius caro, nisi natura & specie.

Pagina 49.

Quòd ad me attinet, & credo, & ad mortē vsque credā in re Sacramenti, & aliis fidei mysteriis, Deo iuuante, Cypriano, Iren. Neocæsariensi, Aug. Orig. Athan. & eiusmodi tū sibi consentientibus in hac re, tum Scripturæ, præterea concordi voce docentibus, quòd Sacramentum corporis Christi aliquo modo corpus Christi est, quem modum ex Nysseno explicabimus, Ex quo didicimus ratione mysticæ benedictionis, quam accipimus in pane & vino, nos vniri Christo per carnem, vt homini, & per S.S. vt Deo. Et licet quoque id quotidie fiat spiritualiter citra Sacra. fit tamen per Sacr. ad imbecillis fidei nostræ robur magis efficaciter. Quum enim per peccatum contra conscientiam siue mortale quis Spiritum sanctum contristauit, & à se expulit, vt nonnisi praua pœnitentia eáque serta propter Iesum Christum fide reuocatur, ita si reuocatum & quasi redeuntem percipere certo argumento volumus, multo melius id ex Sacramento, cui sese infudit cū Verbo ineffabiliter, quàm ex secreto illapsu cognoscemus. Adeūda igitur est Ecclesia, & panis ille diuinus à Domino de sacerdotis manu petendus & suscipiendus, tum ad redeuntis gratiæ sanctique Spiritus certitudinem, tum ad augmentū nostræ fidei, quinimò ad spirituolis potissimum olimoniæ incrementum.

Pagina 53

Quantò melius omnes Patres, qui constituunt panis substantiam, qui, quum sit potestate caro, accessione Verbi viuifici transit in carnem diuinam, & proinde in Sacramētū carnis Christi. Sic iuxta id quod habet materiale Eucharistia transit in nos, iuxta id quod habet spirituale; transimus in illud & fimus spirituales, quia hac ratione pascimur carne Christi spirituali, spiritualiter tamen.

Pagina 53.

Et Christus in nobis propter affinitatem carnis qua illi coniungimur. Audis affinitatē carnis, vt scias substantiam carnis quæ est in Sacramento, & qua alitur caro Christiani, non esse eandem identitate numerali cum Christi carne, sed eiusdem generis & naturæ, siue similem, similem dico, non ipsam eandem.

Pagina 54.

Duæ proinde Christi carnes siue duo illius corpora manducari debent, si vera & animæ corporísque salutaris communio celebrari debet. Vna est Christi caro quæ in cælo est gloriosa, quæ sola fide & contemplatione desiderióque virtutum manducatur, & è qua mystica benedictio siue spiritualis caro & in panem & in nos tempore Cœnæ præsertim, defluit. Altera est caro Sacramenti visibilis & tangibilis, quæ & ore & fide (nā habet aliquid quod per istud os intrare debet) manducatur ad corporis, & animæ potissimùm, nutritionem.

Pagina 55.

Visitatus cibus Christi erat panis, qui sicuti propter habitantem in Christo diuinitatem fiebat diuinus quum manducaretur, ita noster panis propter verbum illi additum per verbum, Hoc est corpus meum, transit in naturam Verbi, & quum sit caro potentia, fit Caro Christi qui est verbum Dei: proinde caro diuina, propter habitantem in ea diuinitatem. Dicet hic aliquis, Si diuinitatis præsentia in pane aut vino facit panem esse Sacramentum carnis Christi, ergo omnis panis etiam communis, est Sacramentum corporis Christi. Nam si diuinitas omnia implet & vbique præsens est, ergo etiā in omni pane & omni vino: quid igitur opus pane altaris? Audi amice lector, quid respondet Augustinus epistola ad Dardanum. Vbique quidem inquit, & totus est Deus per diuinitatis præsentiam: sed non vbique per habitationis gratiam: deinde etiam in quibus habitat nō æqualiter habitat: nam vnde alii aliis essent sanctiores, nisi abundantius habendo in se habitatorem Deum? hæc ille. Est proinde (fateor) Deus in pane tuo vulgari per diuinitatis præsentiam, sed non per habitationis gratiam: proinde nec corporis & sanguinis Domini proprium Sacramentum.

Pagina 56.

In altari tria proponuntur, aut potius quatuor, vt lucidioris doctrinæ gratia omnia explicemus. Primò vides panem quē qui solo ore sumunt, si animalia fuerint irrationalia, sumūt solùm ad beneficium præsentis vitæ, si fuerint rationalia sumunt illum etiam & ad eum finem, sed quæ si in infidelitate perstiterint, quum etiam sumant cum pane Deum per generalē præsentiam diuinitatis, iudicem accipiunt non Saluatorem. causam si requiris, respondeo cum

Paulo, O altitudo diuitiarum, scientiæ & sapientiæ Dei. & venio nunc ad fideles. Ex his igitur sunt qui accipiunt panem, cui vnita est diuinitas per habitationis gratiam: sed quia talis non adest nisi operante Spiritu sancto, tria in altari proponuntur, panis ex cuius simili substantia aucta est substantia corporis Christi, diuinitas fauorabilis, tertium Sp. sanctus. Fidelis ergo credens æternum Dei filium incarnatum, si fuerit extra peccatum mortale, suscipit ore substantiam carnis, cui adest diuinitas Christi fauorabilis siue per habitationis gratiam: proinde Patrem habet in se habitātem & Filium per fidem. Iam cùm Spiritus sanctus efficiat & operetur, vt hoc pacto adsit Deus pani Sacramentali, si dilexerit Christum, accipiet etiam simul in se operātem Spiritum sanctum. quòd si diliget Christum, diliget quoque domum habitationis Christi: ac cùm Christum credat ex mortuis rediuiuum iam relicta terra in cælos ascendisse, debebit quoque relictis terrenis ad spiritualia contendere, hoc est transire à vitiis ad virtutes, quarũ summa est Charitas: ergo charitate & dilectione retinetur & totus possidetur Deus. Quũ igitur sint qui plus, alÿ minus diligant, fit (teste Augustino prædicta Epistola ad Darda.) vt alÿ alÿs sint sanctiores, abundantius habendo in se habitatorem Deũ: vnde fit (forte) vt quum panis abundantissimè habeat in se Deum, meritò Sanctum sanctorum dicatur. Qui igitur nihil diligunt (sunt autem illi omnes qui in peccatis mortalibus perseuerant & fide historiali tantùm credũt in Christum) hi præsentia diuinitatis Christi beneficio indigni ad iudicium æternæ mortis accipiunt Sacramentum. Verùm de his toto hoc libro non loquimur, vtpote ad quos non pertinet cæleste hoc de quo loquimur nutrimentum.

Pagina 62.

Si rectè communicamus, ad Christum sursum mentem dirigere debemus, quia nimirum eum realiter esse in pane non credimus, non quòd nihil sit in pane verbi viuifici & spiritualis alimoniæ, sed quia quicquid inest quod inest, & in nos & in panem à sancta Christi carne defluere debeat, veluti lumen à Sole.

Pagina 63.

A Christo veluti maternis mamillis defluit in nos panis Angelorum, & sic Verbum in nobis fit caro per habitationis gratiam non per illam vnionem admirabilem & hypostaticam quæ facta est in Christo in Maria virginis vtero benedicto. Quoniam ergo hoc verbum viuificum quod in solo Christo filio Dei corporaliter habitat, à sancta carne Christi, quæ totã viuificandi vim hausit, & in Sacramenta, & in nos defluere debet: non mirum si appositè dixit Raban. & Augustin. quòd si rectè communicamus, ad Christum. qui in cælo est, mentem dirigere debemus, vt ex ipsius sinu æternum Verbum exugamus. Proinde sicuti hæc diuinitas est quæ in Christo corporaliter habitans, & hypostaticè ineffabilitérque illi vnita Christum facit Deũ absolutè, semper salua hominis proprietate & natura: ita illa eadem miro modo de plenitudine sanctæ carnis Christi aut in nos aut in panem Cœnæ dominicæ infusa, propter fidem & verbũ Dei, facit panem & nos diuinos quidem, sed non simpliciter deos, quia per gratiã & per mensuram, item & Christos, at nec id simpliciter, sed panem per potentiam & virtutem, nos verò actu tales, de quib. dicitur, Nolite tangere Christos meos. Hinc etiam sequitur, quòd sicuti nec nostra, ita nec caro Sacramenti est naturalis caro Christi, licèt specie & natura sit illi similis.

Pagina 65.

Fatendum est igitur quòd latet aliqua caro sub accidentibus panis, & sanguis sub accidentibus vini. Sed antea probauimus, quòd illa caro nõ sit actu, sed potẽtia, deinde quòd non sit ipsissima numero caro D. Iesu Christi, sed species illiúsque imago, non visibilis, sed intelligibilis.

Pagina 66.

Vides lector Eucharistiam esse Christũ quidem, sed in imagine intelligibili, non omnimoda veritate? Accipe familiare exemplum vt meliùs intelligas (vulgo enim loquor, non doctis ipse indoctus.) Accipiat sacerdos infantem iam iam baptizatum & nudum, efferátque eum ad altare supra humeros & caput, & dicat Deo Patri, Suscipe sancte pater corpus hoc filÿ tui. Certè non mentietur. Est enim infans ille verum corpus Iesu Christi, & quem dicere possis iure adoptionis esse Christum. At obsecro nónne meritò conspuendus esset sacerdos ille, qui eum puerum & proponeret & contenderet adorandum? Nemo negat, opinor, sed quare? (petit aliquis) Respondet prudentior, Quia etsi sit Christus, gratia est Christus, non natura, etsi sit vera caro Christi in imagine, tamen non veritate: etsi sit Deus, participatione tamen, non essentia.

Pagina

Pagina 67.

Qui panem videt, quodammodo videt corpus humanum, qui panis in corpore existens fit caro & transit in corpus. Est igitur panis imago, intelligibilis scilicet, non lineamentis membrorum insignis: est inquam imago signum siue character naturalis carnis Christi, interim non nuda imago, sed impleta Spiritu sancto & caro diuina.

Pagina 68.

Caro Christi animata, coniuncta est in cælo hypostaticéque vnita diuinitati: at caro Sacramenti etsi habet diuinitatem coniunctam per habitationis ineffabilem gratiam, animata tamen non est, actionibúsque animalibus perficiendis idonea, ne in impiam illam & sceleratam de manducando homine opinionem incidas.

Pagina 70.

Quocirca vt paucis totum de Sacramento concludiemus negotium, diligenter animaduertẽdum, quòd aliud sit sumere carnem Christi quæ fit ex pane & vino, aliud carnem Christi mãducare, quæ est in cælo. Siquidem hæc manducatur sola fide vt ostendimus, ad recordationem mortis quam Christus passus est in ea carne, ad æmulationem virtutum quas in Christo contemplamur, denique ad immolationem spiritualem pro impetranda nostri apud Patrem recõciliatione. At caro Sacramenti, quæ etiam carne spiritnali Christi perfusa est, & quæ à palpabili carne Christi in panem defluxit, & ore & fide suscipitur, licèt non tam ad corporis quàm animæ nutritionem, & potiùs ad fidei & charitatis quàm ad ossium incrementum. Præterea caro siue corpus Christi quod in cælo est, animatum est, nec descendit in panem tempore Cœnæ: deinde veris membrorum lineamentis distinctum est, & potens proprios motus exercere. At caro quæ quotidie ex pane & vino creatur, & de altari a fidelibus sumitur, natura quidẽ est similis carni illi, quam habet Christus in cælo, viuifica nimirum ratione viuificantis diuinitatis, quæ sese in panem infudit & commiscuit ineffabili modo: interea potentia tantùm homo est non actu, virtute caro non formaliter, & denique diuina quidem caro, sed non Deus. Ex *quibus omnibus iam sufficienter probatis poterit forsitan redargui D. Zuingly de Sacramento doctrina quæ non tantum illi tribuit quantum debet. Poterit reprehendi quoque & Augustana, quam vocant confessio, quæ ita substantiam carnis Christi in Sacramento stabilit, vt inde inferat quòd cum pane adsit Christus verus Deus & homo. Verùm hic illorum error hinc (opinor) ortus est, quod initio seipsos maluerint sequi quàm Patres, à quibus facilè didicissent, quòd ratione Verbi viuifici mirabiliter vniti cum pane, panis substantia transit in naturam carnis Christi: quæ substantia non est illa eadem numero & dignitate par cum ea quam habet Christus in cælo, sed specie eadem. Quod si hac similitudine vti licet pro stabiliendis Patrum dictis, Nónne ouum est imago quædam gallinæ? & qui videt ouum intellectu videt gallinam. Nemo tamen dicat ouum esse gallinam ipsam, quæ ouum posuit. Deinde etsi gallina sit in ouo substantialiter & virtute, non tamen actu & formaliter. Præterea nec substantia gallinæ eadem est numero cum substantia oui, licèt specie non differat.*

Pagina 71.

Eucharistia est corpus Christi symbolicum & typicum, quod & boni & mali comedunt, sed ratione & vtilitate dispari. Qui enim mali habent quandam fidem comedunt Sacramentum ad aliquod bonum vitæ temporalis: sed quia non diligunt Christum imitando, quem credunt incarnatum, quandam mortuum, & nunc in cælo gloriosum, quia inquam non ea fide quæ diligit, sic eum comedunt, propterea nihil illis prodest Sacramenti comestio ad vitam æternam. Inde nec mali, multò minus infideles, dicuntur comedere corpus Christi.

Pagina 73.

Si quis est igitur qui sic eum intuens credit in eum, & pertæsus suæ sceleratæ vitæ dolet de sua inobedientia, ob quam scit filium Dei pati, si quis est qui carnis suæ impudicitiam detestatur & fœditatem, appetitque similem carnem illi quam in Christo contemplatur, pœnitet quod omiserit præsentiæ diuinæ solatium & gratiam, vellet quoque sibi restitui Spiritum sanctum, admoueat manum ad Sacramentum, & illud manducet ore & corde. Sic enim & in carnem corpúsque excrescet illi simile, quale Christi est, particépsque erit diuinitatis, & Spiritus sancti corporis siue carnis & sanguinis Domini. Sic sicuti non nuda symbola carnis & sanguinis Christi accipiet, ita non ipsissimam carnem & sanguinem Christi, quam fide intuetur & contemplatione in stomachum detrudet. Valeant proinde qui hoc horrendum dogma adferunt

in Ecclesiam, valeant & qui Sacramēta tam parui æstimant, vt in ea nec mirabiliter præsentem diuinitatem agnoscant, nec operantem Spiritum sanctum suscipiant. Scio doctissimum OEcolampadium in ea non fuisse opinione: cuius verba sanè pia & catholica postea apponam. Scio & Petrum Martyrem in suis scriptis latentem in Eucharistia diuinam virtutem agnouisse, & in eo præsertim libello quem de Eucharistia edidit ad Archiepiscopum Cantuarensem, cuius hæc sunt verba. Non mihi magnopere placet, inquit, quod nostri tam paruam faciunt mentionem mutationis panis & vini, ad quam Patres diligenter respiciunt, nec eam dedignantur Scripturæ, cum Paulus vocet Sacramenta, non simpliciter panem, sed panem Domini. Est enim in eis virtus quædam latens, quam non habent ex sese, sed ex institutione Domini, tum ex virtute Spiritus sancti, tum & ex verborum prolatorum efficacia. hæc ille. Nec potuisset Augustinus multo plura aut angustiora de Sacramento dixisse. Iam scio quoque & hu posteriorem licèt, eruditione non imparem (si rectè indico) Theodorum Bezam idem fortè sentire, cuius hæc sunt verba aduersus Vuestphalum virum quendam dictum. Augustinus satis indicat absentiam veræ carnis Christi a Sacramento, licèt spiritu præsens sit in verbo (inquit.) En & diuinitatem & Spiritum sanctum fatetur cum pane. Restaret tantùm (cum venia dico) vt consentiant ad pacem Ecclesiæ cum antiquitate, & ad reuerentiam religionis circa Sacramenta, vt in Catechismis doceant, quomodo ipsa diuina maiestas ineffabili modo sese infundat Sacramentis, quomodo ibi reuerà adsit non per generalem diuinitatis præsentiam tantùm, sed (operante id Spiritu sancto) per specialem & admirabilem habitationis gratiam. Cuius ratione, panis altaris potentia alioqui caro, transit in naturam carnis Christi, non tam corporali quàm spirituali transitione, vnde panis fit substantia corporis, siue carnis Christi. Hæc omnia concinnè breuitérque, sed paulò intricatius asseruisse videtur confessio Augustana, quæ dicit, quod Cœna Domini est communicatio corporis & sanguinis Christi, in qua Christus verè & substantialiter adest, & (vt Melanchthon in Apologia explicas) non solùm efficacia, sed etiam substantia. Verè nanque adest, vt ego (pace illorum) explico, ipse Christus per verbum viuificum & per diuinitatis substantiam, à qua non abest Spiritus eius. Huius diuinitatis mirabiliter præsentis ratione, fit vt panis ipse altaris, qui ante verba Domini indeterminata speciei corpus siue caro erat, fiat substantia corporis seu carnis Christi, mirabili quadam, quia spirituali mutatione. Vnde etiam Christus adest substantialiter, hoc est per eiusdem non numeri, sed speciei substantiam, si carnem spectes, alioqui reuerà per eandem substantiam diuinitatis & Spiritus, cuius respectu Ecclesia verum corpus Christi est, & Christus ipsum caput. Sic (si illorū mētem assequor) non ipsum Christum (qui in cœlo tantùm est, saltem in vno loco cœli vt bamo) ponunt localiter in Sacramento, sed tacitè cum Epiphanio gratiam corporis Christi in Eucharistia annuntiant, quam nomine tantùm, si corpus naturale spectes, & re si corpus Christi mysticum intuearis, apellant carnem Christi, quæ potentia interim caro eius est non actu, gratia non natura, ex pane & vino futura in nobis, non realiter immediatè, & simpliciter ex virginis Mariæ benedicto sanguine.

Pagina 79.

Fis proinde naturalis carnis Christi particeps per hoc Sacramentum, non carnem eius naturalem, aut tangendo, aut in stomachum admittendo, sed fide ante omnia eliciendo in panem & vinum delapsam à glorioso, quod sursum est, Christi corpore viuifici verbi virtutem.

Pagina 80.

Non ergo descendit caro Christi in panem, sed verbum de Deo verbo, & virtus illa nos viuificans à sancta carne Christi, & in nos, & in panem tempore communionis à supernis defluit. Sed nota bene, in hoc differimus, & nos à pane, & panis à nobis, quod panis fiat verè caro Christi, nos vera caro, vterque alioqui per gratiam, licet fortè propter fidei defectum inæqualem, & vt vno verbo absoluam, Panis est potentia & virtute caro Christi, nos actu tales simus, etiam extra Sacramentum.

Pagina 82.

Quæ diligenter nota, vt partim scias non ita contemnendum panem Sacramentalem, vt hactenus horrendè fecerunt nonnulli, qui eum Iean le blanc *vocarunt, quem Chrysostomus dicit Spiritu sancto vndique circumuestitum: partim vt credas, certissimè aliquam esse mutationem in ipso pane Sacramentali, non quidem ex dignitate sacerdotis verba Christi pronunciantis succedentem, sed certis Christi verbis, & institutione firmatam. Errant proinde nonnulli in hoc parum Euangelici quidam, qui Eucharistiæ panem in eo tantum differre*

à pane

à pane communi asserunt, quia in alium & sanctum vsum transfertur. Non enim propter id solùm, sed (vt disertis verbis omnes Patres dicunt) quia mirabiliter, potenter, ineffabiliter panis fit caro Christi, mutata quidem natura, sed seruata forma, & substantia in diuinam abeunte naturam (ait Gelas.) non tamen pereunte.

Pagina 86.

Carnaliter & aliquo modo vnimur Christo per carnem, quia panis est eiusdem naturæ caro cum carne Christi, quandiu mirabilem hanc habet in se præsentiam diuinitatis & Spiritus sancti. Igitur coniunctio hæc mirabilis diuinitatis cum pane, mutat panis substantiam in substantiam carnis Christi. Est proinde panis & tamen alius, quia diuinus, quia viuificus, & (quod mireris) quia panis simul & caro est, panis forma, caro virtute.

Pagina 87.

Accipis quidem elementum cui accessit verbum & proinde Sacramentum, sed non (vt rem) fortè ita virtutem accipis Sacramenti. Nam panem quidem sanctificatum virtute mysticæ benedictionis intromittis, sed Spiritum Dei sanctificantem non admittis.

Pagina 88.

Sicuti certus est & infandus aliquot Pontificiorũ de transsubstantiatione error, ita nonnullorum quoque Euangelicorum præposterus zelus (si modò zelus est) reprehendendus est, qui putant nullam esse mutationem in pane, nullam ad eum accessionem diuinitatis fieri mirabilem. Denique non nisi in actione panem sanctificationis gratiam retinere.

Pagina 89.

Viuifica gratia perpetuò manet etiam in reliquiis communionis. Nec valet quorundam argumentum qui dicunt, quòd sicuti Baptismus tantum valet in vsu, ita nec Eucharistia, quoniam generatio est actio transiens, at alimentum res manens. Proinde vt bene monet Oecolampadius contra Melanchthonem, quandiu benedictus panis seruire potest esui, tamdiu ad sanctimoniam est vtilis, à quo nunquam separatur Spiritus & viuifica gratia. Quapropter (adiicit) hesternis reliquiis sanctificari ægros non negamus, tametsi in Ecclesia id fieri hortamur, vt verior sit Cœna dominica. Hactenus Oecolampadius & sanè & catholicè sentit de hac re, vt certè (opinor) de omnibus alijs religionis articulis, docens viuificam gratiam & Spiritum sanctum non abesse vnquam à Sacramentis, quandiu illa terrena elementa manent incorrupta. Et certè quid alioqui (precor) deferebant Diaconi ad absentes, teste Iustino in Apologia? Quid petiit Serapion sibi transmitti per presbyterum, narrante Eusebio? Quid seruabat vxor Tertulliani domi sua? Quid portabat frater Ambrosii transfretaturus mare? Quid in eremo solitariam vitam agentes à seipsis accipiebant communicantes vbi aberat sacerdos? teste Basilio in epistola ad Cæsar. Quid accipiebant Diaconi in Ecclesia, præcipiente concilio Niceano, & dicente, Proferant ipsi, si presbyter nõ adsit qui eis porrigat, & edant? Vidésne, lector, quod & tunc seruabatur Eucharistia, & quòd hodie etiam non malè seruatur in templo Christianorum? Si Sacramentum est verbum visibile, quid loquitur intuentibus, nónne Hoc est corpus meum, licèt per gratiam & virtutem, vt ait Epiphanius? Aderítne igitur gratia & veritas corporis Christi ipsi signo & Spiritus Sacramẽto? aderit certè (vt ex Cyrillo didicimus) aderit inquam, modo adsit obedientia, hoc est si sumatur, aut ad manducationis finem asseruetur. Aliàs adest quidem alijs, sed tibi non adest: recessit, qui tamen est vbique: mortem ibi reliquit qui omnia viuificat, & diabolo locum dedit qui omnem alioqui locum implet. Denique semper illi adest spiritus & vita, sed tibi aut non credenti, aut mysterium non intelligenti, solus est panis, solum est vinum, ait August. in Ioan. tract. 26. Quòd ergo olim pij Christiani in Ecclesia priùs sumpta Eucharistia portionem domum aliquando deferebant, quòd ad ægros quoque eam deportabant, quoniam ad manducationis finem & reconciliationis cum Ecclesia signum tendebat, non aut superstitionis aut adorationis, indulgentia fuit charitatis (opinor) non inobedientiæ peccatum. Vnde hoc intuitu suaserim ab iis idem fieri, qui nondum in fide ad plenũ sunt confirmati.

Pagina 90.

Vnde fit vt non possim non approbare illarum Ecclesiarum morem in Germania reformanda & pium, & sedulum, qui vt frequentissimè Cœnam Domini celebrant, ita etiam poscẽtibus Eucharistiam infirmis benignè illis eam impartiuntur.

Pagina 92.

Diuinitas siue verbum Dei æternum, ineffabili modo in panem illapsum, per mirabilẽ gratiam nimirum (alioqui etiam vbique est per potentiam & prouidentiam) panem mutat in

virtutem carnis Christi, cuius energiæ ratione, non immeritò vocatur caro Christi, & corpus eius. Cæterùm hæc mystica benedictio fiunt hic Spiritus sancti afflatus, à sacra carne Christi è supernis in nos & Sacramenta defluit.

Pagina 93.

Caro Christi non descendit ad nos, tantùm abest vt eam ore & dentibus premamus, sed ab ea veluti lumen à sole in nos & in Sacramenta illabitur Verbum de Deo Verbo, vt vocat Origenes.

Pagina 94.

Cuperes tibi simile corpus, exposceres simile alimentum quod simul tibi esset medicamentum, vt tandem in simile corpus excrescas? Admoue manum ad Sacramentum, & quale desideras, tum ore tum corde suscipe nutrimentum. Siquidem hic panis quem tãgis, virtute & potentia caro est, similis illi, quam cum tanta admiratione sursum contemplaris: & vinum hoc sanguis est virtute, illi sanguini cognatus & affinis, quem è Christi latere diffundi prospicis, plenus vita & Spiritu sancto. Est proinde hoc Sacramentum quod dente premis, & cuius vim corde sugis, vera imago, sed intelligibilis illius corporis Christi quod sursum fide intueris, & ad vitæ tuæ æmulationem manducas.

Pagina 95.

Conclude igitur vel meo periculo, lector, quòd caro illa quam in pane contemplaris (potentia tamen & virtute non actu, nam debet manducari vt fiat vera caro) non sit illa naturalis caro Christi & numero ipsissima quam in cælo contemplaris: sed caro illi germana, caro illi affinis, aut denique caro vicina & natura similis carni Christi, plena tamen vita & Spiritu sancto, ne typus & similitudo omni veritate destituatur: interim non est tota veritas, ne non sit typus.

Pagina 95.

Multi quos nouimus Euangelici facilè admittunt quòd sit signum, figura siue imago, sed (quod dolendum) aut dissimulant aut ignorant, quòd sit imago & figura non nuda aut inanis, sed viuifico verbo plena & Spiritu sancto.

Pagina 98.

Per hanc igitur vim vitæ siue virtutem, quæ à carne Christi profluit in panẽ, dicimus, quòd in Eucharistia est vis siue veritas carnis Christi, vnde differt à pane communi. Hic enim corpus tantùm nutrit, ille autem & corpus & animam, quia & substantiam habet terrenã & cælestem. Propterea eget & ore carnis & fidei, vt & fidei & carni nostræ præbeat alimentum.

Pagina 98.

Accipio in Euchar. fidei donum siue virtutem quandã à Christi carne illapsam, quæ me cõiungit Christo carnaliter, hoc est, facit meam carnem Christi carni congenerem.

Pagina 99.

Sicut cognitio Patris & Filij vim vitæ & mysticæ benedictionis virtutem immittit, hoc est fidem quæ nos coniungit Christo vt homini: ita cognitio & confessio Spiritus sancti qui à Patre & Filio procedit, vim quandam infundit, quæ charitas vocatur.

Pagina 100.

Cùm dicit vel Irenæus vel Cyrill. nos naturali participatione vniri Christo per carnem, intellige id fieri potissimùm quando mãducatur panis Eucharistiæ, qui ob inexplicabilem vnionem (quæ tamen hypostatica non est) verbi viuifici cum pane transit in naturam carnis Christi: proinde per illum panem, qui verè nos nutrit, naturæ tã carnis Christi quàm diuinitatis fimus participes, modò accesserimus ad comedendum & fidei & charitatis consortes.

Pagina 103.

Audeo (inquam) & fide qua possum, & dilectione quam à te accepi admittere in animam meam corpus, hoc est, substantiam Verbi tui viuifici & Spiritus sancti, qui secreta & præpotenti virtute panis huius & vini substantias alendæ carni meæ idoneas, in naturã sanctissimæ carnis & sanguinis dilecti Filij tui Domini nostri Iesu Christi per mysticam benedictionem immutat.

Ex.2.lib.

In cælo totus Christus est, in sacramẽto verò ipsius quædam imago siue, vt ita dicam, portio.

Pagina 114.

Frustra in manducando, hoc est occidendo vetere Adamo tuo, frustra in obseruanda Lege desudas, nisi noui Testamenti beneficium quod in effuso Christi sanguine nobis oblatum est, & fide suscipias, & alijs hoc dilectionis charitatisque donum propines. Bibite (inquit Dominus) hunc meæ charitatis sanguinem omnes, qui effunditur in remissionem peccatorum: &

Facite

Facite, hoc est (ait Orig.) pariter in alios effundite. Quare ergo omnes? quia salutis symbolum & remißionis quo omnes egemus peccatorum signaculum. Iam quum in remißione peccatorum potius constet nostra iustitia (teste August.) quàm perfectione virtutum: ei potiùs oblatione fidei, & amoris placetur Deus, quàm sacrificio iustitiæ operum nostrorum, potiùs etiam in bibendo sanguinem, hoc est fidei charitate iustificamur, quam in legis mutila nostra obseruantia. "

Pagina 116.

Sed hic insurget Christianæ militiæ ignauus aliquis tyrunculus, & dicet, Si nō magnoperè prodest ad salutem obseruantia Legis siue obedientia, quam tu escam Christi appellas, vnde & totius Ecclesiæ, verùm iusti fimus in bibendo sanguine Christi, hoc est credendo quòd effuderit sanguinem pro peccatoribus, aut fideliter diligendo Deum, quod appellas bibere nouum Testamentum. Ergo contra vetus Pontificum institutum bibamus de Calice, & non comedamus de pane. Rectè quidem infers, si tempore excluderis. Quum enim manducatio longius exquirat tempus quàm potatio, si in animæ deliquium incideris, nónne in os potiùs inicies vinum quàm carnes, quoniam illud citius repente delapsas instaurat vires? Et tamen quis successu temporis panem negligat, qui vinum diligit? " "

Pagina 132.

Populus cùm sit sacerdos sacrificare etiam tenetur sub pœna æterna damnationis, ne quis putet in posterum in Cœna Domini nullum esse sacrificium, quod ab Euangelicis aliquot (doleo) nimis impudenter aut negatum aut omissum, neque in Catechismis explicatum. Scio quòd solus Christus sit sacrificium propitiatorium, solus interpellans Patrem pro peccatoribus cum indubitata efficacia.

Pagina 132.

Nemo interim negabit & populo & ministris nouæ legis præter laudis, precum, eleemosynæ, specialia duo alia esse & commissa, & præcepta sacrificia, quorum vnum est oblatio corporum suorum, iuxta illud Pauli, Offerte corpora vestra Deo hostiam viuentem. Alterum paßio Iesu Christi, & beneficiorum eius in nos commemoratio, iuxta illud Christi, Hoc facite in mei memoriam.

Pagina 136.

Panis duplicem habet analogiam. Vnā qua respicit & denotat Christū caput Ecclesiæ: altera analogia est qua respicit Ecclesiam & singula eius membra, fideles scilicet omnes. " "

Pagina 142.

Audacter panem & vinum offeramus, hoc est, corpus & animam nostram æterno Abrahā, & Patri nostro Deo.

Pagina 143.

Offeramus panem obedientiæ scilicet, offeramus vinum fidei & charitatis nostræ, & suo tēpore effundamus ea in proximum.

Pagina 145.

Proinde, mi Lindane, si intelligeretis canonem vestrum, cùm dicitis, Suscipe sancte Pater hanc oblationem, &c. deinde, Iube eam perferri sursum per manus sancti Angeli tui: tantùm est ac si diceretis, Suscipe Pater me & populum hunc, qui sumus corpus Filij tui facti in Baptismo per gratiā tui paßionis ipsius: suscipe nos, inquam, qui in oblato hoc pane repræsentamur. Hæc igitur fuit cæcitas Ecclesiæ Romanæ, quæ si oculos aperire vellet, & ad verum redire sacrificij Christiani intellectum, idque peragere cum populo (vt fit in reformatis Ecclesiis hodie) vulgari & intelligibili lingua (vt bene meo iudicio instituerat Bonnensis reformatio sub pio illo Archiepiscopo Coloniensi, adiuuantibus & suam operam ei rei nauantibus Bucero & Melanchthone) non video cur tam abominabilis reputari debeat Canon ille Pōtificiorū, quàm clamant nonnulli magno boatu, æquè ignari antiquitatis & veritatis, ac Pōtificij. Id quod bene intellexisse videtur hodie nunquam satis laudata Ecclesia Anglicana, quæ ferè totum Canonem retinet, & in celebranda Cœna Domini ipsam vetustatem quàm proximè æmulatur, præsertim in consecratione panis & vini: quæ etsi nihil faciunt ad consecrationem, explicant tamen consecrationis Christi vim, & quædam sunt veluti paraphrasis, cuius hæc sunt verba, Concede misericors Pater, vt hæ creaturæ panis & vini per sanctum Spiritum & verbum sanctificata fiant nobis corpus & sanguis dilecti Filij tui, qui pridie quàm pateretur, &c. " "

Pagina 148.

Augustinus panem & vinum in altari consecrata signa esse dicit bonæ nostræ voluntatis & puritatis cordis, quæ Deo offeruntur: neque dicit signa esse præsentis carnis Filij Dei sine integri corporis eius & animati.

Pagina 149.

Quum Christus seipsum, hoc est corpus & animam obtulisset Deo Patri in Spiritu, pane & vino repræsentatus, & iussisset vos potissimum (alioqui pertinet ad omnes) facere in commemorationem sui hoc est memores, quòd ipse prior hoc fecisset, vos contrà, nō vosipsos, sed ipsum rursus offerre vultis?

Pagina 162.

Si non potest offerri nisi per sacerdotem iustum, & Bernardus dicit, quòd sacrilega crudelitate surripitur pauperibus, quicquid sacerdotes præter victum & vestitum accipiunt, & certum est illos retinere ingentes diuitias, dominia & terras, esurientibus egregiè pauperibus: ergo omnes abbates, episcopi, diaconi, archidiaconi, cardinales, canonici sunt sacrilegi, aut mētitur diuus Bernardus & Augustinus, & vtinam officiosè mentiantur (Deus ita me amet vel vnius mei brachij iactura.) Si igitur sunt sacrilegi, sunt infames, proinde nō tantùm non possunt offerre, sed peccato contaminant etiam eos (vt diximus ex Cypriano) quicunque illorum oblationi assistunt, etiamsi nihil esset amplius, quod in illis reprehendas.

Pagina 164.

Offertur primum corpus & caro singulorum Christianorum, hoc est Ecclesia militans Deo in precibus communicantium commendatur, quod etiam bene obseruant Euangelici, & in pane id quadam analogia fieri non negant.

Pagina 168.

At cur non audis Cyprianum, qui monet lib. de Vnctione, vt inquiramus quomodo panis ille dicatur corpus Christi? Tunc respondebit tibi Tertullianus, quòd sit figura corporis licèt non inanis. Clemens Alexandr. quòd sit Temperatura vini & verbi Origenes, quòd sit verbum de Deo verbo. Theodo. quòd ideo dicitur Corpus, quia pani addiderit suam gratiam Dominus. Idem Epiphanius, idem August. Videbitis, inquit, quòd gratia eius non consumitur morsibus. Audies à Neocæsariensi, quòd sit imago carnis Christi impleta Spiritu sancto. A Chrysostomo, quòd sit aliquid intelligibile, inuisibile & impalpabile. A Theophylacto, quòd sit virtus carnis Christi. Gelasio quòd sit panis diuinus. A Nysseno, quòd sit panis cui vnitum sit verbum. A Damasceno, quòd illi coniuncta sit diuinitas. A Cyrillo in Cateh. quòd sit panis quidem, sed non nudus aut simplex, sed cum eo diuinitas. Ab eodem ad Calosyr. quòd Deus insuderit in eum vim vitæ. A Cypriano, quia in illo infusa est diuinitas mirabili modo. Ab Ambrosio, quia est similitudo carnis, aut quia est cum eo diuinus Spiritus. Ab Emisseno, quia est panis cuius substantia propter præsentiam maiestatis diuinæ sit mutata in melius. A Rabano, quoniam est character siue figura carnis. A Nazianzeno, quia est figura figura, & magni figmentum Dei. Ab Ambrosio, quia creatura solennis. Denique ab omnibus, quia sub figura panis occultet (tantum habebis ex me) figuram siue Sacramentum carnis Christi, vt diximus ex Beda. Demum quòd in pane adsit veritas carnis Christi, non tamen vera caro & formata, vis illius non caro ipsissima, & substantia etiam eadem natura cum carne Christi, non eadem numero.

Pagina 171.

Dixit Christus, Accipite, manducate, & postea, Facite. Nota, lector, ordinem, quem nescio an bono zelo inuerterit antiquitas, quæ facit panem, hoc est (vt ipsi accipiunt) offert priusquam comedant. At si ordinem verborum sequaris, prius comedendum esset Sacramentum, deinde offerendum, sic foris nullum esset visibile sacrificium, sed totum in nobis, iuxta Paulum, Offerte corpora vestra Deo hostiam sanctam. Sic Petrus iubet nos offerre spirituales hostias. De panis & vini hostia nusquam leges in Scripturis, imò neque in patribus, nisi ea ratione offeramus panem, & eiusmodi visibilia quæ Irenæus vocat creaturas, vt non appareamus in conspectu Dei aut vacui, aut ingrati. Hæc quum oblata cedant in alimoniam pauperum, & admoneant populum sui officij suique mentalis sacrificij, pulchrum esset, & moribus antiquorum consonum, vt ab Euangelicis reuocaretur in vsum. Id quod fit (vt apparet) quando post aut ante concionem colligitur eleemosyna, à singulis pro suo arbitratu & facultatibus oblata.

Pagina 176.

Est quidem panis altaris corpus & caro Christi virtute & per gratiam, & proinde intelligibilis admirabilisque Christi imago. At tu, quisquis es, qui panem dignè sumis, sis corpus Christi visibile, sensu & ratione praditum. Hactenus Harchius.

ET hæc quidem Harchius non minùs obscurè quàm perturbatè, vt qui ab vna quæstione ad alteram desiliat, & plurimis ambiguis vocibus ac formulis vtatur, adeò vt mihi sæpissimè hęc omnia relegenda, consideranda, perscrutanda fuerint, priusquàm quid homo iste sibi vellet, intelligere, & in suos locos distinctè singula referre potuerim. Itaque ne huius mei scripti lectoribus idem eueniat, distinctis, vt est à me initio dictum, quæstionibus, primùm omnium exponã quid de singulis in Helueticæ confessionis Ecclesiis doceatur, cui omnes quoque Rheticæ, Sabaudicæ, Gallicæ, Anglicanæ, Scoticæ, Belgicæ, & Polonicarum, Morauiensium, Bohemicarum, Hungaricarum denique plurimæ Ecclesiæ subscripserunt: ac deinceps quid Harchius de iisdem rebus senserit ostendam, vt proinde in quibus consentiamus vel dissentiamus, cuncti perspicuè cognoscant.

De signis in Cœna Domini.

De signis, siue Symbolis, siue Sacramentis (quum ista vox angustiore notatione sumitur) hæc docemus. Primùm hæc signa à rebus communibus quæ signa non sunt, eo differre, quòd in his substãtiæ ipsæ ad naturalem illarum vsum adhibeantur, illa verò aliud quippiam quàm quod ipsa sunt, animis repræsentẽt, ac proinde ad alium quàm naturalem vsum accõmodentur: vt exempli gratia, communis panis idcirco profertur & sumitur vt corporibus nostris naturale nutrimẽtum præbeat ex sui ipsius substantia: panis autem Sacramentum, sic ad naturalem vsum adhibetur ore comestus & in ventriculo concoctus, vt tamen neque in ipsius substantia, neque in naturali ipsius vsu subsistatur, sed ad spiritualem cum Christo coalitionem animus assurgat. Docemus præterea Sacramentorum significationem diuinitus institutam, neque nudam esse, qualis est pictarum imaginum & aliorum huiusmodi vulgarium signorum, sed cum ipsa rerum significatarum præbitione coniunctã: neque in rebus humanis & caducis, sed in rebus cælestibus & æternis versari. Sic exempli causa, in carnalis coniugii obligatione, annuli traditio nudum signum non est, sed quo ipsa coniugii obligatio sancitur: Panis autem Sacramenti in spirituali cũ Christo coniugio sanciendo adhibitus, spiritualis ac perpetuæ cum illo nostræ coniunctionis, & omnium ex ea defluentium in nos bonorũ certissimum est pignus. Denique pro signis & Sacramentis in Cœna Domini primo loco censemus ipsam Domini institutionem, qua nobis totum illud mysterium significatur. Deinde pro signis non tantùm panem & vinum, sed etiam substantialis sacræ illius actionis ritus habemus, de quibus seorsim à nobis differetur.

Nos igitur hac de re sic ex Dei verbo sentire didicimus, nẽpe tum ex iis quæ de veteribus Sacramentis aduersus plurimos in re sacramentaria errores à Prophetis & in epistola ad Hebræos docentur: tũ ex iis quæ & de Baptismo Mat.11.3, & Act.11.16. & 1.Pet.3.21, & de Cœna Domini, 1.Cor.10.4, & 16, referuntur: quæ nunc attigisse satis est. Quid autem Harchius? Agnoscit panis & vini signis cogitationem nostram admoneri carnis Christi pro nobis crucifixæ, & nunc non in terris sed in cælis collocatæ, ex qua cuncta in nos Dei vera dona, ipsáque in primis vita æterna veluti ex capite in subiecta membra deriuentur. Et hactenus quidem rectè sentit, realem corporis Christi in terris præsentiam, firmissimis plurimis argumentis, nobiscum refutans. Sed nimiùm profectò parcè ac ieiunè de isto signorum genere loquitur, quum ea σημαντικὰ tantùm vocat, quod etiam pictis imaginibus cõuenit. Quamuis enim postea plus etiam illis quàm nos tribuere videatur, nedum vt illa extenuet: siquis tamen rem totam proprus inspiciat, comperiet omnem signorũ rationem ab ipso aboleri: vt qui panem illum & vinnm illud, non corporis illius pro nobis traditi & sanguinis illius pro nobis effusi signa, sed ipsius essentialis æterni Filii Dei conceptacula esse contendat: vt sicut Christi caro propter inhabitantem in ea τοῦ λόγου hypostasin facta est reipsa Diuina, sic propter eiusdem essentialem in illo pane & illo vino inhabitationem atque adeò cum illis vnitionem, panis ille & vinum illud sint res diuinissimæ: adeò vt ex illius sententia hæc τοῦ λόγου in pane & vino inhabitatio, ab illa hypostatica non toto genere, sed secundum plus & minus differat. Hactenus videlicet quòd hæc cum ipsa carne Christi sit penitior & arctior, adeò vt homo ille sit ipsemet Deus, ista verò cum illo pane & vino non sit vsque adeò intima, vt ille panis & illud vinum sint ipsemet æterni Dei Filius: quem teterrimũ & planè cum manifesta impietate coniunctum errorẽ tunc demum refutabimus, quum eiusdẽ de rebus significatis, & signorũ cũ rebus ipsis analogia, & vtrorúmque inter se copulatione, itémque perceptione, & effectis sententiam exposuerimus, ne sæpius idem inculcare cogamur.

De rebus Sacramentaliter in Cœna Domini significatis.

Edocti Verbo Domini, prout sonant & significãt institutionis verba, per panẽ illũ, corpus illud Christi pro nobis crucifixũ: per vinum illud, sanguinẽ illũ pro nobis effusum: per panis illius fractionem & illius vini effusionẽ, diros illos inenarrabiles Christi pro nobis tũ in corpore, tum in anima toleratos cruciatus: per exteriorẽ corúndem symbolorũ traditionẽ, interiorẽ ac spiritualem Christi præbitionem: per corundem denique sumptionẽ, spiritualẽ eiusdem per fidẽ receptionẽ, sacramẽtaliter ex ipsius Christi ordinatione significari docemus. Harchius verò tripli-

cem nobis Christi carnem statnit, vnam naturalem, alterã sacramentalem, tertiã mysticam. Naturalem carnem definit eam, quam ὁ λόγος sibi hypostaticè vniuit nunc in cælis positam, & cuius μιμήματα sint panis ille & vinum illud, sicut paulo ante diximus: ita videlicet vt illa caro in hac sacra actione non aliter (quamuis in diuersum finem) sensibus nostris externis proponatur, quàm imago, vt rei pictæ admoneamur. Sacramentalem carnẽ autem vocat ipsum illum panẽ & illud vinũ, in quæ illapsa diuinitas essentialis τοῦ λόγου, eísque vnita, faciat vt panis ille & vinũ illud sint caro Christi, non quidem eadem numero atque naturalis illa, sed natura, id est ratione viuificantis Diuinitatis, ei carni similis. Tertiam denique mysticam nos ipsoa appellat, qui pane illo virtute viuifica prædito ritè vtentes, ipsum Christi corpus euadamus.

De signorum & rei significata analogia.

Rectissimè scribit Augustinus, nisi conuenientia & similitudo quædam esset inter signa & res significatas, ne signa quidem fore. Nam visa equi vel bouis imagine, cui tandem homo veniat in mentem? Quã autẽ analogiam inter illa signa & res illaa significatas statuamus, facilè vel nobis tacentibus, ex iis quæ paulò antè diximus intelligi potest. Apparet enim mox similitudo aptissima inter panem & vinũ, id est corporalem alimoniã nostrã, & Christũ, ex quo æternæ vitæ succum haurimus: itidémque inter panis fractionem, & diros eiua cruciatus: inter vini in poculum infusionem & sanguinis ipsius effusionem: ac denique inter corporalẽ & spiritualẽ, tum præbitionem tum receptionem. Harchius autem, omnibua istis neglectis, duplicem analogiam non inter signa & res significatas, sed inter rem essentialiter in pane & vino cõtentam, & intimè ac ineffabiliter illis permixtam, & panem istum ac vinum istud comminiscitur. Vnã videlicet, quòd sicut caro Christi naturalis per hypostaticam inhabitationis gratiã euasit caro essentialiter Diuina, vtpote Filii Dei caro: sic panis iste & vinum istud eadem Diuinitate ipsis essentialiter vnita fiant caro Christi vera, & illi carni naturali, quòd ad viuificam illam virtutem attinet, similis: alteram autem in eo quòd sicut panis quo vescebatur Christus, & vinum quod bibebat, in terris agens, calore naturali cõcocta, &, vt loquuntur medici, (fuit autẽ professione medicus Harchius, cui propterea similitudines istæ fortassis in mentem venerunt) carni illi pro nobia assumptæ, & Diuinitati τοῦ λόγου vnitæ assimilata euadebant ipsa Christi caro naturalis: ita etiam quisquis illa Sacramenta (quibus eadem illa Diuinitas quamuis non hypostaticè, tamen essentialiter & abundantissimè vnita est ac permixta) ritè, id est tum ore tum viua fide sumit, fiat verum Christi corpus, & quodammodo ipse Christus.

De signorum & rerum significatarum Sacramentali in cœna Domini coniunctione seu copulatione.

Quum Sacramenta sint signorum species, fatendũ est necessariò significatiua relatione res per ea significatas cum iis quodammodo cõiungi. Quoniam autem non quicquid seu verbis nudis, seu adiunctis præterea Symbolis ac visibilibus signis promittitur, re ipsa præstatur: idcirco non tantùm significatione, sed etiam ipsarum rerum significatarum vera præstatione Sacramẽtalem coniunctionem siue copulationem definimus. Et hæc est Sacramẽtalis rerum communiũ transmutatio, qua fit nimirum, vt ex rebus cõmunibua fiant vera & nisi per nos steterit, efficacissima, nostræ cum Christo sanciendæ concorporationis spiritualis instrumẽta. Istam autem transmutationem in solo vsu, non in substantia ipsius panis & vini positam, vni Dei nobiscum paciscentis voluntati tribuimus: ex quo efficitur, quum Sacramentalis hæc mutatio in solo vsu posita sit, illa Sacramentorum rationem extrà vsum, eúmque legitimè obseruatum, nullam habere. In hac autem doctrina qui non acquiescunt, (Transsubstantiatores nimirum & Consubstãtiatorea) hoc præterea requirunt, vt res significatæ reipsa non tantùm dari (quod nos minimè negamus) sed etiam in terria vnà cum ipsis signis adesse dicantur: quod quatenus concedamus, & quatenua negemus, suo loco dicetur. Cæterùm Harchius noster in eodem prorsus atque illi errore versatur, in eo tamen diuersum sentiens, quòd illi quidem corpus ipsum, & sanguinẽ Christi re ipsa adesse volunt, Transsubstantiatorea quidem sine pane & vino, Consubstantiatores autem in, sub, vel cum pane & vino: Harchiua autem non ipsum corpus, neque ipsum sanguinẽ, sed Diuinitatẽ ipsam essentialem τοῦ λόγου, & carnẽ illam potentialẽ cũ pane & vino, atque adeò nobiscũ cõsubstantiat, ideóque extra vsum quoque panem & vinum habere sacramentorum rationem existimat.

De signorum & rerum significatarum in Cœna Domini perceptione.

Quum Sacramenta (Hoc vocabulo latiore notatione accepto) duabus reb. constent, vna videlicet terrena, altera cælesti: docemus rem terrenam, id est panem & vinum, terrenis instrumentis, manu videlicet & ore percipi, & similiter ritus Sacramentales, fractionem videlicet, præbitionẽ & receptionem, corporeis itidem instrumentis peragi: rem autem cælestem, id est quidquid per illa sacramentaliter significatur, sicuti menti obiiciuntur, sic sola mente per fidem apprehendi. Rursum verò Transsubstantiatores & Consubstantiatores, propterea quod rem cælestem tam præsentem esse volunt in terris quàm rem ipsam terrenam, idcirco corporis instrumentis vtranque simul percipi contendunt: nec aliter sentit Harchius, eo quod modo diximus excepto.

De Cœna Domini effectis.

Cœnam Domini nõ propter panem & vinum, sed propter homines institutã esse dicimus, & quidem

quidem ad illorum salutē. Sed quoniā alii quidem dignè (id est cum pœnitentia & fide) alii verò indignè (id est vel quid hoc rei sit ignorātes, vel increduli, vel impœnitētes) ad eam accedunt, idcirco contraria duo effecta illi tribuimus: vnū saluificum, quòd ipsius Cœnæ proprium est, alterum verò κατὰ συμβεβηκὸς, ad condemnationē, non ab ipsa Cœna, sed ab indigno ipsius vsu emanantē. Verum igitur illius in solis pœnitentibus & credentibus effectum est, confirmatio consociationis ipsorū cū Christo spiritualis: qua fit vt spiritualiter cum ipso Christo cōnexi, & sic ipsius meritorū omniū participes facti, hoc etiā consequantur, vt, sicut in corpore naturali animato membra cū capite cohærentia sensum & motū inde percipiunt: ita spiritualiter ipsi Christo copulati, dona omnia spiritualia regeneratorū propria, ac tandē etiam vitam ipsam æternā, à carne Christi, ceu capite, in cohærentia mēbra emanantē, magis ac magis adipiscantur: cuius etiam propterea sigillatim quidem mēbra, coniunctim verò mysticum corpus appellantur. Et quoniā separata alia ab aliis membra neq; vnum corpus efficere, neq; vnius eiusdémq; capitis corpus vnum esse possunt, idcirco inter Cœnæ Domini effecta in primis numeramus charitatis incrementum, quo alii cum aliis sub eodem capite arctius coniungantur, sicut eundem Christum iisdē Sacramentis omnes participant. In hoc porrò mysterio cōcurrentes causas sic distinguimus, vt sicut vni diuinæ ordinationi sacramentalē, de qua diximus, transmutationē tribuimus, ita vni Spiritus sancti infinitæ & ineffabili potentiæ acceptam ferimus in solidum illā nostri, qui in terris sumus, cum Christo, per eius carnē quæ nunc in cælis est, & nusquā alibi, consociationē, quam Paulus Ephes. 5.32. Mysteriū magnum vocat. Quòd autē sic facti spiritualiter ipsius Christi participes, fidei incrementum, aliáque cælestia dona, ac in primis nostræ regenerationis obsignationem, ac tandem etiam æternam tum corporis tum animæ vitam adipiscamur, totum illud ab vno Christo Deo & homine, per eius carnē pro nobis assumptam, crucifixam, & tandē supra res omnes creatas euectam, in nos emanare credimus. Instrumentales deniq; causas in his mysteriis agnoscimus, partim ipsius Dei respectu, exteriores illas, quibus in externos sensus incurrentibus, mentes nostræ ad rerum significatarum considerationem cōmouentur: nēpe pastorem ipsum, verba institutionis, Symbola, & Sacramētales ritus: partim nostri respectu, interiorem & in nobis ex Dei dono hærentem vnicā, nempe Fidem. Et rursum inter hæc instrumēta hoc discrimen statuimus, quòd externis illis sic vtatur Deus, vt tamen ipsis nullā vim intrinsecam efficientem insinuet, sed duntaxat quid ipse vnus intus agat, nobis per ea testificetur: interius autē illud quo nos ipsi vtimur, nempe Fidem, agnoscimus hac vi præditam esse, idq; ex Dei ordinatione, vt Christū verè nobis spiritualiter applicet. Denique κοινωνίας siue Consociationis voce ex Apostolo desumpta, nullam ipsius corporis Christi cum nostris συναφὴν, nullum realē contactum, neq; corporali, neq; spirituali modo statuimus. (Quorsum enim hæc mōstrosa, Cyclopica, cū corporis Christi veritate & eiusdē in cælis collocatione ex diametro pugnantia, & ab hoc cælesti mysterio prorsus aliena?) Sed ita significari docemus, quemadmodum, vt cibo naturali in hac vita nutriamur, non satis est apparatas esse & appositas dapes, sed illas præterea re ipsa sumere, & cōcoquere nos oportet, minimè alioqui succū alimentariū inde hausturos: sic, vt meritis Christi, & iis quæ ipsi insunt fruamur, ac in primis vt æternæ vitæ succum seu vim spiritualē ex eo hauriamus, non satis esse quòd assumpta ab ipso caro tū accepta spiritus plenitudine, tū in ara crucis sit nobis iustificādis, sanctificandis, & tandē glorificādis, perfectissimè aptata: sed præterea oportere vt ipsemet Christus verè ac re ipsa noster fiat, qua coalitione mystica & spirituali, ipse in nobis, & nos in illo viuamus. Hæc autē arctissima credētium cum ipso Christo cōnexio, non ad vllum corporū cōtactum, aut animarum realē cohærentiā, sed ad intimā in nobis ipsius efficacitatē relata trāslatitiis omnibus illis vocabulis, Comedēdi, Bibēdi Concorporationis, Insitionis, Cōiugii, Vnitionis deniq; in sacris literis significatur, quibus videlicet arctissimæ connexiones naturales in communi hominum vita declarantur. Postremò docemus neq; ipsius Christi virtutem siue ἐνέργειαν posse à nobis participari, quin ipsemet noster fiat & nos illius: neq; vicissim ipsum fieri nostrum posse, quin ipsius energiā participemus, quòd caro cum virtute, ac virtus cū ipsius carne sic cohæreat, vt neutra ab altera diuelli vnquā possit. Ex quo cōsequitur tū in verbo nudo tū in verbo cū Sacramentis cōiuncto, vnum & eundē Christum totum cum ipsius Spiritu seu virtute saluifica nobis spiritualiter apprehendendum proponi, quamuis accedentibus ad verbum Sacramentis, fidem vehemētiùs in nobis cōmoueri, ac proinde efficaciùs agere oporteat. Deinde & illud efficitur Christū ipsum siue in nudo verbo, siue in Sacramētis, nō nisi à credētibus, ac proinde ad vitā percipi.

Quid autē Harchius? Ita varius est ac multiplex, vt vix, quid liquidò sentiat, intelligere potuerim. In summa verò vult virtute benedictionis mysticę, (vt loquitur Pagina 32.) id est, per verbū Dei à legitimè ordinato ministro pronunciatū, (vt scribit Pagina 38.) diuinitatis Christi substantiam, quæ vbiq; est per præsentiā generalē (pagina 12.) Deum: (pagina 32.) Verbū illud æternum, quod caro factū est: (pagina 15.) ipsam Christi Deitatem: (pagina 16.) Verbum viuificū, & Spiritum sanctum: (pagina 28.) ipsam diuinitatem: (pagina 31.) Verbum æternum, & essentiam diuinam: (pagina 45.) diuinitatem, quæ in Christo corporaliter habitat: (pagina 63.) carnē Christi inuisibilem, id est, æternum Verbum & Spiritum sanctum: (pagina 77.) viuifici verbi virtutē: (pagina 79.) verbum de Deo verbo: (pagina 80.) virtutē & vim quandam à Christi carne (pagina 97.) substantiā verbi viuifici & Spiritus sancti: (pagina 103.) quandā Christi portionem: (pagina 106.) esse potissimùm in hoc Sacramento: (pagina 13.) solam dari in Sacramēto: (eadem pagina) in Sacramento cōtineri: (pagina 14.) ore suscipi à fidelibus: (pagina 15.) alere carnē Christiani: (pagina 16, & 21, & 28, & 32, & 53, & 55, & 102.) in pane latere: (pagina 26.) infundere sese in panem, ineffa-

bili modo:(pag.18,& alibi ſæpe.)immutare panem in corpus verbi: (pag. 30.) impertire ſeſe per carnem non illam,quæ in cælis eſt,ſed eam quæ ex pane & vino conſtituitur,fideliúmq; corpori coniungitur:(eadem pagina.)facere vt panis in carnis Chriſti virtutem & naturam tranſeat: (pagina 31.)facere panem corpus Chriſti actuale,quando manducatus & cõcoctus eſt ab homine fideli,hominem faciens actu corpus ipſius Chriſti:(pagina 40.)ſumi à quibuſuis,ſed euaneſcere in iis qui carent calore charitatis: (pagina 41.) illabi in panem ineffabili modo : (pag. 45.) facere vt panis tranſeat in ſubſtantiã carnis Chriſti in cælum euectæ:(eadẽ pagina)perfundere panẽ: (pag. 46.)mutare panẽ in ſubſtãtiam Chriſti infuſione diuinitatis ſecreto illapſu: (pag.49.) vniri pani mirabiliter,& per habitationis gratiam:(pag.15,& 56,& 74,& 80,& 81.)facere vt panis abundantiſsimè habeat in ſe Deum: (pag. 57.) miro modo de plenitudine ſanctæ carnis Chriſti in nos & in panẽ infuſa facere panẽ Chriſtum per potentiam & virtutem:fideles verò actu tales,de quibus dicitur:Nolite tangere Chriſtos meos:(pag.63.)quotidie ex pane & vino creatam , & de altari à fidelibus ſumptã natura ſimilem eſſe illi carni,quam habet Chriſtus in cælo , viuifica nimirũ ratione viuificantis diuinitatis,quæ ſeſe in panem infudit, & cõmiſcuit ineffabili modo: (pag. 70.) illapſam in panem eidem vniri,vt cera liquefacta alteri ceræ liquefactæ:(pag.79.)facere mirabiliter,potenter,ineffabiliter,vt panis, ſeruata forma & ſubſtantia,in diuinam abeat naturam: (pag. 82.)Diſtinguens autẽ idem Harchius inter eos,qui ad Cœnam accedunt, vult,ſi animalia fuerint irrationalia,ſolo ore panẽ illum ſumere,ſed duntaxat ad beneficiũ præſentis vitæ : ſi verò fuerint rationalia,ſumere etiã illum , ſed non pari exitu. nam infideles quidẽ & hæreticos ſumere etiam illũ ad eundem finẽ,ſed qui ſi in infidelitate perſtiterint, cùm etiam ſumãt cum pane Deum per generalem præſentiam diuinitatis, accipere iudicem non Seruatorem:(pag.56.)& totum quidem Sacramentum manducare,ac proinde corpus Chriſti,ſed nomine & ſacramento tenus: (pag.42.) malos verò habentes quandã fidem comedere Sacramentum ad aliquod bonum vitæ temporalis, ſed quia non diligunt ea fide quæ diligit,nihil illis prodeſſe Sacramenti comeſtionem ad vitam æternã:(pag.75.) Tertiũ genus reſtare eorũ, qui ore & fide & Sacramentũ & rem & fructum Sacramẽti percipiunt : (pag.42.) & tamen mali(inquit pag. 72.) multo minùs infideles dicuntur Chriſti corpus comedere. Idem Harchius interdum Baptiſmũ Cœnæ Domini exæquat,vt pagina 32. aliquãdo merè ſpiritualẽ vim extra carnem Chriſti ei tribuit,vt pag.61,non minùs(inquit) eſt Chriſtus in Baptiſmo,quàm in Euchariſtia,verùm per diuinitatẽ, non humanitatẽ. Præterea quamuis Papiſtas meritò reprehendat in eo, quòd poculi vſum in iis quos Laicos vocãt ſuſtulerint,& illam Deitatem non minùs in vinum quàm in panem velit infundi: (pag.44.) videtur tamẽ vini & ſanguinis illius viuifici potum magis etiam , quàm panis eſum vrgere, quoniã (inquit ex Origine,pag.115.)nõ dixit Dominus, Hic eſt panis noui Teſtamenti : ſicut dixit, Hic eſt calix noui Teſtamenti:adeò vt ſi quis ſpacio tẽporis prematur,id eſt, (vt loquitur pag.116.) tẽpore ex-
» cludatur,malit præteriri panis vſum, quàm calicis. Quũ enim(inquit) mãducatio lõgius exquirat
» tẽpus,quàm potatio:ſi in animæ deliquium incideris,nónne in os potius iniicies vinũ,quàm car-
» nes,quoniam illud citiùs repente delapſas inſtaurat vires? Præterea malè defendẽs panem & vinũ Cœnæ Domini habere Sacramentorum rationem etiam extra vſum,id tamen non vult in Baptiſmo valere.(pag.89.) Cœnã autem quatenus vocet ſacrificium, & hîc rurſum quot allegoriis ſacra myſteria contaminet Harchius,ſuo loco,id eſt,in refutatione dicemus.

De Cœna Domini adminiſtranda modo ac ratione.

Cœnæ Domini adminiſtrationẽ,ſicuti par eſt, ad inſtitutionis diuinæ normã & amuſsim exigimus. Itaq; à Domini inuocatione exorſi, habita concione & repetitis precibus,ipſam Domini inſtitutionem magna cum attentione recitatam populo ſolẽni formula explicamus, ac deinceps, edita fidei Chriſtianæ publicæ per Apoſtolici ſymboli recitationem profeſsione, quod iuſsit facere Dominus facimus. Panem enim fractum, & vinum poculo infuſum tradunt quidẽ miniſtri, accipiunt verò,comedũt,& bibunt ſinguli:quibus peractis,& rurſum gratiis Deo actis,populóque diligenter de cõferenda eleemoſyna,cæteriſq; charitatis præſtandæ officiis commonefacto, (quibus vnis rationibus,quatenus videlicet Deo gratias agimus,ſolẽni noſtri tum corporis,tum animi,conſecratione Chriſtianæ charitatis officiiſq; teſtificata,hãc actionem docemus εὐχαριστικὸν ſacrificium vocari)miniſter populum cum ſolenni benedictione dimittit. Et quoniam ſacra eſt in primis hæc actio, quaſi in cælis potiùs quàm in terris celebrãda : curamus, vt hæc omnia non tantum honeſtè & decenter, (ſicut reliqua omnia in domo domini fieri decet)ſed etiã reuerenter & venerabili cum grauitate adminiſtrẽtur. Omnia autẽ illa quorum quædã ad impietatẽ, quædã ad ſuperſtitionem cõuerſa ſunt,quædam deniq; ridicula ſunt, & hiſtrionicæ ſaltationi quàm vſq; adeò ſacris myſteriis conuenientiora, è domo Domini tanquã ſordes,eiecimus:relicta in iis quæ adiaphora ſunt,ſingulis Eccleſiis libertate. Harchius autẽ quamuis panem & vinum diuinæ ipſius eſſentialis τοῦ λόγου virtute,ipſis abundantiſsimè,vt ipſe loquitur, vnita repleuerit:nihilominus tamen adorationem interiorem ad illa directam tollit, vt exteriorem,quam venerationem appellat,ſubſtituat : oblationem & θυσίαν non ſimpliciter damnat : linteam denique ſacerdotis veſtem non improbat:impia tamen & ſuperſtitioſa quædam meritò reprehendens.

Et hactenus quidem Harchii ſententiam de ſingulis huius cõtrouerſiæ quæſtionibus cum noſtra cõparauimus. Itaq; ſupereſſe hoc videtur,vt noſtris confirmatis,dogmata illius ex Dei verbo refutemus,ac demũ iis,quæ pro ſe profert,reſpõdeamus. Erit autem hoc nobis eò facilius , quòd ne ſpeciem quidem vllam vllius argumenti Harchius ex Dei verbo profert,præter vnicum prorſus elum-

fus elumbe,quod ſuo loco explicabimus.Primùm quòd panem & vinum dicamus ſigna eſſe cum ipſa rerum ſignificatarum præſtatione cõiuncta, probatione non eget, niſi apud Transſubſtantiatores, qui pro mutatione rerum communium in Sacramenta, ſtatuũt earum annihilationem. Sed cum Harchio ſentire non poſſumus intra ipſa ſigna re ipſa cõtineri res ſignificatas, quæcunque tandem illæ ſint. Hoc enim neque ipſa rerum, id eſt, Sacramentorum aut rerum ſignificatarum natura patitur: neque in ſacris literis vlla vocula inuenietur, qua conſtituit tale quicquam poſsit: vt planè videatur hac quidem in parte minùs abſurda eorum ſententia, qui Chriſti corpus realiter abſque pane adeſſe volunt, quàm eorum qui in, ſub, vel cum pane reipſa illud adeſſe contendunt. Sed Harchius magis etiam ineptam ſententiam tuetur, qui, vt corporis naturalis localem præſentiam excludat, deitatem ipſius verbi, ex carne aſſumpta in panem illapſam, velit intra ipſum panẽ habitare, adeóq; ipſi re ipſa vniri & permiſceri. De quo dogmate mox dicemus.

Iam verò quod ad res ſignificatas attinet, verum illud ipſum corpus naturale, & verum illum naturalem ſanguinem Sacramentis illius panis & illius vini ſignificari dicimus, idque conſtare ex additis vocibus, QVOD TRADITVR, & QVI EFFVNDITVR: item ex diſertis Pauli verbis, 1. Cor. 10. 16, vbi panem quidem corporis Chriſti, poculum autem, (id eſt vinum poculo contentum) ſanguinis Chriſti communionem eſſe teſtatur. Nec enim dubium eſſe poteſt, quin idipſum quod communicatur, ſit illud ipſum, quod in Cœna Domini ſignificatur & præſtatur. Itaque nihil abſurdius fingi potuit iſto Harchii commento, qui nomine corporis quod traditum fuit pro nobis, & ſanguinis qui fuit effuſus, Deitatem ipſam Chriſti ſiue verbum ipſum æternum Patris, & Spir. ſanctum intelligit. Diuerſa eſt autẽ quæſtio, Quid in Cœna Domini ſignificetur & præſtetur, ab ea qua quæritur, quo ſenſu corpus illud naturale de pane illo, & ſanguis ille naturalis de vino illo dicatur. Ad hanc enim reſpondendum eſt Sacramẽtale hoc eſſe dicendi genus, quo, vt ipſe Harchius agnoſcere cogitur, rei ſignificatæ nomẽ ipſi ſigno tribuitur. Ac proinde agnoſcimus Corporis nomen interdum non ipſum naturale corpus ſed eius Sacramentum ſignificare: quod nonnulli ex veteribus patribus corpus Sacramentale vocarunt, id eſt, Sacramentaliter intellectum, veluti quum dicunt. Corpus Domini videri, tangi, dentes in illud infigi, in terram cadere, creari, fieri, cõſumi: ſed nullam propterea Diuinitatis Chriſti ſiue τοῦ λόγου in ipſis Sacramentis realem inhabitationem ponimus. Præterea & hoc agnoſcimus, Eccleſiam quoq; corpus Chriſti vocari, ſed myſticum ſiue ſpiritualiter, myſterio magno, vt loquitur Apoſtolus Epheſ. 5. 32. inter ſe ſub vno & eodem capite, Chriſto connexum, & eiuſdem Spiritu viuificatum, Epheſ. 4. 16. neque id quoque myſterium inficiamur, ſignis panis & vini, & eo quòd omnes ex eodem illo pane ſumimus, & ex eodem illo poculo illum Spiritum bibimus, 1. Cor. 10. 16. adumbrari atque etiam ſanciri: ſed hoc nunquam probabit Harchius, neque alius quiſquam, his verbis inſtitutionis cœnæ Domini: CORPVS MEVM QVOD PRO VOBIS TRADITVR, Eccleſiam ſiue ipſa Eccleſiæ membra, id eſt, corpus Chriſti myſticum intelligi. Pari enim ratione per HOC EST SANGVIS QVI EFFVNDITVR idem corpus myſticum rurſum intelligeretur, quod adhuc nemini venit in mentem, vt diceret. Et certè ſi corpus illud eſſet myſticum corpus, ſinguli fideles Eccleſiam comedere viderentur. Apage igitur pluſquam aniles iſtiuſmodi nugas, & vertiginoſis ſolis iſta deliria relinquantur.

Tertiò, analogia inter caducam hanc alimoniam & vitam, & cœleſtem illam naturalis Chriſti carnis virtutem, æternámque inde in nos, non in panem aut vinum emanantem vitam, quum in ſacris literis millies inculcetur & ipſi Conſubſtantiatores idipſum in ſexto Ioannis capite agnoſcant, probatione nõ eget. Totum autẽ illud Harchii commentum de pane cõmuni, quo Chriſtus veſcebatur, qui antea δυνάμει caro Chriſti, ab eodem poſtea comeſus & calore naturali concoctus euaſerit ἐνεργείᾳ caro Chriſti, & quidem diuina, propter vnionem τοῦ λόγου hypoſtaticam, quaſi propterea panis cœnæ Domini corpus ipſius dicatur, quid aliud eſt quàm ebrii delirantis ſomnium? Nam etiamſi iſtud tam abſurdum commentum illi concederem, oportuiſſet ſanè Chriſtũ priùs hunc ipſum panem, quem corpus ſuum appellat comediſſe, cõcoxiſſe & (ſit honor auribus) reieciſſe, ac ſic tandem factũ corpus ſuum diſcipulis præbuiſſe. Et nunc quoq; vbicunq; & quoties Domini cœna adminiſtratur, Chriſtũ oportuerit corporaliter præſentem hæc eadem agere, aut inuiſibiliter in cœlum ſubducere, ne nudum panem ſumeremus. Verùm ne ſic quidem panis ille fuerit Domini caro, quum cibi excrementa non fiant ipſius ſumentis caro, ſed is demũ cibi ſuccus, qui carni ſumẽtis aſsimilatur. Sed his omnibus putat ſe pulchrè occurriſſe, quũ Chriſtum dicit carnem illam ſuam ſic ex pane creatã in cælo habere, ſed ex illa carne ſuam Deitatem infundere in panem qui proinde diuinus effectus, ſit quoq;, noſtri reſpectu, caro Chriſti δυνάμει, & demũ etiam credentes ore & fide comeſus, faciat itidem diuinos & ἐνεργείᾳ ipſius Chriſti carni, illi in cælis manenti naturali natura & ſpecie, vt loquitur, ſimilis, atque adeò, vt alicubi loquitur, Chriſti caro inuiſibilis, æternum verbum, & Spiritus ſanctus: quæ non tantùm ſtulta, ſed etiã impia portenta quid attinet pluribus refutare, quum nulla ne rationis quidem ſpecie nitantur? Abſit enim vt Patribus, quorum teſtimoniis Harchium nullo cum pudore abuti oſtendemus, hæc monſtra vnquam in mentem veniſſe exiſtimemus.

Quòd autem ad Sacramentalem ſymbolorũ & rerum ſignificatarũ, id eſt, corporis illius naturalis pro nobis traditi, & ſanguinis pro nobis effuſi præſtationem cũ ſignificatione cõiunctam attinet, quod hac de re docemus, certo & expreſſo Dei verbo nititor. Quũ enim conſtet Sacramenta de quibus agimus, eſſe promiſsionibus Euãgelicis adiuncta, vt tãto magis de illarũ præſtatione certiores fiamus, cõſequitur neq; ipſis promiſsionũ verbis, neque Sacramentis aliam coniun-

ctionem tribui posse, quàm efficacis significationis quæ à promittentis solà vi & fidelitate emanet. Etenim spiritualia sunt quæ tum verbo, tum Sacramentis & significantur & sub Euangelica, id est, fidei conditione præbentur: merè verò spiritualia ac diuina cuiusmodi sunt incorporatio in Christũ, & in eodem cõllatũ iustificationis, sanctificationis, & tandem glorificationis seu vitæ æternę donum per aliũ vt vllo modo efficientẽ causam si quis nobis tribui existimet, aut rerũ diuinarum prorsus est imperitus, aut planè impius, vt qui, quod vnius Dei est incommunicabiliter tam propriũ quàm ipsa est Deitas, ad panem & vinum, res inanimatas, transferant, aut certè cum illis cõmunicent. Nego igitur, & pernego Deitatem aut vim vllam diuinam in ipsa signa infundi, & impiũ esse hoc dogma rursum dico, eo quidem sensu quo loquitur & scribit Harchius, non quo locuti sunt Patres, quorum sententiã penitus deprauat, vt suo loco dicemus. Aio (inquã) impiũ esse dogma, quòd res cõmunes, ex Dei ordinatione Sacramenta fiãt, aliter intelligere, quàm quòd ad alium vsum, id est, ad res diuinas significandas, transferantur, quarum præstatio nullo modo neque à ministro neq; à verbis ipsis institutionis, neq; à symbolis, sed in solidũ ab vnius Dei vi, nulli prorsus rei creatæ vnquã cõmunicata, efficitur. Falsissimũ est igitur hoc delirium ab Harchio tot modis inculcatũ, ineffabili modo verbũ ipsum in panem & vinũ reipsa illabi, vt Domini caro fiant δυνάμει. Nec enim Sacramentalis mutatio est magis miraculosum aut ineffabile quippiã, quàm quum ex cõmuni cera fit autenticum publici instrumenti sigillum. Quanuis enim illa quidem sit diuina & diuinarũ rerum causa, hæc verò humana & sanciẽdis rebus humanis instituta ordinatio: tamen res ipsa in genere eadẽ est, tantùm in eo differens, quòd in illis Deus de vita æterna, hîc verò homines de negotiis humanis paciscuntur. Quod & Transsubstãtiatores signorum, & Cõsubstantiatores rerũ significatarũ, & quidem in primis Harchiũ, qui ipsum æternũ Dei filiũ maxima cũ impietate pani realiter vniri docet, saltẽ ex toties à nostris citato Augustini loco li. de Trin. 3. c. 10. discere oportuit: vbi Sacramẽta dicit vt religiosa honorẽ habere posse, non autem stuporem vt admirãda. Sed hoc istos omnes fefellit, quòd ea quæ Dominus verè ineffabiliter agit, dum quæ corporaliter per symbola significat, in credentiũ cordibus spiritualiter sua vnius virtute exequitur, cum Sacramentali mutatione confundunt: quũ illud Dei opus, id est, Ecclesiæ & Christi spiritualis illa cõnexio verè magnũ sit mysterium, vt loquitur Apostolus: hoc verò, id est, rerum aliquarũ à cõmuni vsu ad alium extraordinariũ significandum trãslatio à paciscentium voluntate pendeat, & inter homines etiã sit quotidianum. Sed & istud cõmentum, quo æterna illa æterni Filii Dei Deitas secundũ substantiam pani vnitur, quomodo impium non est? Quòd enim Harchius hypostaticam hanc vnionẽ Deitatis & panis non esse cõtendit, manifestè, vt in Scholis loquuntur, cõtradictionẽ implicat. Quid enim aliud est, hypostaticè verbum illud æternum Dei carni assumptæ vnitũ esse, quàm καθ' ὑπόστασιν id est sua ὑποστάσει, non autem sola ἐνεργείᾳ aut παρουσίᾳ illi carni vnitum esse? Sed audio quid Harchius respondeat, verbum videlicet illud æternum sic illi carni vnitum esse, vt cum illa vnicum ὑφιστάμενον constituat, cũ pane verò sic vniri, vt eum non actu, sed δυνάμει tantùm efficiat corpus, non idem illud ipsum quod est in cœlis, sed aliud numero, natura tamẽ & specie, id est, etiam per inhabitantem re ipsa in pane Deitatem diuinũ, postquam illud potentiale corpus ore & fide sumptũ, comesum, & concoctũ fuerit. Enimuerò quid hoc aliud est, quàm totidem incarnatos filios Dei statuere, quot ad Cœnã Domini ritè, & sicuti par est, accedunt? Et ineffabilẽ illam gratiam vni illi carni ex Maria Virgine assumptæ propriã, quanuis impari, quod ad energiã attinet, efficacitate, cum credentib⁹ omnibus cõmunem statuere? Vt autem apertiùs etiã intelligatur, quàm & ridiculũ & impium sit istud cõmentum, quo ipsemet Dei Filius cum symbolis re ipsa vniri dicitur, fingamus Harchium non ipsum Deũ, non Verbum ipsum æternũ, sed quandã duntaxat ipsius virtutem, quam carnẽ verbi, & verbum de Deo verbo Patrũ testimonia non intelligẽs, vel peruertens sæpius appellat, intellexisse: & quænam hæc sit virtus, & cuius efficaciæ dispiciamus. Deũ certè vbiq; ἐνουσίως qui esse negat, Dei infinitã essentiã negat. Vbiq; autem illum esse, vt rerum creatarum partem, & quasi cum illis compositam, vetus Manichæorum delirium est. Et tamen quum vt dicit Apostolus, in ipso, id est ipsius vnius vi viuamus, moueamur & simus: &, vt ipsi prophani scriptores cognouerunt, qua vi creata sunt omnia, eadẽ etiam illa quãdiu sunt fatendum sit cõseruari: ex eo efficitur Deũ non tantùm ἐνουσίως sed etiã ἐνεργητικῶς rebus omnibus, quãuis non eadem nec pari efficacitate adesse. Sed eadẽ illa & vnica vis diuina nõ pariter sese in rerum creatarũ conseruatione exerit, vt in prima earũ creatione sese demõstrauit. Sic enim ipsa res ex nihilo cõdidit, vt nõ tãtùm prima, sed etiam sola sit rerũ omniũ existentię causa, seu materiã seu formam spectes. In rerum autem, quas ex præiacente materia cõdidit, conseruatione, siue specierum propagationẽ, siue indiuiduorum perseuerantiã spectemus, causas secundas ordinauit, per quas, quanuis iis minimè deuinctus, rerum omniũ ac singularũ naturas conseruat. Sic à cœlo & ab agricultura soli vbertas: à sole, luna, stellis, ventis, aeris cõstitutio: à cibis suæ naturæ accõmodatis animantiũ vita depẽdet. Sed longè aliud est rem aliquam vi sibi diuinitus insita souere, quàm res ipsas ex nihilo condidisse. Itaq; illud summa quadã benignitate rebus creatis Deus certis gradibus concessit, res naturales naturalibus causis, prout tamẽ ipsi libuit, conseruãs. At illã creandi, id est, ex nihilo aliquid efficiẽdi, vim sibi vni propriã esse ac permanere voluit, vt & ipsius naturæ ordinis immutationẽ. Etenim Iehoua sit oportet, qui quidpiã à Non esse ad Esse traducat: vnde etiã & Filii & Spiritus sancti Deitatẽ ex eo probamus, quòd iis rerum omniũ existentiũ creatio, vt & Patri, in sacris literis, tribuatur. Quod attinet autẽ ad ordinis naturæ mutationem, quæ miraculi voce propriè accepta significatur: valde hallucinãtur qui (vno excepto Christo homine) vim eiusmodi miracula edendi

cuiquam

cuiquã vnquam insitã à Deo fuisse existimût. Itaq; miracula propriè appellata, quibus nimirum
ordo ipse naturæ immutatur vel etiã aboletur, nulli nec Angelo nec homini accepta ferẽda sunt,
quasi causis vllo modo efficientibus, sed vt meris ac nudis instrumentis. Nã nec Angeli quidem
boni, nec sancti homines quicquã vnquam παρὰ φύσιν egerût: sed illi quidẽ Dei mandata sunt exe-
cuti, rerum natura non ipsis vllo modo, sed Dei vnius conditoris mandatis obsequente: sancti
autem homines, itidem Dei mandato, siue expressa, siue tacito & intrinseco afflatu suggesta, siue
precibus impetrata miracula sic ediderût, vt nulla ipsis insita vis hoc effecerit, sed vnicũ eorũ ex-
ternũ ministeriũ interuenerit. Multò magis ergo quæ ab impuris siue spiritibus siue hominibus
edita leguntur, vel meræ fuerût præstigiæ: vel causarũ naturaliũ nobis quidẽ occultarũ, dæmoni-
bus autẽ, quos nullæ res istiusmodi latẽt, cognitarũ effecta, quæ tamẽ hominibus miracula vidẽ-
tur: vel ab ipso Deo per malos etiã Angelos iusta sua iudicia exequẽte, edita. Itaq; nõ magis Mo-
ses, quàm ipsius virga, tot miracula in Ægypto, & in deserto edidit: vt meritò Marcus 16. 20, Deũ
ipsum dicat miraculis Apostolicã doctrinã confirmasse, Act. 3. 16. & 4. 10. Petrus sanati claudi mi-
raculũ sic ad Christi inuocatum nomen referat, vt sibi & Ioanni nihil præter externi ministerii
partes relinquat. Ad Christum autẽ ipsum quòd attinet, statuendũ est, eum esse verũ Deũ natura
siue essentia, & qui etiã quatenus homo est, imperium in res omnes inferiores acceperit: sed tamẽ
opera quæ præter naturã edidit: Augustinus vni Deitati ab humanitate nõ quidem separatæ, sed
distinctæ attribuit his verbis Tract. in Ioan. 9. Quia (inquit) Maria nõ erat mater diuinitatis, & «
per diuinitatem futurũ erat miraculum quod petebat, respõdit ei, quid mihi & tibi mulier? Idẽ «
eodem loco: Esuriebat Christus, quia homo erat: pauit quinque panibus tot millia, quia Deus «
erat: dormiebat, quia homo erat, ventis & fluctibus imperauit, quia Deus erat. Et Cyrillus in «
Ioã. lib. 2. c. 139. Propriũ est (inquit) supremæ substãtiæ, vt mortuos possit viuificare, quod æquali- «
ter Patri atq; Filio inest, propriũ (inquã) ἀκοινώνητον. Nã alioquin nõ procederet Cyrilli argumẽ-
tũ, Deitatẽ Filii ex mortuos viuificãdi virtute colligẽtis. Et idẽ Cyrillus lib. de Trinit. 5. Ea quæ «
diuino modo facta sunt à Christo, nõ sunt humanis cõditionibus attribuẽda, sed naturæ ineffa- «
bili & omnẽ mentẽ transscẽdenti. Idẽ eodẽ libro: Posse implere omnia, & trãsire per omnia, & «
sequi in omnibus cõcedes etiã alteri naturæ à diuina, quàm diuinæ? Nõ equidẽ. Denique; Christus «
ipse testatur se in Spiritu Dei eiicere dæmonia, id est, vt idẽ Cyrillus rectè interpretatur, in Spiri-
tu sancto, qui est & Patris & Filii virtus coessentialis. Idẽ Cyrillus lib. in Ioan. t. cap. 72. explicãs
illa Baptistæ verba. Nõ enim ad mensurã ei dat Spiritum, & Spiritũ ipsum essentialẽ à donis ab
eodem per participationẽ cõmunicatis distinguẽs, Non ignoramus (inquit) Apostolorum quoq;
manibus datũ Spiritũ, sed orabãt illi Spiritũ, qui quum veniret, manibus eorũ præberi dictus est. «
Non enim ipse beatus Moses de Spiritu qui erat in eo accipere videbatur, & aliis præbere, sed «
soli diuinæ hoc seruatũ est potestati. Solus enim Deus hæc sublimia Deóq; digna efficere potest. «
Quorsum autẽ hæc omnia? nẽpe vt sic aduersus Harchiũ colligamus. Si per hãc virtutẽ, cuius il-
lapsu reali per benedictionẽ mysticã, vis panẽ hunc fieri potentia corpus Christi, intelligis ipsam
æterni Filii Dei essentiã, plus certè huic pani rei inanimatæ, quàm ipsis etiã Apostolis cõcessum
fuerit, vt qui Spiritus tãtùm participationẽ, id est, dona ab ipso in ipsis creata, & quidẽ ad mensu-
rã habuerint (de quib' latè Apostolus 1. Cor. 12:) Deitati etiã, vt ostendim' seruata illa incõmuni-
cabili miraculorũ, quibus ordo naturæ immutatur, efficiendorũ potestate. Imò etiam in eo quòd
vim nos diuinitus regenerãdi dicis essentialiter illi pani infundi, plus huic pani, quàm ipsi Chri-
sti carni naturali, per se, siue in sese cõsideratæ tribuis: vtpote quæ, sicut ex Augustino & Cyrillo
probauimus, illa verè sublimia & diuina opera ediderit, & etiamnũ edat nõ gratia vlla habituali,
vt in scholis loquũtur, sed sola vnionis gratia, id est, nõ quatenus homo fuit & est omnib' donis,
quorũ capax esse potest humana natura, perfectissimè ornatus, sed solius, solius (inquã) in sese con
sideratæ Deitatis respectu, humanitate, tanquã instrumẽto, ad ea quæ merè humana sunt præstã-
da, vtẽtis: quãuis operũ Christi ἀποτελέσματα, toti personę aduersus Nestoriũ sint tribuenda. Quòd
si per illã vim nõ ipsummet Filiũ Dei essentialiter, nec Spiritũ ipsum sanctũ, sed energiam in ipsa
carne Christi naturali creatã intelligis, meras præstigias profers. Nulla enim talis viuifica vis ipsi
Christi carni inseri potuit in sese cõsideratę, vt ex iis testimoniis, quæ protulimus, apparet. Quòd
enim hæc caro viuificat, ideò fit, quia hìc homo est essentialiter Deus, nõ quòd hæc caro sit vita
in sese: quòd si vita in sese nõ est, ne viuifica quidẽ est in sese. Quomodo igitur ex illius carne vi-
uifica vis creata siue ex participatione in panẽ reipsa sese insinuarit, quæ neq; creata vnquam est,
neq; creari potuit, quoniã quicquid in semetipso viuificum est, Deus vt sit necesse est, Deus au-
tem esse nihil quod sit creatũ potest? Et tamen tantùm abest, vt (quoniam, ne proprietates cum
Eutychete cõfundamus, negamus Christi carnem in sese viuificandi vim habere, propterea natu-
ras cum Nestorio separemus, vel homini Christo, siue carni Christi vim viuificam, contra ipsius
verba manifesta adimamus, vt cõtra & ἀποτελέσματα toti personæ, sicuti dictum est, tribuamus, cõ-
tra Nestoriũ, & quum carnem Christi dicimus propter personaliter inhabitans verbum illud æ-
ternũ Dei, nos proinde essentiali vi Deitatis viuificare, multò plus ei tribuam', quàm ii, qui pro-
prietatibus naturarum cum Eutychete cõfusis, virtute quadam creata & participata, carnẽ illam
viuificam factã esse cõtendunt. Quæ quum ita se habeãt, iterum dico Harchium somniasse, quum
panem Cœnę Domini ea vi, quæ nusquam fuit, neq; est, neq; erit, è carne Christi delapsa, nõ mo-
dò diuinũ factũ, sed etiam viuificãdi vim, ad nos videlicet re ipsa & actu Christi corpus efficien-
dos, adeptũ diceret: quod, si verum esset, quanuis aliquid esse actu plus sit, quàm esse tãtùm δυνά-
μει, tamẽ cùm maius quiddam sit, ac præstantius, vim habere alios viuificandi, quàm ab alio viui-

ficari,& hoc vtrumq; tribuat illi pani Harchius, (nec enim viuificare nos Christi corpus posset hic panis,nisi prius ipsemet esset talis effectus)& posterius istud tãtùm nobis relinquat Harchi᷒, maiorē certè gratiã Deus in hūc panem,quàm in vllos Christianos cōtulerit. Hunc autem errorem alii multi cōsequuntur,distinctè quoq; refutãdi. Quoniã enim existimat Harchius hanc vim huic pani reipsa inseri & vniri,hinc tria efficiuntur necessariò. Vnum, quandiu manent panis & vinum,percepta semel benedictione mystica,siue sumantur,siue non sumantur,id est extra vsum quoque rationem Sacramentorum habere. Alterum, Quicunque ore Sacramenta sumat, vtrunq; sumere,nempe & illa symbola & rem illis reipsa insitam & vnitam. Tertium deniq;,si Filius ipse Dei & Spiritus sanctus reipsa & substantialiter istis symbolis inhærent, Filiū Dei ,& Spiritum sanctū in illis adorari debere:quos & absurdissimos & teterrimos errores,Harchio cum Transsubstantiatoribus & Consubstantiatoribus communes,seorsim refutabimus.

Ad primum quod attinet,quæstio in eo tota vertitur,Num benedictione Sacramentali(id est, ea recitatione & explicatione institutionis Cœnæ Domini,quæ fit in legitima ipsius administratione)panis & vinū certa qualitate quapiam afficiantur, quæ ipsis re ipsa inhæreat, vt etiamsi eo ipso tēpore,quo hæc fiunt, non sumantur, ista qualitas ipsis vt subiectis impressa permaneat: ac proinde,siue ad absentes eo ipso tēpore quo mysteria in cœtu peraguntur,deferãtur,siue seorsim repusita, prout tulerit ægrotorū necessitas,ipsis præbeantur,noua cōsecratione,id est,institutionis recitatione & explicatione denuo facta nō sit opus. Nos quamuis vetustã esse sciamus reliquiarū Eucharistiæ in hos & alios vsus reseruationem, tamen quoniam neq; fundamentū habent ista in Dei verbo,neq; aliūde quàm à superstitione nata sunt, &,vt fortassis aliquãdo tolerabilis iste mos fuerit(quòd eò vsq; nōnulli putarint istud aliquorum infirmitati cōcedendum) nūc tamen, propter mox sequutam idolomaniam, morem istum prorsus abolendum censemus, & symbola docemus extra vsum,siue extra illorū sumptionem, nullam habere Sacramentorū rationem. Cōstat enim hæc mysteria religiosa meras esse actiones continuas,ad quas idcirco non adhibeantur symbola corporea vt in iis sistat sese cogitatio, sed cōtrà vt eos quibus præbentur ad aliud cogitandū & agendū cōmoueant. Itaq; sicut panis & vinum ex rebus cōmunibus fiunt relatiuè ad rectum illorū vsum Sacramenta,citra vllam realem in ipsismet mutationem:ita mutationem illam Sacramentalem illo fine & vsu meritò circūscribimus. Afferimus & alias rationes ab exēplo tum veterum Sacramentorū,tum etiam Baptismi sumptas. Quū enim quispiam tinctus siue perfusus aqua fuerit,inuocato Patris,Filii,& Spiritus sancti nomine,cessat Sacramentū,quod idem in circuncisione fuit:& idē nostri aduersarii de suis illis fictitiis Sacramētis Cōfirmationis, Extremæ vnctionis,Pœnitētiæ cōfiteri coguntur. Quòd autē excipiūt aliud statuendū esse in Eucharistia, quoniã in actione sola nō cōsistat,nihil est. Nã Actio genus est, ad quã omnia mysteria referēda sunt,extra quam perabsurdū esset speciem aliquã imaginari:& in Baptismo quoq; aqua,& à Pōtificiis quoq; oleum in Cōfirmatione & Vnctione pluribus & operosioribus ritibus præparata adhibentur,quàm panis & vinum in Cœna Domini: quæ tamen ne ipsi quidem Sacramenta vocant,sed ad Sacramentorū administrationem veluti materiam adhiberi cōcedunt. Siue ergo satis sit semel recitatã & explicatã fuisse in publico cœtu sacræ Cœnæ institutionē,ad hoc vt symbola ex rebus cōmunibus Sacramenta euadant,ita vt in præbendis eorū reliquiis adhibeantur,quasi iam præparata, siue repetita benedictione indigeant:nō habent tamen Sacramentorū rationem extra actionem his verbis præscriptã: ACCIPITE, COMEDITE: ACCIPITE, BIBITE. Nam ne in naturali quidem alimonia panis habet cibi rationem,nisi in eo qui pane vescatur. Sed in eo panis hic cælestis,id est, ad diuinum vsum significandū & præstandū extra ordinem destinatus, (ideóq; Sacramentum factus)à naturali differt,quòd naturalis vim alimentarem sibi habet à natura sic insitã,vt quandiu panis est,illa nō careat,siue quispiam eo vtatur:siue minùs:panis autem iste cælestis,significatione tãtùm Sacramentū,id est,spiritualis cibus est,idq; vsus ipsius respectu, nēpe esus & potus:sicut aqua,quæ in Baptismo adhibetur nō est baptismi aqua,nisi quis ea,sicuti par est,tingatur. Et hoc quidem mirum non est Transsubstantiatores & Harchiū agnoscere no-
» luisse, quum illi quidem panem in verum corpus Christi reipsa transsubstãtiari dicant: Harchius
» autem ipsummet æternum Dei verbū, seu virtutem ex carne Christi reipsa emanantē impanari,
» id est,ipsi pani inseri & vniri mysticæ benedictionis virtute velit. Sed Cōsubstantiatores ipsummet corpus Christi non minùs realiter in,sub,vel cum pane copulãtes mirum videri possit illud quoq; Philippi verissimum axioma, quòd symbola extra vsum non habeant Sacramentorum rationem,non vt quædam alia, falsitatis damnasse:nisi res ipsa satis supérque demonstraret nōdum istos homines,quid dicant aut scribant satis cogitasse.

» Profert autem hoc loco Harchius nōnulla,quibus respōdendum videtur. Nã(inquit pag.89.)
» nisi viuifica gratia perpetuò manet etiam in reliquiis comunionis, quid deferebant Diaconi ad absentes,teste Iustino in Apologet? Respōdeo, nō aliud dicere Iustinū, quàm quo tēpore Cœna Domini in publico cœtu celebrabatur,habitã etiã fuisse ratione eorū,qui ꝓpter morbū abessent à cœtu,& ad illos fuisse missam per Diaconos Eucharistiã. Vna igitur & eadem erat hæc actio,ac
» proinde nihil pertinet ad asseruatas epuli sacri reliquias. Profert Harchius postea Serapionis cu-
» iusdã exemplū ex Eusebio,li.6.c.34. Cui animã agenti noctē missum fuerit paululū Eucharistiæ.
» Itē,quod dicit Hieronym᷒ de Exuperio Episcopo Tolosano,qui corpus Domini portarit in ca-
» nistro,sanguinē autem in vitro. Item illud de Tertulliani vxore seruãte domi suæ Eucharistiam.
» Item illud de Satyro fratre Ambrosii, Eucharistiã quasi viaticū in collo portãte. Et de Heremi-
» tis,si aberat sacerdos, à se ipsis Eucharistiã accipientibus: cuiusmodi alia plura repeti ex antiqua historia

hiſtoria poſſunt. Quorſum autem hæc? nempe vt colligatur non temerè aſſeruatas olim fuiſſe iſtas reliquias, & nunc etiam non malè in templis Chriſtianorum ſeruari, manente in Sacramentis etiã aſſeruatis benedictionis virtute, vt diſertè ad Coloſyrium ſcribit Cyrillus. Nos verò non an aſſeruata, ſed an meritò aſſeruata fuerint illa fragmenta quærimus. Conſtat enim ex Dei verbo diſertè inhibitũ à Domino fuiſſe, ne quid ex agno Paſchæ, expreſſo Euchariſtiæ noſtræ typo, in poſterum diem ſeruaretur: & in aliis ſacrificiis Leuit. 7. idem non temerè præcipitur, nẽpe, vt omnis aditus ſuperſtitioni præcluderetur. Et certè quũ Paulus idolothyta in macello vænalia expoſita, nõ vult inter res prophanas cenſeri, extra vſum profanorum ſacrificiorum, ſatis etiam oſtendit, quænam viciſſim tũ fuerit in Eccleſia de Euchariſtici epuli reliquiis ſententia. Tum autem fuit valde difficile & penè ἀδύνατον, quũ Chriſtiani cibum ſimul caperent in ſuis Agapis, (quod ad multa ſecula, præſertim in concurſu ad martyrum μνημεῖα viguit) ita dimetiri panem & vinum quæ peculiariter Sacramentali eſui deſtinabantur, quin aliquid plerunque ſupereſſet, de quibus varia, imò etiã repugnantia ſtatuta fuiſſe ex vetuſtorum ſcriptis apparet: ac proinde opinionem iſtam de Sanctificationis alicuius in ipſis ſymbolis inhærentia non ſtatim irrepſiſſe. Iubentur enim ex Clemente Romano Pontifice, de Conſecr. Diſtinct. 2. cap. Tribus gradibus, Clerici reliquias fragmentorũ corporis Domini ſepoſitas in ſacrariũ eo ipſo die cõſumere: & Heſychius Nazianzeni diſcipulus in Leuit. 8. ſui ſeculi morem fuiſſe docet, vt quod ſuperfuiſſet, cremaretur: quod etiãnũ hodie in multis, vt loquũtur, caſibus apud ipſos Pontificios obſeruatur. Apud Nicephorũ autẽ lib. 17. cap. 25. & in Concilio Matiſconenſi ſecũdo, adhibebãtur etiam Scholaſtici illis edẽdis reliquiis. Quid amplius? Fatetur ipſe Harchius aliquando fuiſſe vetitum, (veluti Concilio Toletano primo cap. 14. Et Cæſarauguſtano cap. 3. addita etiam perpetui anathematis pœna) nequis domum Euchariſtiam deportaret: contra quàm fecit Gorgonia Nazianzeni ſoror, & (gliſcẽte paulatim ſuperſtitione, quæ tandẽ in iſtam horrendã circungeſtationem & idolomaniã deuenit) alii proculdubiò non pauci. Quid igitur hic profert Harchius, quo iſtud ſuũ dogma confirmari poſsit? Nam, vt cætera omittam, ſi qua ratio eſt ſeruandi Euchariſtiæ panis, eadem etiam in altero ſymbolo, nempe vino valeat neceſſe eſt, niſi diſcerpenda eſſe putet, quæ Dominus cõiunxit. Cedò verò cur panẽ potiùs iſti quàm vinum aſſeruant? nempe (inquiunt omni amiſſo pudore Tranſſubſtantiatores) quòd vinũ facilius aceſcat, quũ tamẽ omnẽ vini ſubſtãtiam euanuiſſe velint. Et hæc fortaſsis fuit præcipua ratio azymi vſurpãdi panis, & orbiculares illas tenues offulas præbendi. Denique quis ſanæ mentis non videt, ægrotis (nam aliæ ſuperſtitiones domi reſeruandi ſacri panis iampridẽ apud ipſos obſoleuerunt) etiamſi illa valeret ſententia, longè meliùs conſuli, ſi de integro tota Sacramentalis actio apud ipſos renouetur, quàm ſi rancido pane, præterito verbo, quod eſt ſymbolorum velut anima quædam, paſcantur? Et de hoc quidem hactenus.

Alter error ex illa reali ſiue corporis ipſius, ſiue Deitatis Chriſti in pane & vino inexiſtẽtia hic eſt, quòd quiſquis ore ſumit ſymbola, ipſũ etiã Chriſtũ ore ſumat, quod & verbo Dei expreſſo & Sacramẽtorũ naturæ ex diametro repugnat. Ac de corpore quidẽ ipſo Chriſti phyſico nũc nõ diſputo, ſed aduerſus Harchiũ dico vix vllũ poſſe magis inſanire, quàm qui opinetur Deitatẽ ipſam Filii & Sp. ſancti poſſe corporis ſenſibus percipi. Ad hoc autẽ deliriũ accedit etiã duplex impietas: vna, quòd corpus Chriſti, quod vocat, putat ab infidelibus etiã & hæreticis ſumi, quaſi cõmunio vlla eſſe poſsit luci cum tenebris: altera, quòd ab ipſa percepta Deitate virtutem eius in nonnullis ſeparet: quod eſt ipſam Deitatem diuidere. Qua de re mox dicemus.

Tertius error eſt in adoratione ſymbolorũ, quã modò tollit, modò in veneratione transmutat, modò ſtatuit Harchius: & certè, ſi verum eſt eius dogma, de reali & eſſentiali æterni verbi & Spiritus ſancti cum ſymbolis vnitione, adoratio tum interna tum externa excludi nec poteſt nec debet. Quam diſputationem in tractationem quæſtionis de Cœnæ Domini adminiſtrandæ ratione placet reiicere.

Nũc igitur agamus de Cœnæ Domini effectis, quæ duplicia ſtatuit Harchius: vna videlicet, quę ipſa ſymbola reſpiciũt, vtpote quæ Deitatis illapſu reali fiãt ipſũ Chriſti corpus δυνάμει: altera quæ ad nos pertineãt, qui viuificorũ ſymbolorum ore & viua fide perceptorum virtute fiamus ipſum Chriſti corpus actu, non tamẽ illud ipſum idẽ numero, quod ſumpſit ex Virgine, & quod nũc eſt in cælis, ſed ei ſpecie & natura ſimile. Et de illis quidẽ prioribus paulò antè copioſè diximus, quòd propriè pertineant ad quæſtionem de ſymbolorũ & rerum ſignificatarũ copulatione. Ac proinde ſupereſt, vt de poſterioribus agamus, id eſt, de iis, quorum in nobis efficiẽdorũ, vel potiùs ſanciẽdorũ cauſa Dominus hæc myſteria inſtituit quæ tractatio in tribus quæſtionibus poſita videtur. Vna videlicet, quid ex Cœna Domini conſequamur: altera, per quid, ceu efficientem cauſam id conſequamur: tertia, quo perceptionis modo id conſequamur. Nã in his tribus valde ab Harchio diſſentimus. Vult enim ipſe in ſumma, quod ad primũ quæſitũ attinet, nos nõ ipſum illud naturale pro nobis traditũ corpus, & naturalẽ illum pro nobis effuſum ſanguinẽ, ſed potẽtiale corpus participare, ex Deitate Chriſti & Spiritus ſancti in panẽ & vinum illud ſubſtantialiter illapſa, & ipſis panis & vini ſymbolis creatũ: cuius mãducatione, potu, & cõcoctione trãſeamus in corpus Chriſti, id eſt, fiamus homines Chriſto, etſi non æquales, tamẽ ſimiles. Deinde Deificationẽ illã noſtrã vult ex ipſiſmet ſymbolis, quibus vnita & permixta ſit illa trãsfuſa Deitas, in nos emanare: vt, ſicut naturaliter & corporali huius ſeculi alimonia, corpus hoc noſtrum alitur ſubſtãtia ipſa panis & vini propter vim nutriendis noſtris corporibus à Deo illis inſitã: ita etiam ſpiritualem illã vim, qua regeneramur in æternam vitam, ex illo ipſo pane propter Deitatẽ in ipſo ex Chriſti carne ſubſtãtialiter permixtam, & quaſi cum illis ſymbolis temperatã, & ore & fide ſumamus. Poſtremò ſpiri-

tualem quidem esse vult istius in Christi corpus transitionis modnm, sed cùm corporali, quod ad panis & vini substantias ore perceptas attinet, cõiunctum. Nos autem de primo primùm agamus.

Primùm igitur quæro ex quo tãdẽ Scripturæ loco didicerit, plura ipsi Christo corpora tribuere: vnũ videlicet naturale, alterum potentiale ex Deitate & pane conflatum: ac tertium denique actuale ex Deitate verbi & Sp. sancti essentiali & illis panis ac vini symbolis creatũ. Scio responsurum esse, vel ipsius fautores, si quos habet (quandoquidẽ hunc hominẽ Deus ex hoc mũdo tempestiuè sustulit) se non hæc duo posteriora corpora, quæ postea in vnũ conflantur ipsi Christo attribuere, sed potentiale quidem in ipsis symbolis constituere: actuale verò in singulis Christi mẽbris. Et fortassis tam erunt etiã nonnulli impudentes, vt ad suum istud delirium probandũ verbi Dei testimoniis abutantur: quoniam nimirum & panis ille corpus Christi dicitnr, & vinum illud Christi sanguis: & Ecclesia quoque corpus Christi vocatur. Sed si talẽ corporis Christi propagationem statuamus, quid superest nisi vt Valentini etiã αἰῶνας ab inferis reuocemus? Res autem ita se habet. Quũ de Filii Dei incarnatione loquimur, corpus intelligimus verè humanũ, & antè & post depositã infirmitatẽ circunscriptum, visibile, & locale, vtpote cui gloria neque substantiam ipsam humanæ naturæ, neq; essentiales proprietates ademit: qua in re Harchius quoq; rectè nobis assentitur. Quum autẽ symbola audimus corpus & sanguinẽ à Christo vocari, non itidẽ, quod ad ipsas in sese voces attinet, nullam ὁμωνυμίαν statuimus, quũ non aliud corpus nisi verum illud sit pro nobis traditũ, nec alius sanguis nisi ille verus & naturalis pro nobis effusus: & expressis verbis panis ille dicatur esse illud ipsum corpus pro nobis traditum, & vinum ille ipse sanguis pro nobis effusus, sed Sacramentali μετωνυμίᾳ dicimus symbolis attribui rerum significatarum nomina, vt Sacramentalis significationis vis perspiciatur. Quũ autẽ Ecclesia Christi corpus vocatur, tum corporis nomen pro compacta credentium multitudine ὁμωνύμως accipimus, veluti quum corpus alicuius ciuitatis, aut regni, aut collegii nominamus: nec tamen diffitemur Ecclesiam non simpliciter corpus, sed cũ adiectione Christi corpus dici: nimirum quoniã huius omnium membrorũ cõiunctionis & deuinctionis vinculum & velut anima quædam est ipse Christus, vt copiosè declarat multis locis Apostolus, ac præsertim Ephes. 1.23, & 4.16. Sed hoc corpus mysticum, quod nos sumus, à corpore pro nobis tradito & sanguine pro nobis effuso, de quibus demũ in verbis institutionis Coeuæ Domini agitur, vsque adeò non distinguere, vt hoc etiã ad illud introducẽdum extrudatur, non tantùm insanientis, sed etiã impii hominis esse videtur. Præterea panis ille iam tum quum in manus traditur, imò quum verba institutionis Cœnæ ritè recitantur & explicantur, certè fit Sacramẽtaliter Christi corpus, aut inanis est mystica benedictio: aut non corpus Christi, sed panem accipiũt credẽtes. Merum igitur delirium est opinari tum demùm fieri Christi corpus quũ per concoctionem in corpore credentium factam ipsi transeunt in Christi corpus. Ac proinde non fuerat dicendum HOC EST, sed HOC ERIT CORPVS MEVM. Et rursum, si, vt vult Harchius, istud de corpore mystico intelligendum est, aut ipse, aut Christus (quod absit) mendax comperietur. Et hîc operæpretium est intelligere quomodo Harchius, quum se premi verbo EST præsentis temporis videret, huic obiectioni occurrerit. (pag. 39.) Primùm respondet ex Augustino, sæpe in Scripturis dici esse quod non est, sed quod vel mox erit, vel esse potest: Ex quo (inquit) intelligere potes non esse absurdum quod dicimus, nempe panem Eucharistiæ non esse carnem actu, etsi sic appelletur: sed quia manducatus ab homine fideli, qui est corpus Christi, transit demum in carnẽ actualem, licèt antea vim & energiam carnis Christi habuerit. Si hãc phrasin Scripturæ Harchius idcirco protulisset, vt hæc verba, QVOD TRADITVR, & QVI EFFVNDITVR, quamuis præsenti tempore enuntientur, de re tamen mox futura intelligantur, apposite loquutus esset. (Hoc enim historica ipsa narratio demonstrat) sed quod interdum in Scripturis occurrit, hîc locum habere, vbi manifestè non quid futurus sit hic panis, postquã comestus & concoctus fuerit, sed quid sit ostenditur, id est, vt à communi vsu ad Sacramentalem trãsferatur, extremæ profectò est impudentiæ. Vt demus enim pro EST scriptum esse ERIT, an de corpore mystico istud, QVOD TRADITVR & QVI EFFVNDITVR, intelligi poterit? ista igitur ne refutatione quidem indigent. Altera autem responsio, quam affert Harchius, non minus est impudens. Nec enim (inquit) Dominus dixit, Hoc est corpus meũ, accipite, comedite, sed Accipite, comedite, Hoc est corpus meũ, quoniã (inquit pag. 80.) etiãsi panis Eucharistiæ sit virtute caro Christi, & realiter corpus verbi ante manducationẽ: tamen vt fiat actu vera caro debet priùs manducari, & nutritionis lege in carnis formam conuerti. Quasi verò res ipsa non ostendat manifestè voluisse Christũ discipulos priùs intelligere, quale esset quod illis prębebat, quàm id acciperent & comederent. Vt autẽ valeret Harchii figmentũ, priùs acceptũ & manducatũ fuisse panẽ oporteret, quàm ex Christo, qualis hic esset cibus, intelligerẽt: quod si verũ esset, quomodo ex fide panem illum manducassent discipuli, quum verbis nondũ ex Christo auditis credere non potuerint? Præterea quomodo stabit illud Harchii: panẽ etiam antè manducationẽ corpus verbi potẽtialiter fieri, si mãducationẽ nõ præcedũt benedictionis verba? Itaq; nihil dici potuit istis ineptius.

Sed & illud cuiusmodi tãdẽ est, ꝙ singulos fideles vult Christi mysticũ corpus fieri, hoc (inquã) obsecro quã ridiculũ est? Nec enim singuli fideles dicũtur Christi corpus, sed Christi mẽbra, quæ simul sub Christo capite coniuncta Ecclesiã constituũt. Nec enim dicit Paulus ἓν σῶμα ἕκαστος ἐσμὲν sed ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν: & tamẽ Harchius (pag. 66.) nescio quo ineptissimo dialogismo vult infantẽ baptizatum esse corpus Christi imò etiã Christũ iure adoptionis: & quodã etiã alio loco, nos neotericos Euãgelicos Zuinglianos & Caluinianos quos vocat, comminiscitur sic loqui, & istud deliriũ probare. Proculdubio verò nobis imprimis hic obiecerit Harchius ex patribus spiritualẽ illam carnem, quam à crucifixa distinguunt. Quasi vero duplici respectu, (corporali videlicet &

spirituali modo, siue corporis sensu & intellectu) carnem Christi cōsiderare & percipere, efficiat duas carnes ex vna: vt ex illis duabus vna demū sit naturalis & qualis est verè humana, altera verò sit ipsamet Deitas, idcirco caro vocata, quoniā à carne Christi naturali in panē ineffabiliter illabatur eíque permisceatur, vt postea ex potentiali corpore fiat naturalis caro.

Quid amplius? Harchius suū istud idolū supra ipsū quoq; Christū, quatenus mediator est, euehēs (pag. libri ipsius secūdò editi. 183.) Infinita (inquit) illa beatæ Trinitatis essentia cū omnibus naturalibus & essentialibus proprietatibus Christi & corporis eiusdē, est in hoc pane in terra, nūquā absens à Christo in cœlo. Atqui ego adhuc credidi, quāuis vnica sit essētia diuina & tres personæ sint ἐνυπόστατοι, nihilominus tamen solam τοῦ λόγου ὑπόστασιν esse incarnatam. Itaque, si verum est Harchii dogma, aut tota trinitas (idem enim est trinitatis essentia atque ipsa trinitas, siue essentia absolutè, non autē relatè cōsiderata) carnē nostrā assumpserit: aut panis iste plus in sese illapsum sibíq; vnitū & permixtū habebit, (vt passim loquitur idē Harchius) quàm ipsa Christi caro. Itaque iā iste panis nō erit appellādus CORPVS VERBI siue SPIRITVA Christi, (sic enim interpretatur ipsemet Harchius pag. eiusdē libri 186.) sed spiritus Trinitatis: & sic tandē dignè hūc panem recipientes nō tantùm transibunt in Filiū sed etiā in Patrem & Spir. sanctum. Et quis tandē erit istorum portentorū finis? Deinde, si naturales & essentiales omnes corporis Christi proprietates cœlitus in hunc panē reipsa sese per mysticā benedictionem in terra infundūt: palpabile autē esse, ac locale, & circunscriptum, naturalis ac essentialis est prorsus corporis Christi quantumlibet glorificati proprietas, an non manifestissimè subuertit Harchius quicquid contra Transsubstantiatores & Consubstantiatores hoc eodem libro rectè asseruit?

Quæro præterea, quū ipse minimè neget oportere nos ex Christi carne petere, quicquid ad vitam æternam necessarium est, imò ipsammet etiā æternā vitā, quæro (inquā) quomodo secū ipso cōsentiat sic scribēs pag. prioris lib. 61. Nō minùs (inquit) est Christus in Baptismo, quàm in Eucharistia, verū per Diuinitatē nō humanitatē: & tamen non pudet eundem Harchium (pag. eiusdem lib. secūdæ editionis 142.) hæc Origenis verba proferre: Suscipimus carnē, verbi nō solū in Sacramēto, sed etiam quum fideliter audimus Dei verbū: & illa Hieronymi, Quādo audimus verbum Dei, tunc caro Christi & sanguis eius in nostras aures funditur. Cedò igitur, Harchii discipuli, quid amplius in hoc pane & hoc vino, quàm in aqua baptismi & in simplici verbo quæritis? Respōdet Harchius (pag. 143.) In his quidē portionē verbi æterni & Spiritus sancti: in illis verò totū corpus verbi æterni in Christo corporaliter habitantis cū tota plenitudine gratiæ apponi, vt quisque tantum de eo sumat, quantū capit fides singulorū propria. Atqui hoc non est respondere, sed illudere. Nec enim nunc quærimus, plus an minùs in his vel illis detur; sed an idem detur, id est, illa ipsa Christi humanitas. Si hoc negatis, ergo extra Christi humanitatē salutē ponitis, id est, vultis aliquos seruari, qui vestrū illud potētiale corp' Christi nō perceperint, nisi fortasse absolutè necessariā esse omnibus ad salutem putatis Eucharistiæ sumptionē: sin verò conceditis, decepit sese & vos Harchius, quum humanitatē Christi à baptismo excluderet, & totū hoc vestrū dogma de corpore verbi & potentiali & actuali corpore corruet. Sed quid si rursum ostendero vestrum Harchiū alibi plus tribuere simplici verbo, quàm huic potētiali corpori, cui totā Trinitatis essentiam vnitam esse vult? Sic enim ille pagina eiusdem libri secundæ editionis 34. Diligens lectio sanctarū Scripturarum est verius corpus Christi, id est, meliùs nobis Christū & eius facta, dictáq; ob oculos ponit, & viuidius illius nobis memoriā refricat, quàm panis Eucharistiæ, qui memoria tātùm est, & muta Christi figura. Et ne mirū cuiquā videatur sic scripsisse Harchiū, ecce Aug. verba de verbis Domini in orat. 26. ab ipso citata pag. prioris libri 107. (Nā in posteriore editione partē huius loci cōsultò præteriit) Interrogo vos, fratres, inquit Augustinus, quid vobis plus esse videtur, Verbū Dei, an corpus Christi? Si verū vultis respūdere, dicetis quod non minus sit verbū Dei: Intelligit autem Augustinus per Dei verbū, illud quod per prædicationē erogatur, vt eodē loco subiicit. Quinā igitur Harchium secū cōciliabimus? Id certè fieri nō potest, nisi in hac posteriore sētētia quæ verissima est, abnegata priore prorsus phanatica, perseueret. Res enim ita se habet. Mediator noster est vnicus Christus secundū vtrāq; naturā, sed ita vt sicut persona nō diuiditur, sic sua cuique naturæ inconfusè tribuātur, diuina nimirum diuinæ, humana humanæ, sicut Leo Romanus Episcopus, opera profectò egregia in hoc argumēto nauata, in illa celebratissima Epistola scribit. Totū ergo illū fieri nostrū oportet vt in eo cuncta obtineamus ad salutē necessaria: & quū secundū carnem ad nos accedat, immò idcirco factus sit homo, vt frater noster esset, necesse est vt ipsius caro sit mediū propinquum nostræ cum ipso coniunctionis, quamuis à diuina virtute ipsa cōiūctio pēdeat. Opus enim illud inchoet & perficiat diuina virtus oportet. Sed vt in Christo electi sum' ita in ipso diligimur, nō tātùm adsciti, sed etiā adsciscēdi: & postea vocamur ita vt hæc diuina virtus opus illud suū extra carnem Christi nō efficiat. Et ne quis excipiat eā Harchio virtutē tamen seu vim illam diuinā Christi siue τὸν λόγον extra carnē eius sese exeruisse, saltē antequàm reipsa in vtero virginis crearetur: respondendum est Christi carnem, quòd ad Deum attinet, semper fuisse in ipsius oculis præsentem, & vt nō in ea quasi iam existente, at certè propter eā nasci turam ab origine mundi effusa fuisse in omnes electos dona ad salutem necessaria. Vidit enim Abraham diem Domini, inquit Christus. Dauid autem Psal. 2. & 110. in primis Christū oculis fidei, quasi iā Regem in cruce coronatum, & ad dextram Patris euectum oculis fidei contēplatus: & patres eandem atque nos escam comederunt: & eūdem potum biberūt, id est Christum, interprete Apostolo, quod ad solā Deitatē Christi cū Harchio restringere, est fundamēta fidei Christianæ cōuellere. Stat enim illud, Christus erat heri, & est hodie nō modo quoniā Deus est Patri συναΐδιος, sed etiam quoniam ab æterno decretus est secudū vtramque naturam Mediator, quamuis in plenitudine

temporum Verbum ſit factum caro. Denique Deum in idolum transformamus, ſi citra ſanguinis Filii ipſius effuſionem eum exiſtimamus vnquam fuiſſe cuiquam homini reconciliatum. Idolum enim eſt Deus, qui citra pœnam condignam in vnico mediatore perſolutam quemquam ſeruauerit: quam ob cauſam etiam, quod ad propitiationem attinet, dicitur Agnus ille ab origine mundi occiſus. Sicut autem vnicus fuit, eſt, & erit ad nouiſsimam vſque diem mediator Chriſtus ſecundum vtramque naturam, id eſt natura humana pœnas noſtris peccatis debitas perſoluente, Deitate verò illi obedientiæ dignitatem, ac efficaciam neceſſariam conciliante: ita vnicum ſemper fuit in Eccleſia ordinarium inſtrumentum, quo electi ad Chriſtum ſibi applicandum idonei redderētur, Fides videlicet, vt vniuerſa ſcriptura teſtatur: & hæc rurſus fides, quum ſit ex auditu (mutua enim eſt & perpetua inter Deum loquentem & electos auditis aſſentientes, & credita ſibi applicantes relatio) conſequitur Verbum Euangelii illud eſſe vnicum inſtrumentum, quod meritò vocat Apoſtolus, Dei potentiam ad ſalutē cuiuis credenti. Alioqui mentitus eſſet Petrus quũ diceret ſuo ac diſcipulorum nomine, Verba vitæ æternæ habes: & rurſum quũ verbũ illud ipſum prædicatum, præceptoris Chriſti veſtigiis inſiſteus, ſemē incorruptũ appellaret. Quid autē eſt ſemine prius in quolibet generaro? & quid illi ſemini deeſſe poteſt vnde perfectus fœtus gignitur? Nam etiam alicubi Harchius vult, Cyrilli teſtimonio abutens, Euchariſtiæ ſemē viuificũ ineſſe, eò ſuum illum eſſentiæ Trinitatis in hunc diuinum panem illapſum detorquens. At nos non ambigimus, & Chriſtum totum, & totum Chriſti nobis tam in verbo ſimplici, quàm Sacramentis adhibitis, veluti nobis euidentiore facto, verè per fidem percipiendũ proponi, quòd neque Deus electos ſuos aliter quàm vni Chriſto ſuo, vero Deo & vero homini, ſpiritualiter vnitos vnquam ſeruarit, aut ſeruet, aut ſit ſeruaturus: neque à verbo ſimplici Sacramenta, ſignificatæ & præbitæ rei reſpectu, ſed ſignificationis modo differre arbitramur, quoniam videlicet, vt ſcitiſsimè loquitur Auguſtinus, ſunt verba viſibilia, id eſt, hoc ipſum oculis renuntiant, quod verba auribus audientium ſignificant. In ſumma igitur tum in verbo ſimplici Euangelii, tũ in ſacris myſteriis Chriſtus totus nobis ſpiritualiter per fidē applicandus præbetur: neq; exiſtimandus eſt aut in verbũ vocale, aut in ſymbola Sacramentalia illabi vel infundi reipſa, ſed quod externis ſenſibus vtraq; illa promittunt, hoc in cordibus credētiũ efficere & obſignare Sp. ſanctũ doctorē illum veritatis, omnes credentes Chriſto inſerentem, ex quo illi poſtea, quicquid ad ſalutē neceſſariũ eſt, hauriunt.

Quæro & illud vbi didicerit Harchius rem Sacramenti ab ipſius fructu ſeiungere, id eſt, à Chriſti carne per Diuinitatem in ipſa corporaliter habitante viuificata & viuifica, viuificationem ſeparare. Nam audio quidem Euangelium, id eſt, Euangelii prædicationem, aliis vitam, aliis mortē ſpirare, 2. Cor. 2. 16. at ipſummet Chriſtum vitam non mortem eſſe vbique inuenio, & Chriſtum quidem agnoſco credentes ſeruaturum, à quibus nimirum fide recipitur, cæteros autem morti adiudicaturum, nempe à quibus reiicitur: & ſymbola quidem lego ab aliis dignè ad vitam, ab aliis verò indignè ad iudicium ſumi, rem autem ipſam ſymbolis ſignificatam aliter quàm vera fide ſumi nuſquam lego. Num enim qui vera fide ſumit, indignè ſumit? Neque his obſtat, quòd apud Patres & præſertim Auguſtinum, corpus Domini interdum ſumi etiam ab impiis dicitur. Tum enim hac Corporis voce non res Sacramenti ſignificata, ſed ſignum ſignificans intelligitur: quo ſenſu etiam hæ locutiones intelligendæ ſunt, Corpus Domini intrare in os, cadere in terram, cōſumi, & eiuſmodi plurima: idque ita eſſe apertè idem Auguſtinus docet, quum non de fructu, ſed de re Sacramenti, id eſt, de Chriſto ipſo loquens, Hic cibus (inquit) non eſt ventris, ſed mentis: & alibi, Corpus Domini, ſymbolicum videlicet ſiue ſymbolo repræſentatum, à Corpore Domino, id eſt, ab ipſa re Sacramenti manifeſtè diſtinguit. Et hæc profert quidem etiam Harchius aduerſus oralem ipſius carnis Chriſti mãducationem, ſed ita, vt magis etiam abſurdum errorem inuehat. Vtrum enim magis abſurdum eſt dictu, carnem Chriſti naturalem (poſito reipſa illam præſentem eſſe, in, ſub, vel cum ipſo pane) à quibuſvis panem ore ſumentibus ore quoque ſimul ſumi: an vero dicere cum Harchio, totam ipſius Trinitatis eſſentiam, vtpute pani re ipſa vnitam & permixtam, tum ore tum fidę ſumi, idque abſque fructu? Nam hîc quoque eſt alius ipſius grauiſſimus error, quòd in hoc argumento nomine Fidelium eos etiam comprehendit, qui fidem tantùm hiſtoricam habent: qua qui præditi ſunt, nihil certè amplius, aut fortaſsis etiam minus habent quàm dæmones. Itaque horrendum eſt cogitare tales vllo modo exiſtimare Deitatē in ſeſe recipere, quum nulla ſit communio Chriſto cum Belial, neque, teſte Apoſtolo, poſsint eſſe participes menſæ Domini & menſæ dæmoniorum. Neque hic mihi obiiciat Harchius Diuinitatem vbique eſſe, ac proinde hoc reſpectu ab indignis quoque ſumi. Nam hac reſponſione non modò non ſtabilitur, ſed etiam prorſus euertitur dogmatis ipſius fundamentum. Quînam enim dixerit id in panem illabi myſticæ benedictionis virtute, quod iam antea, quum ſit vbique in pane etiam erat? At non per inhabitationis gratiam (inquit Harchius.) quod ſi conceſſero, conſequetur vera fide deſtitutos, ſi ſumant rem Sacramenti, non tamen ideo ſumere, quòd Diuinitas ſit vbique. Num verò idcirco, quòd Diuinitas inſit in pane per inhabitationis gratiã? Demus hoc Harchio (quod tamen, vt ipſe quidem intelligit, falſiſsimum eſt, vt mox explicabimus) concludēdum erit profectò, ipſas etiam beſtias (quandoquidem hanc habitationē definit reali & eſſentiali cũ ipſis ſymbolis vnitione) ſi ſymbola ſumpſerint, quod ipſis ſymbolis realiter cohæret, neceſſariò ſumere: quã etiã conſequutionem effugere vllis ſtrophis neque Tranſſubſtãtiatores, neque Cõſubſtantiatores poſſunt. Veritas autem hæc eſt. Solam hypoſtaſin Filii vni & ſoli aſſumptæ noſtræ naturę ſua ipſius ſubſtantia vnitam: hanc carnem eſſe vnicum, reale, & propinquum noſtræ cum Deo reconciliationis vinculum: hanc reconciliationem ad eos demum pertinere, qui ſeſe huic carni per veram fidem adiungunt: hanc fidem eſſe ſingulare Dei donum, cuius efficacia à Spiritu

sancto promanans Christi carnem id est, vinculum illud credentibus applicatũ illos Christo spiritualiter vniat: Spir. sanctum, vt hanc fidem in nobis creet, & semel creatam foueat, tũ verbo simplici tũ Sacramentis vti, non vim aliquam illis instillando, sed intus sua vnius vi efficiendo, quod verbum auribus & Sacramenta oculis renuntiant: solos igitur vera fide præditos rem Sacramenti & cẽ Verbi participare. Nec inde consequitur, integrũ igitur Sacramentum solis fidelibus præberi: sine prout credentes vel increduli fuerint, qui ad mensam Domini accedunt, statuendum esse vera vel falsa esse Sacramenta. Hoc (inquã) minimè consequitur. Ridicula enim est vtraque hæc consequutio, Datur, ergo accipitur: Non accipitur, ergo non datur. Sed hoc verè concluditur, Christus verax est, ergo nunquam offert sacra symbola, quin etiam verè offerat, quod per illa significat: ac proinde vera sunt semper & integra Sacramenta ex Dei verbo. Sed, quoniam symbola quidẽ præbentur manui & ori, res autẽ significatæ, id est, ipsemet Christus menti fideli præbetur, idcirco omnes quidẽ manum & os afferentes symbola percipiunt, mens verò vera fide non prædita, rem Sacramenti repudiat: ac proinde reus non fit talis quispiam indignè sumti corporis & sanguinis Domini, (nisi per corpus & sanguinẽ ipsa illorũ symbola metonymia Sacramentali intelligas) sed corporis & sanguinis Domini contẽpti, & per incredulitatem repudiati, ipsiúsq; adeò iã sacræ actionis turpiter contaminatæ. Itaq;, vt semel hunc locũ concludã, vsq; adeò coniuncta sunt & cõnexa vita & caro Christi, quoniã caro filii Dei est, vt neque vitæ particeps esse quisquã extra illius carnis, vnici vinculi nostræ cũ vita colligationis, participationẽ possit, neq; quisquã illius esse particeps, siue in verbo, siue in Sacramentis, qui ex ea non viuificetur: & qui contrariũ statuunt, Christum diuidant, de quibus quid statuendũ sit, docet Spiritus sanctus, 1. Ioan. 4. 3. Proinde quantum fallatur Harchius apparet, qui Deitatem non modò in hypostasi τ͂ λόγου relatè consideratã, quæ vna est incarnata, sed absolutè totius Trinitatis illabi vult in panem, vt illo ad Diuinitatem potentialẽ redacto, postea singuli fiamus ipsius Christi actuale corpus. Quasi verò ex carne Christi emanare possit, quod non est incarnatum: aut Christi diuinitas sit nostræ vnitionis vinculũ, ac non potiùs per carnem ad nos ipse appropinquarit, vt per eam nostram factam, Deo adiungamur, quãuis hãc vim caro non sibi quasi subiecto inhærẽtem, sed quatenus in filii Dei hypostasi subsistit, obtineat: siue, vt verè, quamuis barbarè, loquuntur in scholis, nõ de gratia vlla habituali, sed de gratia vnionis sit istud accipiendum: quod qui non intelligunt, multa Cyrilli loca deprauant, quasi vt Nestorii scopulum vitaret, Eutychianus euaserit.

Sed iã tẽpus est aliquid de ista inhabitationis gratia dicere. Notus est ille versiculus, Enter præscoter Deus est & vbiq; potenter. Et hæc quidẽ est vniuersalis, id est, ad res omnes creatas relata Dei tũ existentia, quæ, vt inquit Augustinus, nec mole distẽditur, nec partitione minuitur: tũ etiã in illis quãdiu & quomodo illi libet, cõseruãdis virtus ac potẽtia. Sed amplius aliquid significatur Habitãdi voce. Nã & habitare in cœlis dicitur De' nẽpe ab effectis, quòd videlicet illustriora ibi collocarit maiestatis ac gloriæ suæ signa. Sic etiã dict' est in medio populi sui habitare, partim propter visibilia suæ præsentiæ cũ singulari benignitate cõiũctę symbola, partim propterea quòd, cæteris gẽtibus ad tempus desertis, huic soli populo gratiã illã suã salutarẽ impertiretur: sicut & hodie in iis quorũ & animos & corpora sibi sacti sui Spiritus virtute sanctificauit, dicitur Spiritus sanctus tãquã in templo habitare, 1. Cor. 3. 16: itidémque pater & filius, Ioan. 14. 23. denique dicitur plenitudo Deitatis habitare in Christo. Coloss. 2. 9. Discrimen autem inter ista qui non intellexerunt, iampridem teterrimos errores in Ecclesiam inuexerunt, cuiusmodi fuit Manichæorum deliriũ à Serueto nostra memoria renouatum, quòd Dei essentia rebus omnibus sese vniret, sicut apud Poetam dicitur Spiritus siue mens totam mundi molem sic agitare, vt se magno in corpore misceat. Contra verò Nestorius æterni verbi vnionem hypostaticam cum humana natura nõ intelligens sola [illegible] καὶ σχέσει. Deum putauit in Christi carne habitare, vt & in reliquis sanctis: relicto tantum Christo ἀξιώματι, id est Autoritate & eminentia, vt inter multos fratres primogenito. Hãc impietatẽ superioribus annis ab inferis reuocarũt Brentius & Iacobus Andreas, disertè scribentes, Deum, quòd ad essentiã attinet, non aliter esse in Christo, quàm in rebus omnibus, sed petendam esse distinctionem ab energia: & his verbis, VERBVM CARO FACTVM EST non aliud significari, quàm quòd Deus in reliquos quædã, in filiũ autẽ Mariæ omnia dona, imò omnes Deitatis proprietates effundat: vt sic & secundum Nestorium diuidatur persona, & secundũ Eutycheten proprietates naturarum confundãtur. Harchius autem contrariam prorsus viam ingressus vult non in Christi tantum carne essentialiter vniri Verbum æternum, vt illam reddat diuinam, (quod epitheton ambiguum est) sed etiam illud in Cœnæ Domini symbola reipsa & actu illabi, eisque vniri & permisceri, vt sint & ipsa diuina per eandem ipsam Deitatem (& quidẽ non tantùm verbi, sed etiam totius Trinitatis) quæ carnem naturalem Christi diuinam reddit: vt symbola sic fiant potentialiter (id est, vt ego interpretor, habitudine & dispositione quadam) corpus Christi, non quidem idem numero atque illud physicum & naturale quod est in cœlis, sed ei tamen virtute simile: ac tandem vera fide præditi panem illum sumentes fiant singuli actuale corpus Christi, hypostatica tamen vnione vni Christo seruata: quod absurdissimum & insanissimum dogma, quamuis à nobis aliquatenus refutatum, priusquàm plenius refellamus, dicendum arbitror, quid hac de re sit ex Dei verbo & orthodoxæ Ecclesiæ sententiis statuendum.

Primùm omniũ igitur existentia illa Dei, qua sicut essentia ipsius infinita est & impartibilis, ita etiã vbique est essentialiter præsens, & omnia sibi habens præsentia, neque tota ex integrantibus partibus constãs, neque vt in loco, sed nõ minùs ineffabili & incõprehẽsibili modo, quàm ipsa est in sese immensa, tum ab ipsius præsentiæ vniuersalis energia distiguenda est, tum in primis ab hypostatica Filii Dei incarnatione. Quanuis enim nusquam sit Deitas otiosa, tamen aliud est Adesse,

quàm aliquid efficere, & huius effectionis non vna est species. Nam alia est vniuersalis res omnes ea ipsa virtute, qua conditæ sunt, tum visibiles, tum inuisibiles: tum ex naturæ ordine, tum præter aut contra illum ordinem gubernans: alia est verò magis etiam mirifica, & ipsis etiam Angelis incomprehensibilis, qua videlicet factum est, vt quamuis tres personæ sint vnica Deitas, non ex tribus aggregata, sed in singulis vnica & prorsus eadem, sintque hæ personæ ὁμοούσιοι, nihilominus tamen sola persona, quæ Filius Dei est æternus, ita sese arctè cum nostra carne ex Dauidis filia Virgine secundum suas promissiones assumpta adiunxit, vt uno modo cunctis, quarum capax esse res creata potest, dotibus illam perfectissimè repleuerit, sed etiam, (saluis semper manentibus & naturis ipsis & essentialibus earum proprietatibus, quibus nimirum sublatis esse desinerent id quod sunt, & quibus immutatis, tales amplius non essent, quales sunt, ac proinde Christus nec verus Deus esset, nec verus homo) illam ad suam ipsius hypostasin redegerit: nec iam Filius ille hominis sit diuinus duntaxat aut etiam diuinissimus, (id est excellentissimis donis Dei supra res omnes alias creatas ornatus) sed etiam ipsemet Dei Filius non ex duobus filiis conflatus, sed à Filio Dei (vt ita loquar) personatus: & ita in Christo sit quidem Aliud & Aliud, nempe ὁ λόγος, & indiuiduum humanum assumptum, non sit autem Alius & Alius: sicut aduersus Samosatenum ψιλὸν ἄνθρωπον statuentem: aduersus Arium creatam Deitatem inhærentem, eámque pro anima in carne assumpta substituentem: aduersus Nestorium σχετικὴν & ἐνεργητικὴν, sicut & hodie nostri Vbiquitarii, συνουσίας loco hypostaticæ vnionis substituentem: aduersus Eutychen denique pro vnione confusionem naturarum ponentem, tota vetus Ecclesia ex Dei verbo, ex infinitis difficultatibus & certaminibus eluctata, constituit.

Superest ea Habitatio quæ sic ὁμωνύμως cum superiore significatur, sed quæ quum à Paulo, adiecta particula σωματικῶς, & à Patribus vnionis Hypostaticæ voce determinetur, facilè ab ea discernatur. Est enim illa vni Christo propria, & ἰδίως in Filii hypostasi: ista verò est omnibus sanctis communis, & merè σχετικὴ καὶ ἐνεργητικὴ, quod ad Deitatis Christi participationem attinet: humanæ verò naturæ nobis communicatæ respectu etiam ἐνεργητικὴ, sed citra vllam συνάφειαν realem: ac merè spiritualis, quamuis eius beneficium ad corpus etiam hominis redundet. Habitare igitur Deus in solis suis sanctis dicitur, non essentialis neque vniuersalis, ac multò minùs hypostaticæ alicuius vnionis respectu, sed quoniam illos in Filio mediatore facit omnium ad vitam æternam necessariorum donorum participes. Dicitur autem etiam Deus habitare in iis, quibus tum gratiæ tum etiam iudiciorum suorum instrumentis vtitur. Nam & in tabernaculo & in templo passim dicitur habitasse & fuisse in Prophetis, & arcæ ipsi tribuitur Dei nomen, quæ & ipsa habitatio tota est ἐνεργητικὴ, sed à superiore in eo diuersa, quòd Deus verè agit quicquid spirituale est, instrumenta verò, quæcunque tandem illa sint, siue inanimata videlicet, vt Sacramēta, siue animata, vt Prophetæ, Pastores & alii, externum tantùm opus administrant. Sed hæc omnia superest vt ex verbo Dei probemus. Quod attinet igitur ad illam vniuersalem tum præsentiam, tum etiam potentiam, non videtur probatione indigere, quum non sit à nobis aduersus Epicureos instituta disputatio. Hypostaticam autem vnionem esse ipsarum naturarum, & toto genere ab ea habitatione quæ in sanctis est, differre, quum innumerabilibus penè testimoniis aduersus omnia illa hæreticorum monstra omnium patrum & veterum illarum decantatissimarum synodorum perspicuo consensu fuerit demonstratum, nolui multas chartas istorum certaminum repetitione implere. Tantùm dico non esse hodie Christianum cēsendum, qui Christum verè & essentialiter Deum & hominem esse inficietur. Sed habitationem Dei in sanctis merè σχετικὴν & ἐνεργητικὴν esse, & rursus eam, quæ est in Sacramentis, aliam esse prorsus ab ea, quam ponit Harchius, superest vt ex Dei verbo demonstremus. Illud igitur nobis tenendum est, non aliter nos Christum recipere, quàm per ipsius Spiritum, qui est Spiritus sanctus, & rursum non aliter Spiritum à nobis accipi, quàm ipse Christus acceperit: quæ quum sint verbo Dei testatissima, citatis testimoniis non puto indigere. Sed & illud constat, Christum, quatenus Deus est, esse natura vnum cum Patre & Spiritu sancto Deum, ac proinde semper fuisse Patri & Sp. sancto ὁμοούσιον, vt tam verè dicere potuerit Christus, Spiritus sanctus in me est, & ego in eo, quàm eadem prorsus ratione, dixit, Ego in Patre, & Pater in me est: essentialiter nimirum & ab æterno. Secundū humanam autem naturam Spiritum sanctum dicitur accepisse, Ioan. 3. 34. Sed & Ioan. 17. 19. dicitur seipsum sanctificare. Ex quo intelligimus duas esse naturas in vna Christi persona, Deitatem videlicet sanctificantem & humanitatem sanctificatam: quod vtrunque diuinissimè Paulus declarauit, Coloss. 2. 9. quum diceret totam plenitudinem Deitatis habitare in Christo σωματικῶς: sicut Ioannes Baptista Ioan. 3. 34. per Spiritum non ad mensuram acceptum de Spiritu participato loquebatur: vt & Spiritus sanctus Psal. 44, Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis: in quem locum Cyrillus in Ioan.
" lib. 2. cap. 3. Memineris (inquit) secundum formam serui, qua Patre minor est, & à Patre & à
" Spiritu sancto, & à seipso, qui Verbum & Filius est, esse sanctificatū, sicut ipse dicit, pro eis sanctifi
" cabo meipsum. Idque etiā apertissimè ab Apostolo declaratur, quū dicit efficacitate Dei Christū, secundum carnem videlicet, à mortuis fuisse excitatū. Et huc spectat appositissima illa distinctio à Scholasticis vsurpata inter Gratiā vnionis, secundū quam hic homo est essentialiter Deus, vt pote verbum & Dei Filius vnigenitus: & Gratiam, quā habitualē vocant, Cyrillus autē σχετικὴν, & Latini ex participatione, appellant, secundū quā hæc assumpta natura humana nō est Deus essentia, sed qualitate & efficacitate diuinissimus: nec tamē θεόφορος, vt illū vocabat Nestorius personā diuidens, vt puta qui hāc diuinitatē carni, vt subiecto, insitā non aliunde neq; extrinsecus, sed à semetipso, id est, à Deitate in ipsomet per gratiā vnionis inhabitante sibi ipsi donet. Quæ quum ita se habeant,

habeãt, efficitur necessariò Deũ dici in nobis omnibus habitare nõ essentialiter, (nã aliud esse diximus Adesse quam Habitare) sed σχετικῶς siue ἐνεργητικῶς, ex carnis Christi participatione, vt mox ostendemus. Et certè non aliter possunt illa Christi verba intelligi, Ioan. 14. 23. Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Nec enim dici possunt venire vbi iam erant essentialiter, sed secundum energiam, non illam vniuersalem, de qua loquens Apostolus Actorum decimo septimo, in ipso sumus (inquit) mouemur & viuimus, sed secundum illam sanctis & electis in Christo propriam. Quod ergò dicit Paulus, 1. Corinth. 6. 17, Qui adhæret Domino vnus spiritus est: & illud Petri, Diuinæ naturæ fieri participes, 2. Pet. 1. 4. ad energiam & dona Spiritus præsertim illa ἀνομοιώματα, non autem ad vllum essentialem intra nos illapsum referenda sunt. Datur igitur, est, & habitat in nobis Spiritus sanctus, siue Deus, siue Pater, siue Filius per Spiritum sanctum, quia docet nos omnem veritatem, Ioan. 16. 13, & Esai. 54. 13: & renuntiat nobis, quæ ex Christo accipit, Ioan. 16. 4: & operatur omnia in omnibus videlicet sanctis, 1. Cor. 12. 6: & testimonium reddit spiritui nostro, quòd Filij Dei simus, Rom. 8. 16: & clamat in cordibus nostris Abba Pater, Gal. 4. 6, id est, facit vt clamemus, Rom. 8. 15: ac per eum actiones corporis mortificamus, & ab ipso ducimur, Rom. 8. 13, 14: & per eum cognoscimus nos in Deo habitare, & ipsum in nobis, 1. Ioan. 4. 13: & data nobis est mens, vt cognoscamus eum, qui verax est: cuiusmodi alia penè innumerabilia ex sacris literis depromi possunt. Itaque constat & Diuinitatis qualitatem, id est diuinissimas illas omnes dotes, quarum capax est caro ex Spiritu sancto in vtero virginis concepta (distinguimus enim inter θεότητα, id est Deitatem, vt loquitur Paulus, quæ est essentialis: & θειότητα: quæ est qualitas creata) in Christi carne tanquam subiecto inhærentes, & dona Dei, quorum respectu in sanctis dicitur habitare, ad energiam vt ad commune genus esse referenda, & secundum plus & minus differre: quoniam videlicet ex Christi plenitudine omnes accipiamus: tum etiam in eo vel maximè, quòd illæ qualitates non sint in Christo extrinsecus aduentitiæ, sed ipsemet eas Deus suæ carni, vt sibi propriè & hypostaticè vnitæ perfectissimè suppeditet. Iam autem docendum nobis est ex eodem Dei verbo, vnde tandem illæ qualitates prodeant, per quem & quibus instrumentis interuenientibus in nobis efficiantur. Prouenire igitur illas omnes à Dei bonitate, natura ipsa quantumuis corrupta nos docet: & testatur etiam Scriptura Iacob. 1. 17. idque in Christo. Loquimur enim de donis sanctorum propriis. Spiritus enim (inquit) de meo accipiet, & annuntiabit vobis, Ioan. 16. 14: &, Ego meipsum sanctifico, vt ipsi sanctificentur, Ioan. 17. 19: &, Pater nos in illo dilecto sibi gratis effecit gratos, Eph. 1. 6. denique ex ipsius plenitudine omnes accipimus, Ioan. 1. 16. Cedo verò, num Christum hîc considerabimus vt instrumentalem duntaxat causam, quæ non agat, sed agatur? Minimè id verò. Habet enim vitam in semetipso, & verè Mediator, ac Seruator est totus, & secundum sui totum, quia (vt rectè scribit Augustinus & alij): neque Filij Deitas sine humanitate, neque humanitas sine Deitate Mediatrix est: sed ita, vt cuique naturæ sua tũ οὐσία, tum etiam voluntas, tum operatio distinctè, diuina diuinæ, humana humanæ seruentur, quãuis ἀποτελέσματα sint toti personæ communia.

Omnia porrò Christi in Ecclesiam suam propriè collata dona, ad quatuor reuocantur ab Apostolo, 1. Cor. 1. 30. nempe ad Sapientiam, Iustificationem, Sanctificationem, & Redemptionẽ: quas inquit, factum esse nobis Christum, id est quarum causa Christus sit in mundum missus à Deo, siue factus homo: quæ omnia vnico viuificationis verbo comprehendit Christus, Ioan. 5. 21. 8: & Apostolus, Eph. 2. 1, & 5. At enim cuius est naturæ viuificare? diuinæ certè vnius, cuius & creare Deut. 39. 1. Sam. 2. 6. & alibi infinitis locis. Nam (vt inquit Cyrillus libro de recta fide ad Reginas) posse viuificare id quod vita indigum est, soli Deo conuenit: vnde etiam Deitatem suam probat Christus, quum inquit se habere potestatem deponendi animam suam & rursum illam sumendi, Ioan. 10. 18: & ex eo quòd Christus sua ipsius virtute resurrexit, Deitatem ipsius demonstrat Apostolus ad Rom. 1. 4: quod si locum habet in huius caducæ vitæ munere vel tribuendo, vel, postquã semel amissum fuit, restituendo, multo certè magis de vita illa æterna istud intelligendum est, quæ est ipsemet Deus, quatenus ipse in sese æternum viuit: & proprium ipsius effectum in solidũ, quatenus res creatas principium existentiæ habentes vult dissolutionis esse expertes.

Et vt ad illa quatuor accedamus, quæ sunt à nobis ex Apostolo commemorata, cuius est naturæ ad Sapientiam, id est, ad saluificam veri Dei cognitionem homines eò vsque sua culpa delapsos, vt ipsorum φρόνημα sit odium aduersus Deum, Rom. 8. 7, & quæ Dei sunt ne cogitare quidem ex seipsis possint, 2. Corinth. 3. 5. reuocare, nisi eius vnius, qui, quod nobis ingratis iusto suo iudicio eripuit, vnus quoque potest restituere? Sic enim Christus Petri confessionem laudans, Caro & sanguis (inquit) hæc non retexit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis, Matth. 16. 17: & Ioannes Deum (inquit) nemo vidit vnquam, vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, nobis eum exposuit, Ioan. 1. 18. Vnde & illud Ioan. 3. 6. Quod genitum ex carne est, caro est, & quod genitum ex Spiritu est, spiritus est. Nam Gignendi voce principium existentiæ declaratur: & quum Sapientia comparetur luci, ignorantia verò tenebris, huc referendum est, quod dicitur Eph. 1. 17. Patrem gloriæ dare nobis Spiritum sapientiæ & reuelationis, illuminatis oculis mentis nostræ, quod dicendi genus passim apud Prophetas, & in scriptis Apostolicis notum est inculcari. Et de sapientia quidem hactenus.

Cuinam autem Iustificationem tribuemus? vni certè Deo, Rom. 5. 26, & 4. 5, & 8. 43, Galat. 3. 8: vnus siquidem Deus peccata remittit, Luc. 5. 21. Posita est autem omnis iustificatio in remissione peccatorum, Rom. 4. 7: & ideo Iustitia hæc in imputatione posita, Rom. 4. 6: iustitia Dei vocatur, Rom. 1. 17, & 3. 21, 2. Cor. 5. 21, Phil. 3. 9, & Esa. 53. 11.

Iam verò quod ad Sãctificationem nostram attinet, quæ & regeneratio & purificatio cordis, & noua creatio vocatur, necesse est eam non aliunde oriri, quàm ab eo, qui ipsamet est sanctitas, quē cõpellans Dauid, Cor mundum (inquit) crea in me Deus: nec diceretur nonus homo natus ea Spiritu, nisi Spiritus sanctus esset illius generationis autor, Iosn. 3.6, & 1. Ioan. 2.29.

Superest redemptio, quo nomine Paulus intelligit nostræ à peccato & morte liberationis, & in vitam beatam introductionis complementum, vltimo demum illo die futurum, quomodo etiam loqnitur Dominus Luc. 21.28: & Rom. 8.23: quod beneficium quis io nobis perficere potest, nisi vons ille Deus, cuius gratia sumus, qnicquid sumus?

Stat igitur illud abundè confirmatum, vnius esse diuinæ naturæ, hæc omnia & singula in nobia efficere. Quum autem Trinitatis opera ita sint trinm personarum propria, vt tamen singularum personarũ distinctio in eodem opere efficiendo seruetur: idcirco Pater dicitur oostet in Filio seruator, Filius autem per semetipsum, Spiritus sanctus deniqne, quòd missus à Patre & Filio mysterinm salntis nobis applicet. Sed Christi sicnti proprium est corpus, ita proprium est opus, quod in corpore suo pro nobis peregit: ab eo qnidem non separandum sed distinguēdum, quòd quatenus Deus est communiter cum Patre & Spiritu sancto est operatns, & quotidie adhuc operatur. Quæ distinctio, vt perspicuè iotelligatur, age per quatnor illa, de quibus diximus, generalia Dei in ooa beneficia decnrramus.

Christus Sapientia nostra est, primũ vt Deus cum Patre & Spiritu sancto diuina virtute, depulsis deprauatæ natnræ tenebris, lucem in nobis accendens, vt veri discipuli fiamus ad intelligenda, quæ Dei sunt. Deinde oobis est Sapientia vt homo, in qno qnum reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & intelligentiæ, Col. 2.3. oecesse est vt has quoq; ea ipsius plenitndine hauriamus. Est autē hæc sapientia animę Christi vt subiecto inhærens, noo illa sapientia essentialis ipsius carni hypostaticè vnita, sed qualitas ab hac ipsa voita Deitate in animam Christi plenissimè & abundantissimè effusa, vt inde in omnes electos redundet, quorum nimirum causa humanam naturam, & omnes ipsi tribntas dotes assumpsit.

Sic nos quoque tum vt Deus iustificat, nobis nõ imputaos peccata, & gratis ea nobis remittens, atque adeò, loco eorũ omniũ qnæ mortem æternã merētur, & iustissimos etiã in sese homioes maledictioni reddũt obnoxios, ea omnia nobis imputãs, quæ vitam æternã ea pacto diuinæ legis merentur. Iustificat igitur nos etiã vt homo, nõ iustitia illa essentiali ipsi vnita, vt somniauit impurus ille Osiander, sed habituali siue qualitate creata, & (sicut de sapientia diximus) ipsius Christi animę assumptæ, tanquã subiecto, inhærente: quæ rursus distingueoda nobis est, vt totum hoc mysterium imputatæ nobis iustitiæ Christi penitus perspiciatur.

Habitualis ergo siue creata illa iustitia Christi partim significat illũ perfectissimæ integritatis & ad implendam omnem iustitiam aptitudinis habitum, qno ab ipso conceptu perfectissima & integerrima ipsius anima imbnta est, cum perfecta itidem corporis & omnium ipsius sensuum dispositione, ad vltro implendum, quicquid purissima anima per corpns agere volnit: partim autē istius habitus effectiones, & acquisitam hoc etiam modo iustitiam declarat. Itaque tribus modis iustissimns fuit, & in æternnm erit Christus: vno, essentialiter, quatenus est verus Deus: altero vt omniũ virtutum habitu præditus homo: tertio denique, quatenus omnem iustitiam reipsa impleuit perfectissimè præstita Patris volnntate, propter quam missus fuerat: & cni Patri tum anima tum corpore perfectissimè obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, meritò iustissimus hac etiã io parte dicendns est, idqne contrario qnàm hominibus accidat ordioe. Præcedit enim in hominibus (quales post lapsum nascimur) διάθεσις ea sancti Spiritus gratia, quæ tandem freqnenti vsu euadit ἕξις, (de qua loquens Ioannes, Iustus est, inquit, qui iustitiam facit, 1. Ioan. 3.7:) hîc quidem (vt modò dicemus) inchoata, in altera autem demum vita consnmmanda. Sed in Christo præcessit perfectissima ἕξις, quæ realem alteram iustitiam in ipso peperit: qualis etiam erat futura Adami iustitia actualis, nisi habituali per peccatnm excidisset.

Ea hac autē iustitia triplici essentialis illa tam propria est Deo & ἀκοινώνητος, quàm ipsamet Deitas, ac proinde, si delirium Osiandri valeret, omnes credentes essentiali Dei iustitia iustificati illud ipsum essent, quod est Deus: sicnt homo ille assũptus proprerea dicitur Deus, quòd essentialis Dei-
» tas verbi, ac proinde iustitia sit ipsi voita. Nã rectè omnino Cyrillus in Ioan. lib. 2. ca. 51. Nihil (in-
» qnit) firmũ ac stabile, nihil perpetuũ soli Deo attribuetur, si creatura quoq; ea substãtialiter & per
» naturã suscipere poterit, quæ in Deo substãtialiter sunt. Nec tamē propterea censendũ est nullas esse essentialis iustitiæ in nobis iustificãdis partes. Nã illa ipsa est, quæ duplicē illam alteram iustitiam creatã inenarrabili virtute perfundit, vt Deo Patri infinitè placeat, & propterea iustitia Dei nuncupetur, vtpote quæ vnica corã Dei tribunali sit coronãda. Iam verò, quum, vt ait Esaias, Puer iste natus sit nobis: quod etiã Aogeli pastoribus inculcant, Luc. 2.11. vtraque etiam illa iustitia nostri causa assumpta est: vt videlicet Dei iustitia efficiamur in eo, 2. Cor. 5.21. id est, vtraq; oobis interuentu fidei, imputata, oon modo à peccatis absoluamur, sed etiam cohæredes cum ipso facti simul quoqne coronemnr.

Nunc ad Sãctificationis beneficiũ veniamus, qnod & ipsnm dnplex est: vnũ videlicet ex sanctificatione humanæ natnræ Christi ab ipso virginis vtero plenissimè sanctificatæ, Mat. 1.20, & Luc. 1. 35. nobis imputata. Sãctificat oos ergo Christns vt Deus, naturæ suæ humanæ sanctimoniã gratis impntãs, qua non modo tegatnr nostra omnis oatiua corruptio, quã propterea in assumpta carne nostra aboleuit, sed etiam sancti & immaculati censeamur: & nos sanctificat vt homo, quoniã hæc ipsa sanctificatio quæ oobis imputatur, humanę ipsius naturę, vt subiecto, insidet & inhæret, vtpote qua seipsum sanctificauerit, vt in eo sanctificaremur, sicut ipsemet loquitur Ioan. 17.19. Alterũ

autem

autem sanctificationis beneficium prorsus diuersum quiddam est. Sic enim vocamus donū illud, quo vetus quidem homo mortificatur, nouus autem in illius locum succedit, id est, tum mentis facultates omnes, tum mens ipsa illuminatur in agnitionem veritatis: voluntas autem immutatur, vt incipiamus & velle, & facere, quæ Dei sunt. Et hæc est iustitia, id est, noua qualitas in nobis per meram gratiam creata, & animo nostro quasi subiecto inhærens, quam rursum Christus vt Deus cum Patre & Spiritu sancto in nobis efficit, quamobrem etiam modò Patri, modò Filio, modò Spiritui sancto beneficium istud attribuitur. Rectè autem Cyrillus in Ioan. lib. 11. cap. 25. Participatione Spiritus sancti viuificare, supremæ tantùm naturæ opus est. Sed rursum eandem Christus, vt homo, non aliter, quàm fons riuum, in nobis gignit, quatenus videlicet ex ipsius humanæ naturæ perfecta sanctitate in nos ipsi adiunctos, qua ipsi libuit mensura, effunditur, quod vtrumque beneficium diuinissimè Paulus sic explicat, Rom. 8. 3. Quum enim (inquit) legis impotentia nihil posset in carne, Deus, suo ipsius Filio misso, conformato carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato (id est, ad abolendam in ipso nostræ carnis omnem corruptionem & labem) condemnauit peccatum in carne, vt illud ius Legis compleatur in nobis, qui non secundum carnem incedimus, sed secundum Spiritum. Et rectè Cyrillus, Spiritum (inquit) propter nos vt homo recipit, vt totam naturam sanctificaret, in Ioan. lib. 2. cap. 3. Nec pigebit plura eiusdem Cyrilli verba ea lib. in Ioan. 11. cap. 2. 5. referre, vt totum hoc sanctificationis tum in ipsa Christi carne creatæ, tum in nos ex illa emanantis mysterium planissimè explicetur. Sanctificari (inquit) secundum legalem consuetudinem dicitur, quod, vt sacrum, Deo tribuitur: participatione verò Spir. sancti sanctificare, supremæ tantum naturæ opus est. Et mox, Arbitramur autem carnem Domini per Spiritum fuisse sanctificatam similitudine aliarum creaturarum, proprio tēplo à Filio Dei peruncto, sicut Psalmista quoque vnigeniti personam cum humanitate considerans, clamat, Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: & propter nos seipsum sanctificat, vt ab eo ad nos redundante sanctificatione, ipsi sanctificemur in veritate, id est, in Spir. sancto. Item: Nulla res ex nihilo producta, sanctificationis fructum per naturam habet, id est, à seipsa, sed eam gratiam ab eo acquirit, qui natura sanctus est. Quoniam ergo caro Christi non natura sancta, sanctificata in Christo est à verbo Dei, quod habitat in ea, quodque templum suum sanctificauit: Item, sed quomodo sanctificatur, qui naturaliter sanctus est? nempe naturam nostram absolutissimè absque peccato ineffabiliter sponte sibi coniūgens, vt eam in se primo & per seipsum ad pristinam pulchritudinem restitueret: vtque cœlestis ipse homo & Adam secundus, primus omnium in noua vita, iustitia, & sanctificatione spiritali constitutus, cuncta per se bona generi nostro immittat. Quum igitur sanctus natura sit Deus, quúmque ipse sanctificationem Spiritus creaturis immittat, efficiátque vt creatura & sit & duret in sancto Spiritu, propter nos sanctificatur, non ab alio id acquirens, sed ipse suæ carni sanctificationem immittens. Ita Spiritum sibi ipsi vt Deus præbet, & vt homo, accipit, quod non propter seipsum, sed propter nos fecit, vt ex ipso & in ipso primo recepta sanctificationis gratia ad totum genus transiret. Hactenus Cyrillus.

Cum hac sanctitate & iustitia tum imputata tum inhærēte vsque adeo cohæret vita æterna perpetuo nexu, scribente Habacuc Propheta Iustum ea fide viuere, vt Viuificationis nomine omnia superiora intelligantur, quoniam videlicet vt omnis maledictio à peccato est, quod nos à Dei benignitate seiungit, seiunctio autem à Deo mors: ita benedictio cum sanctitate & iustitia cohæret, quibus Deo adiungimur. Coniunctio verò cum Deo vita est. Sed in eo quarto Christi beneficio, quod nobis nunc explicandum superest, vitæ nomine intelligimus perennem illum felicissimum statum, in quo cum Christo capite nostro in cœlis regnabimus, & cuius arrhabonem in mentibus nostris iam nunc obtinemus, fidei πληροφορίᾳ inuisibilia cernentes, & spei firmitate quasi iam in cælis consistentes, & charitate suis fructibus nostram adoptionem in nobis testificante, alacriter huius vitæ curriculum emetientes, donec non morte, sed suauissimo somno superueniente, anima quidem ad Christum emigret pleniùs felicissimam illam vitam cum illo degustatura, corpus autē terræ mandatum ad ἀφθαρσίαν paulatim formetur ad vltimum vsque illum diem, in quo beatissima vita toti perfruemur. Hanc igitur vitam Christus quatenus Deus est, nobis cum Patre & Spir. sancto largitur, quum sit Deus vnicus fons existentiæ & cōseruationis rerum omnium, ac præsertim huius æternæ felicitatis. Huic autem opponitur mors tum prima tum secunda, quæ & æterna vocatur: vtraque etsi iusto Dei iudicio ordinata & decreta, minimè tamen à Deo, sed à Sathana & peccato exorta. Deinde hanc ipsam vitam Christus, vt Deus, nobis non aliunde, quàm in sua ipsius carne largitur: qua de re sic pulcherrimè Cyrillus in illud Christi Ioan. 6. Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, &c. lib. in Ioan. 10. cap. 13. Caro vitæ facta vnigeniti caro ad virtutem vitæ traducta est: non potest igitur morte superari, propterea in nobis facta interitum à nobis expellit. Non enim abest ab ea vnigeniti Dei filius, id est, natura humana quum assumeretur ab vnigenito, facta est æterna vita viuens per Deitatem, in qua subsistit: vnde duo consequuntur, nempe non posse illam à morte superari, & quoniam assumpta est nostri viuificandi causa, omnes qui fiunt eius participes, in illa quoque viuificari. Et ne quis putaret hanc viuificandi vim ab ipsa carne, vt causa efficiente, promanare, addit prudenter Cyrillus, viuificam esse, non in sese, sed in Verbo ipsi hypostaticè vnito. Quemadmodum ergo de sapiētia, iustitia, & sanctitate diximus, ita duplex est in vnica Christi persona vita, vt & duplex natura: vna αὐτοζωή, nempe Deitas ipsa: altera, istius effectum, vita videlicet creata & assumptæ naturæ, vt qualitas, insita: eaque rursum duplex, nempe tum animalis, qua videlicet subsistentem in sese assumptam naturam totam viuificauit ὁ λόγος ad tempus, id est, tantisper dum pro nobis in infirmitate illius satisfieret: tum spiritualis & æterna, qua post peractū

suum opus cœlum ascendens frui cœpit, & cuius veluti semen adiunctis sibi mēbris iam nunc instillat, donec plenissimè toti in eo & cum eo sempiterna felicitate perfruamur.

Horum autem omnium, quæ de Christi in nos beneficiis diximus, hæc summa est, Vnicam Deitatem Patris in Filio per Spiritum sanctum hæc omnia Ecclesiæ σχετικῶς non essentialiter largiri: depromi verò ex Christi humanitate, tanquam abundantissimo nec vnquā exhauriendo, & in hūc ipsum finem constructo diuinitus, & summè locupletato thesauro, vt inde in omnes credentes exuberet. Et hic quæstio duplex agitatur. Sunt enim qui nobis, quos falso & inuidioso nòmine Zuinglianos & Caluinianos appellant, hoc dogma tribuant, quòd in Cœna Domini pro re Sacramenti non corpus ipsum pro nobis traditum, neque sanguinē ipsum pro nobis effusum, sed Christi tantum merita statuamus. Saltem verò pro Meritorum voce dona & energiam Christi statuerent. Quî verò nobis hoc obiiciunt, quia & symbola & rem significatam (id est, ipsum corpus & ipsum sanguinem) reipsa cum pane & vino eodem loco sisti volunt: vtraque eodem oris instrumēto sumi à quibusvis contendunt: ac proinde, sicuti nos accusant falsò quasi energiam Christi absque participatione corporis & sanguinis ponamus, ita hoc in illis, & verè quidem reprehendimus, quòd pro fidei spirituali organo os corporeū substituant, & in indignè accedentibus corpus Christi energia viuifica spolient. Nos autem sic de istis sentimus ac docemus.

Quum Christi beneficia, tum quæ per solam imputationem, tum quæ per realem efficacitatem nobis conferuntur, sint qualitates Christi carni, vt subiecto, inhærētes, à quo in credētes per Spir. sanctum redundant, non minus absurdum est existimare, quempiam fieri bonorum illorum compotem absque carnis ipsius, id est, subiecti, cui propriè inhærent, & à quo emanant, participatione, quàm si quis diceret, corpus posse ex ea anima vitam haurire, quæ ipsi non insit, aut posse quēpiam cibo, quem non comedat, aut potu quem non bibat nutriri. Itaque tantum abest vt sola illa Christi dona siue energiam, siue merita, si quis volet, pro re Sacramenti in Cœna Domini statuamus, seclusa ipsius Christi carne & sanguine, vt etiam & in simplicis verbi prædicatione, & in baptismo Christum semper ipsum in carne nobis per fidem semper sumendum proponi asseramus, quoniā, (vt rectè inquit Cyrillus) Spiritus in Christo summè cum carne coniunctus est, & caro etiam cum Spiritu: ita vt neque carnem eius absque energia, neque energiam absque carne sumere vel in simplici verbo, vel in Sacramentis possimus. Sed hoc adiicimus, sicut in simplici verbo verbū quidem prædicatum Christum nobis voce annuntians aurium sensu percipitur, Christus autem ipse verbo prædicato significatus non nisi intellectu credente recipitur: ita etiam in Baptismo quidē corpus aqua illa tingi, mentem verò credentis sanguine per aquam significato ablui: in Cœna verò pane illo & vino illo corpus pasci, carne autem & sanguine Domini animam credentis (vt loquitur Tertullianus) saginari. Saginatio autem ista non est in reali contactu carnis ipsius posita (quod neque carnis Christi veritas, neque analogia inter Christi carnem perceptam, & mentem nostram, qua velut instrumento percipitur) pati potest, sed tota spiritualis est, & huc tendens, vt quemadmodum naturali vinculo anima cum corpore coniuncta sensum & motum naturalem corpori insinuat: ita spirituali & ineffabili mysterio (vt loquitur Paulus Ephes. 5.30. & 32.) cum ea Christi natura qua frater noster est, per fidem apprehensa coniuncti, ab ipsa non ipsam corporis aut sanguinis substantiam cum nostro corpore & sanguine realiter adiungendam, nec ipsius animam cum anima nostra reipsa agglutinandam ad nos attrahamus: (quæ omnia neque virtuti, neque nostræ salutis mysterio consentanea sunt, sed Cyclopica & Capernaitica) verùm vt qualitates in illa, sicuti diximus, humana Christi natura, nostra causa Diuinitus ab ipso verbo assumente creatæ, sicut etiam nostri causa fuit à verbo assumpta, nobis sancti Spiritus virtute verè communicentur: aliæ quidem per imputationem, aliæ verò sese nobis reipsa insinuantes, & ea illius ceu capitis plenitudine, sicut lumen ea lumine accensum, & sicut calor ex calore prodiens, in nos spiritualiter ipsi adhærentia membra defluentes: cuiusmodi sunt illa Spir. sancti χαρίσματα & ἐνεργήματα, quæ commemorat Apostolus, 1. Cor. 12. tum omnibus sanctis communia, vt cognitionis veri Dei, fidei, spei, charitatis, viuificæ denique virtutis corpora etiam nostra suo tempore viuificaturæ donum: tum pro diuersa particularium in Ecclesia vocationum ratione, spiritualiter huic & illi attributa. Verissimum est igitur, quod Cyrillus, illam vitis parabolam ea cap. Ioan. 15. luculenter aduersus Arianos disputans scribit: Vitis nimirum appellatione non ipsam per se Christi Deitatem, sed Deificatam carnem intelligi, cui nos inseri spiritualiter oporteat, vt eius succo viuificati, ceu palmites fructum feramus, ac proinde non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christus sit in nobis: verum etiam participatione naturali. Nam quemadmodum, si quis igne liquefactam ceram alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quiddam ex vtrisque factum videatur: sic communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Hæc Cyrillus. Quem locum quoniam & Transsubstantiatores & Consubstantiatores in suas partes trahunt, & Harchius quoque, pro ipsa carne essentiam verbi substituens deprauat, sciendum est non ipsius naturalis participationis modum, sed quid participemus, sic declarari, quo etiam pertinet ceræ liquefactæ permistio. Hoc igitur dictum voluit Cyrillus: ipsummet Christum oportere nostrum fieri, vt, quæ ipsi insunt, ab eo postea accipiamus: & huius nostræ cum ipso cōiunctionis vinculum esse naturam, cuius assumptione frater noster primogenitus factus est. At si quis iam quærat, quis sit eius participationis naturalis modus, audiat respondentem Cyrillum, & ex eo discat, non ore fieri, sed mente, & vnica Spir. sancti virtute: vt merè spiritualis sit hic modus, siue Diuinam virtutem veram illius efficientem causam, siue spiri-

tum

tum nostrum fidei quasi manum & instrumentum recipiendo Christo adhibentem, siue huius coniunctionis effectum, spiritualem videlicet vitam spectes: Agnoscite (inquit lib. in Leuit. 7.) figuras esse in Diuinis voluminibus, & ideò tanquàm spiritales, & non tanquam carnales examinate, & intelligite quæ dicuntur. Si enim quasi carnales ista suscipitis, lædunt vos non alunt. Est & in Euangelio litera, quæ occidit eum qui non spiritaliter ea quæ dicuntur aduerterit. Si enim secundum literam sequaris hoc ipsum quod dictum est, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, occidit hæc litera. Et Bernardus in Cantica: Quasi verò Christus, quũ iam ascẽderit in cælum, tangi aut velit aut possit: & vtique poterit, sed affectu non manu, voto non oculo, fide non sensibus. Sed de his satis, quum hæc minimè neget Harchius, aduersus quem propriè nunc disputamus.

Superest, vt quibus instrumentalibus causis ista cum Christo consociatio nostra fiat, & quæ sit illarum vis paulò pleniùs quàm antea dispiciamus. Quod ad Deum igitur attinet, ordinaria sunt eius instrumenta, pastores ac doctores, & verbum externum, interdum simplex & nudum, interdum additis symbolis velut vestitum. Ad nos autem quod attinet percipiendis externis illis instrumentis, organa corporis adhibemus, aures nimirum ad audiendum ex Pastoribus verbum, oculos præterea, os, & manus, totum denique corpus ad visibilia Sacramenti symbola nobis applicanda: rebus autem ipsis, tum per simplex verbum, tum per adiecta symbola à Deo significatis simul & oblatis percipiendis mente & intelligentia vtimur, quæ si fidei lumine illustrata est, tum sane res illas & intelligit, & sibi applicat, sin minus, aspernatur, & interdum etiam irridet, aut etiam illis offenditur. Et hæc omnia esse vera, ex vniuerso Dei verbo constat, vt Eph. 4. 11, Rom. 10. 8, & 17, Ioan. 6. 63, 1. Pet. 3. 21, 1. Cor. 1. 21, & 2. 16, Rom. 9. 30. & alibi passim. Iam verò, quæ sit illorum instrumentorum efficacia si quæratur, facilè hoc fuerit diiudicare, si qua de re hîc agatur, quę sit instrumentorum externorum, quibus Deus vtitur, natura, ac denique, quæ sit nostra tum exterior tum interior vis, consideremus. Agimus hic ergo de re penitus & merè diuina, nempe de nostra cum Deo per Christi carnem spiritualiter nobis communicatam reconciliatione: de noui hominis noua creatione, & veteris abolitione: de imputata iustificatione: de totius hominis ad incorruptibilitatem & cœlestem perpetuam vitam traductione: quarum rerum, si vel vnicam dicamus, ab vlla re creata, tanquam efficiente causa in nobis effici, Idololatræ fuerimus. Nam naturalibus quidem effectis Deus naturales causas efficientes indidit, vt qui non tãtùm crearit animantia, sed etiam addiderit, Crescite & multiplicamini: nec tantùm plantas crearit, sed etiam vnamquanque secundum speciem suam seminificare iusserit. Sed in hominis lapsi instauratione, quæ altera est creatio, gloriam suam non magis alteri dederit, quàm quum omnia ex nihilo crearet, & quum sibi, vnico videlicet ordinis rerum creatarum Domino, seruaret integram eius prout ipsi libuit immutandi potestatem. Facit enim mirabilia solus. Hoc igitur opus omnium ὑπερφυικῶν excellentissimũ, & omnium miraculorum miraculosissimum, nisi vnica vnius ipsius virtute ac potentia incboari, gubernari, ac tandẽ perfici fateamur, planè idololatræ sumus. Et quũ iam antè ostẽderimus ipsum Christũ, quamuis non absque carne, tamẽ nõ sua carne, nisi vt sibi proprio instrumẽto, sed propriè duntaxat sua Deitate miracula in corporibus ægrotantiũ, & mortuorũ edidisse, quis seruorũ ausus fuerit sibi plus tribuere, quã ipse magister habuerit? Sed ne rationibus & cõsecutionibus ex ratiocinatione humana petitis agere in re tanta videamur, age, ex vno Dei verbo sapiamus, quanquam illæ sanè rationes non aliunde sunt petitæ. Nullum esse arbitror nobilius Dei instrumentum iis in quibus posuit reconciliationis sermonem: & tamen, neque is qui plantat (inquit Paulus) neque is qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus, 1. Cor. 3. 7. & alibi, quum se dixisset laborasse, non ego tamen (inquit) sed gratia Dei, quæ mecum est. Itaque in administratione verbi ne tantillum quidem interioris illius virtutis ministris loquentibus relinquitur: neque hanc quæstionem decidunt qui virtutis illius præcipuas partes Deo, secundas hominibus tribuunt, perinde ac si scripsisset Apostolus, Gratia Dei mecum, vt vulgò Sophistæ in suis scholis hunc locum deprauarunt: vt & illum priorem, EST ALIQVID corrumpunt, addita glossa, SOLVS, vel, ABSQVE GRATIA. Neque tamen propterea nego fideles Pastores & Doctores esse Dei συνεργοὺς, vt loquitur Paulus, 1. Cor. 3. 9. adeò quidem, vt suo Timotheo scribens, 1. Tim. 4. 16. in hęc verba erumpat, Attende tibi ipse & doctrinæ: id enim si feceris & teipsum seruabis, & eos qui te audierint. Quæ vt intelligantur, quomodo accipienda sint, obseruandum est, in vno & eodem opere nostræ vocationis duplex esse spectãdum opus ad illum vnum finem conspirans: vnum quidem exterius, quod per externa instrumenta Deus sic exequitur, vt ipsa quoque agant, quoniam aguntur, quum homines stipites & trũci non sint in Dei manu: alterum interius, à quo tota in solidum prioris actionis externæ efficacitas dependet, & quod sic est Deitatis propriũ, Patris videlicet in Filio per Spiritum sanctum, vt istius ne minimam quidem particulam, vel Angelus vel homo sibi possit sine sacrilegio vindicare. Sunt igitur aliquid pastores loquentes per eum & eius nomine qui ipsos misit, sed in externo duntaxat opere. Nec enim aliud possunt, quàm surdis loqui, nisi Deus ipse sua vnius vi aures det ad audiendum: quæ quidem aurium cordis apertio vnius Dei opus est. Act. 16. 14. Fides ergo ex auditu quidem est, id est, interueniente externo opere prædicationis, & auditionis verbi aures ferientis: & hoc est externum opus, quod Deus per misericordiam per seruos suos missos efficaciter exequitur, sed quòd intelligitur & fide recipitur hoc verbum, hoc est internum opus in quo nullum habet Deus συνεργόν. Sunt enim omnes (inquit Esaias, citante etiam Ioanne, Es. 54. 13, & Ioan. 6. 45.) θεοδίδακτοι. Neque existimandum est, Paulum sic vocare sese & suos collegas, Cooperatores Dei, vt Phil. 2. 25. Epaphroditum vocat suum συνεργὸν καὶ συστρατιώτην. Erant enim in

eodem opere externo eandem operam nauantes sub eodem domino, opera ipsorum vtente. At id eo, quod interius efficit Dominus, & quod est exterioris operis vnicus finis, neq; sibi Paulus, neq; collegis quicquã tribuit. Quòd enim ministeriũ ipsius non fuerit inutile, in solidũ ea Deo esse fatetur, non quòd Deus hanc ipsi gratiam fecerit, vt corda potuerit immutare, siue viuificare, (quod nulli vnquam rei creatæ communicatum fuit, neque communicabitur) sed quoniam per Spiritum suum Deus disposuerit audientium mentes ad intelligenda, & vera fide sibi applicanda, quæ aures corporis ex ore Pauli audiebant. 2. Cor. 3. 6. quomodo etiam loquitur: 1. Cor. 2. 4. Gal. 2. 8. Thes. 3. 5.

Quod si in ipsis hominibus Verbum administrantibus nulla vis interior inest, sed eam totam sibi Deus integram seruarit, satis ex eo intelligitur, quid sit ipsi verbo pronuntiato tribuendum: nempe verissimè quidem id esse quod dicitur, Verbum vitæ æternæ, Ioan. 6. 63. & 68: & potentia Dei ad salutem, Ro. 1. 16: & quouis gladio penetrantius. Heb. 4. 12: & semen incorruptibile, Luc. 8. 11. at non quatenus vox est aurea feriens, sed quatenus Deus, id est, sermo ille Dei viui interior menti id insculpit, quod auribus per externum verbum significatur, vt ostendit Petrus, 1. Pet. 1. 23. Neque quum hæc dico, externum opus, quod Deus per homines administrat, ab interiore, quod vnius Dei est in solidum, separo cum Enthusiastis & phanaticis, sed tantùm distinguo: vt in eo commendetur singularis Dei misericordia, quòd hominum ministerium adhibere in hominum salute dignetur, quod qui spernunt illa clementia seipsos priuent: & tamen sua Deitati gloria tota, sicuti par est, seruetur.

Supersunt Sacramentales actiones, in quibus quum præcipuæ partes sint verbalis promissionis, cui symbola visibilia, veluti sigilla quædam, adiiciuntur, ex iis quæ modò diximus de exterioris verbi prædicatione satis intelligi potest, non esse aliter de eo statuendum propter symbolorum adiunctionem. Ipsis verò symbolis aliquid Diuinæ virtutis tribuere absurdius est quam si verbo tribueretur quum illa ab isto habeant, quod ex rebus communibus Sacramenta euaserint. Nota enim est regula in scholis trita, Propter quod aliquid tale est, idipsum magis tale. Totum igitur istud commentum Magis & Incantatoribus relinquamus, & de his mysteriis idem quod de simplici verbo statuamus: id vna videlicet eadémque actione Baptismi & Cœnæ Domini, Deum aliquid agere per homines, (id videlicet, quod in mysteriorum institutione fieri externo ministerio mandauit) & aliquid solum & per se interius, quanuis non absque illo: id nimirum quod verbi sono & symbolis verbo adiunctis, totóque Sacramentali ritu fuit significatum. Sic enim loqui nos docet Moses cordis circuncisionem vni Deo tribuens, Deut. 30. 6: vt & Paulus Rom. 2. 29. Sit ergo Baptismus lauacrum purgationis per verbum, Ephes. 5. 6. & lauacrum regenerationis & renouationis Spir. sancti, Tit. 3. & Act. 22. 16. Sed ita, vt externus aquæ Baptismus non quidem separetur, sed authore Ioanne Baptista, (sicut apud quatuor Euangelistas inculcatur & repetitur: Act. 1. 5.) ab interiore Baptismo Spiritus sancti, distinguatur, quo se quoque baptizari oportere confessus est Matth. 3. 14. Et ne quis sophista quippiam hîc garriat de Baptismi Ioannis & Baptismi Christi vtriusque exterioris discrimine, audiatur Petrus salutem tribuens Baptismo, non quo carnis sordes abiiciuntur, sed quo fit, vt bona conscientia Deum interroget, siue, vt alij vertunt, Deo respondeat per resurrectionem. Christi: 1. Pet. 3. 21. id quod Paulus copiosè explicat. Rom. 6. 3. & 4. & Coloss. 2. 12. Sed & pulchrè Tertullianus de resurrectione carnis, Anima (inquit) non lauatione, sed responsione sancitur: alludens proculdubio ad publicam fidei professionem, quæ ab adultis baptizandis requirebatur, vt disertè scribit Lucas Act. 8. 37. quod ridiculè postea & imperitè à baptizandis infantibus requiri cœpit. Nec aliter esse nobis de Cœna Domini sentiendum, partim communis Sacramentorum ratio demõstrat, partim etiã illud ostendit, quòd non omnes eandem escam sumẽtes, nempe exteriorem ab hominibus administratam, & hactenus spiritualem (Sacramentum enim est, non res communis) uolit tamen Apostolus ad vitam sumere, sed quosdam etiam ad damnationem: 1. Cor. 10. 3. & 5. & 11. 27.

Et de his quidem hactenus, ex quibus fore spero vt omnibus veræ pietatis sine præiudicio studiosis pateat, quàm vana ista sint Harchij commenta de substantia Trinitatis reipsa in panem illapsa, & aliis inde consequentibus portentis, ac proinde quàm falsæ sint calumniæ, quibus homo iste nos onerat, quasi inter Sacramenta & res communes nullum discrimen constituamus, mutationem Sacramentalem ignoremus, aut tradere in catechismis nostris negligamus: adeò quidem impudenter, vt Oecolampadium & Martyrem, beatæ memoriæ fideles Dei seruos in partes suas audeat pertrahere: Zuinglium autem illum verè hominem Dei, partim inscitiæ, partim etiam per ludibrium dissimulationis accuset, quasi discipulorum habuerit rationem, qui non fuerint solidæ Theologiæ adhuc satis capaces: Quinimo me quoque Beam, postquam est mihi assentatus multò honorificentiore, quàm merear, eruditionis testimonio, sibi penè & aliis persuadet à potentiali & actuali commentitio Christi corpore non valde dissentire. Quibus calumniis omnibus hoc sit semel responsum, datam esse hanc gratiam magnis illis seruis Dei, quorum opera pro Papismo verus Christianismus in Helueticis primùm, Rheticis, & Sabaudicis Ecclesiis obtinuerit, ac sit deinceps longè & latè in orbe terrarum propagatus: vt neque de Cœna Domini, neque de vllo fidei Christianæ articulo aliud fuerit prædicatum, quàm quod & priore & posteriore Heluetica confessione continetur: quorum vestigiis sic institisse, & deinceps perrecturos illorum successores confido, lo quibus & ipse, Deo sic volente, nomen meum profiteor, vt à Dei veritate, quam illi ad extremum vsque halitũ & voce & scriptis perspicuè, & sine vlla dissimulatione testati sunt, ne latum quidem vnguem discedamus.

Ad hæc

Ad hæc autem errorum monstra de quibus diximus, libet etiam alia duo adiungere, vt si quos ille in errorem abduxit, tempestiuè in viam redeant. Harchius igitur postquam de essentiæ diuinæ in panem percolatione, & aliis eiusmodi nugis, veluti potentiali Christi corpore, & nostra in Christum transitione, quasi supra cœlos omnes transuectus disputauit, tandem audiamos, quem tandem fructum nos velit ex hoc mysterio elicere, vbi Christum ipsum loquentem inducit, (pagina posterioris libri sui 271.) HOC FACITE, inquit Christus, id est, offerte Deo Patri: & deinceps, COMEDITE, id est, donum, quod est in hoc visibili pane, (symbolo huius mei corporis cras pro vobis crucifigendi) cum dilectione & fide suscipite, vt hinc meo exemplo discatis offerre vestra corpora, & exponere vitam ad Dei gloriam & proximi defensionem, si opus est, tum & bona omnia, quæ accipitis à Deo, pari assuescatis liberalitate aliis egentibus distribuere, & simili charitate in alios effundere. Hæc verò, si sic se habent, quid aliud fuerit Cœna Domini, quàm quædam, quantacunque illa sit, ad colendam fraternam charitatem incitatio? Neque verò nos inficiamur longè præstantissimum hoc esse diuinæ in nos miserrimos peccatores charitatis pignus, quo mutuæ nostræ dilectionis admoneamur: sed absit, vt vel præcipuum hunc finem Cœnæ esse existimemus, vel hæc sacra mysteria pro imitationis exemplo & mystica tantùm quadam commonefactione habeamus. Sunt enim longè alia beneficia noui fœderis, quod istis tesseris nobiscum sancitur. Primus igitur & primarius huius sacræ actionis finis est, nostræ cum Christo consociationis, per ipsius carnem spiritualiter, adhibitis illis symbolis, interueniente fide, nobis verè communicatam, & animi nostri quasi intimis visceribus insculptam diuina solennis confirmatio: alter verò, omnium donorum, quæ in ipsius carne insunt, nobiscum participanda, tum per imputationem, tũ per realem intra nos efficacitatem magis ac magis sancita adeptio. Sunt enim hæc mysteria, vt ex Institutionis & Apostoli verbis apparet, noui Testamenti tessera in remissionem peccatorum: præcipuum videlicet nostræ cum Christo reconciliationis beneficium, & quod cæteris præire oporteat.

Sed illud quoque mirari subit, quînam tandem Harchius, postquam nulla vini facta mentione, vsque adeò panem illum Deificauit, in vino tamen illo nescio quid amplius, quàm in pane, id est, in sanguine Christi amplius aliquid quàm in eius corpore constituat: adeò quidem, vt, si tempore excluderis (inquit pagina editionis prioris 116.) bibendum sit de calice, & non comedendum de pane, sicut si quis in animi deliquium inciderit, quòd manducatio longius exquirat tempus quàm potatio, in os potiùs iniecerit vinum, quàm carnes, quoniam illud citiùs repente delapsus instaurat vires. Enimuerò, an non hæc potius ebriosum quàm Christianum hominem decent? Quasi verò non manifestè Christus duplex signum in Cœna Domini instituens, vnum cibi, alterum potus, sic demonstrarit totam nostram alimoniam spiritualem in vno Christo sitam esse, & quidem mortuo pro nobis: quod etiam eo adumbratum est, quòd seorsim vinum, seorsim panis distribuitur, vt sanguis à corpore nostri causa separatus fuisse, sic quoque significetur. Citat tamen pro se Harchius duos testes, Ambrosium videlicet, & Origenem, sed quorum neutri in mentem venit, vt calicem absque pane ritè sumi posse doceret, quum longè certè sit absurdius sobriis omnibus ieiunis bibere absque cibo, quàm cibum sumere absque potu. Sed quid ait Ambrosius? 1. Cor. 11. Caro Saluatoris, pro salute corporis: sanguis, pro anima effusus est. Hæc verba, fateor, in Commentariis Ambrosio adscriptis leguntur, eò quoque hæc verba Mosis detorquenti, Leuit. 17. 17. Anima carnis est in sanguine, & ego dedi eum vobis super altare, ad expiandum animas vestras, quia sanguis ipse animam expiabit. Sed quis Ambrosio concedet, quod inde colligit? nempe pro solo corpore oblatam fuisse victimæ carnem, vt hoc postea ad Christi corpus pertrahatur. Non excludit ergo Moses ab expiatione animæ, carnes oblatæ victimæ sed propterea quòd animalis vita in sanguine est, voluit offerentes non ipsam materiam carnis victimæ, sed victimæ mortem in effusione sanguinis spectare: quemadmodum Christi carnem, vt sic nobis serustria, non debemus simpliciter in sese, sicut ea præditus fuit Christus, sed vt crucifixam & mortuam pro nobis considerare & participare: quamobrem etiam sæpissimè, vbi de nostra per Christum reconciliatione agitur, peculiaris fit eius sanguinis mentio: sed ita vt corpus minimè excludatur. Nam de toto Christo dixit Ioãnes, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & Apostolus Col. 1. 22, de totis nobis credentibus loquens, Reconciliauit nos (inquit) in corpore carnis suæ per mortem: & Heb. 10. 10, qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel factam: & Petrus 1. Pet. 2. 24, Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, &c. Absit igitur, vt in redemptionis nostræ mysterio allegoriã illã Ambrosianam, aut cuiusquã alterius sequamur, quod tamen tanti viri pace sit dictum. Quid autem Origenes ille allegoriarum magister tum certè somniãs, quum attẽtissimè videtur vigilare? Cur (inquit Homilia 35. in Matth.) non dixit Dominus, HIC EST PANIS NOVI TESTAMENTI, sicut dixit, HIC EST CALIX NOVI TESTAMENTI? quia panis est verbũ iustitiæ, quo manducãtes animæ nutriuntur, potus autem siue calix, est verbũ agnitionis Christi secundum mysterium natiuitatis & passionis, &c. Pudet enim me istiusmodi deliriis chartas implere. Quorsum enim nobis allegoricã sacramentorum transformationem, & quidem vsque adeò insulsam? Si quis tamen illius quæstionis explicationem desiderer, sic potius rem accipiat. Sancitũ quidẽ fuit fœdus nouum totius Christi oblatione, sed quia mors interuenerat, euidẽtius istud fuit in effuso sanguine, quàm in ipsa carnis materia. Propterea sub vetere fœdere Moses dixit, Ecce sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscũ: ac proinde Christus quoq;, vt veritatis ad typũ relatio fieret expressior, noui fœderis appellationẽ sanguini suo potius, quàm corpori applicauit, sic tamẽ vt corpus cuius sanguis fuit effusus, nequaquã excluserit ab animæ in primis re-

demptione. Addo & aliam rationem, quòd quum Christus bibendi vini, quod sanguinem suum appellat, mentionem fecisset, necesse fuit illum noui fœderis meminisse, quoniam sub vetere sanguinis vsus disertè prohibebatur, quod in altero panis symbolo esprimere necessarium non fuit.

Eapectabit autem fortasse lector hoc loco, vt singulis Patrum testimoniis respondeam, quorum multitudine putauit Harchins suum illud commentum apertè confirmari, illis certè non dissimilis, quibus, si specillis viridibus vtantur, viridia omnia apparent. Et mihi quidem propositum hoc erat, quum hanc scriptionem aggrederer, singulos videlicet Patrum locos ab Harchio citatos, ostendere partim mala fide descriptos, partim perperam applicatos & malè ab ipso eaplicatos esse, partim etiam ipsius sententiam manifestè refellere. Sed tardius posteriorem ipsius libri editionem nactus, in qua ordine paulò meliore suum dogma proponit: & temporis spatio eaclusus, quanto mihi ad priora retexenda fuisset opus: cogor accnratiorem hac in parte refutationem aliquantulum differre. Tantum interim hoc dico, quemadmodum Transsubstantiatores & Consubstantiatores videmus ignoratione, vel dissimulatione Sacramentalis tropi, quo fit, vt rei significatæ nomen ad signa transferatur, detortis Patrum testimoniis, sese magis ac magis dementare: sic etiam Harchium, quæcunque Patres de vi & efficacitate spirituali sacrorum mysteriorum differentes proferunt, ad suum illud commentum substantiæ diuinæ reipsa in panem illapsæ pertrahere: quod tamen, haud scio an cuiquam vnquam, præter hunc vnum Harchium, in mentem venerit, vt vel somniando cogitaret, nedum vt fuerit vnquam hoc absurdissimum & falsissimum dogma in Ecclesia Christiana receptum. Nec illud etiam hominibus in veterum tum Græcorum tum Latinorum lectione versatis ignotum esse potest, illos nonnunquam suis allegoriis fuisse plus æquo delectatos, & hyperbolicè cùm de sacramentali transmutatione, tum de sacramentorum fructu (rebus illo seculo cuiuis ea Ecclesia notis ac perspectis) nonnunquam fuisse loquutos: quibus tamen hyperbolis Transsubstantiationis & Consubstantiationis somnium in Ecclesiam inscitia vel negligentia Pastorum inuectum debemus. Sed aliâs hac de re plura, si Dominus dederit.

Nunc verò superest, vt, quid in Cœnæ Domini administratione idem Harchius requirat, dispiciamus. Primùm omnium igitur eum cultum, quem modò adorationem, modò venerationem vocat, in Eucharistiæ celebratione vult vsurpari, quæ tamen non ad ipsa symbola, (quod in Papistis meritò reprehendit: qui tamen sese non panem neque vinum, sed ipsummet Christum Deum & hominem reipsa adorare respondet) sed ad totius Trinitatis essentiam in panem delapsam, & à carnis naturalis Christi in cœlo nunc sitæ minimè separatam referatur. Ego verò primùm quæro de qua adoratione, seu veneratione loquatur, interiore videlicet, an eateriore, an de vtraque coniunctim. Nam quod ad interiorem attinet, quis vnquam ita fuit impudens, qui mentalem adorationem, atque adeò totius cordis ad Deum conuersionem, in illa tam solenni Christi mortis celebratione necessariò adhibendam negaret? Absit igitur, vt illa sit in mysteriorum celebratione in nostris Ecclesiis sublata, quam potiùs, quum esset infinitis modis in papatu contaminata, ad veram puritatem reuocauimus. Quod ad exteriorem autem corporis gestum attinet, fatemur quidem à nobis sublatas tum histrionicas illas gesticulationes ridiculas potiùs, quàm religiosas, tum illa, quamuis per se non damnanda, tamen hypocritis in publico quidem cœtu, quàm veris Christianis in simplicitate Deum inuocantibus conuenientiora, veluti totius corporis prostrationem, terræ deosculationem, alta suspiria, pectoris percussiones, & similia nimiùm multa: quæ fortasse domi & priuatim, solo Deo teste & conscio, possint vt veræ resipiscentiæ signa vsurpari. Honesta autem illa, & communi populorum consensu apud Europæos adhiberi consueta, vt capitis apertionem ac demissionem, genufleaionem, & si quid est eiusmodi non modò in mysteriorum celebratione, sed etiam in quotidiana verbi prædicatione, & sacrorum psalmorum cantione, concionem sic & incboantes & finientes, studiosè, & quanta cum reuerentia fieri potest, obseruamus. Sed hoc nimirum Harchium & alios nonnullos malè habet, quòd in nostris Ecclesiis stantes, nec positis ad terram genibus, alicubi etiam sedentes, & rursum alicubi, vt in Anglia, ad mensam discumbentes symbola ea pastorum & diaconorum manu accipiamus. Imò etiam non desunt qui pastores vellent in illis, si non origine, at certè vsu, verè Baaliticis vestibus apparêre. Scilicet quum ipse adstans ad mensam Dominus verè adorandus quâ Deus, & quâ Deus & homo simul, cœnam instituebat, surreaerunt singuli discipuli vt in genua procumbentes, panem illum & vinum illud ea ipsius manu acciperent: & ignorabant scilicet ipsi Apostoli quo ritu deinceps celebranda mysteria Ecclesiis traderent. Agapas quidem certè constat via ac ne via quidem genuflexionem admisisse. Iustinus in Apologetico nullam facit istarum rerum mentionem. In libello διαταγῶν Clementi adscripto, cuius liturgiæ ritum fatetur Harchius proaimè ad Caluinianorum, quos isti vocant, formulam accedere, nulla προσκυνήσεως in ipsa sumptione, ne tenuissima quidem mētio, sed accedere post Episcopum, presbyteros, diaconos, & populus reliquus iubetur μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας ἄνευ θορύβου, id est, cum pudibunda quadam reuerentia, sine tumultu accedere. Postea nullus fuit eaternis ritibus adhibitus modus, honorandorum mysteriorum obtentu: Eucharistia, domum deportari, seruari, collo pro viatico appendi cœpit: contrà verò tandē piaculū fuit illam vel manu laicis, quos vocant, attingere. Quid plura? tandem nostræ cum Deo consociationis pignus Satan in βδέλυγμα, quo nunquam vllum execrabilius neque eatitit, nec posthac poterit eacogitari, apertè tātáque eum erroris efficacia conuertit, vt symbolorū illorū (si modo symbola esse possint, in quorū præparatione Institutio Domini tam horrendis modis contaminatur) adoratio pro summa

ma totius Christianæ religionis habeatur. Hæc causa est cur non modò ἀρτολατρείαν ipsam, sed eius quoque initia radicitus euellere studuimus: seruata religiosa tum animi tum corporis adoratione, quæ vni Deo tota debetur: tum etiam grauitate & reuerentia quæ in publico cœtu sanctorum requiritur, diligẽter custodita. Quod si qui vel infirmitate suorum coacti, vel alias ob causas aliquid amplius ex vetustis illis ritibus sibi retinendum putent, sua cuique maneat libertas. Sed quis ferat Harchium eos reprehendentem, qui panem aliquo modo putẽt adorabilem, quòd Iesus Dei filius verè & realiter ibi adsit cum mera sua carne, & mero suo sanguine: quum tamen ipse lõgè firmius statuat adorationis fundamentum, realem videlicet & ineffabilem ipsius met essentialis Deitatis cum pane vnitionem ac permiationem? Ex quo dogmate apparet, illum nõ multò aliter certè nũc in pane Christum adorandum censere, quàm quum olim in præsenti carne in terris versaretur. Id autem si ita esset, immemor profectò eorum reperietur, quæ ipsemet pag. 189. ex Nicæno concilio primo citauit, ista videlicet, Ne hæreamus humiliter intenti ad panem & vinum, quæ posita sunt super altare, sed vt fide sursum eleuemus corda. Nam, obsecro, si deorsum, id est in terris & in ipso pane realiter & essentialiter vnita & permiata est Deitas quæ vna propriè adoranda est, cur non ego mentis oculos ad ipsum panem conuerterim, vt in præsentem ipsius carnem, si adhuc in terris versaretur? num quia caro in cælis nunc est, non in terris? Atqui hæc ratio nullius est momenti. Nec enim propter carnem ipsius Christi adoratur ipsius Deitas, sed Deitas non absque ipsius carne adoratur, ne dissoluatur personæ vnitas. Et de adoratione quidem hactenus, quam certè sic ponit, vt tollat Harchius.

Superest nunc alia grauissima tum nostri tum Lutheranorum, quos vocat, accusatio, quòd nimirum visibile Christi sacrificium in imagine, siue iugem oblationem sanctæ Eucharistiæ in Ecclesiis nostris aboleuerimus, id est, scelus omnium maximum admittamus. Triplex autem esse vult Harchius hoc sacrificium, quantum quidem ex capitibus ipsius libri 21. 22. 23. & 24. coniicere potui, licet tam obscurè & tam perplexè scriptis, vt fortasse ne nunc quidem ipsius sententiam satis rapiam: sed in summa hoc mihi videtur sentire, triplicem oblationem in mysteriorum celebratione semper fuisse à Deo requisitam & in Ecclesia Christiana obseruatam: vnam merè spiritualem, qua sese vnusquisque corde contrito & fide prædito coram Deo sistit, quam oblationem vnicam à nobis obseruari dicit Harchius: alteram visibilem, afferente vnoquoque quidpiam ne coram Deo appareret vacuus: tertiam ipsius corporis & sanguinis Domini, quam vtramque concludit Harchius à nobis quidem sublatam, à papistis verò penitus adulteratam. Ego Papistas minimè defendero, sicut etiam meum patrocinium minimè desiderant. Quod ad nos autẽ attinet, neutram, si rectè intelligatur, à nobis abrogatam, sed potiùs vtramque ad verum vsum reuocatam esse affirmo. Nam vt de priuatorum oblationibus priore loco dicam: liquet, tum ex Actis, tum ex Epistolis Apostolicis, itémque Iustini & Tertulliani apologetico, & variis antiquarum Synodorũ canonibus quos hoc loco repetere nolui, collatas fuisse eleemosynas, ex quibus, tum communes epulæ, quas Agapas vocabant, instruebantur, tum ministris verbi, tum pauperibus, & aliis Ecclesiæ necessariis vsibus subueniebatur. Hæc autem sic collecta in communi cœtu, commoda ratione, puta vel in mensa, vel abaco ad id constructo qui θυσιαστήριον in Canonibus, quos Apostolicos vocant, Canone 2. vocatur, primum imponi consueuerant, & solenni prece adhibita Deo, id est, piis vsibus consecrari, sepositis in primis pane & vino, quibus seorsim ad sacramentalem vsum benedicebatur, recitata & explicata Domini institutione, qua de re distinctè mox agemus. Illas igitur oblationes distinctum aliquid fuisse à sacris mysteriis constat: quod etiámnum hodie liquet ex Romanæ Missæ particula, quam Offertorium vocant: item ex illis precibus, quibus hæc dona & munera (magno quidem cum Ecclesiæ Christianæ ludibrio) adhuc hodie sacrificuli Romani petunt à Deo benedici. Sublatis autem iampridem Agapis, & ita paulatim constitutis in Ecclesia Christiana rebus, vt non de quærendis nouis facultatibus laborandum videatur quibus Ecclesiastici alantur, sed potiùs curandum, vt opes, quibus redundant, piis vsibus impendantur: quorsum, obsecro, oblationes istiusmodi in nostris Ecclesiis retinuissemus? Itaque plerisque locis, vbi nimirum Christiani magistratus imperant, cautum est, qua ratione tum ministris verbi iusta stipendia persoluantur, tum cuiusque loci pauperibus consulatur: tum scholis instituendis & pauperibus alendis scholasticis & tuendis Ecclesiarum ædificiis prospiciatur. Nec propterea priuatarum eleemosynarum collectio, siue quum dimittitur publicus cœtus, siue domatim collecta stipe, negligitur. In iis autem locis, in quibus Romani quidem vẽtres suis adhuc sacrilegiis sese ingurgitant, pauperculi verò plerique greges cum suis pastoribus esuriunt, ibi quoque, qua ratione fieri potest, iustitutis diconis, eleemosynæ conferuntur. Rem igitur ipsam retinuimus aut instaurauimus potiùs: formam autem illam veterem oblationum operosam, molestam, nulla certè lege in verbo Dei præscriptam, tam variè apud veteres, vt ex synodorum canonibus & Patrum scriptis apparet administratam, denique vt ambitiosam potiùs, quàm religiosam abrogauimus. Quid autem Harchius? Vult omnino fuisse mystici conuiuij, quod Sacrificium appellat, alteram partem: & veluti priorum omnium oblitus, ac in primis eius quod toties repetiit, non de istis oblationibus, sed de eo pane & vino, quod per solos, vt loquitur, sacerdotes offertur: eum videlicet primum quidem per sacram benedictionem fieri potentiale, ac deinceps comesum actuale Christi corpus mysticum, iis nimirum, à quibus sumptus, comesus, ac tandem concoctus est, in vnum Christi corpus transeuntibus: eius (inquam) rei oblitus, vult visibiles etiam istas priuatorum oblationes fide vniuscuiusque offerentis duplicem habuisse siue figuræ, siue Sacramenti rationem. Primùm enim fuisse symbolum eorum bonorum vel temporalium vel spiritualium, quæ sibi quisque aut a-

liis dari vel conseruari vel etiam augeri postulabãt, vel de quibus sibi cõcessis gratias agebãt. Deinde vult etiã Harchius transmutatas eas fuisse in Christi corpus mysticũ. Nam hæc sunt eius verba
» pag.257. Offerebat populus (& certè ad talem oblationis vsum reuocari debet) visibile quidpiã ad
» altare, denotans inuisibile, quod vel mãducabat, vel pro quo gratias agebat: quin & eadem hostia,
» & idem simplex panis oblatus sanctificabatur ab illorum fide & Spiritu Dei, qui in illis habitabat,
» & in Sacramentum siue antitypon & Eucharistiam corporis Domini transmutabatur ab ipsis. Et
» altera pagina, Panis quem offert populus fidelis, existẽs sanctificatus à propria fide & Spiritu Dei,
» quem quisque possidet proportione fidei & charitatis suæ, à figura carnis cõmunis, transibat in fi-
» guram siue antitypon corporis Christi, sed mystici. Hæc ille, quæ si quis roget, quo fundamẽto nitantur, certè vel nouam aliquã nobis Cœnæ institutionẽ proferat à Domino traditã oportet: aut illã, quam tres Euangelistæ tradunt, & ex Euangelistis Paulus repetit, huc quoq; pertinere nobis demõstret: aut deniq; demissum se cælitus ostendat, qui noua nobis mysteria cuderet. Ista igitur ne refutatione quidẽ indigent, nec sunt etiã in aliũ finem à me prolata, quàm vt hinc saltẽ, cuius spiritus iste magister fuerit, omnes intelligant, quum ne Patrum quidem testimonium vllum Harchius ad hoc deliriũ probandũ protulerit. Fuerint sanè tamen oblationes istæ rerum visibilium sacrificij species: sed quales sunt nominis Dei inuocatio, & eleemosynæ iuuandis fratribus collatæ: quam sacrificandi rationem tantùm abest, vt in sacrorum mysteriorum celebratione sustulerimus, vt in quotidianis etiam cœtibus hoc in primis vrgeamus.

Restat præcipuum istius accusationis caput, sublatum videlicet à nobis iuge illud sacrificium in Melchisedeco adumbratum, à Malachia propheta prædictũ, & quo sublato nulla in terris supersit Ecclesia. Saltem verò iste tam rancidas nobis accusationes reponens, refutationes nostras refelleret. Nobis verò sempérne ad nauseam vsque inculcandũ erit, quod & ipse textus demonstrat, nullam in Melchisedeci historia fieri sacrificij mentionẽ, quantumuis sibi veteres in istis Panis & vini nominibus placuerint? Et quoties nobis illud iterandum erit, Malachiã de numinis cultu in Spiritu & veritate noui fœderis, abrogato vetere & ad gentes translato, formulis dicendi, ex vetere cultu, ceu Prophetæ solent, desumptis disserentem, non Sacramenta nomine suffitus & oblationis mundæ, sed sacrificiũ illud declarare, quod Apostolus copiosè Rom. 12. 1. declarat? Nec enim Sacramẽta populi sunt offerentis, sed à Deo data recipientis: adeò quidem, vt nihil esse possit iis hominibus ineptius, qui Sacramentũ cum sacrificio confundunt. Neque tamen inficior Cœnam Domini aliquam etiam habere nostri respectu sacrificij rationem, & propterea iam olim Eucharistiã appellatam. Verùm id fieri nego propter præcipuum ipsius finẽ, nempe vt nostra cum Christo concorporatio sanciatur, quum vniuersam nostram vitã oporteat veluti perpetuũ esse Eucharisticũ sacrificium, & in quotidianis in Ecclesia cœtibus, solennis gratiarũ actio de omnibus in Christo collatis nobis beneficiis, etiã extrà Cœnæ Domini celebrationẽ, à nobis requiratur. Nihilominus tamen quia peculiaris quædã mortis Domini annũtiatio in Cœna Domini præcipitur, sit sanè ac dicatur quòd ad nos attinet, Eucharisticũ sacrificium. Id verò an nos sustulerimus, ac non potiùs, meritò sublatis ex veteri Canone quamplurimis, instaurauerimus, age ex nostrarũ liturgiarũ formulis (etsi non per omnia in ipsis verbis, at certè in doctrinæ substãtia penitus consentientibus) iudicetur. Audiamus tamen, quid hîc amplius à nobis ex patribus requirat. Iussit nos (inquit) Christus facere quod fecit. Concedo: quamobrem etiã humanos omnes illos ritus in nostra liturgia aboleuimus. Sed Facere (inquit) eo loco idem est atque Sacrificare. Imò idem est atq; panẽ accipere, benedicere, frangere, comedendũ præbere, itidémque poculum, præeunte benedictione, bibendũ tradere, quod ad ministros attinet: sumentium autẽ respectu, accipere, comedere, bibere, mortem Domini annuntiare. Itaque etiamsi Harchio concederẽ. Facere idem esse eo loco atque Sacrificare, tamen quum totidẽ illa constet à nobis diligenter fieri, calumniator in eo deprehendetur, quòd sacrificiũ à nobis sublatum esse dicat. Quum autem negari non possit, sacrificium esse vni Deo offerendum quînam obsecro dicentur ministri sacrificare, quum panem & vinum nõ Deo sed populo accipiẽdum præbent? Et rursum populus ipse panem & vinum accipiens, comedens, & bibens, id est, nõ offerens, sed oblatum sibi accipiens, quomodo sacrificare dicetur? Et tamen fatendum est, quum hæc fiunt, vel fieri quæ Christus fecit & facienda præcepit, vel (quod absit) non esse hæc facienda, sed omittenda, quum id demum in Cœna faciendum sit quod Christus fecit. Ex quo efficitur Facere non rectè explicari per Sacrificare, quum totũ non rectè per ipsius Partem definiatur. Res autem ita se habet. Patres Cœnam Domini sacrificiũ vocarunt triplici respectu: vno, propter symbolorum benedictionẽ: altero, propter sacrificij, quod semel à Christo in cruce peractum est, commemorationẽ, & quandam sub imagine Sacramentorũ repræsentationem: tertio, propter solennem fidei professionem, preces, ac præsertim gratiarum actionem peculiarem: quæ omnia recordationis nomine à Christo, & annuntiationis mortis Domini ab Apostolo significantur. Nam
» verum etiam sacrificium est, vt rectè scribit Augustinus, de Ciuit. lib. 10. cap. 6. Omne opus
» quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo. Totam verò sui temporis liturgiam sic descri-
» bit idem Augustinus Epist. 59. quæst. 5. Precationes accipimus dictas, quas facimus in celebra-
» tione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: Orationes,
» quum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem
» ferè omnis Ecclesia Dominica oratione concludit: ad quem intellectum verbi Græci origo nem-
» pe προσευχῆς nos adiuuat. Sic enim propriè intelligenda est oratio, quam facimus ad votum, id est,
» προσευχή. Vouentur autem omnia quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio, quo sacra-
mento

mento prædicatur votum illud maximum, quo nos vouimus in Christo esse mansuros, vtique in compage corporis Christi: cuius rei Sacramentum est, quòd vnus panis vnum corpus multi sumus. Interpellationes autem, siue postulationes fiunt quum populus benedicitur. Tunc enim antistites velut aduocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati: quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Hæc ille. Ex quibus quo sensu veteres Cœnam Domini sacrificium vocarint, apertissimè liquet. Ostendat autem Harchius, ecquid tandem istorum in nostris Ecclesiis prætermittatur: & tunc à nobis visibile sacrificium abolitum esse clamitet. Nempe hoc illum malè habet, quod ἐνδεῖξιν, id est, abominandæ illius ἀρτολατρείας causam vnam ex præcipuis sustulerimus: cuius tamen neque Clemens ille, quisquis est, in Constitutionibus Apostolicis quas vocat, neque Iustinus, neque Tertullianus meminerunt: & quæ Christum autorem habere certè non potest. Sit igitur vetustus hic ritus, cuius etiam meminit Basilius ad Amphilochium, si modo illa omnia Basilij sunt: fuerit etiam hoc non inutiliter illis temporibus vsurpatum, siue quum ex priuatorum oblationibus panem & vinum seposuerant in peculiarem Sacramentorum vsum, siue quum peracta benedictione populum ad participationem præparabant. Quum tamen neque hic ritus sit nobis à Deo, neque ab Apostolis præscriptus, neque in illa vetustissima purissimáque Ecclesia, vt apparet, obseruatus, & ei iam pridem idolomaniæ occasionem præbuerit, quæ, permanente illa ἐνδεῖξει vix ac ne vix quidem tolli ex hominum animis possit, non modò nos, quum illam abrogaremus rectissimè fecisse, verùm etiam eos à quibus retinetur, neque sibi neque suis gregibus bene consulere arbitramur: quemadmodum etiam in eo, quòd, sublata panis fractione (quæ nunquam in Oriente fuit abrogata, &, vt ex præcedentibus apparet, Augustini tempore apud Afros obseruabatur, Sacramentalis omnium ritus à Christo ipso institutus) offulas integras & quidem ori non manibus contra totius veteris purioris Ecclesiæ morem, inserunt, adhuc Papissare sese & horrendæ superstitionis fomitem fouere, nescio qua tandem ratione inficiari possint. Quid igitur? nempe etiam absque ἐνδεῖξει salua manet oblatio sacrificij incruenti, id est, sacramentaliter peracti, siue benedictionem ipsam symbolorũ, id est, Institutionis Domini recitationũ & explicationem cum præeuntibus & subsequentibus à tota Ecclesia conceptis, pastore præeunte, precibus coniunctam spectet, quibus ipsa quodammodo filij passio, vt loquitur Cyprianus, Deo Patri offertur, & tota Ecclesia Christi mortem annuntians, sese quodammodo Deo sacrificat: siue fidei Christianæ solennem professionem: siue denique gratiarum actionem & eleemosynarum collationem Oblationis & Sacrificij nomine accipias.

Neque de alia oblatione loquutos esse Patres, ex ipsis ab Harchio prolatis testimoniis omnibus apparet: qui tamen, quoties scribunt Christum sese Patri, quum sacram Cœnam institueret, obtulisse, impropriè loquuti sunt: quum Christus sese pro peccatis nostris non bis, vno videlicet modo incruentè, altero verò cruentè, sed semel duntaxat, & quidem in ara crucis in remissionem peccatorum nostrorum obtulerit: nihil etiam nobis oblatione illa incruenta ad id profutura, quum teste Apostolo, absque sanguine non sit peccatorum remissio. Ex quo efficitur Christum sese non obtulisse Patri in Cœna, nisi vniuersam eius vitam per oblationem intelligas, sed oblationis mox sequuturæ Sacramentalem commemorationem, & nostræ cum ipso Spiritualis coadunationis mysterium Sacramentaliter repræsentandum ac Spiritualiter per fidem sanciendum instituisse.

Quòd autem postremo loco Harchius addit, errare nimirum grauiter tum Lutheranos tum Caluinistas, quos appellat, qui Christum dicant certum ordinem sacerdotij non ordinasse à populari distinctum, & vllam peculiarem dari potestatem per manuum impositionem eis ad Eucharistiam Deo Patri offerendam negent. Hoc (inquam) putidissimum impudentissimi hominis est mendacium. Quis enim hominum hoc ignorare potest tantum nos ab eo abesse vt pastores, doctores, presbyteros, diaconos cum magistratu vel cum plebe confundamus, & cuiuis aut Euangelij in cœtu prædicandi aut preces publicas concipiendi, aut Baptismum, Cœnamve Domini administrandi, aut eleemosynas recipiendi & distribuendi, aut Ecclesiastica iudicia exercendi potestatem faciamos, vt contra & Ecclesiasticas omnes tum electiones, tum ordinationes ad Apostolicam normam & regulam Dei beneficio reuocauerimus, & quàm seuerissimè (nisi sicubi priuatim peccatur) obseruemus? Etenim neque vitæ neque morum exactum examen: neque doctrinæ & donorum ad functiones Ecclesiasticas obeundas necessariorum diligens exploratio: neque magistratus, vbi Christianus est, authoritas: neque plebis voluntarius consensus, neque accurata cautio negligitur, ne quis ambitioni vel gratiæ vel [illegible] vel [illegible] locus relinquatur. Quod ad ordinationem autem attinet, humanos quidem illos omnes ritus tam operosos, quàm inutiles, & maxima iam ex parte in superstitionem manifestam versos, imò etiam aliquatenus impietate contaminatos sustulimus: sed Apostolicæ veræ ordinationis substantiã restituimus. Etsi enim nonnullis locis ceremonia impositionis manuum non obseruatur, tamen res ipsa diligenter custoditur, pastoribus legitimè electis & tandem ordinandis coram populo detecto capite astantibus, & cum graui commonefactione solennibus precibus D. O. Opt. Max. cuius operarij futuri sint, commendatis. Quod autem Harchius impositionem manuum mysticæ benedictionis nomine dignatur, tum illi in eo assentiemur, quum vel tale aliquod Sacramentum à Deo constitutum fuisse, vel hominibus licere Sacramenta cudere nobis fuerit ex Dei verbo demonstratum: quanuis maximum esse pondus precum Ecclesiæ pro pastore suo ministerium ineũte Deum Opt. Max. interpellantis, minimè inficiemur, vt qui verum id esse reipsa quotidie expe-

riamnr. Sed perlepidus est In primis Harchius iste noster, qui postquam Pontificios vt omnis ordinis Apostolici & veteribus etiá Canonibus constituti, manifestos violatores atque adeò hæreticos appellauit, nihilominus successionem Apostolicam in eis agnoscit, tanquam saltem successionem Apostolicam redolentibus, & secessum à Romana, id est, Antichristiana & Christi fundamētum tollente Pseudecclesia sine exceptione non probat. Quasi verò ex omnibus veteribus etiam canonibus non apertè statuatur eius ordinatio irrita & quidem graui cum anathemate, vt ipsemet Harchius citat, eorum omnium, qui contra Apostolicam regulam fuerint electi, aut sese vltro ad obeundam Ecclesiasticam functionem obtruserint. Eat igitur Harchius cum suis asseclis omnibus, & habeat pro Ecclesia cœtum à quo expulsus est verus Christus totius veræ Ecclesiæ caput, & in quo nullum ab ipso Papa ad vltimum clericum inuenire possis, qui Christum habeat suæ vel doctrinæ vel functionis auctorem. Nos autem in verà veri Christi confessione & vera eiusdem Ecclesia, aduersus quam inferorum portæ nunquam præualebunt, Deo fauente, pergemus, cui gloria sit in æternum. Amen.



EPISTOLARVM THEOLOGICARVM THEODORI BEZÆ VEZELII,

LIBER VNVS.

ILLVSTRI ET GENEROSO

BARONI, D. NICOLAO THELEGDIO, DO-
mino mihi plurimùm obseruando, Theodorus Beza Vezelius gratiam & pacem à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.



LLVSTRIS & Magnifice Domine, annus iam agitur quintus ex quo illustri tuæ generositati placuit, non literis modò me suis ornare, verùm etiam idoneum satis arbitrari cui Michaelem Paxium, singularis iam tum pietatis & doctrinæ hominem, quasi in manus traderet. Et tum quidem ille ad nos venit vnà cum altero præstanti sanè iuuene Matthia Thurio, quorū ego tum doctrinā tum mores quum perspexissem, iam tum egi Deo gratias quòd sicut vestris regionibus grauissimas in religionis causa controuersias vndiq; à Sathana imminere, imò iam incumbere animaduertebam: sic vicissim Dominum viderem antagonistas illis hostibus suis terribiles futuros iam instruere & cōparare. Sed quominus illis quidē nobiscum esse diutius, nobis verò ea in re cuius causa huc venerant, & vestræ voluntati obsequi & illorū desiderio satisfacere liceret, illa prohibuit cōtagio quæ nos iam tum & quatuor pòst annos totos grauißimè exercuit. Abierunt tum igitur illi à nobis, perpetua sanè mihi tui illius de me iudicij memoria relicta, quæ quo me sæpius de referenda gratia commonefecit, eò maiore nunc cum verecūdia ad tuam generositatē accedā necesse est, vt [illegible] *creditores solēt. Venio igitur ad te, Illustris & Generose Domine, cū tenui munusculo, & eo quidē eiusmodi vt si morosulus quispiā & auarus creditor esses, non modò futurū te mihi placatiorē sperare nō ausim, verùm etiā metuendū mihi videatur ne te potiùs offenderim, si te fortè ad illud nostrum munusculū propiùs inspiciendū appellē. Sed quid facias? Talia quidē nostra sunt. Sed facit æquitas singularis tua vt etiā quidnā istud rei sit audeā pleniùs tibi paucis narrare. Epistolæ sunt,*

quas

quas Theologicas inscripsi,quòd Theologicã aliquam quæstionẽ, vel aliquid certè non prorsus ab hoc nostro munere alienũ contineãt: quo nomine spero studiosis rerũ sacrarũ nõ penitus ingratas, nec etiã iis iniucũdas futuras quibus ignotũ nõ est quàm sæpe talia sint nobis argumẽta consolationũ, commendationũ, reprehensionũ, & quàm multa in eiusmodi rebus dubiis cõsilis cum amicis tractãda, quibus in rebus quãtopere nos aliena iuuare exẽpla possint nõ facilè dixero. Vtcũque sit, prodesse sic quoq; studiis Ecclesiis, qua spes si me non fefellerit, Deo gratias agam: sin minus, at certè voluntatẽ hanc meam non prorsus maleuolis hominibus gratam fore confido.

Cæterùm, Illustris & Generose Domine, non hæc tantùm causa fuit cur hæc qualiacunque in illo tuo illustri nomine apparere voluerim, vt videlicet ingrati animi notam quoquo modo possem effugiam: sed hoc etiam imprimis, quòd si quando istarũ epistolarum lectione delectaberis, futurũ sperem vt quum in eorũ certaminum mentionẽ incides, quæ hic sæpius attinguntur, & Christianas Ecclesias in vestra potissimùm regionibus, Polonia dico, Transsyluania & Hungaria, aliquot iam annos exercuerunt, tua generositas præteritorum τῶν κινδύνων recordatione sic recreetur, vt nouis etiam viribus collectis omnium istarum portentosissimarum blasphemiarum profligationem, & verarum Ecclesiarum pacem ac tranquillitatem magis ac magis procuret. Etsi enim serenissimi primùm Hungariæ & Transsyluaniæ regis Ioannis morte immatura magna (vt aiunt) rerum istic facta conuersio est, & non ita multò pòst consequutus serenissimi Poloniæ regis Sigismundi obitus nescio quid etiam sinistri, quod Deus auertat, potentissimo illi regno minari videtur: absit tamen vt istiusmodi quicquã vel tuum vel cæterorum verè piorum magnatum illud animi robur cum pietatis studio coniunctum vel minimùm eneruet, nedum vt infringat, aut ex eo gradu deiiciat in quem ipsa vos virtus veluti suis manibus euexit, in quos alii plerique intueantur ac respiciant, & quorum secundum Deum præsidio defensa veritas conquiescat. Sed & illud fore confido vt quanuis veteranis illis fortissimis æternáque memoria dignissimis sublatis D. Segedino & D. Melio quos honoris causa nomino, grauissimum vulnus Christianæ omnes Ecclesiæ istic acceperint, tamen vel paulo momento per Dei benignitatem succedentibus in illorũ labores aliis, quales non paucos in nobilibus academiis tu, Illustris Domine, tuúmque exemplum sequuti alii liberaliter sustentarunt, cedat tandem mendacium veritati, magno cum Christi gloriæ incremẽto laudéque tui nominis sempiterna. Ita faxit Deus, tibíque ac tuis omnibus, Illustris ac generose Domine, quàm cumulatissimè benedicat. Geneuæ anno Domini 1573. XVIII. Cal. Septembris, quo die ferunt ante annos 1223. Magnentium illum Tyrannum & grauissimum Ecclesiæ hostem, matre fratréque interfectis, sibimetipsi necem consciuisse. Vtinam siqui mores illius imitantur, hoc horrendum Dei iudicium tempestiuè animaduertant.



EPISTOLA I.

CLARISSIMO ET ORNATISSIMO VIRO, D. Andreæ Duditio.

***



IRANTI mihi tamdiuturnum silentium tuum, extremo mense Maio affertur fasciculus tuas quasdam complectens, sed vndecim ante mensibus datas, quibus totis miseræ oberrarunt. Hanc quorundam hominum siue malã fidem, siue negligentiam eò fero molestiùs, quòd tum ex iis quæ ad me scribis, tum verò etiam multò magis ex alteris ad amicum nostrum scriptis, quarum exemplum illis ad me tuis adiunxisti, magnoperè te video per id tempus non afflictum modò, verùm etiam perturbatum fuisse. Huic autem tuæ molestiæ (etsi fortasse remedio nostro minimè tunc indigebas, ac ne nunc quidem tibi opus est) mederi tamen iam tum essem conatus, si literæ mihi tuæ redditæ in tempore fuissent. Spero tamen nostrum hoc officium, tardum quidem illud, sed ab homine tui (sic me bene Deus amet) studiosissimo profectum, gratum tibi ac iucundum fore. Obsecro igitur quid tandem est, mi frater, quod tantopere te tanti iudicii hominem perturbet, vt penè consternatus videaris? Tam multæ, inquis, tam pugnantes, tam inter se aduersariæ Ecclesiarum sententiæ, quæ reformatæ vocari & haberi volunt. Vbi verò tandem hoc malum inuenies? Tum alibi, inquis, tum in hoc regno. Primùm igitur quid hoc rei sit dispiciamus, vt cognito demum malo aptum remedium inquiratur. Intestinis dissidiis & quidem maximis obnoxiam esse illam ipsam veram Catholicam

Ecclesiam, quæ Dei domus est & domus pacis, si quis neget, omni testimoniorum genere refelletur. Itaque non modò hoc non inficior, verùm etiam nunquam aliam fore Ecclesiæ conditionem dico, donec vltimus ille Domini dies apparuerit. Ait enim Dominus tum demum fore vt zizania integrè in fasciculos collecta concrementur. Dico etiam aliquid amplius, nempe expedire quoque vt sic Ecclesia exerceatur. Ait enim Paulus: Quum in Ecclesiam conuenitis, audio inter vos esse dissidia, & aliquam partem credo. Oportet enim esse etiam hæreses inter vos, vt qui probi sunt manifesti fiant. A quibus autem turbabatur ipsorum Apostolorum temporibus Ecclesia? & quibus de rebus iam tum disceptabatur? de Christi Deitate, de eiusdem humanitate, de iustificatione, de vsu legis, de resurrectione mortuorum, ab Hebione, à Cherintho, ab iis qui Christum non minùs confiderent quàm Apostoli iactabant, idque Ierosolymis, Antiochiæ, Corinthi, Ephesi, id est in florentissimarum Ecclesiarum sinu. Hinc autem colligo, Quum hoc sit Ecclesiæ fatum (non ex syderum positu, sed ea immutabili sapientissimi Dei decreto, quamuis tanti mali culpa in sola hominum improbitate resideat) tantum abesse vt propterea consternari nos & à veritate inuenienda, & vbi inueneris summo studio retinenda vel minimùm impediri oporteat, vt contrà nihil æquè debeat diligentiam, industriam, studium, solicitudinem denique nostram acuere, ne istis Sathanæ laqueis nos quoque implicemur. At enim, inquis, ego id firmum dicere dubitem, quod subinde mouetur, & perpetua quasi rotatione quadam sursum & deorsum agitur. Ergo dicamus nunquam firmam fuisse domum Domini. Quando enim illam inuenies nullis istiusmodi procellis fuisse iactatam? vt meritò quidem nauiculæ per medias ventorum tempestates, in portum contendenti comparetur. Sed, inquis, in tanta opinionum varietate, in tam dissimilibus & hostiliter discrepantibus sententiis, quibus oculis quæ vna illa & vera sit Ecclesia discernam? veritas autem ipsa à quibus stet, quo mentis acumine diiudicem? Verùm, mi frater, quid igitur olim faciendum fuit Zachariæ, Elisabethæ, Mariæ, Simeoni, Annæ, scissa in tot sectas Iudæorum Synagoga? Quid Apostolis, quum principes Sacerdotum, Scribæ, Pharisæi, Sadducæi, Herodiani inter se dissidentes, Christum tamen vt blasphemum & hæreticum accusarent, ac tandem etiam in crucem agerent? Quid tot hominum millibus, Ecclesiam per tot secula vastantibus Arrianis, Nestorianis, Eutychianis, Photinianis, tot confligentibus Synodis, tot inter se contrariis confessionibus editis? An tunc ita latebat in profundo demersa veritas, an ita erat inaspectabilis vt cerni nullis oculis posset? Num à qua parte staret veritas nullo mentis acumine à quoquam animaduertebatur? Imò, inquies, animaduertebatur, orthodoxis Ecclesiis in vnam certámque Ecclesiam consentientibus: at nunc vbi est constans & perpetua in sententia permansio? adeò quidem vt quod de Arrianis scripsit Hilarius, fidem eos annuam & menstruam habere, id de nostris Euangelicis plerisque neque iniuria dici posse videatur. Tua hæc verba sunt. Itaque hic pedem figamus, fateamur certè necesse est aut nullam Ecclesiam illis, quæ nunc commemoraui, temporibus fuisse, quod falsissimum est: aut agnitam ac perspectam tunc quoque Ecclesiam fuisse à filiis suis. Cur non verò nunc quoque eadem agnoscatur? Eædem enim tunc difficultates occurrebant quæ nunc occurrunt. Et vnde, quæso, tum Ecclesia agnita est? An quòd eius Episcopi inter se consentirent? Atqui multi quoque Arriani, Nestoriani verò & Eutychiani omnes, in mendaci blasphemia consentiebant. Itaque certiore norma fuit opus. An ex illius consensus perpetuitate? At ista perpetuitas non nisi progressu temporis potuit animaduerti. Itaque nihil illis profuit qui vnà cum illis hæresibus fuerunt exorti. Hîc video recurrere ad Apostolicam successionem veteres plerosque. Sed quorsum mihi nudam successionem hominum, vbi de successione vnius doctrinæ quæritur? Nam & ipsi Hæretici Episcopi etiam plerisque primariis illis Ecclesiis eandem successionem poterant iactare. Status ergo quæstionis tum erat, an ita sensissent & docuissent Apostoli, quod ex illorum demum scriptis discerni poterat, nec aliunde certè conuicti teterrimi illi homines in religiosis illis Synodis fuerunt: sicut & ipsam Pauli doctrinam narrat Lucas Berœenses illos ad prophetica scripta, certam videlicet normam, exegisse. Sic enim ipse Prophetarum Dominus iusserat inquiens, Scrutamini scripturas, quia illæ testantur de me. Quid verò? An eandem quoque nunc normam habemus? habemus certè mirabiliter conseruatam. Ista verò norma an minùs est acómodata quàm tunc erat? An nunc Deus Opt. Max. Spiritus sui lucem intelligendis Scripturis parciùs quàm antea largitur? Minimè profectò, quanquam si hoc faceret iustè profectò faceret. Et hoc spero mihi concessuros quicunque vel vnicum linguarum donum nostri temporis hominibus collatum tanti facere quanti fieri debet: Et (absit verbo inuidia) multorum nostræ memoriæ scripta cum veteribus etiam excellentissimis comparabit. Itaque dicere, nec immeritò quidem, vt opinor consueui, dum illa tempora Apostolicis etiam proxima cum nostris comparo: plus illos conscientiæ, scientiæ minus habuisse: nos contrà scientiæ plus, conscientiæ minus habere. Hæc mea sententia est, quam sequetur qui volet: ego probari certis argumentis posse existimo. Hæc autem omnia huc spectant, vt appareat nihil eorum hodie nobis deesse, quæ ad hoc requiruntur, vt lux à tenebris, seu veritas à mendacio discernatur quantumcunque laboret Sathan sedulò vt omnibus perturbatis ac confusis id eueniat quod tu scribis, nempe vt alii quidem non habeant quò se vertant tandem, dum in singulis potiùs inueniant quod fugiant, quàm quod sequantur alii ad impietatem ruant,

ruant, alii verò quærendi studio fatigati, ad vomitum, vt inquit ille, redeunt.

Sed, inquis, Ecclesiæ ipsæ pugnant inter se capitalibus odiis & horrendis quibusdam anathematismis: ipsi qui summi haberi volunt Theologi, à seipsis in dies dissident, fidem cudunt & à sua ipsius quam paulò antè professi fuerant, & ab aliorum omnium fide abhorrentem: denique menstruam fidem habent. Imò, inquis, in quo tandē religionis capite cōgruunt inter se Ecclesiæ, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? Bona verba, mi frater: absit vt Ecclesiis imputetur, quicquid ab hoc vel illo aut dicitur aut scribitur: esset enim hoc admodum iniquum. Et, vt paucis transigam, quæro ego contrà vt menstruas istas fides nobis proferas, quæro vt in quo religionis capite nostræ Ecclesiæ dissideant, ostendas. Nostras autem Ecclesias definio, quarum publica confessio edita est, cuiusmodi tres confessiones vniuersales inuenio nostra memoria editas, vnam Augustanam, alteram Helueticā, cui & nos hîc subscripsimus, & ipsi Scoti in extremo terrarum orbe: tertiam Gallicam. Hîc mihi audire videor bellos quosdam & zeli plenos homines velut ex quadam specula omnium obseruatores, non vt discant, sed vt quasi in throno collocati de omnibus iudicium ferant. Quærunt isti primo cur non potiùs antiquis confessionibus acquiescamus. Respōdemus id à nobis fieri, quia cogit nos calumniatorū improbitas de singulis rebus controuersis liquidò sententiam nostram edere, quod fieri commodè alia ratione non potest. Præterea quòd sic studeamus calumniis quibus veteres confessiones deprauantur occurrere. Denique quòd sic arbitremur de communi nostro consensu, nostris ipsorum potiùs quàm alienis verbis constare. Quærunt etiam quis sit tandem istarum confessionum finis futurus. Respondemus tunc futurum finem quum calumniari veritatem ipsi desierint. Dicunt sic multiplicari dissidia. Ego respondeo, dummodo seruetur modus, & nihil ambitiosè vel sine necessitate fiat, in hac potiùs scriptorum varietate (quæ tamen re prorsus consentiunt) meliùs elucere veritatem ab eodem Spiritu promanantem. Hoc si isti negant, agedùm Christum ipsum Filium Dei coarguant, qui neque ab vno, neque vno tempore, neque vno loco perscribi suæ inter nos commemorationis historiam voluerit. Dicunt postremò ac etiam vociferantur neque nos inter nos, neque vllum nostrum secum consentire. Audio quid clamitetur, scio quid chartularum circunferatur, neque miror in tanta licentia inueniri qui tam impudenter aduersum nos mentiantur, quum iam pridem laborare sanctos Patres necesse fuerit in demonstrando ipsorum Euangelistarū consensu. Sed si satis est accusasse vt quis reus peragatur, cuius tandem tuta fuerit innocentia? Dico igitur Helueticam & Gallicam confessionem, cui innumerabiles penè Ecclesiæ subscripserunt, nulla re prorsus differre. Dico impudentes esse calumniatores qui inter Zuinglii, Oecolampadii, Caluini maximorum virorum doctrinam de Sacramentis vllam vnquam fuisse repugnantiam comminiscuntur, quamuis planiùs & vberiùs tandem res illa sit communi consensu explicata. Dico eandem per omnia doctrinam in Helueticis, Sabaudicis, Gallicis, Belgicis, Scoticis, ac etiam, opinor, Anglicis Ecclesiis, summo consensu tum verbis tum etiam scriptis proponi, ac retineri. Esto verò vt inter loquendum vel scribendū non eadem semper ab omnibus tradātur, vnus ab altero in alicuius loci tractatione dissideat, quorundā etiam δεύτεραι φροντίδες sint σοφώτεραι: an propterea menstruam dicemus tot Ecclesiarū, tot doctorum fidem? Enimuero quem tu mihi vllius temporis Theologum Græcum aut Latinum paulò diligentiorem dabis vsque adeò vel secum vel cum aliis per omnia consentientem, vt nihil prorsus euariet? An propterea Ecclesia Orthodoxa vel nulla erat, vel cognosci non poterat? De orthodoxis & verè Catholicis loquor. Hæreticos enim αὐτοκατακρίτους vel extra Ecclesiam extrusos, quales sunt hodie Papistæ, Anabaptistæ, Libertini, Antinomi, & vestrarum regionum turbatores Tritheitæ, Arriani, Samosateniani, nihil morari debemus, quum à corpore Ecclesiæ sint cauterio verbi Dei & Ecclesiasticis legitimis iudiciis, ab vltima etiam vetustate, quasi carcinomata quædam amputati. Rituum verò ipsiúsque adeò exercendæ εὐταξίας diuersitatem quam vltrò agnoscimus (vnoquoque videlicet quod suis gregibus propriè expediat considerante) minimè dixeris, opinor, Ecclesias dissociari, in doctrinæ summa consentientes. Restat Germanica confessio quam Augustanam vocant, cuius professores non inficior inter se acriùs dissentire. fateor etiam illam nobis in quibusdam non satisfacere, atque adeò in nonnullis ac præsertim in capite de Cœna Domini non probari, nisi commoda interpretatione leniatur, quod etiam eruditissimos quosque facere videmus. Sed an tanti sunt, quæso, istæ controuersiæ, vt propterea tot veræ & nobiles Ecclesiæ Augustanam confessionem amplexæ, sint alicuius Chaos instar & tanquam discerpta laceri corporis membra, sicuti Apostatæ nonnulli, & boni Iesuitæ clamitant, quibus hostes Ecclesiæ domestici succinunt? Agnoscimus nos in Augustana confessione Propheticam & Apostolicam doctrinam, & eius corruptores, quíque ea abutuntur vt discordiam serant inter fratres (cuiusmodi fuerunt & sunt nimiùm multi) non alio loco censemus, quàm olim Hierosolymitana Ecclesia eos qui ex Circuncisione erant (quos vocat Apostolus Christi crucis inimicos, etiamsi Christianos se profitebantur) quíque cæteros Apostolos, quorum authoritate ad serendas discordias & cauponandum Dei verbum abutebantur, cum Paulo committebant. Quid enim iniquius fuerit quàm totam familiam ex seruis nequam æstimare? Etsi verò Propheticam & Apostolicam doctrinam in illa confessione agnoscimus, vt & illi (de moderatis & sanis hominibus loquor) in nostra confessione eandem veritatem cernunt & amplectuntur: non est tamen cur vel in singulis subscribere illis cogamur, vel illi nobis: & nisi vna confessio ex omnibus confletur, propterea Ecclesiæ quæ Romanum Antichristum eiurarunt, cum scopis dissolu-

tis compsrentur. Colligimus enim omnes cum Chriſto,& in re ipſa conuenimus,etiamſi vel in ratione docendi adhuc diſcrepamus, vel etiam in rebus nonnullis (ſaluo tamen manente fundamento) nondum (vt ait Apoſtolus de ipſis à ſe ædificatis Eccleſiis differens) καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ: id quod ille alibi in vltimum vſque diem illum reiicit, quum nos omnes nunc dicat ex parte cognoſcere, ſemetipſum in eo numero recenſens. Etſi igitur ſtudendum eſt vel maximè vnitati fidei, quum Eccleſia ſit columna veritatis: &, vt tu rectè dicis, vnam eſſe veritatem oporteat, tamen ex rei ſubiectæ natura nobis in hoc mundo poſitis conſenſionis vnitas æſtimanda eſt, vt & res ipſa, & tot ſeculorum experientia,& ipſæ Prophetarum & Apoſtolorum querelæ, ipſius denique Chriſti voces penè extremæ de iſtis quoque inteſtinis bellis grauiſsimè nos commonefacientis, ſatis ſupérque docent. Vnitas enim illa Spiritus inter ipſos quoque opinionum conflictus retinenda eſt,quæ etſi tanta non eſt quantam eſſe oportuit, tamen inter bonos multò fortaſſe maior eſt quàm arbitreris. Obiicientur fortaſſe nobis noſtra cum Vveſtphalo, Heſhuſio (Caſtellionem enim nullo numero recenſeo) cum Brentio denique certamina. Atqui præterquàm quòd ex priuatorum ſententiis de integris Eccleſiis iudicare periniquum eſt, dico ſi vbiquitatis dogma quod ad Chriſti naturas attinet prorſus Neſtorianum, quod ad earundem idiomata ſpectat, penitus Eutychianum excipiss, etſi ipſa neceſsitate coacti illorum hominum errores optimo iure refutaſſe nos confidimus: tamen non fuiſſe nec eſſe quæſtionem illam ex earum genere quæ ſubſtantiam ipſam Chriſtianæ religionis reſpiciant, quod & extrema aduerſus Vveſtphalum defenſione mea ſum teſtatus, & optimi ac doctiſsimi quique palàm agnoſcunt. In ſumma igitur hoc dico, mi Duditi, ſi aures à nonnullis ad impediendum opus Domini comparatis, quales iſthic nimiùm multi ſunt, auerſas, ad audiendos homines doctrina & pietate excellentes, quales multos hæc ætas noſtra protulit, conuerteris, & res ipſas abſque vllo præiudicio vel moroſitate in timore Domini attentè expenderis: ſi denique ſcholam Domini, id eſt publicos cœtus vbi purè docetur, vbi ſolennibus precibus Dei gratia poſtulatur, vbi Cœna Domini augendæ ac confirmandæ fidei organon ritè celebratur, ſtudioſè & religioſè frequentaris, fore omnino vt ſummam ibi concordiam, vbi tantas eſſe rixas putas: & vbi tantas eſſe tenebras arbitraris, clariſsimam lucem mox inuenias, ac certa tandem animi tranquillitate perfruaris. Venio ad vltimam epiſtolæ tuæ partem quæ me profectò grauiſsimè commouit, vt erumpere me in hanc vocem cogat beneuolentia qua te complector. Quis te faſcinauit, mi frater? Seruetúmne, quæſo, qui Dei ſubſtantiam & mutabilem fecit & rerum omnium partem eſſe docuit: qui Filii Dei æternitatem negauit: qui naturarum vnionem hypoſtaticam ſuſtulit: qui ſancti Spiritus hypoſtaſin ac diuinitatem eſt inficiatus: qui Patrem, Filium, Spiritum ſanctum, Cerberum tricipitem (horreſco referens) toties appellauit: qui animæ mortalitatem aſſeruit: qui veterem Iſraeliticam Eccleſiam in haram porcorum transformauit, qui Moſem ridiculum impoſtorem fuiſſe ſcripſit, qui Catabaptiſmum defendit: qui denique totos annos triginta & amplius, Deo viuenti maledixit, quenquam Chriſtianum dicere ob religionem exuſtum, ac non potiùs ob impietatem indomitam, ob blaſphemias innumerabiles ad quas vel ipſi diaboli cohorreſcant, iuſtis tandem pœnis affectum? Exuſtus eſt ſanè, ſed nimiùm ſerò, qui vtinam nunquam natus fuiſſet: éſtque ob eam rem & à vicinis & à longiſsimè remotis Eccleſiis noſter Magiſtratus optimo iure collaudatus. Gentilémne verò illum verè gentilem, tres Deos ſtatuentem, naturarum idiomata tollentem, periurii duplicis conuictum, ſola denique peruicacia veritatem tot annos ſubuertentem, itidem ob religionem ſupplicio capitis affectum quo tandem iure exiſtimabimus? Ochinum præterea narras indicta cauſa, hyeme acri, decurſa iam ætate ſenem, cum vxore & liberis, Tiguro eiectum. Deus bone, quæ eſt iſtiuſmodi calumniatorum audacia qui hæc tibi inſuſurrarunt? Sceleratus bypocrita, Arrianorum clandeſtinus fautor, Polygamiæ defenſor, omnium Chriſtisnæ religionis dogmatum irriſor, quum eò tandem audaciæ erupiſſet vt ſua portenta in publicum ederet (iuſto ſanè Dei iudicio, ne latêre diutius tantum malum poſſet) delatus ad Magiſtratum, pro eo quod ſeueram pœnam pro tantis ſceleribus merebatur, non ſanè indicta cauſa (quod qui dicunt, magnam iuſto & pio Magiſtratui iniuriam faciunt) ſed non ad viuum reſectis omnibus, vt cum illo quàm clementiſsimè ageretur, iuſſus eſt è Tigurinorum agro faceſſere. Magnam certè crudelitatem. At ſenex erat: tanto nocentior veterator. At hyemps erat: nempe longa fuit non vnius integri diei via. At vxorem & liberos habebat. de vxore falſum eſt, quod ex bono Alciato ſiue quouis alio cognouiſti. Fregerat enim collum horrendo Dei iudicio domi impium ſenem perſequente, priuſquàm foras productum eſſet ipſius ſcelus. Baſileam igitur venit, vbi quum itidem ſuos errores damnatos videret, tandem ad ſuos ſiue Tritheitas, ſiue Arrianos, ſiue Samoſatenianos ſe contulit. Vix Baſilea egreſſo (quod narro, ſcito me non vt rumorem incertum, ſed vt certam hiſtoriam narrare) occurrit Lotharingus Cardinalis ex Italia rediens, cui ſeſe operámque ſuam omnem obtulit, pollicitus ſeſe centum errores iſtorum inter quos tandiu hæſiſſet hæreticorum demonſtraturum. Spreuit hominem toties Apoſtatam Cardinalis. Ochinus verò ab ipſis etiam Papiſtis repudiatus, familia non mediocri ſumptu circunducta, tandem obiit, tam inops & egens ſcilicet, cui nec petere nec accipere vnquam religio fuerat, vt plus ſanè reliquerit hæredibus quàm bona

collegi

collegii nostri pars possideat. Lascum denique refers cum peregrinis à multis ciuitatibus expulsum. Hanc verò ἀξενίαν quis velit excusare? Sed non defuerunt tamen qui sua humanitate barbariem aliorum compensarent. Verùm an hoc æquum est, vt certorum hominum culpam omnes Ecclesiæ sustineant? Placet autem ista quæ modò dixi ad illa ipsa quibus tantopere te perturbari video, applicare. Stankarus Italus apud vos Christum quod ad officium saltem attinet, manifestè, diuidens, Tritheitis itidem Italis ianuam aperuit, vt quod de Aquilone olim ferebatur, nempe inde omne malum prouenire, id de Meridie nimiùm verè nunc dicendum videatur. Tritheismus Arianismum attulit, ab Arianismo ad Samosateni blasphemiam tandem deuentum est, quam hodie teterrimi illi homines quos nosti, apertè tuentur. Sequuta est omnium errorum colluuies, quum nullum sit doctrinæ Christianæ caput quod iidem illi fœdissimè non corrumpant. Hæc porrò vt optimos quosque excrucient & infirmos conturbent, non video tamen causam vllam subesse cur hominum vel mediocri iudicio præditorum, nedum tui similium animos eò adducant, vt quæ vera sit doctrina dubitare incipiant. Sunt enim illæ omnes portentosæ blasphemiæ, tam repugnantes fidei nostræ principiis, tam manifestis testimoniis verbi Domini, addo etiam toties, tam grauiter & solidè ex professo ab vniuersa Ecclesia ex Dei verbo refutatæ, damnatæ, profligatæ, vt neminem vel mediocriter in sacris literis vel Ecclesiæ historia versatum magis illorum insania cōmoueri oporteat, quàm si quos audirent negantes solem meridie esse exortum. De Anabaptistis & Catabaptistis quid attinet loqui? Nec enim, opinor, vel tu dubitas, vel quisquam alius non prorsus mente captus, istos planè θεομαχεῖν. Osiandri fanaticum delirium de essentiali iustitia non multò magis, opinor, te vel sanæ quenquam mentis hominem exercuerit. Carpocratianorum etiam hæresis à libertinis renouata turpior est quàm vt hostium quenquam, crassior & impudentior quàm vt vllum non prorsus furiosum ad dubitandum, nedum ad assentiendum impellat. Et tamen omnes isti, inquies, oppugnant Pontificios. Quid tum? Oppugnabant quoque gentilismum veteres fere omnes hæretici. an ideo tamen ab Orthodoxis non prorsus nec facilè distinguendi? Venio ad Pontificios, quos, vt tecum agam ingenuè, mi Duditi, cupio à te multò meliùs pernosci. Obsecro enim quorsum tu illos committis nobiscum, & ita quidem vt apertè superiores illos facias? Etsi, inquis, multa eáque horrenda propugnentur in Romana ecclesia quæ infirmo & putrido fundamento nituntur, tamen non ita multis dissensionibus scinditur, & habet vetustatis venerandæ, successionis ordinariæ, consensus perpetui speciem plausibilem. Et, si veritas est quam veteres Patres mutuo consensu sunt professi, ea à Pontificiis tota stabit. Nam si quæ aliquando inter eruditos ex quodam disputationis quasi calore controuersiæ extiterunt, illis statim Concilii siue etiam Pontificis decreta finem imposuerunt. Hæc tu de Pontificiis. At nostri quales tandem sunt? Palantes, inquis, omni doctrinæ vento agitati, & in altum sublati, modò ad hanc modò ad illam partem differuntur. Horum quæ sit hodie de religione sententia scire fortasse possis, sed quæ cras de eadem futura sit opinio, neque ille neque tu certò affirmare queas. In quo tandem religionis capite congruunt inter se Ecclesiæ quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem si percurras omnia, nihil propemodum reperias ab vno affirmari, quod alter statim non impium esse clamitet. Hæc tu in nos, mi Duditi, totidem verbis. quæ si fortè ita vt sentis, ac non potiùs (quod opinor) ex quadam animi ægritudine scripsisti, satis mirari non possum quibus argumentis hanc tuam sententiam possis confirmare. Nam vt priore loco de Pontificiis dicam, cuiusmodi tandem in Papatu notam veræ Ecclesiæ inuenies? Habent, inquis, perpetui consensus speciem, nec tam multis dissidiis scinduntur. Agè, ponamus nullis etiam prorsus dissidiis scindi, quid tum postea? Nec enim consentire satis est, nisi in veritate consentias, alioqui ad Iudæos potiùs transeundum, qui multo pluribus quàm Papistæ seculis consenserunt & consentiunt. Nec etiam vbicunque dissidium est, inde exulat veritas. Sed præterea, quisnam, obsecro, consensus inter istos statuetur qui nihil prorsus sentiunt? Exceptis enim ex infinita multitudine pauculis, quos partim nostri expergefecerunt, partim diuersæ causæ ad suæ Theologiæ scrutanda mysteria impulerunt, quotus quisque est ex Pontificiis siue ecclesiasticis, quos vocant, siue laicis, qui reddere possit fidei suæ rationem? Et hæc ignorantia in Papatu non modò fertur (multa enim cogit ferre necessitas, quæ tamen non probantur) verùm etiam (quod caput rei est) apertè propugnatur. Scis enim (vt cætera omittam) quæ sit Hosiani illius Carbonarii fides. An verò cæcos, quoniam inter eos in eo conuenit quòd omnes nihil videant, idcirco dicemus in luce versari? Sed ponamus Ecclesiam Papisticam in iis demum residere qui fidem explicatam habent, vt ipsi loquuntur: obsecro, mi Duditi, quod tandem doctrinæ Christianæ caput non penitus deformatum in illa verè Antichristiana Ecclesia reperies? Nihil dicam quod non multis annis sim meditatus, quibus hæc ipsa quæ te vexat cogitatio me quoque in illo luto retinuit, ex quo te dicerem nondum totum emersisse, si ex animi tui sensu loqui te censerem, ac non potiùs ea proponere, in quibus magis ac magis studeas confirmari. Nullius odium, nulla ambitio, nullus quæstus, nullus præposterus pudor me vel ad deserendum Papatum impulit, aut ad retinendum quod semel sum amplexus. Exercuerunt me diu ac multum illæ ipsæ quas describis cogitationes, quarum me nunc vsque adeò pudet, quum illas mente repeto, vt cum Dauide dicam, Factus sum apud te iumentum. Idō

ſpero vel iam vſu veniſſe tibi, vel mox euenturum. Sed rationibus vtendū video, non exemplis. Dicam paucis præcipua, quia mihi tecum negotium eſt. Nego igitur vllum eſſe doctrinæ Chriſtianæ primarium caput quod in Papatu non ſit adulteratum, vt ab his fieri ſolet qui bonum vocant malum, & malum bonum. Verum ſcilicet Deum ii agnoſcūt, quorum ſi doctrina vera eſt, nec perfectè iuſtum nec perfectè miſericordem eſſe Deū neceſſariò conſequatur. Vnum ſcilicet Deum re ipſa profitentur, (verbo enim id eos profiteri ac etiam vociferari non inficior) qui quod vnius Dei tam proprium eſt ac ἀκοινώνητον atque eſt ipſa Deitas, ad quoſcunque ſuos, quos vocant, ſanctos transferunt? Atqui tres in vna eſſentia Perſonas confitentur. Rectè. Voluit enim Deus in Papatu ſeruare Eccleſiam, etſi Papatus non eſt Eccleſia: & vix potuit tantum venenum à quoquam hauriri, niſi bono ſucco illotum poculū hæc meretrix propinaſſet. Chriſtum ſcilicet agnoſcunt, qui non regnum, non propheticum munus, non ſacerdotium ei integrum relinquunt. Vnicam eius oblationem ſcilicet amplectuntur, qui quotidie illum à ſeipſis reipſa offerri ſomniant. Sacramenta ſcilicet ritè adminiſtrant, qui præter doctrinam impiam operis operati, prærerquàm quòd infantium & adultorum baptiſmatis formulam confuderunt, tot ſpurcitiis illam cœnam actionem fœdarunt: verbi denique explicationem ſuſtulerunt, alterum verò Sacramentum in horrendam illam Idolomaniam, quæ ne fando quidem inter gentes auditur, transformarunt, & ex menſa Domini menſam dæmoniorum conflarunt. Et de doctrinæ quidem præcipuis capitibus hactenus. Hæc autem quum ita ſe habeant, vbi tandem illa vetuſtatis venerandæ & ordinariæ ſucceſsionis ſpecies? niſi fortè ſpeciem appellas inanem illam laruam, quam iſti veluti Gorgona quandam terrificam imperitis obtendere conſueuerunt. Quibus enim, obſecro, dicemus ſucceſsiſſe? Apoſtolis, inquient. Si de perſonis hæc intelligunt, facilè ſanè conceſſero iſtas beſtias Apoſtolorum & legitimorum paſtorum Eccleſias inuaſiſſe. Et quæ hæc eſt impudentia, quenquam poſtulare ſe haberi boni paſtoris loco, quòd eo iugulato gregem inuaſerit? Tradunt Iuriſconſulti malæ fidei poſſeſſorem nunquam præſcribere, & ii ipſi ſibi ſic cauent vt aduerſus Eccleſiam non præſcribi tradant. Oſtendant igitur ipſi bonam ſuam fidem (quod nunquam facient) aut præſcriptione temporis vti deſinant, aut oſtendant Eccleſiæ facultatibus ac bonis cauendum eſſe potiùs, quàm ipſi vero Eccleſiæ theſauro. Sin verò ſeſe in doctrina & forma Eccleſiæ iactant Apoſtolorum ſucceſſores, id verò tam falſum eſſe dico quàm ſi tenebras eſſe lucem peierarem. De doctrina ipſa dixi modò aliquid, & plura dicam, quum voles, ſi quid erit fortaſsis in quo adhuc hæreas. Scio ſpecioſum eſſe vetuſtatis venerandæ nomen. Sed vnde, quæſo, vetuſtatis illius initium niſi à Prophetis & Apoſtolis repetemus? Nam quod ad poſteriores ſcriptores attinet, ſi ipſorummet conſilio credemus, non alia conditione ipſis credemus, quàm ſi ea ſacris ipſis literis manifeſtè ſua confirmarint. Conſtat enim non ſtatim eſſe à puritate doctrinæ diſceſſum. Seuit paulatim malus ille zizania dormientibus agricolis, & paulatim myſterium iniquitatis peregit, ipſis iam Apoſtolorum temporibus inchoatum: nec iam tum deerant non modò qui ſtipulam & fœnum extruerent, quorum opus nunc ignis Domini exurit, verùm etiam mali operarii, qui veros tandem ad tempus oppreſſerunt. Eiuſmodi verò ſynceri examinis conditionem quoties aduerſariis obtulimus? quoties eos ipſos ex Patribus indices illis tulimus, quorum nominibus impudentiſsimè abutuntur? Et de doctrinæ quidem ſucceſsione hactenus. De externa verò Eccleſiæ forma & ritibus quid potiſsimùm dicam? Ordinationis certè miror quænam ibi inueniri poſsit ſucceſsio, vbi ex profeſſo omnem miniſteriorum eccleſiaſticorum ordinem in fœdiſsimam nundinationem transformatum eſſe quis tandem ignorat? Video autem bellam iſtorum hierarchiam ex duplici nominum ſpecie conflatam, nominum, inquam: nam ſi rem ipſam ſpectes, ne vanior quidem illis eſt ipſa vanitas. Alios igitur iſtius hierarchiæ gradus dico ab ipſo Sathana extructos, alios eſſe velut antiqui collapſi ædificii rudera, quæ tamen egregii iſti architecti nullo modo inſtaurari patiantur. Vt à capite ipſo exordiar, primatum illum Papæ quem ſpiritualem vocant, ex quo tandem Scripturæ loco, ex qua vetuſtate repetemus? Nam quæ citant iſti, partim tā ſunt falſa, partim adeò flagitioſè detorta, vt vel ipſum Sathanam, opinor, pudeat iſtorum ſuæ peſtilentiſsimæ cathedræ defenſorū. Imò ſtante Chriſti throno quis iſtum ab alio quàm ipſo Diabolo erectum poſsit ſuſpicari? Sin verò de regia illa poteſtate, ſiue Pontificis, ſiue totius Romani cleri quæratur, quàm parum ſit Apoſtolica, imò quàm ſit Antichriſtiana, Bernardo ſaltem nō ita multis antè ſeculis mortuo credatur. Capite vero bellæ iſtius Eccleſiæ Romanæ ſic amputato, quid præter turpe & trūcum cadauer ſupererit? Totam illam porrò Curiæ Romanæ colluuiem, cuius Prophetæ vel Apoſtoli authoritate ſtabiliunt? Imò an vel ipſa earum nomina vetuſtas erudita cognouit? Primates & Archiepiſcopos eſſe politiæ Romanæ vmbrā & imaginē, quæ paulatim emerſerit, omnes vel mediocriter hiſtoriarū periti norunt. Confirmauit illā graduū diſtinctionē Nicæna Synodus. Quis autē illā penitus euertit? an non iſte finiū alienorū inuaſor? Patitur interim ipſe facilè minores Tyrannos, dūmodo vniuerſis dominetur. Sed illud etiā vel in primis quærēdū eſt, quantūlibet ſit ordo ille vetuſtus, an illū tamē in Eccleſiā introducere fas fuerit, ac, vt fas fuerit, an expediat rurſum inſtaurari, an verò potiùs aboleri. De Epiſcopis, paſtoribus, doctoribus, diaconis, presbyteris aliud ſtatuēdū eſt. Fūctiones enim iſtas Spiritus S. ipſe inſtituit. Sed vana eſſe & prorſus inania illa in Papatu nomina, inficiari an ipſi audebūt? Imò hoc illis memini Piſsiaci in os dicere quod nūc etiā dico, nullū in vniuerſa ipſorum hierarchia dari poſſe qui nō ſit ex vetuſtiſsimis & puriſsimis

purissimis canonibus ipso facto excommunicatus pronuntiandus. Atqui Ecclesia Dei est sanctorum communitas, non autem excommunicatorum & sacrilegorum cœtus. Iam quòd ad Ecclesiasticos ritus Pontificios attinet, si histrionica, vana, inepta, impia denique sustuleris, quantulum erit reliquum? Deinde quàm vetusta sint illa non valde moror. Hic potiùs insistendum arbitror, quo spiritu authore fuerint introducta, quum Sacramēta instituere nemini hominum liceat. Superest igitur vt quum ordinis & honestatis tantùm causa ordinari potuerint, quæratur & illud, an etiāsi aliquando profuerunt, nunc etiam videantur profutura, quum ipsas etiā Apostolicas agapas propter abusum abolendas Corinthi cēsuerit Paulus: & Romanæ ipsius Ecclesiæ non paucos ritus Patres veteres commemorēt, quos ne ipsa quidem nunc custodit. Istud autē examen tantū abest vt defugerimus, vt cōtrà maximè semper requisierimus, vsi interim nostra in retinendis & abiiciendis nonnullis libertate. Hæc autē si ita sunt (vt esse non temerè mihi persuasi) certè non video an dubium esse posit, quin à Pontificiis, vt ab Antichristi Synagoga sit Christianis omnibus discedendum, ad quos etiam non postliminio, sed turpi potius apostasia redeatur, tantùm abest vt tibi quicquam eorum largiar quæ nostris adimis, vt illis tribuas. Iam enim ad nostras Ecclesias descendo. *Vbi est*, inquis, *vinculum illud nobis à Seruatore nostro testamēto relictum? Vbi illa Ecclesiæ vnitas? Vbi illa vna fides? vnum baptisma, vnus Deus?* Respōdeo, si vinculū illud nuspiam agnoscimus, nisi vbi tam firmum & arctum est, quàm esse debet, nullam vnitatē nisi qua omnes de omnibus idem per omnia sentiunt, nullibi fidem vnam, vnum baptisma, vnum Deum, nisi vbi nulla prorsus disceptatio, consequi vt nullam ipsis Apostolorum temporibus Hierosolymis, Antiochię, Corinthi, aut in tota Galatia Ecclesiam fuisse dicamus. Quod argumētum quum & aduersus Donatistas iam olim, & aduersus Anabaptistarum furores à doctissimis hominibus nostra memoria satis supérque sit refutatum, non est quod pluribus id persequar. In summa nec omnis consensus Ecclesiam veram, nec omnis dissensio Ecclesiam adulterinam esse probat, non tantùm propter emissariorum Satanæ improbitatem, verùm etiam propter humani iudicii imbecillitatem. Vtinam verò minus esset dissidiorum: vtinam multi discere priùs quàm docere mallent: vtinam Prophetarum spiritus sese Prophetis faciliùs ac libentiùs subiicerent. Sed ex tam caliginosa Papatus specie vixdum emergentes multos adhuc lusciosos, esse mirabimur, nec plenum lucis fulgorem pati? Apertè verò in Deum blasphemos ac damnatissimos errores reuocantes, & dogmata ipsam analogiam fidei subuertentia seditiosè, arroganter, malitiosè introducentes, cuiusmodi sunt Anabaptistæ, & vestrarum regionum turbatores ab omnibus veteribus, ac nouis orbis terrarum Ecclesiis vnanimi semper consensu cēties millies damnati, an vsque adeò officere debent veræ Ecclesiæ luminibus, vt quos fugiamus, sicut tu dicis, habeamus, quos verò sequamur non item? Certè non magis quàm Iudæi, vel Mahumetani. Hæc igitur ita se habent, ex quibus tibi ipsi cogitandum relinquo, an optimo iure in has tandem voces, alieno vt opinor potiùs quàm tuo iudicio, eruperis. *Qua fronte*, inquis, *posthac Pontifici tyrannidem obiiciemus?* Qua sanè fronte & ratione adhuc obiecimus, nempe quòd partim Regum & Principum solium inuaserit, partim omni crudelitatis genere pios innocentes persequatur. Istis verò quid agūt simile pii Ecclesiarum doctores de hæresi ex puro Dei verbo iudicantes, nihil non molientes vt qui aberrarunt in viam redeant, αὐτοκατακρίτους hæreticos denique ex Apostolica doctrina fugientes, & ne sua contagione reliquos inficiant, à sanis ouibus prohibentes? Quid item tyrannicum agunt pii Magistratus, blasphemos, impios, seditiosos, contumaces, veræ religionis perturbatores, pro meritis punientes? *Vsurpabimúsne amplius*, inquis, *illud, Sinite eos crescere vsque ad tempus messis?* Vsurpabimus sanè. Nec enim hoc ad huiusmodi hominum impunitatem quicquam facit, vt copiosè ac verè me ostendisse spero, vbi hoc argumentum pertracto. Addis postea, *Dicemúsne arma nostra spiritualia non carnalia esse?* Quidni verò dicamus? Sunt enim certé. Sed vicissim iubentur Ecclesiæ nutritios se præstare qui arma carnalia à Deo acceperunt, & malum tollere è medio Israelis. *Iactabimúsne*, inquis, *ampliùs fidem cogi non oportere?* Imò dicemus etiam vt cogere velis, cogi tamen non posse: sed id minimè impedire quominus publicæ bonorum tranquillitati consulatur, & seueritate disciplinæ trahantur qui duci sese non sinunt: qua de re vide, si libet, epistolam Augustini quadragesimam octauam. *Iactabimúsne libertatem cōscientiis permittendam esse?* Minimè, vt hæc quidem libertas intelligitur, id est, vt quo quisque modo volet Deum colat. Est enim hoc merè diabolicum dogma, Sinendum esse vnumquemque vt si volet pereat. Itaque nec pastores ouem patientur perire quantum in se erit, sed monebunt, corripient, ac tandem si opus fuerit, cæteris frustrà tentatis remediis à reliquo grege repellent. Magistratus quoque suo officio non deerunt, prospicientes ne quid detrimenti ab ouibus in lupos transmutatis accipiat Ecclesia. Patres quoque in suos liberos suo iure vtentur, quod de cæteris dictum volo pro ipsorum vocationis ratione. Sunt enim omnes reddituri Deo rationem animarum quas ipsorum fidei Dominus commisit. Et illa est diabolica libertas quæ Poloniam & Transsyluaniam hodie tot pestibus impleuit, quas nullæ alioqui sub sole regiones tolerarent. Contrà verò quæ est ordinum inter se concordia? quanta est ab istis perturbatoribus quies, vbi communi sanctóque consensu curant pastores vt gregis vastatores tempestiuè ex Dei verbo agnoscantur & cohibeantur, ac rursum Magistratus officium facit vt blasphemiarū magistri & seditiosè [illegible] prout ipsius munus postulat coerceantur? nisi fortè inter bonos quibus aduersus malorum iniuriam tuendis præfectum esse à Deo Magistratum clamat Apostolus, eos non recensebimus quorum saluti Satan per selecta organa sua insidiatur. Huius rei exēplum vtinam saltem Polonię præbuisset Gallia, durissimè quidem à plerisque eorum quibus subest afflicta, sed, quod ad religionem

attinet ab omnibus turbis adhuc immunis, omnibus videlicet qui veram religionem sunt amplexi, vinculo Christianæ disciplinæ sic adstrictis, vt in illam quam vocare te video conscientiarum libertatem (ego verò quaquà versus patens exitium appello) si qui sese effuderunt, penè soli seipsos perdiderint. Nec tamen quicquam eorum defuit quibus Satan facilè Gallos meos ad quasuis turbas impelleret, ingenita videlicet huic gēti leuitas, ingenia ad subtilitatem & argutias prompta, Magistratuum in hoc intentus animus, vt quoquo modo Christianæ Ecclesiæ intestinis dissidiis semetipsas destruerent, adeò quidem vt nemo prodire potuerit tam sceleratus, quem Pontificii, modò nostris aduersaretur, non fouerint. Huiusmodi est inter cæteros Postellus ille, omnium hæreseωr ipsis etiam Romanis inquisitoribus iudicibus, cloaca, Lutetiæ tamen adhuc in ipsis Sorbonistarum oculis permanens. Aggerem tamen firmissimū Ecclesiasticæ disciplinæ perfringere nullum adhuc aduersariorū robur, ne in mediis quidem bellorum tēpestatibus potuit. Geneua (absit verbo iniuria) tempestates intestinas aduersus religionem comparatas vitauit potiùs quàm superauit, quantas nulla fortasse sub cœlo ciuitas: nulla vnquam Pastorum in doctrina inter se dissidia sensit: ab Anabaptistarum furoribus, à Libertinorū contagione, à Seruetanorum & eorum quibus hospitium magno vestro malo adhuc præbetis, blasphemiis immunis est, ciuitas alioqui omnibus aduenis patēs, ac proinde Satanæ insidiis valde opportuna. Debet id autem profectò secundum Dei benignitatem, Ecclesiasticæ, non tyrannidi, vt ex fructibus saltem apparet, sed diligenter obseruatæ disciplinæ, quæ nunc etiam facit vt omnes ex omnibus penè sub cœlo sitis gentibus, collecti in pace & vera libertate conscientiæ vltrò cōquiescamus. Et hæc de seruili illa libertate, quibus etiam abūdè responsum arbitror ei quod extremum refers, neminem videlicet in causa religionis ferro & igne persequēdum esse. Id ego verò vel in primis concedo, si persecutionis & religionis nomē propriè & ita vt Theologi loquuntur accipias. Sin verò in religionis causa quosuis comprehendas religionis obtentu iura omnia diuina & humana miscendi, quæuis portenta inuehendi, quiduis denique audendi licentiam sibi quærentes, tum sanè istiusmodi ἀλάστορας, pestes diabolis penè ipsis execrabiliores, vbi ex Dei verbo sicuti decet iudicati fuerint, nō persequēdos, sed modis omnibus à Magistratu coercendos censeo: quod si apud vos & miseros Transsyluanos tentatum saltem esset, non essetis in eam conditionem redacti quam ego ipso Mahumetismo nihilò minùs miserabilem esse iudico & tempus ipsum ostendet: neque nunc noua Babylon iam istic exædificaretur, ex qua in reliquum Occidentem probabile est Satanam impetum pro viribus facturum. Hæc habui quæ ad tuas literas toto anno vertente mihi redditas, responderem, non in Duditium, cuius ego pietatem, eruditionem, elegantissimum ingenium amo & obseruo: sed ad Duditium, cuius solitudine afficior: quē ab illis perditis paulatim in auia abduci, vt est amor res quædam timoris soliciti plena, noctes iam & dies non sine magno mœrore cogito: quem denique cupio pro viribus ex istiusmodi cogitationum in quibus & ego hæsi labyrintho sic extricare, vt ἐξουσίαν si non summum at certè maximum bonum illi possim breui gratulari: quod meum officium hominis tuæ dignitatis obseruantissimi tibi non iniucundum fore spero. Bene vale, clarissime & ornatissime vir, & Bezæ tui παρρησίαν æqui boni consule. Dominus te totámque familiam ab omni malo, ac præsertim à dæmoniis meridianis istic obambulantibus custodiat. Geneuæ XVIII. Iunii, Anno temporis nouissimi CIƆ. IƆ. LXX.

EPISTOLA II.

THOMÆ TILIO FRATRI AC SYMMYSTÆ OBSERVANDO.

TRIA ex me percontaris, mi frater: vnum, an verbum λάβετε, Accipite, putem de manus acceptione in institutione Cœnæ Domini prorsus intelligendum: alterum, an istam manus acceptionem putem absolutè & prorsus necessariò in Cœnæ administratione vsurpandam: tertium, quid de eius facto sentiam cui religio est Cœnam Domini in iis Ecclesiis participare in quibus panis non manu sed ore, absque vlla tamen superstitione, sed ex more potiùs & inueterata consuetudine, accipiatur.

Ad primum respondeo videri mihi omnino Accipiendi verbum de manus prehensione in verbis illis Christi intelligi, tum quoniam propria hæc significatio est τοῦ λαμβάνειν, à qua non est temerè nobis discedendum: tum quòd certum sit Dominum cum discipulis accumbentem retinuisse ordinarium & vsitatum sumendi cibi modum: quum nihil in tota illa actione scribatur mandatum aut factum vnde contrarium deprehendi possit. Præterea si Christus singulis discipulis panem illum in os ingerere voluisset, certè pro accubitus ratione aut ipsi Christo aut discipulis paulò remotiùs discumbentibus surgendum è mensa sigillatim fuisset, etiamsi in medio illorum Christum discubuisse dicamus, sicut actio illa repræsentari à pictoribus consueuit. Nihil autem tale ab Euangelistis narratur, imò sicut initio conuiuii poculum vicino præbitum iussit Christus vt postea alii aliis traderent: ita probabile est panem a Christo fractum & traditum eos ex discipulis qui remotiùs discumbebant ex vicinorum manu accepisse. Denique morem panis manu accipiendi diutissimè in Ecclesia fuisse obseruatum rectè D. Boquinus noster demonstrat.

De secun

De ſecundo ſic paucis ſentio: ſumptionem videlicet ſimpliciter & abſolutè ac prorſus neceſſariò requiri ad huius ſacramenti vſum. vt autem hæc ſumptio ſiue acceptio manu fiat, non item, quamuis qui manu ſumunt rectiùs faciant, modò id quidem ſine offendiculo fiat. Ratio petenda eſt ex cibi terreni ad cœleſtem analogia, quæ quidem non modò in ipſis ſignis panis & vini, verùm etiam in ipſius actionis ritibus à Domino inſtitutis ſpectanda eſt, vt qui & ipſi ex Dei præſcripto ad ſignificandas res ſpirituales adhibeantur. Quemadmodum ergo vt cibo corporali reficiamur neceſſe eſt vt eum ſumamus, vt autem manibus ſumamus non item: ita etiam fide recipi Chriſtum oportet vt vitam æternã ex eo hauriamus: quæ ſpiritualis per fidẽ ſumptio Sacramentali ſignorum ſumptione tam adumbratur ſi vola quàm ſi digitis, ſi ore ipſo quàm ſi manu ſigna accipias, vt ea poſtea comedas & deglutias. Nam certè ore ſumere & mãducare duo ſunt, quum non quicquid ſumitur manducetur aut bibatur: ac proinde ſumptio Sacramentalis minimè dici poſsit ab iis expungi vel omitti, qui ore duntaxat abſq; officio manus illa accipiunt. Et quod ait D. Boquinus noſter iſta manus acceptione quàm optimè repræſentari ipſius Chriſti veluti traditionem, vt noſter fiat, ſicut verè dicitur, ita etiam non eſt præciſe eouſq; vrgẽdum acſi oris quoq; ſumptio iſti myſterio nullo modo conueniret, quũ potius (ſi ſubtiliter in iſta liceret inquirere) quod ore ipſo ſumitur, magis etiam noſtrum fieri videatur, quàm quod manu duntaxat accipiatur. Cur igitur, inquies, rectiùs facere dicis qui manu quàm qui ore Sacramenta ſumunt? Minimè profectò quòd in iſto ſumendi diſcrimine tantum poſitum eſſe exiſtimem, ſed quoniam ab ea ratione quæ ab Apoſtolis & puriore Eccleſia ſeruata eſt, non ſit temerè diſcedendum. Deinde etiam quòd probabile ſit iſtam oris ſumptionem non aliundè initio quàm à ſuperſtitioſa ſignorum veneratione profectã, quæ poſtea etiam in manifeſtam ἀρτολατρείας impietatem euaſit. Itaque officium feciſſe exiſtimo, qui abolita iſta oris ſumptione ſane monſtroſa & à malis initiis profecta, adeóque, vbi adiunctam habet cultus opinionem, planè impia, ſumptionem manus in Eccleſiis reſtituerunt. Sed quicquid rectè fit, non eſt tamen ſimpliciter & abſolutè neceſſarium. Ac proinde qui iſtam manus ſumptionem ſic vrgent vt Cœnã in iis Eccleſiis profanari iudicent, vbi abſq; ſuperſtitione, ac multò magis abſque impietate, ſed vel ex Paſtorum aut Magiſtratus oſcitãtia, aut quia periculoſa ſit repentina nouatio, adhuc oris ſumptio retinetur, vereor (quod nulla cuiuſquam iniuria dictum ſit) vt ipſi potiùs vel nonnulla rerum iſtarum ignorantia vel αὐθαδείᾳ peccent. At enim, inquiunt, iubemur facere quod fecit Dominus. cõcedo, ſed ita vt in illis etiam quæ facienda præcepit, primariam conſilii ipſius intentionem, vt loquuntur, ob oculos ſemper habeamus, formam autem non temerè mutemus (imò ne mutemus quidem vllo modo, ſi præciſè mandata ſit) nec tamen quod per ſe non eſt neceſſarium ampliùs quàm par ſit vrgeamus. Iuſsit Chriſtus nos baptizari, quo verbo certum eſt ſignificari immerſionem. Num igitur malè baptizantur, qui aqua tãtum iniecta aſpergũtur? Imò quod eſt in illa actione merè ſubſtantiale (nempe aquæ ablutio) rectè obſeruatum eſt ab Eccleſia. Immerſio verò pro ætatis & regionum conditione vel retẽta eſt vel in ſimplicem aſperſionem nulla cum baptiſmi imminutione quodammodo commutata. Sed & in hac ipſa actione quum eam inſtitueret Dominus, probabile eſt, vt antè dixi, alios ex aliis panem & poculum accepiſſe adeóque omnes ex vno poculo bibiſſe. Num igitur peccare dicemus Eccleſias apud quas non alii aliis Sacramenta tradunt, ſed ex Miniſtri vel Diaconi manu ſigillatim omnes accipiũt ex diuerſis etiam poculis bibentes? Minimè profectò, quoniam ipſa ſumptio non autẽ ſumendi modus præciſè præſcribitur. Alioqui oſtendant nobis oportet, qui aliter ſentiũt, quid peculiaris myſterii in iſta digitorum prehẽſione lateat. Hæc autem vt meliùs etiam liqueant, agè paulò etiam pleniùs hoc ipſum pertractemus. Sacramenta diuinæ ſunt inſtitutionis, itaque humana auctoritate nihil illis addi aut detrahi debet. Sed quinam adiicere quippiam, quinam detrahere meritò dicantur, hoc ipſum eſt de quo quæritur. Qua de re quum multa dici poſsint, ea demum nunc attingam quæ ad noſtrum inſtitutum pertinẽt. Ex his igitur quæ fecit ipſe Chriſtus & facienda nobis præcepit, quædam eſſe dico quæ ſiquis vllo modo omittat, Cœnam Domini dici non poſsit celebrare: alia verò quæ etiam ſi non ea ipſa prorſus forma fiant qua facta ſint à Domino, tamen habita intentionis quam vocant, ratione, ritè fieri dicantur: quædam denique quæ vt mutari necdum tolli ſine iuſta reprehenſione non poſsint, tamen non tanti ſunt momenti, vt propterea vel exiſtimãdum ſit Cœnam ibi nullam celebrari, vel illi ſic mutilatæ intereſſe pii bona conſcientia non poſsint.

Primi generis ſunt verbum inſtitutionis Domini, quod eſt totius actionis veluti anima quædam, & ita quidem, purè explicatum vt integrum ſaltem maneat doctrinæ fundamentum: prætereaMiniſter aut legitimè vocatus aut certè in legitima cathedra ſedens: ſignorũ denique datio & ſumptio. Itaq; vbi vel nullum vel adulterinum verbum eſt, vel explicatio illi verbo adiicitur quæ fundamentum neceſſariò tollat, item vbi merè priuatus quiſpiam miniſtrat, vel ſigna aut non dantur aut non ſumuntur, ibi Cœna Domini nulla eſt, ſed falſum prorſus ac inane Cœnæ ſimulachrum.

Secundi generis ſunt ipſa ſignorum materia & nonnullorum rituum à Domino inſtitutorum forma, vt exempli gratia, panis & vinum ſunt Cœnæ ſigna ex Domini inſtitutione. Vbi igitur panis aut vini vel nullus eſt vſus, vel nulla certo tempore copia, num Cœna Domini nulla celebrabitur? Imò ritè celebrabitur, ſi quod panis aut vini vicem vel ex vſu communi vel pro temporis ratione ſupplet, panis aut vini loco adhibeatur. Hæc enim mens fuit Chriſti quũ panem ac vinũ ad hæc myſteris deligeret, vt propoſitis earũ rerũ ſignis quibus corpus noſtrum alitur, verã alimoniam ſpiritualẽ velut ob oculos repræſentaret. Itaq; à Chriſti ſententia nihil aberrat qui

nullo prorſus nouandi ſtudio pro pane & vino ſubſtituat quæ etſi non parem, ſimilem tamen alimoniæ analogiam habeant. Deſit etiam aqua, & tamen baptiſmus alicuius differri cum ædificatione non poſsit nec debeat, ego certè quouis alio liquore non minùs ritè quàm aqua baptizarim. Nec aliter de his rebus ipſi etiam ſuperſtitioſiſsimi Scholaſtici ſcriptores cenſuerunt. Quòd ſi res ita eſt quum agitur de ipſa ſignorum materia quæ longè maximi eſt momenti, idem multò magis ſentiendum eſt de quibuſdam quantumlibet alioqui retinendis myſteriorum ritibus, ſicut paulò antè diximus de aſperſione in locum immerſionis apud nos ſubſtituta. Idem quatenus ſentiam de iſta manus acceptione paulò antè dixi: nempe retineri quoque & probè ſeruari ipſum Chriſti conſilium, etiam ab iis Eccleſiis vbi ſumptio iſta quæ prorſus neceſſaria eſt obſeruatur, etiam ſi manuum miniſterio non fiat: modò quidem nouandi ſtudium, ſuperſtitio, ac præſertim idololatria omnis abſit.

Tertii generis eſt panis fractio, tanti ſanè momenti, vt, qui illam non adhibent, Chriſtum quodammodo non immolatum neque vetere illa victimarum legalium diſſectione adumbratum, ſed totidem penè Chriſtos quot ſingulares panes, tradere penè videantur: quod quidem illos maximè velim perpendere, qui iſtas papiſticæ corruptionis reliquias in Eccleſiis ſibi commiſsis nondum profligarunt. Sed an propterea nulla ibi Cœna eſt, vbi vitii quippiam in hoc ipſo vel alio eiuſmodi ritu admittitur? Certè mihi aliter videtur. An enim, obſecro, aliter eſt de Sacramentis, id eſt, de doctrinæ appendicibus quàm de doctrina ipſa iudicandum? Atqui ſi nullam eſſe Eccleſiam dicamus vbi nullus eſt prorſus in cunctis doctrinæ Chriſtianæ dogmatibus næuus, refellent nos Pauli Epiſtolę Corinthiacis & Galaticis Eccleſiis inſcriptæ, quum tamen in illis de reſurrectione, in his verò de ipſius Chriſti officio atq; adeò præcipuo munere plurimùm à nõnullis ambigeretur. & certè niſi ita conſtituamus, in qua tandem orbis terrarum Eccleſia ſatis ſecurè conſiſtemus? Itaque vbi non ſatis pura eſt Eccleſia, Eccleſia tamen eſt in qua ſaluum manet fundamentum, ac multò magis vbi ritus Cœnæ Domini mutilus eſt, Cœna tamen eſt, ſi præcipua & merè ſubſtantialia conſeruentur, etiamſi ſingulis offulæ in os ingerantur.

His poſitis quid de tertio quæſito ſentiam facilè exiſtimare potes, grauiſsimè nimirum & in ſemetipſos & in fratres reliquos peccare qui næuis iſtis aut etiam ſi mauis corruptelis & ſuas & aliorum conſcientias non leuiter perturbant, perinde acſi de Chriſtianiſmo ſemel ſublato ageretur. Neque verò hæc dico quaſi vel manus ſumptionem vel panis fractionem inter res planè indifferentes numerem, vel ad eas corruptelas conniuendum putem, tantum abeſt vt earum auctoribus vel fautoribus ſubſcribam: ſed quoniam vitia à vitiis & quæ condonanda ſunt Chriſtianæ charitati ab iis quæ prorſus ſunt execranda, prudenter diſtinguenda eſſe iudico, idque tamẽ non ex carnis ſed ſpiritus prudentia. Eſto enim, vitioſe hoc vel illud à nonnullis fiat aut prætermittatur, an propterea Chriſtiani non ſunt nec pro fratribus habendi? Nam certè fratres non ducimus quibuſcum ſacram communionem habere nobis nefas eſſe ducimus. At enim, inquiunt, ſic videmur illorum peccatis communicare. Imò falſiſsima eſt hæc cõſequutio. Nec enim vt rite ad Cœnam accedam, ſcrutandum eſt mihi qua quiſque conſcientia ad eam mecum accedat, ſed de mea ipſius conſcientia mihi laborandum eſt. Itaque & cum adulteris & cum homicidis, & cum ſceleratiſsimis quibuſuis, modò nulla mea culpa tales ſint, ſi ad Cœnam caſtus & ſceleris purus acceſſero, nihil illorum impuritas mihi nocuerit. Et quod de moribus dico, etiam de doctrina dico, quam interdum nec Paſtores ſatis purè tradunt, nec auditores ſatis rectè percipiunt. Dicam etiam amplius, ſi vel Turcam vel Iudæum Paſtor quiſpiam ſiue prudenter ſiue imprudenter admitteret, tota illius facti culpa in illum recideret, nec ego propterea cunctanter ad menſam Domini acceſſero: quoniam alterius conſcientia impura, modò extra culpam ſim meam quæ pura eſt non polluit, & ea ipſa Cœna mihi pura eſt, quam impurus ille prophanat. An igitur, obſecro, eius Eccleſiæ corruptela polluimur, quæ vel ignorãtia vel infirmitate peccet aliquatenus in Cœnæ adminiſtrandæ ritu, ideóque tanto noſipſos beneficio vltrò priuabimus & infirmorum conſcientias perturbabimus? Verùm, inquient, vt non inquinemur eorũ peccato, attamen ſouere eorum errorem ſic videbimur. Imò ne hoc quidem ſatis rectè dicitur. Quid enim abſurdius eſt quàm eum accuſare tanquam alieni vitii fautorem, qui vt fratrem lucretur, eius infirmitatem tolerat? Tibi non frangitur panis ſed integer datur, tibi in os non in manus præbetur, nulla tamen vel ſuperſtitione vel impietate probabili, laudari ſanè id non poteſt nec debet: at tu certè id peccatum non committis quod in te potiùs committitur. Condemna igitur apud te, atque etiã prout ſeſe occaſio offeret reprehende id quo in te delinquit infirmus frater, & commodam quærito ædificandi illius rationem. Interim ſedulò caue ne quaſi de Chriſtianiſmi ſumma agatur offenſus reſilias, & præpoſtera tua ſeueritate illum quidem perdas & deſtruas, teipſum autem oblato illo beneficio priues. Etſi enim non fractus ſed integer, non in manus ſed in os tibi panis ille non rectè datur, panis ille tamen quem tibi datum recuſas, & qui non ſatis rectè datur, Chriſti corpus eſt, & vinum quod oblatum refugis, Chriſti ſanguis eſt, Sacramentaliter videlicet: vt iam duplicis peccati nempe & contriſtati infirmi fratris & neglecti tanti boni crimine tenearis. Geneuæ, Cal. Octobris, anno Domini CIↃ. IↃ. LXXI.

EPISTOLA III.

FIDELIBVS CHRISTI SERVIS, FRATRIBVS AC SYMMYSTIS OBSERVANDIS, EVANGELII PER PHRISIAM ORIENTALEM MINISTRIS, GRATIAM *& pacem à Domino.*

LEGIMVS, obseruandi fratres, accusationes aduersus Adrianum nostrum à Presbyteris quibusdam propositas & eius quoque responsa: intelleximus quoque ex tabellario quis sit istic huius controuersiæ status. quæ omnia magnum nobis dolorem attulerunt, quum manifesta sint iræ Dei signa, & quidem ita inflãmatæ, vt nisi cœtus vester tempestiue huic malo occurrerit, certũ exitiũ videatur Gallicæ vestræ Ecclesiæ magno cum aliarum offendiculo imminere. Quid porrò nobis de re tota videatur, partim ex communibus literis, quas vestræ synodo inscribimus, partim etiã ex nostro ad Gallicam Ecclesiam scripto plenissimè perspicietis: tantùm addimus aut nihil hac in re videre nos (quod vtinam ità sit potiùs quàm diuinemus) aut Adrianum aliquid etiam maioris monstri parturire, quod vtinam non sit vitale. Vestri zeli & vestræ prudentiæ est prompta remedia inuenire. Quod autem ad nos attinet, putamus hoc malum esse ex eorum genere, quæ principio quidem curari non difficulter possint, postea verò acerrimis remediis egeant, quæ nisi in tempore adhibeantur, necesse sit immedicabilem gangrænam consequi. Itaque consilium eorum probare non possumus, qui patientia & mutua quadam partium reconciliatione primùm leniri, deinde etiam posse tolli hunc morbum putant: præterquam enim quòd publicus est, non priuatus, eò vsque iam serpsit, vt nisi ad viuum vsque resecetur, exitialem fieri toti corpori necesse sit. Iniquum autem fuerit publicã totius Ecclesiæ salutem vnius hominis existimationi posthabere, si quidem nocens comperiatur. Nam alioqui acerrima reprehẽsione digni fuerint, qui falsò illum accusasse deprehẽderentur. Precamur ergo Dominum, charissimi fratres, vt vos sancto suo Spiritu moderetur, & magis ac magis efficiat, vt sitis sancta & selecta ipsius organa, impediendis Satanæ conatibus, & promouendæ afflictarum Ecclesiarum ædificationi. Qua in re si quid vos iuuare poterimus, nos, vt speramus, minimè omnium segnes comperietis. Geneuæ 2. Septemb. 1566.

EPISTOLA IIII.

N.

QVANQVAM fortasse non deerunt qui nostrum hoc scriptum existiment vel ab ambitione, vel ab odio proficisci, tamen nobis persuasimus, obseruandi fratres, hoc nostrum studium vobis improbatum non iri. Quum enim simus eiusdem corporis mẽbra, & præterea Dominus ad hunc vsque diem peculiari quodam nexu hanc Ecclesiam cum vestris coniunxerit, nemini mirum videri debet, nos de vestris periculis quàm de nostris non minùs esse solicitos. Et quod ad nostram conscientiam attinet, syncerè coram Deo testamur nos nihil hîc aliud præter veritatis lucem, & Ecclesiarum in Domino concordiam spectare. Res autem sic habet, Quendam Adrianum Gallicæ istic Ecclesiæ Pastorem, iampridẽ certis quorundam fratrum nuntiis accepimus, peculiarem quandam doctrinam sequi, non sine graui multorum offendiculo, qua in re tamen ita sibi placeat, vt fratrum iudicium prorsus aspernetur. Hoc in causa fuit cur dilectus nobis in Christo Theodorus Beza ad illustrem Dominam Comitissam Emdensem scriberet, illã exhortans vt causa cognita, tanto malo priùs occurreret, quàm extra remedium esset. Ecce verò aliquantò pòst, & nõ ita pridem, tum accusationis ipsius capita, tum etiam ipsius D. Adriani respõsiones accepimus, bona, vt existimamus, fide descriptas: quibus perlectis, & quanta potuimus diligentia expẽsis, putauimus nos operæpretiũ facturos, si quid de re tota nobis videatur ad vos perscriberemus, hũc tabellarium isthuc redeuntẽ nacti: minimè id quidem, vt iudicãdi partes ad nos trahamus, quod ne si ipse quidẽ Adrianus postularet, facere vellemus: neq; etiam vt vobis, quorum authoritati & prudẽtiæ res tota commissa est, quicquam præscribamus, sed ob id vnum, vt eò attentiùs de re tota cognoscatis, & quoad eius fieri poterit, huic non mediocri offendiculo, quod hucusque peruagatũ est, remediũ afferre studeatis.

Primum accusationis caput esse audimus, quòd quum illum oporteret pro sui muneris ratione & cæterorum fidorum ministrorum exemplo, diligẽter & seuerè falsas doctrinas arguere, nemo autem ignoret quàm multi & quàm tetri errores periculosissimis istis temporibus sint per nonnullos sparsi, ac nominatim de doctrinæ fundamentis, putà de Christi persona & officio: nihilominus tamen D. Adrianus velut studio quodam ab illis refellendis iampridem abstinuerit, tum quoq; quum Catechismi locus hoc omnino postulabat: adeò quidem vt publicè dixisse arguatur, quum de humanitate Christi dissereret, falsum de hac re Anabaptistarum dogma, negantium Iesum Christum originem materiei sui corporis ex substantia virginis Mariæ traxisse, non obstare quominùs agnoscant Iesum Christum verum Deum, & verum hominem, vnicam esse

oblationem pro nostris peccatis, imò etiam istos Anabaptistas in hoc casu persequentibus tyrannis morientes pro veritate perinde ac nostros fratres pati. Ad hoc verbosissimè respondet D. Adrianus 27. conclusionibus, quarum hanc summam esse arbitramur. Primùm omnium fatetur, & rectè quidem, erroneũ esse illud dogma (quod tamen malemus impium dixisset) quod Christum humanitate sua spoliat: deinde & illud rectè agnoscit, multas & horrendas absurditates ex illo dogmate consequi: At non, inquit, quoad eorum conscientiam & scopum, qui in eo errore versantur, vt qui nihilominus constanter confiteantur Christum esse vere hominem, & verè filium Mariæ, quæ etsi per se pugnantia sint, non tamen ita illorum conscientiæ videtur, qui hîc impingunt. Dicit præterea illos testari Christum vnicum Seruatorem nostrum pro nobis esse passum & suscitatum, & gratuitã ex fide in Christum iustificationem studiose vrgere. Ex iis autem colligit peccare illos qui eiusmodi homines appellant martyres diaboli, & qui eos esse dicũt sine fide, sine Christo, sine iustitia, sine salute, &c. nec cogendum quenquam vt eiusmodi condemnationibus subscribat. Nititur autem hac in re trium etiam præstantissimorum virorum exemplo, nempe Hilsrii, quem nonnulli in eo ipso errore hæsisse, & mortuum esse censent, quem tamẽ propterea æternæ morti nemo adiudicat: Buceri, qui corporis Christi manducationem asserentes, non tamen idcirco à Christi societate reiicit, quamuis ex eo sequi dicat Christum Seruatorem non esse verum pro nobis hominem factum: & Capitonis qui disertè scribat quosdã inter Anabaptistas esse bonos, veros seruos Dei, Christi martyres, & charissimos fratres nostros. Nos verò, quod ad hoc caput attinet, multa in Adriano cogimur desiderare, quamuis, si vera est eius recriminatio, non desit etiam quod in iis quos accusat meritò reprehẽdi possit. Primùm enim valde nobis suspecta est tanta ista solicitudo pro excusandis Anabaptistis, quũ potiùs laborandum putemus vt omnes quàm maximè ab illis abhorreant, & longè maius periculum sit, ne illos excusando, paulatim ad illos probandos aliquis alliciatur, quàm ne quis in illis damnandis nullum modũ tenendo, illos plus quàm par est execretur. Itaq; rectiùs facturum fuisse D. Adrianum putamus, si potiùs eos acriter obiurgaret qui in illo, quàm qui in isto peccãt: quamuis hi quoq; sint admonendi vt zelum suum charitate tẽperent, sicut mox dicemus. Deinde quũ in cõclusione decima nona nõ dubitet D. Adrianus eos vocare sæuissimos tyrãnos qui Anabaptistas immaniter, vt inquit ipse, trucidant, magnam certè iniuriam facit piis & religiosis magistratibus, quos non dubitamus optimo iure in præfractos Anabaptistas gladiũ strinxisse: & vel hoc nomine Adrianum arbitramur grauissime esse à vobis reprehendendum, vt principibus maledicentem, qui si fortè in hac sententia perstiterit, qua conscientia illum possitis in suo ministerio tolerare, nos quidem non videmus. Quod autem ad rem ipsam attinet, etsi multos esse non dubitamus, qui quadam iudicii imbecillitate, quid ex quo consequatur non statim animaduertant, quam humani ingenii infirmitatem Dominus quum libuit, pro sua bonitate commiseratur: nihilominus tamen Paulo credendum est hæc verba non ὑπερβολικῶς, sed verè & ita vt res se habet pronuntianti, Ecce ego Paulus dico vobis, si circũcidamini, Christum vobis nihil profuturum. Cúrnã id verò? quoniam, inquit, testor rursum omni homini qui circũciditur, eum esse debitorẽ totius legis seruandæ. Hæc scripsisse Paulum extra cõtrouersiam est, quorũ hæc est sententia, Christo ac proinde vita æterna priuari quicunque dicebant, Nisi circũcidamini, Christus vobis nihil prodest. De iis enim agebat Apostolus, qui Legem & Euangelium connectebant, non autem de iis qui apertè Euangelio & Christo reluctabantur. Et quam rationẽ affert Apostolus huius tam seueræ damnationis? quia consequitur, inquit, posita circuncisione tanquam salutis causa, requiri plenam Legis obseruationem: sunt autem omnes facti inanes Christi, & à gratia exciderunt, quicunque ex Legis obseruatione iustificationem petunt. Hunc esse Pauli syllogismum, si negauerit D. Adrianus, ad ipsum Pauli textum prouocamus. Petimus autem in primis vtrùm grauiorẽ errorem esse existimet, negare Christi corpus esse ex matris virginis substãtia, an verò dicere circuncisionis sacramentum à gratuita per fidem iustificatione non dissidere. Certè nihil videt qui illũ errorem & grauiorem & apertiorem esse non videt. Quid si igitur ex Adriani sententia Paulo responsaremus? Tu quidem ita iudicas, Paule, & verè quidem colligis, sed non omnes qui ex circuncisione sunt, hanc consequutionem vidẽt. fatentur enim nihilominus Christum esse seruatorem, in quem ipse Abraham circuncisus sperauit, & pessimè fecisse qui illum crucifixerũt, quum sit verus Messias, in quem ipse Moses respexit. Immeritò igitur illis ignaris, & istarum cõsequutionum non satis capacibus iniuriam facis, quum ita acerbè declamitas, & quidem indefinitè, Christum nihil illis prodesse. si sic, inquam, Apostolo responsaremus, an ideo sententiam mutaret in Adriani gratiam? minimè profectò. Neque nos verò pudebit vnquam omnibus qui istic sunt fratribus suadere, vt simili ratione dicant & sentiant, Si creditis Christi corpus non constare materia ex virginis Mariæ substãtia desumpta, Christus vobis nihil prodest. Nam qui hoc dicit, Christum negat esse ex lumbis Dauidis, & verum illum seruatorẽ Patribus promissum. Clamitet contrà Adrianus istos illam consequutionem non videre: regeremus, etiamsi cæci omnes exorto sole lucere negent, veram tamen esse illam propositionem, Si sol ortus est, lucet: ac proinde & cæcitatẽ & cæcos meritò redargui. Sed aliud quiddam est præterea hoc loco obseruandum. Multiplex enim est ignorantiæ causa, nec vna est rerũ, quæ ignorantur, natura: ex quo fit, vt quędam sit tolerabilis, quædam intolerabilis ignorantia. Obsecro enim si quis diem & noctẽ, ignem & aquam, vnum & idẽ esse diceret, nec tamen aliis in rebus insaniret, quis eiusmodi hominẽ imperitiæ ac non potiùs extremæ peruicaciæ damnaret? Atqui istud de quo agimus dogma, nihilo est probabilius. Filium enim Mariæ esse dicere & verum hominem, qui per Mariam duntaxat

tanquam per canalem transierit,& neque ex Iosepho,(quod verè negat) neque ex Maria, quod verè affirmatur,materiam corporis traxerit,quid aliud est,quàm dicere aliquid esse id quod non fit?Et sunt scilicet homines isti adeò simplices,vt hoc non animaduertant. Quòd si potiùs arbitrantur isti Christi corpus esse ex Iosephi semine, vt olim Hebionitæ,quis illos existimare possit simplici ignorãtia peccare quum manifestissimæ Euangelii historiæ repugnent?An verò pro Christianis habebimus,qui de Euangelicæ narrationis veritate inter Christianos dubitent? Sed demus tamen ita posse vsuuenire. Quoties tamen quispiam tam crassi erroris & voce & scriptis millies admonitus in proposito permanet,quis tandem illum vt simpliciter errantem,ac nõ potiùs,vt indomita peruicacia, vel contra conscientiam loquentem, vel seipsum vltro excæcãtem condemnet?Quod autem istos maneat exitium,declarat apertè Apostolus 2.ad Timoth. 3. proposito Iannæ & Iambræ exemplo.Idem tamen monet,fatemur,erudiendos esse placidè τοὺς ἀντιδιατιθεμένους,vt ex diaboli laqueo resipiscant.Et quis verò sic faciendum neget? Instituantur ergo, & modis omnibus lucrifiant Domino,si fieri potest,Anabaptistæ. Quis enim nouit an Dominus fit illos,vt & nos,vocaturus?& cur non bene de quouis peccatore speremus? Erudiantur ergo quandiu & quoties licebit in ipsis etiam vinculis,atque etiam in ipso extremo vltimi supplicii,si ita acciderit,momento.Sed qui millies conuicti & blasphema & pugnantia loqui,blasphemare tamen non priùs quàm viuere desierint, quo nomine potiùs quàm diaboli martyres vocabimus? Hoc tamen fatemur,duo hic esse hominibus piis obseruanda.Vnum ne dum sic indicãt, odio personarum vel sinistro quopiam affectu,sed potiùs horrore iudicii Dei,non sine tam miseræ hominum conditionis sensu impellantur. Deinde vt tunc quoque, quum desperatissimus aliquis mortuus est,dogma ipsum potius quàm peccatorem cõdemnent. Quis enim nouit abyssum misericordiarum Domini in cordibus peccatorum, quo libuit momento, quicquid libuit operantis? Itaque vt paucis concludamus,sicut quorundam hac in re zelum charitate temperandum arbitramur,quoties de particularibus iudicandis agitur,& eos magnopere reprehendẽdos, qui sententias eiusmodi non minùs audacter crepant,quàm si ipsi Dei consilio interfuissent : ita etiam probare præposterum quorundam, præsertim ministrorum, metum, & nescio quem horrorem non possumus,qui Dei misericordiam,& charitatem in fratres non aliter interpretantur, quàm si nulla essent eiusdem in peruicacissimos hæreticos iudicia.

Quod autem attinet ad Hilarium, magnam ipsi iniuriam factam dicimus & ab Erasmo & ab aliis qui hunc fœdissimum errorem ei impegerunt,à quo fuit alienissimus. Si nobis con credit Adrianus,qui fortasse librum nunquam inspexit,proferat vel vnum ipsius testimoniũ, quo hæc calumnia confirmetur.Nihil enim proferet,quod non apertissimè diluamus.

Cæterùm quoniam Adrianum videmus callidè profectò Buceri mentionem fecisse,vt nos in odioso certamine cum Augustanæ confessionis fratribus committendo, ipse interim elabatur, nihil nunc à nobis extorquebit.Tantùm monemus,vt si candidè nobiscum agit, nostrorum de iis rebus scripta legat,ex quibus intelliget quantum inter hæc dogmata, (vbiquitatem excipio) & consecutiones per se & necessariò ex illis emergentes intersit,ac proinde cur de vnis longè aliter, quàm de alteris statuamus.Denique quum innumerabilia penè sint Anabaptistarum dogmata,& quidem inter se dissidentia,quorum alia alii probent,quædã prorsus intolerabilia,quædam stulta & inepta potiùs quàm peruersa,& quidam etiam illorum sint cõmiseratione digniores quàm supplicio, quis Capitonem miretur inter illos distinxisse? Sed probet Adrianus egisse Capitonem de peruersis illis & præfractis Filii Dei & verbi Diuini, omnisque adeò Ecclesiastici & politici ordinis hostibus,& tunc aliquid ipsum dixisse fatebimur. Quòd si quas præterea rationes,vel ipse excogitauit,vel ex aliis sumpsit ex Dei verbo depromptas, audiemus & ipsi libenter,& in veritate acquiescemus.Interea tamen istam ipsius [illegible] probare minimè possumus.

Secundo loco accusatur Adrianus,quòd illud ipsum quibusdam [illegible] clam persuadere nitatur:quibus etiam dixerit, se,nisi quorundam aliter sentientium offendiculum metueret,non dubitaturum cum Anabaptistis & Papistis communicare in sacra Domini Cœna. Ad hoc verò respondet ille, licere in foro conscientiæ, eos qui super salutis fundamentum ædificãt, & quibus ipsissima sacramentorum veritas competit,ad sacramentorum externa symbola admittere,quantumuis etiam apud homines malè audiant: habendam tamen esse externæ in Ecclesia politiæ rationem,ne temere violetur.Nobis verò hoc responsum & nimis obscurum,& prorsus versipelle videtur. Quid enim sit illud Quibus ipsissima sacramentorum veritas competit, & Apud homines malè audire,ipse Adrianus viderit. Certè si Anabaptistas & Papistas arbitratur super fundamentum ædificare,non minùs fallitur,quàm si cæcis visum tribueret: & nisi inter filios & impuros canes discrimen cõstituit, id est, nisi legitimum sacræ Cœnæ vsum ab eiusdem horrẽda pollutione,nisi Christũ à Belial,nisi hæreticos [illegible] ab Orthodoxis, nisi manifestos idololatras à Veris Dei cultoribus discernit: denique si existimat, quòd non quiuis ad sacram Domini Cœnam admittatur,esse externam tantùm politiam, ne dignum quidem esse arbitramur, qui ad Cœnam Domini admittatur, nedum vt pro pastore & fido mysteriorum Dei dispensatore habeatur.

Tertio loco arguitur Adrianus,quòd dixerit in recepto Catechismo(eo videlicet, quem insignis ille Dei seruus D.Caluinus conscripsit) plura extare quàm duodecim puncta,vt vocant, quibus ipse non credat,& se quo sæpius librum illum legit,eo deprauatiorem inuenire,& nunquam potiùs concionaturum,quàm vt eum pro veridico interpretetur.Itémque quòd fidelium

Doctorum libros vituperare soleat, ac oominatim dictitare se in D. Caluini scriptis ampliùs quàm 40. errata deprehēdisse, quæ facilè refelleret, si liberet. Ad hoc caput multis verbis respōdet Adrianus, quæ hæc in summa cōplectuntur: Distinguendum esse inter ipsum Dei verbum, & quorumuis interpretum scripta: bonum quidē esse Catechismū illum, sed cui tamen insint aliquot loca, de quibus etiam secundum authoris mentem intellectis, dubitare nō sit nefas: se Caluinum nolle non modò suggillare, sed etiam celebribus sacræ Scripturæ interpretibus præferre, non tamē pro Deo nec pro Angelo habere, sed pro homine qui & labi potuerit & lapsus etiam fuerit: se denique errorem & lapsum hîc vocare, quando aliter Scripturæ sacræ locus aliquis explicatur, atque eum Spiritus sanctus intelligi voluit, cuiusmodi næuos etiam mille in D. Caluino deprehenderit. Respondemus hanc Adriani exceptionem meram esse tergiuersationem. Quis enim vnquam ex nostris, vel D. Caluini vel cuiuscuoque alterius scripta verbo Dei exæquauit? Quis D. Caluinum pro Deo aut Angelo babuit? Quis denique eò adigendum quenquam putauit, vt in locorū Scripturæ interpretatione à D. Caluini sententia nō discederet? Certè magna fit præstātissimo Dei seruo iniuria si tale quicquam ipse vel somoiasse dicatur. Quorsum igitur ista D. Adrianus? nempe vt eos à quibus optimo iure, si vera est accusatio, reprehenditur, in inuidiam quasi Caluinolatras vocet. Atqui nō de homine ipso, sed de Catechismo ab illo edito quæritur, quem vobis inscriptum, fratres, tot gentes & Ecclesiæ, tot iam anois, summo consensu, taoquam verissimam & optimam Apostolicæ doctrinæ Epitomē sunt amplexæ. neque de particulari certorum scripturæ locorum, sed de doctrina ipsa in eo libro comprehensa contenditur, quam erroribus scatere dixerit Adrianus. Respondeat igitur appositè & peremptoriè, vt loquuntur: & ista errata à nemine istarum Ecclesiarum adhuc animaduersa demonstret, vt vnum cum oculatissimum fuisse fateamur. Sin minùs, non pro pastore, sed pro sycophanta & calumoiatore, oos quidem illum habebimus: vestræ autem partes sunt, obseruandi fratres, restitantem, vt videtis, Adrianum ad illud quod sentit manifestè profereodum adigere: nec pati vt communis omnibus nostris Ecclesiis doctrina temerè falsi arguatur, ab eo præsertim qui pastor haberi velit.

Quartum accusationis caput est, quòd Adrianus clàm Emdensibus ministris, cum quibus de hac re cōferre primùm omnium tenebatur, curauerit Valdesii considerationes, multis erroribus atque etiam blasphemiis aduersus sacrum Dei verbum scatentes, non tantùm in Flandricam linguam conuertendas, sed etiam edendas, & iis locis distribuendas, quæ ad ipsius curam non pertinent, & quidem necessariis quibusdam annotatiooibus prætermissis, quæ sunt Lugduoensi editioni iosertæ. Ad hæc ita respondet Adriaous, vt primùm omnium neget illas erroribus & blasphemiis in Scripturam sacram scatere. Secundò, quamuis tales non siot, vt nihil omnino desiderari possit, recipiendas tamen esse quatenus cum Scriptura sacra conseotiant. Tertiò, oon minùs licuisse Anglica lingua eas imprimere Magistratus permissu, quàm licuit Basileæ lingua Italica, & licere quoque Valdesium istic à pietate cōmēdare, sicut Basileæ, Geneuæ, Tiguri libris etiam publicè editis commeodatur: idque per eos qui in Ecclesiis, quas, inquit Adrianus, reformatas vocant, bono sunt loco. Istarum verò defensionum nulla nobis satisfaceret, si coràm disputaretur. Nam quod ad primam attinet, scimus ex idoneorum hominum testimonio, quātum nascenti Neapolitanæ Ecclesiæ liber ille detrimenti attulerit: scimus etiam quod fuerit de illo iudiciū D. Ioannis Caluini: scimus & illud, Ochinum infelicis memoriæ virum ex illis lacunis suas illas prophanas speculationes hausisse, & ita tandem seosim à verbo Dei abductum in vltimum illud exitium sese præcipitasse, in quo miser interiit: ac proinde librum illum à spiritu Anabaptistico multis locis non multùm dissidentem, id est, à verbo Dei ad inanes quasdam speculationes, quas falsò Spiritum appellant, homines abducentem, vel nunquam editum, vel statim sepultum fuisse magnopere cuperemus. Secunda verò exceptio si vera est, æquom est vt respondeat Adrianus, qua tandem conscientia vel annotationes, in quibus multa in illo libro caueoda obseruata sunt, prætermiserit, vel ipse nouas non scripserit, vt decipi lector non posset, quum ipsemet fateatur reiiciendas esse tanquam malas, quatenus à Scriptura dissentiunt. Tertio loco, non est quòd Basiliensium aut Lugdunensium exemplo sese tueatur, quoniam ne exēplo quidem peccare licet, alioqui probet etiam Adrianus oportet Proteuangelium Marci, Abdiæ Babylonii Acta Apostolorum, Postelli porteota, Ochini denique blasphemias, aliáque eiusmodi pessimorum librorum plaustra Basileæ excusa, quæ tamen absit vt vel Magistratui vel Ecclesiæ illius ciuitatis probari existimemus. Nec tamen dicere dubitamus magnam reprehensionem mereri Typographos qui quocunque tandem affectu ducantur, pessimis eiusmodi scriptis orbem impleuerunt, quos etiamsi Magistratus non castiget, Dominus tamen castigabit. Cæterùm quinam illi sint probati iudicii homines qui scriptum illud (personam enim ipsam Valdesii non attingimus) vt pium & religiosum libris etiam editis commendarint, nos quidem ignoramus, neque dubitamus quin si boni viri sunt, eo diligentiùs perspecta sententiam mutent, qood & Lugduneosi Typographo viro bono euenit, vt qui, quamuis additis illis notis meritò se posset excusare, admonitus tamen à fratribus, & nominatim quidem à D. Caluino, culpam deprecari quàm excusare maluit.

Quintò accusatus est Adrianns, quòd publicè sit concionatus se, sicut alii ministri soleant, latum (vt vulgò dicitur) vaccarum iter non ingredi. Ad hoc ipse his verbis respondet, persecutionem solere intentari imbecillioribus, qui rectam viam non insistunt. Nos verò, obseruandi fratres, quid sibi velit hoc ænigma prorsus ignoramos. Sed nobis sanè videtur, vel ex hoc saltē responso, quo spiritu ducatur Adrianus, discerni posse.

Sextò accusatur qnòd publicè sit concionatus, se non damnaturum tanquam in Dei legem peccantem,eum qui simul duas vxores habeat. Respondet ille,sese aliquando historiā illustriss. cuiusdam Principis narrasse,cuius tamen factum non approbarit,nec approbet.Imò,inquit,nostrûm vnumquēque sua vxore debere esse contentū cōclusi.Hoc verò si ita est,vt dicit D.Adrianus, digni sunt eius accusatores qui in hoc capite grauissimæ calumniæ damnentur. Sed hoc certè non fuit vel prudentis vel boni etiam pastoris in illustrissimum illum Principem pro publica concione nominatim declamare(quod fecisse necesse est Adrianum , si factum eius non probauit) neque vobis tolerandum hunc morem esse arbitramur. Polygamiam autem vtinam seriò damnarit Adrianus.Nam vt apertè loquamur , valde metuimus ne contrarium deprehendatis: quoniam vix fieri potest,vt hac saltem in re Ochinum non amplectatur, qui tam solicitus est ne cum Anabaptistis seueriùs agatur, & qui Castellionem Ochini interpretem minimè omnium improbat.

Septimò,dicitur Adrianus concionatus, non peccare Magistratum qui lupanaria permittat, quoniam ex duobus malis eligendum sit minus,quod etiam conatus sit probare Mosis exemplo,diuortii libellum permittentis.Respondet Adrianus peccare quidem semper coram Deo, qui in ipsius legem delinquunt,sed magistratum excusandum esse,qui malum , cui mederi nisi minus malū tolerando non potest,postquā omnia quæ potuit pręstiterit,cum animi dolore toleret,id est,politicè non puniat.Hæc verò Adriani defensio, si verè ab ipso profertur, rursus arguendi videntur accusatores,quòd ipsius sententiam detorserint. Interea tamē non sine aliqua exceptione admiserimus hoc responsum.Etsi enim quædam sunt cogente necessitate non tantùm tacitè toleranda,sed etiam publicis legibus moderanda,quoniaio tolli semel à Magistratu proptes hominum duritiem non possunt, cuiusmodi est diuortii libellus , fœnoris moderatio, & alia quædam:absit tamen vt lupanaria in istarum rerum numero recēseamus.Quid si enim de homicidiis agatur?an ea quoque publicis legibus vllo modo permittenda censeret Adrianus? minimè,vt opinamur.Atqui lupanar quid aliud est , quàm publica cædis infinitorum hominū etiam antequam nascātur,& iooumerabilium adulterorum & incestuum officina? Discat igitur Adrianus saltem inter ista distinguere , quum ipsi etiam prophani scriptores hoc discrimen agnouerint.

Octauò queruntur accusatores, quòd ille quanuis à Synodo admonitus ne de illo suo pro Anabaptistis dogmate disputaret , nihilominus vrserit vt hoc ipsum sibi liceret pro publica concione proponere.Respondet Adrianus,se,si licuisset, paratum fuisse suam de illo errore circa originem materiei corporis Christi sententiam publicè declarare. Nos verò miramur quo spiritu impulsus fuerit Adrianus , vt quod lectissimorū Ministrorum Synodus , & quidem clementer cum ipso agens,silentio sepeliendum arbitrata est,hoc ipse in vulgus spargere fuerit paratus. Sed quum id nihilominus fecerit , sicut ex secundo accusationis capite , & ex ista totius Emdensis Ecclesiæ Gallicæ misera discordia apparet , viderit ipse quid sit coram Deo responsurus,& vos,obseruandi fratres,circunspicite quomodo istius intemperiem tandem aliquando compescatis.

Postremum accusationis caput est,non conuenire Adriano cum recepta Ecclesiæ confessione in negotio Cœnæ Domini, propterea quòd neget vllo modo recipi Christi corpus præterquam figuratè,quatenus videlicet panis corpus Christi appelletur. Ad hoc verò ipse ita respondet,vt dicat spiritualem nostram cum Christo Domino communionem fide obtineri, cui fidei confirmandæ adhibeantur sacramenta ex Dei parte, tāquam signa externa, quæ Christum quidem nobis non dent propriè loquendo,sed Christum pro nobis datum in mortem, & nostrum esse suo quodam peculiari modo verè testentur.Hoc verò responsum & verum & orthodoxum probamus,sed ad propositam accusationem negamus pertioere.Neque enim de vlla rerum istarum agunt accusatores,sed de hac vna,An credat Adrianus corpus illud , quod pro nobis semel in mortem traditum est,& nunc in cælis est & non alibi , nobis tamen spiritualiter quidē & per fidem,non autem ore & manibus verè tamen & reipsa donari & communicari in Cœna Domini:siue nostrā cum Christo κοινωνίαν hoc Cœnæ symbolo cnm fide sumpto in nobis magis ac magis augeri: siue,ne quid de nostra obscuritate Adrianus conqueratur, rem ipsam cælestem, quæ per hunc panem & per hoc vinum adumbratur , non esse duntaxat mortis & passionis Christi efficaciā aut eiusdem μνημόσυνον,sed ipsissimū illud corpus traditum pro nobis,& ipsissimum sanguinē fusum pro nobis,vt cū Christo spiritualiter quidē,vt diximus & per fidē , verè tamen vnū corpus facti , vitā æternam ex ipsomet tanquam capite in nos tanquam membra defluentē , obtineamus.Neq; enim dixit Dominus,hoc est mors mea,siue hoc est mortis meæ virtus,siue hoc est monimentū corporis mei:sed,Hoc est corpus meum,quod traditur pro vobis,& hoc est sanguis meus pro vobis effusus.Neque Apostolus scripsit , panem quem frāgimus esse communionē efficaciæ Christi , & poculum cui benedicimus , virtutem sanguinis ipsius , sed communionem corporis & sanguinis Domini. Nam certè vt reliquas rationes omittamus,nō magis tolerabiles sunt,qui Christi ipsius communione exclusa,quicquam fructus ex eo ad nos peruenire posse doceant, quàm qui traderent cibo & potu non sumptis corpus nutriri, & pharmaca iis etiam à quibus non sumuntur, mederi,vt est copiosissimè & verissimè à nostris omnibus explicatum.

Hæc sunt , fratres in Domino plurimùm obseruandi, quæ sicut initio præfati sumus, non ob hanc causam ad vos scribenda duximus , vel quòd iudicium de hac controuersia putemus ad nos pertinere, vel quòd vllum cuiquam præiudicium afferre velimus : sed hanc vnam ob causam,vt

partim nostræ de vestra tranquillitate solicitudinis testimoniũ vobis præberemus, quod neque à mutua nostra charitate alienum, neque vobis iogratum fore credimus: partim verò vt quum hucusque tanti offendiculi famam peruenisse cognoueritis, eo maiore studio aptum aliquod tãto malo remedium sedulò quæratis, ne videlicet eò vsque serpat, vt immedicabile tandẽ sit vulnus. Interea Dominum assiduè precabimur, obseruandi fratres, vt vos tum in hoc negotio tum in aliis omnibus sancto suo Spiritu potenter regat, & Ecclesias omnes fidei vestræ commissas ab omnibus aduersis sartas tectas præstet, simúlque & nostros greges & nos ipsos mutuò vestris precibus commendamus. Geneuæ. 2. Septemb. 1566.

EPISTOLA V.

ALAMANNO, LVGDVNENSIS ECCLESIÆ TVRBATORI.

LITERIS tuis responsurus, ea prætermittam quæ nihil ad rem faciunt. Tantùm hoc tibi persuasum esse velim, eum esse me qui fui, & quẽ adhuc es expertus. Conquestus sum apud te, quòd Ecclesiã istic turbares. Hoc ego verò, inquis, nec feci, nec cogitaui, nec vnquã factũ velim. Quid tu cogitaris, & quid nunc cogites non quæro. Imo libẽter, sicut Christiana charitas iubet, tibi concedo tale tuũ propositũ non fuisse, vt Ecclesiã turbare velles. Affirmo tamen, siue id prudẽs siue imprudens feceris, abs te turbatã esse Ecclesiã: in quo si perrexeris, futurũ sit omnino, vt vltricẽ Dei manũ sentias, quod quidẽ ego minimè velim, sed te potiùs Ecclesiæ reconciliari, & pacatã felicémque vitã transigere. Proferã autẽ argumenta quæ velim vt expendas. Turbare is dicitur qui sanctum & legitimum ordinem violat. Ordo hic est in Ecclesia cõstitutus à Filio Dei, & ab omnibus veris Prophetis & Apostolis inuiolabiliter obseruatus, vt nemo nisi vocatus doceat in Ecclesia. Neque quum hoc dicimus, certis bominibus Spiritum sanctum alligamus, sed intra fines à Deo præscriptos manemus: nõ aliter quàm quum cibum & potum ad huius vitæ vsum requirimus. Vocatio verò ad docendam Ecclesiam (de hac enim vna vocationis specie nunc agimus) duplex est, vna ordinaria, altera extra ordinem. Alteram igitur ostende, aut te turbatorem esse confitere, qui istic ἑτεροδιδασκαλῶν cum ipsis ministris & voce & scripto contendas. Ordinariam certè vocationem prætexere nõ potes. Quis enim te elegit? Ergo de extraordinaria videamus. Huic verò tum demum locũ esse dicimus, quum vel nulla vel penè nulla est ordinaria vocatio, sicut nostris temporibus accidit in Papatu, quum expectari ordinaria vocatio quæ nusquam erat nec debuit nec potuit: vel quum ii qui legitimè vocati sunt, munus tamen suum nõ obeunt, siue quòd falsa pro veris doceant, siue quòd sint canes muti, siue quòd malis moribus Ecclesiam dedecorent: quod quoties incidit, non est tamen promiscuè locus vocationi extraordinariæ, sed tum demum quum Deo visum est extra ordinẽ aliquos excitare, sicut olim multos Prophetas extra tribum Leui designauit, & Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech aduersus Scribas & Pharisæos, in cathedra quidem Mosis sedentes, sed fermentum suum permiscentes, veritatem in ipso templo docuit. Quódnam autem istorum prætexes? prius illud certè non potes. Vides enim legitimum vocationis ordinem in Christianis Ecclesiis restitutum, qui si temporibus illis fuisset, quibus docere primùm cœperunt D. Lutherus, & D. Zuinglius, nunquam nisi ab Ecclesia iussi, os in Ecclesia aperuissent, quanquam ne hi quidem penitus extra ordinem loquuti sunt, quum ille quidẽ Theologiæ doctor, hic verò etiam parochus, vt audio, esset in ipso Papatu ordinatus. Superest igitur tibi vnicum refugium, nempe vt pastores qui istic sunt, legitimè quidem vocatos fatearis, sed in doctrina errare: quod tamen obsecro videamus quo iure tibi persuadere debueris. Primùm omnium si quid docerent Lugdunensis Ecclesiæ Pastores à reliquis Gallicis Ecclesiis diuersum, meritò fortassis id tibi suspectum esset. Rursus si Gallicæ Ecclesiæ vel temere, vel nescio quorum hominum arbitrio essent constitutæ, iure fortassis tanto illarum consensu ne tantillum quidem moueреris. At tu certè nõ ignoras, opinor, vel ignorare certè non debuisti tibi esse controuersiam non cum Gallicis duntaxat, sed cum omnibus totius orbis terrarũ Ecclesiis, adeò quidem vt neque Papistas, à quibus alioqui tota mente abhorremus, neque Metusiastas, quos alioqui pro fratribus agnoscimus, excipere debeam. consentiunt enim tum Papistæ tum Metusiastæ nobiscũ hac in re, quòd ex Christi verbo rem Sacramenti esse confitentur illud ipsum corpus Domini traditum pro nobis, à cuius κοινωνίᾳ pendeat qnicquid bonorum à Christo in nos deriuatur. Mirum est igitur ac penè incredibile, te hominem in Ecclesia priuatum, & discipulum nón doctorem, neque etiam ignarum qui & quales fuerint qui nostris temporibus tot Ecclesias instaurarunt, ad quas etiam tibi trãsfugiendum existimasti, eò vsque tamen primo impetu progressum, vt doctrinam istam omnium Ecclesiarum confessionibus repugnantem, sicut ex Augustana confessione, ex Helueticarum & Rheticarum Ecclesiarum cum ista consensu Tiguri inito, ex Heluetica denique communi confessione cognoscere potuisti, priùs & tibi ipsi persuadeas, & aliis conatus sis persuadere, & contra ipsos pastores defenderis, quàm cum iis contuleris, à quibus tanquam Pastoribus legitimis nisi te doceri sustines, quo tandem iure potes inter oues Christi censeri? Isti verò si tibi non satisfecissent, sicut accidisse video, priùs tamen modestè aliarum Ecclesiarum Pastores doctrina & pietate

pietate insignes percõtari omniáque priùs experiri in timore Domini oportuit, quàm hoc dogma sic mordicus arriperes. Nam quod ad publicam disputationem attinet, etsi tum priuatim tũ publicè Dei veritatem tueri fidos Pastores oportet, tamen obsecro, si quoties quispiam pernicax de hac vel illa re dubitarit, toties conuenire totam Ecclesiam, & publicas disputationes institui oporteat, quid aliud erit Ecclesia quàm altercationum officina? Non est, mihi credas, Alamanne, Spiritus Domini huiusmodi intemperiei & confusionis magister. Itaque tuum hoc officium fuit, pro suspecto habere quod à communi tot tantorúmque seruorum Dei sententia discrepat: vel si conscientia tua nihilominus titubabat, diu multúmque doceri priùs velle quàm docere. Quòd si ne sic quidem tibi satisfactum fuisset, debuisti tamen potiùs quod credebas, apud teipsum continere, quum non vocato in Ecclesia loqui, nedum ἐπιδιδασκαλεῖν minimè liceat. Neque est quòd zelum Dei vel charitatem prætexas. Admonitis enim legitimis tuis pastoribus, quibus commissa est gregis cura, vel re ad Synodum delata, iam eras abundè officio tuo defunctus: alioqui quidnam tandem erit in Ecclesiis (loquor autem de veris Ecclesiis, quales esse nostras omnes per Dei gratiam affirmamus) tam sanctè vel tam bene constitutum, quod mox zeli vel charitatis prætextu non euertatur? Longè aliter Paulus, qui quum de mulierum in publicis cœtibus habitu, id est de re per se media & indifferente disseruisset, Si cui verò, inquit, placeat contentiosum esse, nos eiusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei. Meministi, opinor, quum hic quoque in fratrum cœtu reprehensus esses, quod inter amicos nonnulla non satis cõsideratè de animarum extra corpus statu & conditione dixisses, ita factum excusasse, vt testareris te priuatæ tantùm collationis causa illa dixisse, nec postea vllum de his rebus verbum esse facturum. Obsecro verò, cur in hac causa idem non fecisti? an quia Magistratum hic metuebas, illic non item? audio te nunc quoque futilem illum errorem tueri, imò etiam nonnihil iactare, quasi os mihi occluseris. quod quàm verè à te dicatur, Dominus nouit, & tu quum voles experiere. Restat igitur, Alamanne, etiam si tibi largirer plus te vnum videre, quàm omnium totius orbis Christianarum Ecclesiarum pastores, tamen excusari non posse tuum istud factum, nisi vel ordinariam vocationem possis ostendere, vel rationes attuleris, quibus extraordinariæ vocationi locum nunc istic esse doceas. Et de turbationis quidem crimine hactenus.

Sed agè ad rẽ ipsam veniamus. Quæsiui ex te quod nisi perspicuè explicetur, dirimi hæc controuersia non potest, nempe quid putes esse rem Sacramenti in Cœna Domini. Tu vero de re Sacramenti interrogatus, de fructu siue effectu eiusdem respondes. Qua in re quoniam existimo te potiùs imperitia quàm versuria peccare, idcirco planiùs nunc tecum agam, vt vbi meliùs quid ego quæram cognoueris, meliùs quoque ad quæsitum respondeas. Rectè scripsit Irenæus, quod ipsum quoque Sacramenti vocabulum declarat, Sacramenta constare ex re duplici, vna terrena, altera cælesti. Terrena vocamus in hac actione Cœnæ Domini, panẽm illum & vinum illud, quæ etsi ex Dei ordinatione sacramentaliter mutata sunt, id est sacro vsui destinata, ac proinde, quod ad vsum attinet, longè alia quàm vulgaris panis & cõmune vinum: tamen res terrenæ sunt & manẽt, quoniam visibiles sunt & caducæ fragilisque naturæ. Rem autem cælestem vocamus, non eum fructum qui ad nos redit ex legitimo Sacramentorum vsu, sed illud ipsum, cuius significandi causa terrena illa adhibentur: quod quoniam sempiternum est, & ad vitam æternam spectans, idcirco cæleste vocatur. Exempli gratia in Baptismo terrena res est aqua, & eius aspersio: fructus Baptismi est obsignatio adoptionis, ablutio à peccatis tum præteritis tum futuris, veteris hominis mortificatio & noui resurrectio. Res autem per aspersam aquam significata, longè aliud est, nempe illud ex quo fructus illi colliguntur, nimirum sanguis Christi, ipséque adeò Christus, in quo adoptati iustificamur & sanctificamur. Quamobrẽ etiam dicit Apostolus, nos in Baptismo Christum induere. Sic etiã in Cœna Domini oportet te distinctè considerare non tantum signa (id est panem illum, & vinum illud) & fructum siue vsum propter quẽ illa sumuntur ex Dei mandato, id est, fidei ac proinde iustificationis & sanctificationis incrementum, sed etiam imprimis illud ipsum vnde illud spirituale incremẽtũ promanat, & cui nobis efficaciter significando terrena illa symbola adhibentur. Hoc ipsum est igitur quod ego quæro, nempe quid existimes nobis significari per panem & per vinum. Video enim te hîc hærere, ac proinde conabor, si possim, efficere vt te expedias, si modò constituisti te docilem & attentum præbere. Sequamur autem hac in re Christi præceptoris nostri vestigia. Vides illum in sacræ huius actionis institutione huc spectasse, vt sub terrenæ nutritionis viua imagine rationem cælestis & æternæ vitæ adipiscendæ nobis velut ob oculos poneret. Quæro igitur ex te, quum vesceris & bibis vt caducam hanc vitam sustentes, an non necesse est vt cibum ipsum & potum, id est ipsam rerum substantiam sumas, priusquàm illarum succo nutritus vitam proroges? Ita etiam de spirituali vita tibi cogitandum est, eo tantùm excepto quòd quum ad modum ipsum ventum est, corporalia illa corporaliter, spiritualia autem hæc mysteria spiritualiter geri intelligas oportet. Quod ergo est ventri esca & potus, id esse Christum ad æternam vitam potiendam tibi persuadeto. Quia sicut Deus ordinauit cibum & potum ad caducam hanc vitam fouendam: ita etiam Filius Dei carnem nostram induit, vt per eam vnam æterna vita potiamur. Quemadmodum igitur, vt paulò antè dixi, primùm ipsam substantiã cibi à nobis corporaliter sumi, ac postea demum inde alimẽtum hauriri necesse est: ita etiam primùm nos fieri Christi ipsius participes, siue Christum ipsum à nobis apprehendi, nósque adeò mysticè vnum cum ipso fieri oportet, vt iustitia & vita ad nos ex ipso deriuentur. Totum autem hoc arcanum spirituale est & cæleste, ac proinde nõ dentibus, non manibus, sed animo, id est fi-

de,ſpiritualis hæc alimonia percipitur ex parte noſtra,ſicut ex aduerſo Pater Filium,Filius verò ſeipſum nobis non corporali &naturali modo externis ſenſibus ſumendum,ſed ſpirituali prorſus & cæleſti oobiſque ineffabili virtute per fidem communicandum offert:idque in verbo interdum nudo & ſimplici,ioterdum vero adhibitis ſacramentis veluti veſtito. Sicut ergo verba ipſa ore pronuntiata & auribus percepta,ita etiam aqua in Baptiſmo aſperſa & panis ac vinum in Cœnæ Domini adminiſtratione data, accepta, manducata & hauſta, ſacræ quidem res ſunt, quoniam ſacris vſibus ſunt deſtinatæ, ſed tamen in ſeſe corporeæ & terrenæ. Res autem adeòque ipſa veluti tum verbi,tum ſignorũ illorũ materia, ſiue illud quod & verbis & ſignis illis figuratur,eſt planè cæleſtis & ſpiritualis,nempe Chriſtus ipſemet, qui etſi vera caroe noſtra præditus eſt,quam oeceſſe eſt dicamus nobis donari quum ſeipſum oobis donet, tamen ea etiã carnis reſpectu dicitur cæleſtis cibus, quoniam Deo iam viuit,& cęleſtem non terreſtrem vitã nobis inſpirat.Quoniam verò hæc communicatio peculiariter in nobis obſignatur in ſacra Domini Cœna,vbi externa panis manducatio & vini hauſtio ex Chriſti mandato vſurpãtur: idcirco quamuis & in ſimplici verbo,& in Baptiſmo idem ipſemet Chriſtus communicetur, tamen in Cœna peculiariter dicimur carnem Domini manducare, & ſanguinẽ Domini potare: in Baptiſmo verò,ſanguine ipſius ablui & purificari,quamuis & ipſe Dominus verbum ſuum ſimplex cibo comparet,Iohano. 6. & alibi,vbi etiam manducandi & bibẽdi vocabulis metaphoricè vtitur.Ergo vt paucis dicam,grauiter & multipliciter mihi videris in tuis illis propoſitioo ibus errare.Primùm quòd putas nos fieri Chriſti donorũ participes, nulla tamen interueniente ipſiuſmet Chriſti communicatione.quod quidem non minùs abſurdum eſt,quàm ſi dicerem aliquem viuere ex eo cibo quem nunquam comederit, aut conualeſcere ex eo medicamento quod nunquam ſumpſerit.

Alter in eo error eſt, quòd quum excluſa illa ipſiuſmet Chriſti ſiue ſubſtantiæ ipſius cõmunicatione,ſpiritualem nihilominus manducationem concedas, neceſſe eſt ſpiritualem ex eo dici exiſtimes,quoniam in ea fiamus ipſius Chriſti Spiritus & virtutis participes. qua io re noo leuiter hallucinaris. Nec eoim ſpiritualis vocatur ratione eius rei quam participamus, ſed potiùs, quoniam quod participamus, id ſpiritualiter ſiue ſpirituali modo participamus. Debuiſti enim à Grammaticis diſcere aduerbiis illis Spiritualiter, Corporaliter & ſimilibus, non res ipſas ſed qualitates ſignificari. Itaque ſi roges quid in Cœna Domini ſumant fideles præter panem & vinum: reſpondebo cum Chriſto & Paulo, ipſum Dominum ſiue corpus illud traditũ pro nobis, & ſanguinem pro nobis effuſum: non autem duntaxat ſpiritum illius ſiue virtutem & efficaciã, aut quocunque modo voces.Sin verò pergas rogare, quomodo illi carni & ſanguini communicem:reſpondebo ſpiritualiter & ſupernaturaliter per fidem. Denique ſi petas quo inſtrumento fiat ſpiritualis iſta communio:dicam Spiritum ſanctum ex Dei parte efficere in nobis fidem quæ Chriſtum in verbo & ſignis apprehendit.

Tertius error in eo eſt, quòd ſubſtantiale Chriſti corpus in Cœna Domini præſens eſſe ſimpliciter negas.Opus fuit enim diſtinctione: quia ſicut reuera à noſtris oculis, ac proinde a loco in quo Cœnam Domini celebramus, tam procul nunc abeſt Chriſti corpus quàm abeſt cælum à terra:tamẽ quatenus hæc actio cæleſtis eſt,& fides noſtra in cælum vſque ſubuehitur, vt Chriſtum quàm efficaciſſimè apprehendat, hoc ſanè reſpectu præſentiſſimam eſſe Chriſti carnem in Cœna niſi fatearis,Cœnam Domini euacuas.

Requiris nimirum verbi Dei teſtimonia,& quidem meritò. Te igitur velim in primis intueri Chriſti verba,Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis traditur: &, Hoc eſt ſanguis meus, qui pro vobis funditur.Item illud Apoſtoli,Poculum cui benedicimus, eſt communicatio ſanguinis Chriſti:& panis quem frangimus,eſt communicatio corporis Chriſti. Nam certè corporis & ſanguinis nomina nimis abſordũ foret de fructu & efficacia mortis Domini interpretari, vel ad ſolum ipſius Spiritum reſtringere: quod vt quàm planiſsimè intelligas,agè pro his vocibus CORPVS & SANGVIS ſubſtituamus illam interpretationem,&dicamus,Hoc eſt efficacia mortis meæ quæ pro vobis traditur,& hoc eſt Spiritus meus qui pro vobis effunditur.Quid ineptius eſt hac oratione?Nam certè verba illa, Quod pro vobis traditur, & Qui pro vobis effunditur, neceſſariò huc te adigunt,vt de ipſamet corporis & ſanguinis ſubſtantia hoc intelligere cogaris. Quod ſi id ipſum ſumi iubet Dominus quod tradidit & effudit pro nobis,neceſſe eſt quoque fateari,credentes fieri ipſiuſmet participes,vt poſtea demum ex ipſo ad nos vis illa omnis & efficacia viuifica defluat. Non minùs futile eſt effugium illorum,qui de corpore myſtico hoc accipiunt. Primum enim nos ipſi corpus illud myſticum ſumus, cuius caput eſt Chriſtus. Quid autem abſurdius fuerit hoc dicto,quo iuberemur corpus myſticum Chriſti pro nobis traditum, id eſt, nos ipſos pro nobis traditos manducare? Deinde vero quum ad ſanguinis nomen ventum eſt,quid tandem afferri poteſt?Neque enim Eccleſia dicitur myſticus Chriſti ſanguis,ac proinde craſſum eſt delirium,hæc Apoſtoli verba,COMMVNIO CORPORIS CHRISTI eſt,ad corpus myſticum,id eſt, ad Eccleſiam referre, niſi alterum etiam membrum, COMMVNIO SANGVINIS CHRISTI eſt,ſic interpretari velis vt Eccleſia etiam ſanguis Chriſti myſticus eſſe dicatur. Videris etiam quomodo locus ille Apoſtoli in quo dicitur,arcana illa & imperſcrutabili ratione,eſſe membra corporis Chriſti,ex carne eius & oſſibus eius, ad ſolam beneficiorum aut ſpiritus ipſius communionem, excluſa illa ipſiuſmet ſpirituali nobiſcum per fidem communicatione, accommodari poſsit. Præterea, qua tãdem ratione dicemur ipſius membra ſiue myſticũ corpus,niſi cum ipſo tanquam capite noſtro coaleſcamus? Craſſa autem hallucinatio eſt, caput Ec-

cleſiæ

cleſiæ eſſe arbitrari,non ipſummet Chriſtom,ſed eius tantùm Spiritum aut beneficia. Deoique quoties illud IN CHRISTO ESSE, viuere, reſurgere dicimur: toties noſtrã cũ ipſomet cõiunctionem ſtatui affirmamus.Et quum ſcribit Apoſtolus(Rom.8.32.)Deum nobis cumChriſto omnia largiri,apertè confirmat quod docemus : Oportere nos ptimùm fieri ipſiuſmetChriſti, ac poſtea demum ipſius donorum participes.quò etiam ſpectat parabola vitis apud Ioanoem,niſi fortaſſe vis palmitem ex eius vitis ſucco viuere poſſe,quicum tamen non cohæreat.

Venio iam ad nonnulla quę ſcribis.Illud,inquis,inter nos conſtare puto,Chriſtũ in illa Cœna non teale,neq; verum corpus ſuũ,ſed paoẽ duntaxat & vinum dediſſe diſcipulis edendũ & bibendum,quum alioqui neceſſe ſit noo verũ Chriſti corpus,ſed phantaſticum fuiſſe,quod poſtea cruci affixum & mortuum eſt. Ego verò reſpondeo,perinde hoc eſſe atque Chriſtum mendacii arguere,vt qui claris & perſpicuis verbis dicat,ſe illud ipſum corpus dare quod traditum eſt pro nobis,& illum ipſum ſanguinẽ pro nobis effuſum. Deinde quis vnquã niſi purus putus Anabaptiſta docuit Chriſtum dediſſe ſolummodo panẽ & vinũ diſcipulis? Abſit igitur,abſit vt in iſtis tã horrendis blaſphemiis tibi aſſentiar. Imò cõtrarium affitmo,nempe Chriſtũ non ſimpliciter panem & vinũ,ſed corporis & ſanguinis ſui ſactamenta:nec ſigna duntaxat,ſed etiam in primis verum illud corpus ſuum pro nobis paulò pòſt traditum,& verũ illum ſanguinẽ mox pro nobis effuſum,id eſt, ſemetipſum diſcipulis ſuis tunc verè dediſſe,& nunc Eccleſiæ ſuæ dare.Quod autem veteris ne inde conſequatur corpus illud phantaſticum fuiſſe,nullius eſt momeoti.Neque eoim veritatẽ corporis Chriſti,quæuis deſtruit cõmunicatio ſiue cõmunio, ſed illa demũ corpotalis manducatio,quæ fit maoibus,& ore,cuiuſmodi illa eſt quam & Metouſiaſtæ ſiue Trãſſubſtantiatotes & Synouſiaſtæ,ſiue conſubſtantiatores cõminiſcuntur.Itaque locũ illum Auguſtini in Pſalmo 89,Non hoc corpus quod videtis comeſturi eſtis , nec bibituri hunc ſanguioẽ quem ſunt effuſuri,nõ eſt quod ſic accipias quaſi ſentẽtiæ tuæ faueat. Neque enim omnẽ veri corporis manducationẽ ſic excludit Auguſtinus,ſed corporalem duntaxat,vt ſpiritualem ſtabiliat.Addit eoim,Myſterium eſt quod vobis dico:quod ſi ſpiritualiter intelligatur,viuificabit.

Secuodo loco profers inſignem illum locum Ioannis,Verba quæ loquor,ſpiritus & vita ſunt: Caro nihil prodeſt,ſpiritus eſt qui viuificat. Quæ verba dum ſic torques quaſi omnem ſubſtantiæ ſiue ipſiuſmet Chriſti communionẽ tollant,tu videris quo fundamento nitaris.Certè ſi ſimplicitet & ſine diſtinctione exiſtimas carnem Chriſti nihil prodeſſe , conuelleris ipſius Chriſti teſtimonio, qui carnis ſuæ & ſanguinis ſui perceptionem toties eodem loco ioculcat. Et alioquin,obſecro,cur inutilem Carnem Dei Filius aſſumpſiſſet? Caro igitur non prodeſt carnalitèr videlicet ſiue ore comeſa,quod Capernaitæ ſomniabant.qui quoniam in Chriſto nihil amplius quàm in cæteris hominibus ſpectabant,ideo monendi fuerunt ſpiritualem & viuificũ veluti ſuccum ex ea carne ſpiritualiter videlicet comeſa,& fide non deotibus apprehẽſa,in omnes credentes deriuari.Hanc autem eſſe Chriſti ſententiã,vt doceat oeque carnem abſque ſpiritu prodeſſe, neque ſpiritũ abſque carne viuificare, ſed Chriſto ipſi toti pet fidem communicandum eſſe, totus ille locus probat,omnes ad vnum interpretes Græci & Latini docent , & analogia ipſa fidei conuincit.Deinde quum dicis illa ſymbola panis & vini, mortem Ieſu Chriſti nobis annunciare,quod Paulus quoque non diſsimulet,nimiùm obſcurè & inuſitatè à te dicitur. Nec enim id dicit Apoſtolus,aut Chtiſtus ipſe , ſed iubent nos mortem Domini annunciare quoties panem illum edimus,& vinum illud bibimus,id eſt , fidem noſtram in Ieſum Chriſtum pto nobis paſſum ſolenni recordatione & gratiarum actione profiteri.

Quod autem exiſtimas illis panis & vini ſignis beoeficia Ieſu Chriſti nobis in memoriam renocari,verè à te dicitur.Sed addere illud debuiſti , omnium beneficiorum velutl fundamentum hoc eſſe,quòd ſemetipſum pro nobis per fidem apprehendendum donârit: quam oostri cum ipſo communionẽ inCœna ſanciri & obſignari vult,ſicut ipſius verba teſtãtur.Nec enim ſcripſit Paulus hunc paoem & hoc vinum eſſe communionem efficaciæ mortis Chriſti, ſed diſertis verbis ſcripſit eſſe communionem corporis & ſanguinis Chriſti,id eſt,vt rectè dixit Hilarius , hæc hauſta & ſumpta efficere vt ſimus in illo & ille in nobis : ſiue, vt planiùs loquamur, eſſe quiddam,quo qui rectè,id eſt,cum fide vtuntur,magis ac magis cum ipſo Chriſto coaleſcunt , à quo in æternam vitam viuificantur.

Addis etiam hoc argumentum,Chriſti càrnis ſubſtantiam,quum ſit in cælis, non poſſe à nobis,qui ſumus in terra,vllo modo manducari. Ego verò reſpondeo manducationis nomẽ non propriè ſed tranſlatitiè ad ſpiritualem perceptionem accommodari , ſactamentali videlicet loquutione,qua quod eſt ſignorum proprium(ptopriè enim ſymbola ipſa duntaxat manducãtur) ad rem ſignificatam ttansfertur.Itaque quum de ſpirituali manducatione agimus,ſcias oportet hoc verbum Manducare nihil aliud declarare,quàm credendo apprehendere ſiue ſibi adiungere & applicare.Deinde,obſecro,cuiuſmodi hoc eſt argumentum , Chriſti carnem , quia in cælis eſt,nobis, qui in terris ſumus,donari non poſſe,& ſi donetur,non tamen à nobis poſſe petcipi? Quid enim obſtat,quominus in ordinariis etiam contractibus,tibi in Europa degenti , donetur fundus qui ſit in extrema India,& ita quidem vt rata ſit & efficax donatio ? Cæterùm in manus tradi rẽ ipſam abſenti tibi non poſſe fateor.ſed quid hoc ad nos,qui diſertè dicimus nõ dẽtibus, nõ manibus,nõ vẽtre,oõ deniq;corpore,ſed ſpiritualiter,animo videlicet vera fide pręditoChriſti carnẽ&ſanguinẽ à nobis percipi:ſiue vt loquitur Auguſtin⁹,cibũ hũc fidei eſſe nõ vẽtris? Dinerſas autẽ eſſe quęſtioẽs,Quid ſumatur,&Quomodo,&in quẽ vſũ ſumatur,ãtea demõſtrauim⁹.

Denique perabſurdũ eſt,quod colligis,nõ poſſe manducari Cbriſti ſubſtantiã,quoniã ſemel

ex præscripto Patris mori voluit. Nec enim mortuum Christum, sed viuum, imò etiam viuificum nobis communicari docemus.

Postremò spiritualis ista corporis & sanguinis Christi communio, quam substantialem esse dicimus, videtur tibi, & quod ad nos attinet, superflua, & ipsi Christo indecora. Ego verò non modò superfluam nõ esse, sed etiam prorsus necessariam multis antea rationibus ostendi. Non est autem Christo indecora hæc nostri cum ipso coalitio, quoniam nullis membrorum sordibus caput illud inquinatur, sed potiùs summa huius augustissimi capitis maiestate & gloria, cohærentia & coniuncta cum ipso membra exornantur. Id quod tamen tum demum planè apparebit, quum Deus erit omnia in omnibus, & corpora etiam nostra glorioso capiti conformia reddiderit.

Hæc habui pluribus maximísque negotiis occupatus, quæ tibi in hoc argumento suggererẽ, eò libentiùs quò sæpius in tuis literis testaris te cupere in istis erudiri, quem ordinem si priuatus homo secutus esses, id est, si, vt oportuit, doceri diu & patienter sustinuisses, priusquam absque vlla vocatione conceptas apud te opiniones altiùs animo tuo infigeres, ac postea etiam licet repugnantibus tuis pastoribus ferreres, ac tandem etiam modis omnibus defenderes, meliùs profectò & tibi ipsi & aliis quibusdam consuluisses. Videbor & ipse fortasse tibi nimiùm confidenter loqui: sed memineris velim me eius nomine loqui, à quo, licet indignus, & infimorum Ecclesiæ Pastorum minimus, hoc tamen ministerium & loquendi potestatem accepi: ac ne me existimes nescio qua imaginaria authoritate niti, quæ mihi nunquam in mentem venit, scito me per Dei gratiam credere quod loquor: & quoniam per ea ipsa diuerticula ambulaui, in quibus te errare video, idcirco liberius tecum de iis rebus agere. In summa si quod initio factum à te esse oportuit, nunc saltem agas, id est, si discipulum te non doctorem præstiteris, rectè feceris. Audiêris enim quàm patientissimè, & nisi per te ipsum steterit, erudieris: sin verò perrexeris vt cœpisse te video, iam nunc tibi denuncio fore, vt quod aliis Ecclesiarum turbatoribus euenit, tibi quoque & tuis sectatoribus omnibus, si qui fuerint, quod & à te & ab illis absit, eueniat, nẽpe vt te nulli magis quàm tibi ipsi nocuisse serò experiaris. Vale in Domino, Geneuæ, 2. Iunii 1566.

EPISTOLA SEXTA.

PHILIPPVS MARNIXIVS D. THEODORO BEZAE optimo præceptori ac parenti in Christo, salutem & pacem à Domino precatur.

ETSI non soleo committere, vir mihi multis nominibus obseruande, vt quos grauibus vel Reip. vel Ecclesiæ negotiis occupatissimos esse scio, eos meis aut sermonibus, aut literis, aut deniq; quæstionibus obturbẽ: quòd ea quæ summi homines libris à se conscriptis posteritati accuratissimè explicarunt, semper existimaui ex eorũ monumentis petenda potiùs, quàm vt ipsi eadem de re obtundantur sæpius: tamen non potui hoc tempore me tenere, quin eius quæstionis explicationem per literas à te postularem, quã non parum ad nominis gloriæque diuinæ propagationem facere arbitror: præsertim quum iampridem eius quasi quidem scrupulus aut aculeus animo mihi semper infixus hæserit. Equidem non ignoro quanta dexteritate quãtóque successu omnes, quæ de religione post homines natos extiterunt, controuersias discusserit admirabilis ille Dei propheta Ioannes Caluinus. Sed tamen est aliquid si non ortum his temporibus, at certè recens in lucem reuocatum: de quo ex eius lucubrationibus, quoquo tandem eas studio euoluerim, nunquam potui plenè, ne quidẽ quid ipse sentiret, iudicare. Sed rem ipsam paucis expediam. Puto ad vos perlatum esse nos his locis ab hominibus quibusdã & nouis & impuris ita lacessi atque vexari, vt etiamsi à Principibus aliqua libertatis facies aliquando affulgeat, ab illorum tamen tum calumniis tum impiis commentiis Ecclesia ægrè videatur posse asseri. Est enim genus nouum ἐνθουσιαστῶν qui tum ex illa, quam nosti, Theologia Germanica dudum à Castellione Latinè reddita, tum ex Taulero deliro sanè Monacho, tum porrò ex aliorum quorundam & veterum & recentiorum hæreticorum furoribus, eas cõsuunt rhapsodias, quæ non iam superstitiosæ ac rudi plebeculæ, sed ipsis etiam viris, & mediocri eruditione, & non contemnenda pietatis specie præstantibus, ita vehementer arrident, vt certatim omnes ad eorum libros quasi ad reconditum aliquem thesaurum accurrant. Omnia eorum deliramenta percensere, nimis foret longum, & ipse non potes pleraque ignorare, cui fuerit cum huiusmodi monstris (in quibus Castellionem ego non infimo loco posuerim) persæpe cõflictãdum. Vnum est tamen de quo tuum iudicium requirimus. Sebastianus Francus homo Germanus qui mirifica huiusmodi portenta congessit in suas farragines, ac in primis in eum, quẽ Paradoxa inscripsit, librum, Axioma illud Serueti de Dei reali vel essentiali in omnibus & rebus & locis præsentia ita vrget, vt ex eo colligat non modò brutas pecudes, sed ipsa etiam corpora inanimã, tamen anima quadam communi atque diuina vel cælesti vegetari, quæ nisi fallor à Virgilio mũdi spiritus, ab hoc verbum internum, sermo spiritus, lux, potentia, vis, ac denique Filius ipse Dei nominatur. Eam cùm hominum omnium animos communi quadã vi fouere, tum præsertim in piis viris facultatẽ quandam præcipuã ac singularẽ exerere. Eóque rectè illos vel deos vel certè

deificatos

deificatos appellari. Quo sensu vult Christum ipsum dici Filiũ Dei, cui Socraté ac Mercurium Trismegistũ, aliósque huius farinæ nonnullos, tanquã æquales ac socios adiungit. Eius infinitas blasphemias statuerunt quidam refutare, sed hoc vnum eos remoratur, quòd haud satis illis constare possit quid de primo illo axiomate Seruetico ex quo cætera omnia manant, sit iudicandũ. Mihi certè haud dubiũ fit, quin ex eo multa non modò falsa, sed prorsus etiã impia consequãtur. Tamen neque Ioannes Caluinus neque ex veteribus (quod quidẽ sciam) quispiã argumẽta ad illius ipsius refutationẽ suppeditat. Quinimò verò veteres illi Theologi videntur mihi præsentiã illam realem Diuinæ essentiæ in immensum plerunque extẽdisse. Etenim & Didymus, & Basilius, & aliquot præterea alii, Spiritus sancti diuinitatẽ, ni fallor, ex eo colligunt. Ex nostris etiã in quibus est cũ Vbiquistis negotium, idipsum à Christi humanitate dũ tollunt, tribuunt omnino diuinitati, eóque, vt videre videor, adducuntur vno atque altero Scripturarũ testimonio, quo Deum omnia replere comprobatur. Sed si hæc repletio debet essentialiter, ac non potiùs secundum eius potentiã ac maiestatẽ accipi, non video profectò quomodo commodè occurri possit infinitis dogmatum portentis, quæ in singulos dies ab impiis hominibus excogitabuntur: præsertim quum ab illis etiam faciat vulgare illud veterum axioma, Deũ id esse quicquid de eo dici potest. Etenim quũ nõ cadat in illum accidẽs, quicquid illi verè tribuitur, id esse eius essentiã. Ita esse non bonũ, non beneuolum, non immensum, sed ipsam bonitatem, beneuolentiam atque immensitatem. Ex quo sanè mihi videntur (qui præcisè verba ipsa sequi velit) absurdissima quæque consequi. Quicquid enim à Deo erit in homine, idipsum erit Deus. Quo certè & Trinitatis illa doctrina tolletur, & simul quæcunque in nos per Christum collata sunt à Deo beneficia penitus obscurabuntur, & profunda ista vel Francica vel Seruetica caligine immẽsitatis obruentur. Quare etiam atque etiam obnixissimè te rogatum velim, ne nobis tuam hac in re sententiam graueris aperire. Video certè Ioannem Caluinum propemodum vbique ab hac disputatione studiosè refugisse, quòd existimaret nullum afferre fructum Essentiæ diuinæ cognitionẽ, quam ipse cœlestis Pater nobis esse occultam voluit. Et non ignoro quæstionem esse eiusmodi, quæ mentis humanæ aciẽ perstringat atq; obtũdat. Sed quid agas in tãta hæreticorum importunitate, qui non verentur alia ex alis figmenta nectere, tantùm vt religionis fundamenta radicitus euertant? Quibus nisi resistimus, vides in quantum discrimen vocetur res Christiana. Si omnino tamen existimabis rem esse huiusmodi, quæ nullo pietatis incommodo vel possit vel certe debeat ignorari, cupimus nihilominus vt nudè apertéque vestra vestrarúmque Ecclesiarum sententia nobis explicetur. Sin autem putabis ad rem Christianam pertinere, vt non prorsus ignoretur, rogamus vt omnibus rationibus agumentísque & vestram confirmatam & aduersariorum sententiã confutatam per literas ad nos mittas. Non quidem quòd hoc ipsum argumentum contentiosis vulgi iudiciis & quæstionibus velimus obiicere, sed vt ipsi & in re tam obscura quid sequamur, habeamus, & in argumẽto tã ambiguo ad impiorũ calũnias retũdendas simus munitiores. Id si feceris, facies tu, mihi crede, magnum operæpretiũ & ad impiorũ sophismata prosternenda, & ad infirmiorum conscientiarum scrupulos leuandos, & denique ad Ecclesiæ constituendã trãquillitatem. Itaque vehementer etiam atque etiam te rogamus ne hac ex parte nobis desis.

Statueram præterea certiorẽ facere te quàm hîc sinistrè plerique interpretẽtur libellos isthic vltro citróque tum in Balduinum tum in Heshusiũ scriptos, ex eóque homines maleuolos grauem Euangelicæ veritati conciliare inuidiam. Sed quoniam audiui te harum rerum ab aliis esse factum certiorem, volui ab hoc argumento supersedere. Rogo tamen, obseruãde in Christo parens, vt vel in harum regionũ gratiã in quibus non modò cum hypocritis eo nomine nobis est colluctandum, verumetiam ab apertis hostibus grauia multa perpetienda (qui suam tyrannidem in contentiones nostras deriuant) non graueris stylum quàm modestissime in Euangelicæ veritatis Apostatas ac aduersarios temperare. Non quidem quòd parcendum illis censeam, qui nullum non lapidem mouent, quò nos in inuidiam grauiorem vocent, sed ne (dum illis pro merito respondetur) quod suis illi vanissimis erga nos maledictis atque calũniis nequeunt cõsequi (nẽpe vt Euangelii lucem obruant, eiúsque sectatores apertis veritatis hostibus excarnificãdos tradant) idipsum nostris etsi iustissimis ac verissimis, non tamen, vti plerique existimant, Euangelica mansuetudine dignis vel accusationibus vel responsionibus adeptos se esse gloriẽtur. Id si feceris, vti omnino statuisse te audio, & nos magna inuidia leuaris, & illis ipsis perfidis Apostatis turpem maledicentiæ notam inustam reliqueris. Itáque vt facias, vehementer hîc omnes Euangelii studiosi (qui te plerique vt parentem amant & colunt, reuerẽtúrque vt Præceptorem) etiam atque etiã te rogant. Vale, & has Ecclesias adhuc in luporũ hærentes faucibus quæso tuis vestrarúmque Ecclesiarum precibus Deo Patri Iesu Christi commendato. Nos etiam summum illum Patrem non desinemus precari vt te tuósque æquales suæ Ecclesiæ suique nominis propagationi diu tueatur incolumes. Ex rure Budẽghenio ad IIII. Idus Ianuarii. Ne autem ignores quis has ad te scribat, puto te meminisse duos fratres solere apud D. d'Aignõ habitasse. Iã, ni fallor, quadriennium est. Hos quia & D. Cal. piæ memoriæ & ipse tu, non modò publicis vestris atque toti Ecclesiæ communibus beneficiis deuinxistis, verumetiam humanitate priuata complexi estis, non dubitauit minor natu, qui & ipse à fratris nomine Budenguenius eo tẽpore vocabatur, hæc ad te scribere, fretus & illa tua humanitate solita, & maximè illo tuo erga Domini gloriam zelo. Itaque vt & benignè interpreteris, & respondere non graueris, te vehementer rogat. Iterum vale in Christo Iesu.

Frater in Christo cupiit te salutare.

EPISTOLA VII.

AD HAS SVPERIORES LITERAS D. Theodori Bezæ responsio.



GRATVLOR tibi animum istum non tantùm φιλομαθῆ, sed etiam veritatis amantem. Est enim omnino auiditas ista omnia cognoscendi, certa quadam ratione temperanda, ita videlicet vt primùm quidem in iis duntaxat laboremus, vnde & ipsi effici meliores, & aliis pro vitæ nostræ ratione prodesse possimus: deinde vt hic quoque intra modum sapiamus. Vtrumque verò illud tum demum optimè obseruabimus, in iis quæ facilè præcipua sunt, id est, quæ ad salutem nostram spectant, si nos intra Diuini verbi metas continuerimus, sicut per Prophetas & Apostolos est in vtriusque fœderis tabulas relatum. Itaque, mi Philippe, quæcunque ab istis Enthusiastis de Deo diuinisque rebus extra Verbum illud scriptum dicuntur, si quis rimari studeat, perinde mihi facere videtur ac si velit cum ratione insanire. Sunt autem extra verbum, non modò quæ sunt apertè commentitia, sed etiam quæ allegoricis illis fictionibus nituntur, quarum optimi sunt artifices Libertini, atque adeò ii ipsi de quibus scribis, quantum quidem possum ex paucis tuis verbis coniicere. Illorum enim scripta neque legi neque legere etiam velim. Denique turgidos illos spiritus qui simplicitatem doctrinæ Christianæ in illas ματαιολογίας transformant, & vt sunt prophani, non dubitant etiam sacræ Scripturæ testimonia suis commentis prætexere, rectè feceris si semel contempseris, etiamsi à multis (vt hodie si vnquam aliàs, delirat mundus) auidè expetantur. Pascant sese stulti inanissimis istis fabulis, nos autem solidam sapientiam ex nostro illo præceptore discamus. Cæterum quod ad illam quæstionē attinet de præsentia Dei, reperies illam verè simul & eruditè apud Augustinum multis locis explicatam, & quomodo Libertini peruersè illam explicent D. Caluinus noster copiosè aduersus illos exposuit. Dicam autem paucis quod res est Deum immensum & infinitum esse nemo vnquam nisi communis sensus expers dubitauit. Cœlum & terram impleo, dicit Dominus apud Ieremiam. Et Dauid, Quò fugiam (inquit) à facie tua? Et quum Deus sit Iehoua, vbicūque est, ibi (id est, vbique) essentialiter eum esse necesse est fateamur. Sit hoc igitur extra cōtrouersiam. Sed longè aliud fuit Serueti delirium, quod cum Manichæis habuit commune, vt qui sic existimauerit Deum esse essentialiter in omnibus, vt esset omnium pars essentialis: quod ita est ridiculū, vt ne refutatione quidem egeat, & ita execrandum vt ne cogitari quidem sine flagitio possit. Sic enim omnia continet Deus, vt à nullo contineatur, neque in hac præsentia concipi potest, aut debet, vel vllum loci spatium, vel quicquam eiusmodi quod finitis & creatis substantiis competat. Multò minùs autem imaginandum eum rebus commisceri, aut earum partem fieri, quum sit prorsus immutabilis, nec quicquam eiusmodi ferat ipsius natura. Hoc tamen verum est, in illo arcano & ineffabili Dei opere, Verbum illud æternum (quod initio erat apud Deum Deus) factum esse carnem, id est, assumptam illam naturam humanam ita sibi propriam effecisse, vt saluis ac distinctis manentibus diuinitate simul & humanitate, Christus sit Deus & homo. Hîc demum igitur credendum nobis est τὸν λόγον ἀΐδιον esse in illa carne σωματικῶς, (id est, vt postea dici cœpit, ὑποστατικῶς) adeò vt hæc caro sit Dei caro, quia vnicum est ὑφιστάμενον, Christus simul Deus & homo. qua de re si libet legere quid nuper Nestorio simul & Eutycheti simul in vno dogmate renatis responderim, pleniùs hæc intelliges. Sit igitur hoc apud te certissimum, Dei essentiam vbique esse essentialiter, non tamen vllis locorum spatiis terminatam, neque vt rerum partem, vt quæ sit infinitissima: τὸν λόγον autem præterea peculiari modo cum assumpta illa carne, id est, humana natura, hypostaticè esse vnitum. Qui enim hæc non tenet, nec Deum nec Christum tenet. Iam verò quod isti inde colligunt de communi anima, de sermone interno, de spiritu, de luce, de deificatione, vide quàm nullo fundamento nitatur. Sicut Deo iubente omnia facta sunt, ita etiam eius virtute subsistunt, alia quidem in æternum ex quo condita sunt, vt Angeli initio creati, & animæ humanæ quæ corporibus nostris nascentibus eo modo quo nouit opifex, & creantur & insinuantur: alia verò ad longius, alia ad breuius spatium. Sed an propterea efficitur, omnia esse prædita Deo vt communi anima? Omnia quæ sunt, id habent à Deo, vt sint, an verò propterea Deus est ipsorum essentia, ac non potiùs eorum essentiæ opifex? Quæ mouentur & viuunt, hoc certè habent ex Dei creatoris gratia. sed an propterea Deus est ipsorum anima, quoniam ipsorum animam condidit, & quibus voluit facultatibus ornauit? In sanctis verò siue credentibus, non esse tantùm, sed etiam habitare dicitur Deus, & quidem vt in templo sibi consecrato. Ego & Pater, inquit Christus, veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Quid ergo? nempe ad essentialem illam præsentiam istud referri non potest, secundum quam dicit Apostolus, nos in eo viuere, moueri & esse. Quomodo enim diceretur venire, vbi iam est præsens? Rectè igitur Augustinus ista distinguit, ac proinde ibi demum dicitur habitare Deus, vbi ad salutem operatur: cuius efficaciæ respectu dicit Petrus nos fieri Diuinæ naturæ participes. In Christo verò longè aliud est mysterium, qui vnus homo (vt ante dixi) secundum ipsam τοῦ λόγου ὑπόστασιν Deus est ac dicitur. Itaque istorum delirium, qui Christi Diuinitatem eius carni hypostaticè vnitam confundunt cum donis, non dico in Socratem vel Trismegistum (est enim hoc prorsus absurdum) sed in sanctos ac credentes collatis, riuus est ex Nestoriana impietate deductus. Non rectè autem putas veteres longius quàm par esset, realem diuinæ Essentiæ præsentiam extendisse, quum Spiritus

ſancti diuinitatem inde collegerunt. Imò verè & aptè ſunt ita argumentati, quoniam vbique eſſe ac proinde nullo loco comprehendi, ſic eſt deitatis proprium, vt vni ſol. que Deo ſemper conueniat, vt qui ſolus ſit infinitus. Poſtremò, Deificatiooem quam iſti comminiſcuntur, iube illos ex Scripturis probare. Nos verò diſcamus ex Dei verbo non tantùm ſapere, ſed etiam loqui. Venio ad alterum, de quo ſcribis, In Deum non cadere vllum accidens neceſſe eſt nos fateri, quoniam alioqui compoſitum quiddam eſſet. Itaque ſic dicitur iuſtus, bonos, miſericors, vt ſit ipſa iuſtitia, bonitas ac miſericordia: quoniam ipſum ESSE Dei perfectionem omnem eſſentialiter in ſe includit. Quòd verò inde iſti colligunt, Ergo quicquid à Deo erit in homine, idipſum erit Deus, non rectè colligitur. Nam longè aliud eſt Dei Eſſentia, aliud quod ipſe efficit in nobis: aliud eſt habitus in nos per ſancti Spiritus gratiam collatus, aliud Deus ipſe qui eſt omne bonũ in ſeipſo. Et hæc quidem in iis locum habent, quæ abſolutè de Dei eſſentia prædicantur. Eorum autem quæ per relationem de Deo dicuntur, vt gignere, gigni, & procedere, longè alia ratio eſt: quoniam hæ ſunt non ipſius Eſſentiæ ſimpliciter, ſed ipſarum in Dei Eſſentia diſtinctè ſubſiſtentium Perſonarum proprietates. qua de re plura, ſi Dominus dederit, aduerſus Tritheitas diſſeremus. Et de his quidem hactenus. Supereſt vt ad extremam tuam Epiſtolam paucis reſpõdeã. Balduinum & Heshuſium nonnulli vellent moderatius à me fuiſſe reprehenſos. Ego vero cuperem iſtos æquè affici impudentiſſimis eorum conuiciis in homines innoxios contortis, ac iuſtis noſtris defenſionibus. Quid non enim in optimum illum & innocentiſſimum Dei ſeruum iaculatus eſt fœdus ille Apoſtata? in me verò quid non dixit? Et tamen Deus mihi teſtis eſt in animam meam, non multò magis me, ſi res mea priuata ageretur, iſta petulantia commoneri potuiſſe, quàm ſi in his regionibus verſans audiuiſſem canes in India latrare. Sed quum per noſtrum latus viderem Gallicas omnes Eccleſias ab iſto conductitio rabula confodi, & tanquam ſeditioſos accuſari, quotcunque iſtorum latronum telis corpora ſua non obiecerunt, vt tacere neceſſe fuit, niſi & Chriſti cauſam & regiam maieſtatem prodere maluiſſent, peccaui ſcilicet, quòd eius calumniis ſic reſpondi, vt & ipſum ſycophantam ſuis coloribus depingerem, & cauſę noſtrę bonitatem probarem. Itaque quod ad illum attinet, non diſſimulo me nullum peccatum agnoſcere, & moderatos iſtos nihil morari. De Heshuſio, quoniam aliud argumentum tractabam, fateor cauſam illam potuiſſe aliter agi. Sed ſingularis illa iſtius hominis & inſcitia & audacia in hos veluti ſcopulos me adegit, vbi tamen ſpero me naufragium non feciſſe. Vtinam deinceps tacere potius poſſim, quàm vlla de re cogar contendere. Sed noſtra hæc eſt conditio, niſi Dei veritatẽ ſilentio prodere velimus. Hîc verò precare, vt mihi ſuggerat Dominus quod ab eo ſemper petii & petam, nempe quæ ad Eccleſiæ ædificationem ſpectant, ſine vlla cuiuſquam boni offenſione. Præfractos autem illos, qui offenſionis occaſiones ex quibuſuis captant, ac re vera, vt aliquando experieris, nullam religionem curant, nihil nobis morandos puto. De rebus noſtris, rectè adhuc omnia, Dei beneficio. Precare Dominum vt hanc Eccleſiam aduerſus Antichriſti inſidias ſeruet. Fratrem tuum iubeo viciſſim ſaluere. D. Ieſus te ſeruet, & ſtudiis tuis magis ac magis benedicat. Geneuæ, 16. Martii. 1566.

EPISTOLA VIII.

REVERENDO VIRO ET PATRI, D. EMVNDO GRINdallo Epiſcopo Londinenſi, Theodorus Beza gratiam & ſalutem à Domino.

PRAETERQVAM quòd ſerò admodum mihi redditæ ſunt literæ tuæ, factum eſt tabellariorum penuria, Reuerende vir, vt in reſpõdendo prorſus ὑπερήμερος eſſe cogar. Ago autem tibi maximas gratias, tum de humaniſsimis literis tuis, tum etiam de tuo munuſculo, vt tu quidem vocas, quod tamen ego vt longè maximum gratiſsimúmque tui μνημόσυνον libenter conſeruabo. Cæterùm quod ad meas illas annotationes attinet, tũ demum mihi tales videbuntur quales tu prædicas, quum tuo & cæterorum doctorum hominum beneficio quàm acerrimè fuerint caſtigatæ. De rebus noſtris rectè adhuc & pacificè apud nos omnia ſingulari Dei Opt. Max. erga nos clementia & bonitate, quum alioqui meritò poſsit hæc Eccleſia Dauidicum illud exclamare, Oderunt me gratis. Sed beoc eſt quòd propter Chriſti nomen malè audimus, καὶ συκοφαντούμεθα, pro quo quiduis pati honorificum eſt. Alii nos vt impios & hæreticos, Papiſtæ nimirum & Vbiquitarii: alii vt nimiùm ſeueros, ii nimirum quos ſuam licentiam pudet noſtra qualicunque diſciplina coargui, non tantùm reprehendunt, ſed etiam execrantur. Atqui ſpero nos in vtroque huius accuſationis capite, cauſam noſtram coram Filii Del tribunali probaturos. Nam quod ad doctrinam attinet, conſentire illam cum Dei verbo nõ dubitamus, nec erit nobis (vt opinor) difficile rituum huius Eccleſiæ ſimplicitatem, cuius nos minimè pœnitet, totámque adeò diſciplinæ noſtræ rationem ex eodem ſonte petitam demonſtrare, quamuis ab eo quod iam conſtitutum oportuit, nos multùm adhuc abeſſe vltrò fateamur. Quis porrò fuerit quorundam nuper aduerſus omnes harum partium, ac proinde etiam aduerſus Gallicas & veſtras quoque Eccleſias, quas omnes nobiſcum in omnibus doctrinæ capitibus conſentire arbitramur, conatus & συγκρατησμὸς, iampridem ad vos vſque perlatũ eſſe opinor: quod maximum malũ etiã ſi ad vos vſque non pertingeret, tamen eſt eiuſmodi, vt vel propter tot tan-

tarúmque Ecclesiarum ruinam, meritò vos quoque debeat cõmouere. Hæc igitur causa fuit cur hyeme superiore omnes harum regionum Ecclesiæ, sola excepta Basiliensi, quoniã paulò antè similem prorsus, quod ad rem ipsam attinet, confessionem priuatim ediderat, in communem à fratribus Tigurinis scriptam confessionem consensimus, cuius summæ ἁρμονίας amplissimum fore fructum speramus. Secutæ postea sunt hoc exemplũ Gallicæ omnes Ecclesiæ, edito sui nobiscũ consensus testimonio. Quod si hoc quoque nunc nobis daret Dominus, vt & vestræ quoque & Scoticæ Ecclesiæ suum cum hac communi nostra confessione consensum publico quopiam scripto testarentur, non dubium est quin hoc impediendis aut penitus etiam frangendis eorum consiliis, qui multitudine potiùs quàm rationibus freti nostram damnationem vrgent, maximè sit profuturum: & multos quoque quibus persuasum est nostras Ecclesias innumerabilibus inter se dissidiis conflictari, ad cognoscendam veram religionem excitaturum, vt de multis infirmis taceam, quos non dubium est tot gentium consensione plurimùm confirmatum iri. Itaque, Reuerende Vir, hoc negotium, vt Ecclesiæ Dei maximè opportunum, tuóque & tuorum reuerendorũ collegarum muneri maximè conueniens, dignum esse puto, quod non modò curandum suscipias, sed etiam apud regiam Maiestatem modis omnibus promoueas: quam operã vt Ecclesiæ Dei præstare non recuses, vehementer etiam atque etiam rogo, atque adeò per ipsius Christi nomen obtestor. Cæterùm in hunc locum semel ingressus obsecro tuam humanitatem, Reuerende Vir, vt me nulla, ita me bene Deus amet, ambitione, sed solo in Anglicas Ecclesias affectu impulsum, benignè & patienter ferat in argumento non prorsus dissimili paulò vlteriùs progredientem. Rumor ad nos est perlatus, quorundam etiam ex Gallia & ex Germania literis confirmatus, multos istic Ministros verbi, inculpatæ alioqui tum vitæ tum doctrinæ homines, idcirco fuisse à Regia Maiestate, vobis etiam Episcopis approbãtibus exauthoratos, quòd certis quibusdam nouis ritibus subscribere recusarint. Eorum autem mandatorum summam hanc esse aiunt, vt non tantùm vestes illas, Baalis sacerdotum insignia in Papatu, sed etiam ritus quosdam, qui iam olim in turpissimas superstitiones degenerarunt, veluti crucis cõsignationem, genuflexionem in Cœnæ communicatione, & siqua sunt huius farinæ, rursus admittant. Addebant etiam aliud multò grauius, nempe quòd mulieribus Baptismus permitteretur, quòd aliorum superinducendorum rituum potestas Regiæ maiestati fieret, quòd denique solis Episcopis de constituendis rebus Ecclesiasticis potestas omnis tribuatur, nulla ne conquerendi quidem singularum Ecclesiarum Pastoribus facultate relicta. Rescripsi amicis illis longè alia tum Serenissimæ Reginæ Maiestatem, tum etiam tot doctissimos & religiosissimos Episcopos Ecclesiæ Dei polliceri, & pleraque saltem ex istis, vel à maleuolis quibusdã mihi videri penitus conficta, vel aliò saltem detorta. Obsecro tamen vt mihi per humanitatem tuam liceat nõnihil hisce de rebus inter nos conferre. Scio duplicem esse de Ecclesiarum instauratione opinionem. Sunt enim qui Apostolicæ illi simplicitati nihil penitus adiiciendum putent, ac proinde sine exceptione, quicquid Apostoli fecerunt faciendum, quicquid autem succedens Apostolis Ecclesia ritibus primis adiecit, semel abolendum existiment. Sunt contrà, qui veteres præterea quosdam ritus partim vt vtiles & necessarios retinendos, partim verò, etiam si necessarii nõ sint, tamen concordiæ causa tolerandos censeant. Quod ad me attinet, doctrinam quidem Apostolicam numeris omnibus perfectissimam fuisse non dubito, cui nec detrahere nec adiicere quicquam liceat: de ritibus autem paulò aliter iudico. Primum enim certum est nascẽtibus Ecclesiis, ne ipsos quidem Apostolos potuisse, quicquid expedire iudicarunt, statuere, ac proinde pedetẽtim necessariò fuisse progressos, sicut ostendit Diaconorum institutio, adeò vt Iudaica etiã multa ad tempus tolerarint, sicut ex eorum historiis liquet. Deinde, cui dubium est Apostolos suorum temporum itémque locorum & personarum rationem in externis ritibus summam habuisse? adeò quidem vt eosdem ritus per omnia vbique custoditos fuisse non sit probabile, sicut ex illa Irenæi ad Victorẽ insigni Epistola satis liquet. Quid quòd quædam etiam illorum instituta, veluti cõmunes illas ἀγάπας, ipsa necessitas aboleuit? Itaque quicquid ab Apostolis factitatũ est, quod ad ritus attinet, nec statim nec sine aliqua exceptione, pro regula sequendũ existimo. Nec sanè miror veteres illos habita suorum temporum ratione quædam illis primis detraxisse, quædam adiecisse, quædam denique immutasse. Sed iidem illi, vt cum eorum pace dicam quod sentio, sæpenumero mihi videntur in eo peccasse, quòd neque modum in rituum numero tenuerũt, neque tantam simplicitatis ac puritatis Christianæ rationem habuerunt, quantam par erat. Primùm enim cogitare oportuit Mosaicas ceremonias non idcirco paulatim esse abolitas, vt alio prætextu sensim restituerentur: idololatricas autem illas fuisse radicitus euellendas, vt ne tenuissimum quidem Paganismi vestigium oculos obuersaretur, sicut olim Moses populo in terram Chanaã ingressuro nõ temerè præcepit. Grauiter igitur, quãuis nõ malitiosè, ab iis peccatũ arbitror, qui in iis Ecclesiasticis ceremoniis constituendis, tum Mosis legẽ tũ etiam Paganismũ pro regula sunt secuti: quod tamẽ quàm studiosè sit ab illis factũ, neminẽ ignorare existimo. Deinde illud quoque considerare oportuit, non esse idcirco abolitas legales ceremonias, vt alia seruitus superinduceretur (neque enim hoc fuisset iugum legis tollere, sed mutare,) sed idcirco potiùs vt Christum exhibitum, nudum iam & in clara luce versantem, nullisque figuris aut vmbris rursum obscuratum omnes intuerentur. Hæc enim causa est, sicut rectè Augustinus censuit, hac ipsa de re grauissimè conquerens, cur Dominus & pauciora (duo nimirum pro penè innumerabilibus) & simpliciora & clariora noui fœderis sacramenta instituerit. Itaque grauissimè rursus ab illis toties peccatum esse dico, quoties vllas sacramentales, id est, rerum spiritualium significatiuas

gnificatiuas ceremonias in Dei Ecclesiam introduxerunt. Et vt semel dicam, quicquid à Iudæis, quicquid à Paganis in ritus Christianos est translatum præter Christi institutionem, & certum Apostolorum exemplum: itémque ritus omnes symbolicos semel ex Ecclesia Christiana, in quam nullo vnquam iure inuehi potuerunt profligari oportere, nec iis manentibus suam Ecclesiæ natiuam pulchritudinem restitui posse existimo. Supersunt eæ demum ceremoniæ quæ ad decorum ipsum spectant. Qua in re cogor rursus in multis etiam vetustissimis Episcopis iudicium desiderare. Primùm enim quod ad Sacramentorum administrationem attinet, quum quicquid illic agitur, symbolicum sit, & sacramenta non magis liceat hominibus instituere, quàm salutis promissiones comminisci: Christus verò tum Verbi tum Sacramentorum author, quàm simplicissimos & quàm paucissimos esse illorum ritus de industria voluerit, adeóque his verbis HOC FACITE, certam veris Pastoribus regulam sacrarum istarum actionum præscripserit, totum illum apparatum, quo vetustissimi etiam illi Baptismum & Cœnam Domini se exornare posse putarunt, non satis mirari possum qua ratione nonnulli mordicus retinendum, quidam etiam vnde, sicut oportuit, sublatus erat, restituendum arbitrentur. Si quæritur vetustas, Christus is est, qui Prophetas & Apostolos dedit, & rursum per Apostolos, Pastores & Doctores: Si authoritas, Christus est fundamentum, Apostoli sunt Architecti, Pastores & Doctores super illud fundamentum tenentur aurum & argentum ædificare. Maneat igitur aurum & argentum: fœnum & paleam quum dies Domini patefecerit, cur obsecro, rursus extruimus? imò verò cur de palea potiùs & stipulis, aut potiùs cur de inanioribus etiam rebus quàm sint paleæ & stipulæ tantopere laboramus, solidum autem illud ac verè pretiosum ædificium, si non penitus, maxima tamen ex parte negligimus? Sed hæc fortassis querela temporibus illis primos successores Apostolorum consecutis, potiùs quàm deliræ huius mundi senectæ conueniebat. Peccata enim Patrum illorum pro virtutibus habeo, si cum successoribus indoctis, negligentibus, ambitiosis, cõparentur. Quibus enim aliis nominibus illos appellem, qui præterquàm quòd de solis ritibus perinde ac de religionis summa, fuerunt soliciti, (vnde consecuta est horreda illa omnium doctrinæ partium deformatio) non ob aliud videntur Dei domui præfuisse, quàm vt iam inclinatam prorsus euerterēt? Quibus non placebat illa Apostolorum simplicitas, mille ritus Baptismo Catechumenorum adiecerunt. Placuit aliis vt futuros athletas inungi: aliis, vt ex diaboli regno ad regnum Dei transeuntes, certis exorcismis & sufflatibus eripi ex Satanæ potestate: aliis, vt ex tenebris ad lucem translatis cereos accensos præberi: aliis, vt vetere homine deposito nouum induentes, albo amictu donari: aliis, vt ad nouum vitæ genus accedentibus, lac & mel prægustanda præberi. Quæ omnia si velim persequi, quis tandem erit histrionicarum potiùs ineptiarum quàm Christianorum rituum finis? sed ita, Inquiunt, oportuit Gentes ad Christum allici. Quasi verò vel Christus vel post Christum Apostoli ista prouidere non potuerint. Nam certè qui Apostolos faciunt istarum ineptiarum authores, ne refutatione quidem digni sunt, quantumcunque sint vetusti scriptores. Illud verò cuiusmodi est, quòd quum hoc sit religionis Christianæ proprium, vt clàm nihil agat (satanicum enim est, lucem fugere) plerique tamen ex vetustissimis illis, Christianorum sacra non aliter quàm Cereris mysteria quædam occultanda censuerunt, adeò vt ne Catechumenos quidem ad spectandum admiserint, & totam illam actionem in qua quicquid paucis & simplicibus symbolis figurabatur, verbo suo clarè & ea lingua quæ ab omnibus intelligeretur explicato, palàm prædicari & promulgari voluit ac præcepit Dominus, sicut & ipsemet factitauit, in ἀπόρρητα quædam & ne ipsis quidem mystis plerisque intellecta sacra transformarunt? Sed longè maior fuit succedentium Episcoporum negligentia, qui quod eorum causa institutum erat qui adulta ætate à Paganismo ad Christianismum post Catechismum transibant, ad Christianorum infantes postea transtulerunt. Hoc an sit factum si quis ambigat, consideret, obsecro, Baptismi formulam qualis ab vltima vsque vetustate accepta apud Papistas nunc etiam seruatur, eo tantùm excepto quòd paucula de suo adiecerunt, & peregrinam linguam, quæ tum erat in Occidente & Meridie vulgaris, retinuerunt. Ibi enim qui baptizandi sunt, non tantùm fidei rationem reddere, sed etiam accedere iubentur. quod etsi postea nonnulli (inter quos est Augustinus) aliqua interpretatione excusare sunt conati, qui dixerunt sponsores ipsorum infantium nomine compellari & respondere, tamen quis nõ videt infirmum esse hoc commẽtum, vt quod per abusum ex adultorum baptismo in infantium baptismum irrepserat, aliquo colore tegeretur? Quæso enim si non nisi præeunte præsentis fidei sponsione administrari debet Baptismus (nisi enim id statuatur, cur, obsecro, baptizandus infans de fide sua compellatur?) quorsum properatur Baptismus, ac non potiùs cum Catabaptistis, quod absit, Baptismum eousq; differimus, dum baptizandus fidem suam profiteri possit? Neque verò dubito quin hæc Episcoporum negligentia, quos oportuit infantium Baptismum ab adultorum Baptismo, quod ad externas quasdam ceremonias attinet, necessariò distinguere, multos impulerit vt liberorum Baptismum diutiùs differrent: & id quidem non rectè, quem tamen errorem iam olim nõ fuisse, ne ab Episcopis quidem plerisq; animaduersum, vel illud declarat quòd Nazianzenus Patris Episcopi filius, non sit nisi post vicesimum annum baptizatus, nedum vt tunc inualuerit opinio de summa & prorsus necessaria Baptismi ad salutem necessitate, quã Africani Pelagio resistentes postea inuexerũt. Hæc autem idcirco cõmemoro, quòd inter cætera, illud quoq; illic obseruari dicunt, vt infantulus baptizandus à Ministro de fide cõpelletur: qui ritus qua ratione probabili & ad Ecclesiæ Dei ædificationem spectante nitatur, libenter ex te, Reuerẽde vir, cognoscã. Crucis verò consignatio, etsi vetustissima est, tamen quid vtilitatis afferat, sanè nõ video, & quãuis mirificè & prorsus

ὑπερβολικῶς à Chrysostomo præsertim, quasi quędā religionis Christianæ summa cōmendatur, tamen quum neq; auctoritate verbi Dei, neq; vllo Apostolorū exēplo (ἀπόκρυφα enim illa nihil moror) nitatur, id est, quū omni Dei verbo destituatur, nec sanè etiam ad decorū vllo modo pertineat: denique quū maximè abominandæ superstitioni & omniū horribilissimæ illi hyperduliæ crucis, primū aditum patefecerit, multo minùs velim illā inter ἀδιάφορα numerare, quàm æneū illum serpentē Ezechias: cuius quidē sanctissimi regis hac potissimū in re, id est, in euertendis crucis & crucifixorū idolis exemplū imitari Christianos omnes Principes sanè oportuit. Quòd autē honesto potiùs quàm pretioso habitu infantes baptizandi in publico Ecclesiæ cœtu offerantur, quòd cōmoda quæpiam formula precū & explicationis Baptismi adhibeatur, quòd spōsores intersint, qui de sancta infantis educatione caueant: quòd deniq; pura aqua mundis manibus reuerenter secundū præscriptam à Christo formā pueri aspergātur: hos ritus vt simplices & honestos ac minimè symbolicos, denique eiusmodi vt nullā prorsus superstitioni occasionē præbeāt, quis tandem damnare ausit, nisi qui expressis illis Pauli verbis velit redargui, præcipientis vt in domo domini ritè & ordine omnia fiāt? Iam verò quod attinet ad Cœnā Domini, quis sine lachrymis cōmemorare possit quàm miseris modis in theatricam saltationem & horrendam illam idolomaniam sit transmutata? Huic autem corruptioni primum aditum patefecisse imprudentem illorum zelum, qui Christi & Apostolorum simplicitate contenti non fuerunt, non est, opinor, quòd multis verbis probemus, quum ita se rem habere veteres & nouæ tum Orientis tum Occidentis λειτουργίαι tantò impuriores, quantò sunt operosiores, manifestissimè conuincant. Et hîc non dubito quin satis animaduerteris quàm versutum sese præbuerit Satan. Quis enim non existimauerit ἀδιάφορον esse, siue altaris siue mensæ alicuius vsum? Itaque introducta sunt paulatim pro mensis altaria, quòd nimirum vulgares mensæ quibus tamē veteres illi vel propter suas ἀγάπας vtebantur, tam augustis sacris non satis conuenire viderentur. Atqui primam hanc occasionem arripuit Satan sacræ istius actionis non dandi sed accipiendi Christi causa institutę, in sacrificium etiam ἱλαστικὸν transformandæ, & Christi mortis quæ ibi annunciatur fœdissimè conculcandæ. Non placuerunt vulgares & simplices hymni, ideóque ornandæ sacræ actionis prætextu, operosus ille cantus introductus est, choreis plerunque potiùs quàm sacræ actioni, & demulcendis auribus potiùs quàm commouendis animis accōmodatus. & in eo certè non modò inutilis, verùm etiam plurimùm noxius, quòd in illo strepitu quid dicatur attendi nullo modo possit, vt res ipsa planè conuincat, verum illum Dei cultum hac potissimùm occasione in vanas, ac tādem etiam merè theatricas cantiones transformatum fuisse. Non placuit simplex & communis apparatus, idcirco conquiri marmora, inaurari parietes, vasa aurea & argentea comparari, pretiosæ etiam & Pontificales atque adeò Imperatoriæ vestes Ministris circundari cœperunt, honorandi scilicet sacramenti causa. Atqui hæc mox fuerunt fouendi luxus, negligendæ veræ charitatis, inuehendi denique histrionici apparatus instrumenta. Non placuit simplex panis fractio, quæ tamen pars est huius actionis non minima. Itaque rotundi panes singulis porrigi cœpti, & ritus à Domino institutus abrogatus. Non placuit vel sedentibus vel stantibus vel accedentibus panem in manum porrigi, vt olim fiebat, sed attolli panem quasi venerandum. Postea adhibita est genuflexio, & buccellam in os ingerere maluerunt, reuerentiæ nimirum causa. Atqui hoc primùm fuisse horrendæ illius artolatriæ initium, quæ ne nunc quidem aboleri potest, quis tandem non videt? Quæ quum ita se habeant, & honorum istorum præposterè nostris sacris habitorum tristissimus euentus satis supérque doceat, quantò satius fuerit in simplici Christi institutione acquiescere, quàm præpostero zelo quicquam istorum comminisci; mihi quidem omnium optimè facere videntur qui ista quanuis non per se impia, tamen vt minimè necessaria & parum quidem vtilia, etiam si quis illis rectè vtatur, plurimùm autem noxia, vt tristissima Ecclesiarum facies ostendit, non minùs sedulò quàm apertas Idolomanias abolent. Obsecro enim si quis sit in biuio lapis ad aliquem vsum collocatus, ad quem tamen omnes nisi attentissimi, non sine vitæ periculo corruant, vtrùm satius est lapidem illum semel tollere de via, vel potiùs illo relicto, prætereuntes assiduè monere in quam partem conuertere se debeant, vt offendiculum vitent? Quid si enim vel pigri vel non satis attenti sint monitores, vel frustrà plerosque moneant? Retinēdos interea ritus ordinis & decori causa necessarios maximè arbitramur, veluti vt statis diebus & horis reuerenter symbola ex mundis vasis petita præbeantur & accipiantur, & quicquid est eiusmodi ad honestum potiùs quàm ambitiosum nomen spectans. Quòd si quis roget nihilne prorsus istorum quæ per se media sunt, infirmorum saltem causa retinendum, & deserendum potiùs ministerium quàm quicquam eiusmodi obseruandū putem: præsertim si nominatim addatur hæc cautio, ista non propriè obligandarum conscientiarum causa, sed ob alias non incommodas rationes vel introduci vel adhuc tolerari: Respondeo minimè mihi videri deserendas Ecclesias propter vestes aut pileos, aut aliquid eiusmodi verè medium, & indifferens. Sed primùm omnium multa per se media, tamen propter adiūctam cultus opinionem, quæ vix ac ne vix quidem vitari possit, inter superstitiones, aut certè inter nimiùm procliues ad superstitionem occasiones, numeranda existimo. Deinde illud quoque obseruandum videtur, tolerari quidem multa propter infirmos posse, quæ tamen semel sublata instaurari minimè debeant, quoniam hoc non esset infirmitatem tollere, sed potiùs aliqua iam ex parte sublatam restituere, & quasi fugientem reuocare, quò fit vt minimè mirer nonnullos hîc sese difficiliores in quibusdam restituendis præbere, quàm initiò fortasse fuissent, quum de illis abrogandis ageretur. His & illud addo, infirmitatem frustrà in eo regno prætexi, in quo tot iam annos & prædicatum, & receptum,

& tot

& tot excellentissimorum martyrum sanguine confirmatum Euangelium fuerit. Quòd si rectè obiurgauit Galatas Apostolus, quòd quum à spiritu cœpissent ad carnem regrederentur, quanto magis idem fas esset de vobis Anglis dicere, si fortè quum à spiritu cœperitis, non vt illi ad carnem, id est, ad Mosis ceremonias, quarum Deus author est, sed ad humanarum traditionum nugas & quisquilias (quod absit) relaberemini? Denique illud dicere non verebor, æquitate tua fretus, Si peccant qui, potius quàm res illas sibi contra conscientiam obtrudi patiantur, cedere Ecclesijs malunt: multò maiore reatu coram Deo & ipsius Angelis teneri, siqui greges Pastoribus priuari, & desertis à Pastoribus Ecclesijs horrendæ dissipationis fundamenta iaci potius sustineant, quàm ministros alioquin inculpatos hoc potius quàm illo habitu vestitos cernere, & nullam potius alicubi famelicis ouiculis cœnam præberi, quàm genuflectionem omitti. Quæ si forte istic fierent, (absit autem vt fieri posse credam) certè magna essent non superiorũ, sed multò maiorum etiam calamitatum initia. Rursum autem obsecro, vt me, si quid hic pecco, nulla tamen ambitione vel improbitate, sed (testem Deum appello) sola rusticitate & imperitia peccantem feras. Si verum est quod passim fertur, & ego mihi nõdum persuasi, mulieribus istic Baptismum priuatum permitti, non video quid sit à meta ad carceres regredi, si hoc non est. Primum enim vnde hic fœdissimus error natus est, nisi ex crassa rei sacramentariæ ignorantia? Damnatur (inquiunt huius profanationis Baptismi fautores) quisquis aqua non tingitur. Hoc vero si ita est, non à Dei fœdere (quod tamen constat esse nostrę salutis fundamentum) sed ab ipso sigillo fœderi appenso (idque non vt certius in sese reddatur, sed potiùs vt nos de eo certiores fiamus) salus infantium orietur, & quod multò fuerit iniquius, in parentũ diligentia vel negligẽtia posita fuerit tota infantium illorum salus. Sed quum hac de re iampridem vt tu (Reuerẽde vir) optimè nosti, excellens ille Christi seruus D. Petrus Martyr copiosissimè in suis ad pium illum regem Eduardum scriptis commentariis disseruerit, tota, vt opinor, tunc Anglicana Ecclesia approbante, nolim quidem ego pluribus hac de re nunc disserere. Tantùm dico, si verus esset ille rumor, magnopere dolendum, videri velut ad carceres nunc se conuertere, quos iam potius ad metam vsque, talibus præsertim ducibus ac Magistris fretos, progressos esse oportuit. Illa verò si vera essent, quæ ne verisimilia quidem esse arbitror, Metropolitanos videlicet fœdissimos illos abusus, quibus ne Antichristiana quidem Ecclesia quicquam intolerabilius habet, in vsum reuocare, nempe beneficiorum pluralitates, licentias non residentiæ, libertates contrahendi matrimonii, & vsus carnium & alia eiusmodi, hæc esset profectò, quod non sine horrore dico, non corruptela Christianismi, sed manifesta à Christo defectio, ac proinde non damnandi, sed laudandi potiùs essent qui sese istiusmodi conatibus opponerent.

Denique quo tandem iure siue Dei verbum, siue veteres omnes canones spectes, vel ciuili magistratui per se liceat constitutis iam Ecclesiis nouos aliquos ritus superinducere, aut veteres abrogare: vel Episcopis, absque sui presbyterii iudicio ac voluntate, quicquam noui ordinare fas sit, ego quidem nondum didici. Quoniam autem has duas pestes, Episcoporum videlicet superiorum turpes & ambitiosas adulationes suorum principum partim virtutibus abutentium, partim etiam vitiis seruientium, Ecclesiam Christianam perdidisse video, donec eò redacta res est, vt Metropolitanorum Occidentis potentissimus, iusto Dei iudicio & Magistratus & Episcopos punientis, diuina humanáque omnia ad se raperet: fateor me totum cohorrescere, quoties de istis cogito, & easdem aut etiam acerbiores pœnas plerisque populis initio Euangelium cupidè amplexis, à quo nunc sensim deficiunt, imminere prospicio. Nec verò mihi dubium est, eosdem vbique esse omnium bonorum gemitus, quos vtinã Dominus exaudiat, & propter Iesum Christum Filium suum, Regibus ac principibus verè pium ac religiosum animum, & bonos fortésq; consiliarios tribuat, Ecclesiæ verò suæ præsulibus sanctum suum Spiritum, ac quidem in primis & scientiam & zelum quàm copiosissimè largiatur, & populos veram fidem iam professos, in puritate doctrinæ & rituum, & morum sanctitate promoueat ac custodiat. Bene vale, & me vicissim vnà cum hac tota Ecclesia & schola amare & precibus tuis iuuare perge. Geneuæ, 5. Cal. Iulias. Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo sexto.

EPISTOLA NONA.

QVÆSTIONES A NEOCOMENSIBVS ECCLEsiis propositæ



Vvm proximo die Iouis, qui huius mensis fuit secundus, huius classis Ministri in vnum Neocomi conuenissemus, quatuor theses nobis fuerunt inter cætera negotia propositæ, vt de illis aliquid certi vno consensu statueremus.

1 An propter lepram fieri possit diuortium.

2 An infantes excommunicatorum sint baptizandi, & in quorum fide, quum ii ex quibus sunt progeniti non sint membra Ecclesiæ.

3 An non debeant Concionatores priuatim, &, si hac ratione nihil proficiãt, publicè ex suggestu arguere Magistratum, quum damnat eum quem Deus pronunciat absoluendum, & absoluit quem morte mulctandum Dominus affirmat.

4 An is qui virginem vitiauit, possit sine Dei offensa ex Magistratus sententia, aliam, ea viuente quæ vitiata fuit, in vxorem ducere, siquidem virginis pater eam illi in vxorem dare velit: & an aliam illi Concionator saluo D 1 honore & bona conscientia despondere posit.

Primæ occasionem dedit vnus ex nobis, qui vxorem leprosam habet, sine qua iam annos octodecim sine piorum offensione transegit, laus Deo deferatur: nunc verò se vri & dono continentiæ destitui, coram Domino affirmat: itaque petit obnixè vt sibi liceat aliam ducere, si vllo modo id possit cum voluntate Dei conuenire. Cuius conditionis quum omnes misereamur, vipote eius qui hactenus Dei Ecclesiæ fuerit vtilis, tamē non possumus intelligere quomodo ex Dei voluntate cum alia matrimonio iungi queat. Varia fuerunt in vtramque partem argumenta allata, quæ scribere foret superuacuum. Et nonnullis, qui ex parte Buceri piæ memoriæ stabant, non est omni ex parte satisfactum, licet numerus qui maior est aliorum, & vester cum Gallicis Ecclesiis (vt nobis est relatum) consensus, eos maximè perstringat, & commoueat.

Alterius occasio fuit oobilis quidam genere, sed vita omni impietate contaminatissimus, qui quum iam quatuor spurios habeat, & Ecclesiæ hypocritica peccatorum confessione iam tertiò fidem datam fefellerit, vnà cum suo scorto, ex qua lupa tres illegitimos filios habuit, nobis non videtur infans ex tam desperatis parentibus ortus in promissione benedictionis inclusus, nec idcirco vsque ad ætatem in qua possit fidei rationem reddere baptizandus, nisi denuo parentes ad Deum vera pœnitentia conuersi, in Ecclesiæ gremium recipiantur: aut à piis quibusdam offeratur qui polliceantur se parentum piorum officio functuros. Nisi fortassis quia intra Ecclesiam nascitur, propter Ecclesiæ fidem sit baptizandus.

Quia Magistratum videmus quibusdam ignoscere quos Deus morti adiudicat, quantum ex nostro officio fuerit omnes vno consensu illi precibus & admonitionibus tempestiuis & intempestiuis resistendum iudicamus: quod quidem multi ex nobis hactenus fecerunt.

Posterioris occasionem Magistratus etiam dedit sua lege, qua Dei legem abrogat, quod non satis pium agnoscimus, & ideo hac ratione illi obsistere decreuimus: ne quis nostrûm in posterum ei qui virginem aliquam vitiauerit, aliam despondeat, etiam si Magistratus sententia fuerit lege Dei absolutus, quia precibus & exhortationibus apud ipsum nihil proficimus.

Veruntamen quia videmus Dominum sua gratia, te cum reliquis symmystis fratribus singularibus donis ornasse, obnixè te, charissime frater, omnes oramus, vt his de rebus tuam ac collegarum tuorum sententiam ad nos scribas, quo sequi possimus quod ex Sacris magis probabitur: hoc enim maximè cupimus, vt in omnibus, nobis vobiscum conueniat. Hoc si feceris, nos vobis deuinctiores semper retinebis, & si qua in re nostra opera vti libuerit, nos ad omnia paratissimos reperietis. Pluribus hoc tibi non perscribimus, ne de tua ac reliquorum fratrum fide erga Christi Ecclesiam dubitare videamur. Noui quod scribamus ouc temporis nihil est, siquid esset non prætermitteremus. Si quid habeatis noui, quod Dei gloriam & Ecclesiæ emolumētum spectet, participes nos facite, rogamus. Vale in Domino cum omnibus symmystis fratribus charissimis, exoptatissime frater, & nos semper diligite, veluti ex animo vos omnes amamus, Neocomi, 8. die Maii 1566.

EPISTOLA NONA.

HELIAS PHILIPPINVS DECANVS NOMINE ET IVSSV CLASSIS AD D. Theod. Bezam scripsit.



QVIA in publicis precibus petimus à Domino, vt eos euertat, qui contra veritatem cognitam Euangelium euertere conantur, spiritus quidam contradictionis has preces damnare ausus est, & totus in eo fuit vt discipulos ex piorum numero in suam sententiam pertraheret, cui, sicuti nostri fuit muneris, pro virili oos opposuimus. Quum autem nostra argumenta non posset diluere, subterfugia quæ potuit quæsiuit, & eò deuenit, vt diceret sibi ex parte nostram sententiam probari, quatenus nempe nostræ preces ad corporis exitium, non ad animæ extenduntur. Cui quum pro munere mihi à fratribus commisso ostendissem, sumptis argumentis ex Sacris, tam illud quod sustinebat esse absurdum, vt nihil suprà, tandem hoc illi excidit, in nostram sententiam se descensurum, vbi intellexerit tibi in eo nobiscum conuenire. Quapropter etiam atque etiam oro, hac de re tuam sententiam ad me perscribe, quò hac ratione, si hæc sit Dei voluntas, in meliorem viam reuocetur. In hoc genere precum illi, vti res postulabat, ostēsum est Spiritum sanctum ducem sequendum non carnis corruptæ consilium: nec hominem etiam esse diuidendum.

Certiorem, si lubet, per hunc tabellarium me facito, rogo, num imprimendum meum de resurrectione mortuorum libellum curaueris. Quòd si non iudicas in lucem emittendum, iis locis quæ tibi non probantur emendatis, ad me, si placet, remitte. Iterum, frater, vale.

Tuus Hel. Philippinus.

EPISTO-

EPISTOLA X.

RESPONSVM AD HAS SVPERIORES Neocomensium litteras.



HAEC nunc habuimus, fratres plurimùm obseruandi, quæ ad quæstiones à vobis propositas responderemus, quæ si nonnullis breuiora videbuntur, quàm fortaſsis expectent, rogamus vt maximis nostris occupatioоibus id condonēt: deinde etiam obnixè ab illis petimus, vt vel vni firmæ solidæque rationi malint acquiescere, quàm ninuum subtiliter singula quę in contrariam partem dici poſſunt expiſcando, vltro ſeſe io difficultatum labyrinthos cooiicere, quod qui faciunt, eò facilè delabuntur, vt de rebus etiam certiſsimis incipiant dnbitare. Sic ergo paucis ad propoſita reſpondemus.

Quæstio prima.

An propter lepram fieri poſsit diuortium viri & vxoris.

Quid hac de re D. Bucerus piæ memoriæ ſenſerit, & pleræque in Germania Eccleſiæ ſequantur, non eſt obſcurum, quibus liberum ſuum iudicium, ſicuti par eſt, relinquimus. Profitemur autem nos nullas alias iuſti diuortii cauſas agnoſcere, quàm quæ ſunt verbo Dei expreſſæ. Stat enim illud Domini dictum, Quod Deus coniunxit, homo oon ſeparet. Homo autem tum ſeparare videtur, quum abſque Dei verbo diuortium concedit. Fundamenta verò quibus contraria ſententia nititur, planè ſunt infirma, vt nobis quidem videtur. Nam quod afferunt Euangelio non tolli, ſed ſtabiliri leges politicas, ſic intelligendum eſſe conſtat, vt conſcientia non lædatur. Liceat ergo Magiſtratibus de merè ciuilibus contractibus leges ferre: Matrimonium autem partim politicum, partim diuinum eſſe dicimus, illis verbis freti, Quod Deus coniunxit. Id quod etiam ex eo manifeſtè liquet, quòd in aliis contractibus locus eſt diſſolutioni ex ſola contrahentium voluntate, in matrimonio verò nunquam id iure licuit, ſicut Dominus Phariſæis reſpondit, & honeſtas ipſa docet. Quorſum enim alioqui Imperatores illi certas cauſas perſcriberent, ſi ſola contrahentium voluntas vt io aliis contractibus ſufficiebat? Et quod addunt nonoulli, mirum eſſe eiuſmodi leges latas ab Imperatoribus Chriſtianis, oon fuiſſe à piis Epiſcopis reprehenſas, quàm ſit infirmum nemo non videt, quum alia multa non diſsimilia poſſint recenſeri, quæ tamen ab epiſcopis reprehenſa fuiſſe noo legimus, ſiue quòd eiuſmodi reprehenſiones omnes ſcriptis traditæ non ſint, ſiue quòd contenti eſſent Epiſcopi ſuum gregem miniſterio verbi in officio continere, ſuas leges paganis relinquendo, quales adhuc multos atque adeò pleroſq; in prouinciis fuiſſe ſub piis etiam illis Imperatoribus conſtat, ſiue denique quòd alii metu, alii adulatione, vel ambitiooe impediti fuerint quominus officium facerent, alii verò oegligentiores fuerint quàm par ſit. Vtcunque ſit autem, iniqnum eſt pro lege habere Epiſcoporum ſilentium. Non multo firmius videtur quod iidem obiiciunt, æquum eſſe nimirum vt quod in adulterii cauſa valet, in maioribus ac etiam paribus criminibus obtineat. Neq; enim crimina ex ſeſe ſimpliciter in hoc argumento, ſed ex matrimonii natura æſtimanda ſunt, vt id demum maximū crimen habeatur, quod matrimonio maximè repugnat. Id autem ita eſſe ex Paulo liquet, qui propter alterius partis idololatriam negat fidelem poſſe ab infideli diſcedere, quum tameo illam conſtat infinitis partibus eſſe adulterio grauiorem. Idem eſto de cæteris iudicium, vt de veneficio, homicidio & aliis eiuſmodi, quæ vt per ſe grauiora ſint adulterio, matrimonio tamen nō ita repugnant vt adulterium: neque enim efficiunt, vt propterea maritus & vxor deſinant eſſe vna caro, id quod vnicum adulterium propriè efficit. Neque obſtat quòd Paulus velut intra præſcriptos à Chriſto limites non manens, alteram etiam ſeparationis cauſam addit, nempe ſi infidelis fidelem deſerat. Primùm enim quod Apoſtolis Spiritu ſancto præditis, & omni exceptione maioribus licuit, nobis ſtatim non licet. Quod ergo Paulus fecit, id feciſſe Chriſtus ipſe exiſtimandus eſt, id eſt, ad fornicationis cauſam cuius ſolius initio meminerat, alteram etiam poſtea ſuo tempore adieciſſe. fuiſſet enim abſurdum Chriſti reſponſum, ſi Phariſæis reſpondens meminiſſet infidelis fidelem deſerentis, quum inter Iudæos quantumuis corruptos eiuſmodi matrimonia locum non haberent. Deiode ſi rem ipſam propiùs conſideremus, comperiemus profectò Apoſtolum ad illam Chriſti ſententiam, qua propter ſolum adulterium diuortium conceditur, nihil propriè adieciſſe. Neque enim in hac de qua loquitur facti ſpecie, fidelis cum infideli diuortium facit, qoum diſertè vetet Paulus fidelē ab infideli diſcedere, ſed pars infidelis ea demum eſt, quæ illegitimum diuortium facit, inuita quidem & repugnante parte fideli, nedum vt, ſicut accidit in adulterii cauſa, pars offenſa diuortium petat. Itaque non quærit Paulus, an poſsit fidelis aduerſus deſerentem infidelem diuortium petere, ſed hoc potiùs quærit, an quum infidelis diuortium fecit, fidelis maneat infideli obligatus, & pronuntiat non manere, quoniam videlicet nulla eſt eius vinculi vis, quod prior infidelis ſua perfidia abrupit. Non obſtat etiam illud quod nonnulli colligunt, nempe ſi iure matrimonium diſſoluitur, quum altera pars ſoluendo tooiugali debito prorſus incepta deprehenditur: idem etiam ius meritò ſtatuendum videri, ſi poſt ipſa impletum matrimonium, aliquid eiuſmodi inciderit, quod illum matrimonii finem impediat. Hoc nos verò ita eſſe pernegamus. Nec enim in priori illa ſpecie matrimonium vllum propriè & reipſa intereuoit, ſed tantum futuri matrimonii rata & peracta promiſsio: ac proinde non dicitur matrimonium diſſolui, ſed pro nullo, ſiue non promiſſo haberi, quoniam quod pro-

missum est, impleri reipsa non posit. Quum autem vitium consummato iam matrimonio superuenit, tum demum plena dissolutione siue diuortio opus esset, in quo standum esse dicimus præscriptis Christi verbis, cum videlicet qui extra fornicationis causam diuortium facit, & alteram vxorem ducit, adulterium committere. Neque verò hîc probare possumus discrimen illud inter sanabiles & insanabiles morbos, quum, quicunque sit morbus, planè sit crudele & inhumanum, partem diuinitus afflictam, & alterius consolatione ac subsidio egentem, diuortii etiam pœna mulctare, nedum vt Christiana charitas accedente præsertim coniugii vinculo; id ferre posse videatur. Quid si igitur, inquiet aliquis, parti illi afflictæ consulator? Respondemus quod antea probauimus, nempe matrimonii inter cæteros contractus hanc esse naturam, vt non sola contrahentium voluntate, sed in primis Dei ipsius interuentu & auctoritate sanciatur: ac proinde nisi de voluntate Dei constiterit (constat autem ex ipsius verbo) dirimi iure non posit. Sed obiiciet rursus aliquis, ex insanabilis morbi superuenientis immissione, meritò posse colligi hanc esse Dei voluntatem, vt eiusmodi matrimonium dirimatur, cui insanabile impedimentum obiicit. Nos verò respondemus, colligi quidem meritò posse ex eiusmodi impedimento superueniente non placere Deo, vt alter alterius corpore fruatur, velle autem matrimonium dirimi non item, quoniam potiùs si hęc fuisset eius voluntas quominus matrimonium ab initio consummaretur, impediuisset. Itaq; statuere debent quibus hoc euenit siue temporarium siue insanabile sit impedimentum, sese diuinitus ad continentiam vocari, quandiu impedimentum illud permanebit. Iam verò quum illud sit certissimum, fidelem esse Dominum, qui suos supra vires tentari non sinat, cui tandem dubium est ei quem Dominus ad continentiam sic vocet, continentiæ quoque donum promitti? Confugiat igitur ad Dominum potiùs quàm ad nouum matrimonium, sobrietati studeat, occasiones omnes deuitet, & certum aduersus vstionem remedium proculdubiò impetrabit. Etsi autem in proposita nobis quæstione nonnihil est diuersum, propterea quòd videlicet elephantiasis non sit ex eorum morborum genere, qui matrimonii copulam necessariò & simpliciter impediunt, tamen quum propter contagionem sana persona vti iure suo non posit, quin grauiter & multis modis in sese totámque remp. peccet, idē quod in aliis necessariis impedimentis statuendum esse arbitramur, nec aliam vnquam fuisse nostri illius parentis D. Ioannis Caluini sententiam, partim ex ipso præsente, partim etiam ex eiusdem ad vos literis iampridem cognouistis.

Secunda quæstio.

An infántes excommunicatorum sint baptizandi, & in quorum fide, quum ii ex quibus sunt progeniti, non sint membra Ecclesiæ.

Absit vt omnes qui membra Ecclesiæ non dicuntur, eodem & pari iudicio comprehendantur. Quatuor enim sunt eiusmodi hominum genera, longè inter se diuersa. Vnum eorum est, qui neque secundum electionem, neque in seipsis vllo modo sunt Christi membra, quos reprobos & vasa iræ, & ad interitum descriptos ex Dei verbo vocamus, quanuis eorum nonnulli interdum specie tenus, id est, externa professione, atque adeò etiam quodam fidei temporariæ simulachro, quo & seipsos & alios ludificantur, inter Ecclesiæ membra censeantur, de quibus dicit Ioannes, Si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Alterum eorum est, qui secundum electionem æternam sunt in Christo electi, ac proinde Christi membra, sed adhuc sola destinatione needum reipsa, quo sensu Paulus dicit se segregatum fuisse ab vtero, quum tamē diu fuerit Satanæ membrum Christum persequentis: & alibi, Datam esse nobis gratiam in Christo ante tempora æterna: & alibi, Deum nos dilexisse, quū ipsi inimici essemus. Tertios numeramus eos qui & secundum electionem, & reipsa sunt filii Dei, quia vt inquit Apostolus, Spiritu Dei reguntur. Quarto denique loco recensemus eos, qui quum ad electionem Dei pertineant, & Christo sint insiti, tamen quoniam humanum aliquid passi, reliquis membris sunt offendiculo, ac proinde, ne sit lethale vulnus, quod à Satana & carne est ipsis inflictum, acriore remedio egent, ideóque excommunicantur siue Satanæ traduntur, non vt pereant (non possunt enim perire qui sunt Christi membra) sed vt tristitia secundum Deum pœnitentiam in ipsis gignat, siue vt intereunte carne, id est vetere homine, spiritus eorum sit saluus in die Domini. Isti sunt igitur quos excommunicatos appellamus, quíque duplici respectu non sunt membra Ecclesiæ, vno secundum homines, quoniam à sacra fidelium communione excluduntur: altero secundum Deum, quia ratum est illud Christi dictum, ligatum esse in cœlis, quod ritè ab Ecclesia ligatum est in terris. Sed aliud est profectò ligatum esse in cœlis, quàm extra verum illud regnum cœlorum eiectum esse, quod nullis vnquam electis accidit. Stat enim illud Christi dictum, nunquam eiectum iri foras, quos Pater Filio donauit. Et illud Ioannis, Si ex nobis fuissent mansissent vtique nobiscum: Et illud Apostoli, Solidum fundamentum Dei stat habens hoc sigillum, nouit Dominus qui sint sui. Itaque quod ad Christum ipsum attinet, dicuntur isti non esse ipsius, neque Ecclesiæ membra, non vt primi illi qui reprobi & perditi sunt, sed quoniam ad tempus quod ad vim & efficaciam Spiritus attinet, sunt extra ipsum, vt pote sic in ipsum insiti, vt ad tempus, id est, donec eis tribuatur resipiscentiæ gratia viuificum illud Spiritus Christi alimentum non percipiant. Denique tale est inter hos & primos illos discrimen, quale est inter ligneam aliquam tibiam vero cupiam corpori artificiosè adiunctā, quæ tamen tibia non sit, neque pars eius hominis meritò dicatur: & veram quidem tibiam, sed quæ ad tempus ἀτροφίᾳ laboret, adeò quidem vt nisi vi acrioris alicuius medicamenti recreetur, necesse sit tandem computrescere ac penitus interire. Quæ quum

ita se habeant,& charitas nos iubeat de quibusuis bene sperare,atque adeò de illis etiam laborare, qui captiui tenentur diaboli laqueo,absit vt excommunicatis parentibus posteritatem eorũ concludamus ad regnum Dei non pertinere.Huc accedit quòd magnum est discrimen inter flagitiosos quidem,sed nihilominus ab Ecclesia non recedentes,& manifestos Apostatas, sese ad oppugnandam Euangelij veritatem cum hostibus coniungentes. Præterea iniquum esset Papistas nedum excommunicatos Christianos non alio loco quàm Turcas habere.Etsi enim Papæ & Christo seruire simul impossibile est, certum est tamen Papismum esse Christianæ Ecclesiæ aberrationẽ. Quamobrem etiam Dominus Baptismum,id est,Ecclesiæ suæ initiationem in medio illo Papatus gurgite seruauit,ex quo apparet,quod res etiam ipsa in nobis comprobat,quanuis Papatus Ecclesia non sit,tamen in Papatu fuisse & esse velut immersam Ecclesiam,quod de Turcis dici nullo pacto potest,qui Christo nunquam nomen dederunt. Postremò quum Dei beneficentia ad mille vsque generationes,id est,veluti in infinitum protendatur, durum sanè fuerit ex proximorum parentum professione de liberis ad Dei fœdus pertineant nec ne, iudicare. Itaque ex iis omnibus simul coniunctis argumentis concludimus nullo iure posse à Baptismo arceri excommunicatorum adhuc in Ecclesia Dei manentium liberos,modò idoneus sponsor interueniat,qui de sancta ipsorum educatione Ecclesiæ fideiubeat , quod ab ipsis etiam Ministris & piis aliis hominibus potiùs procurandum putamus,quàm vt eorum baptismus diutius differatur. Operæpretiũ tamen faciet Minister,si arrepta hac occasione præsentem patrem excommunicatum seriò ad resipiscẽtiã corã cœtu antequam infantem tingat exhortetur,quod est in nostris Ecclesiis non semel factitatum.

Tertia quæstio.

An non debeant Concionatores priuatim,& si hac ratione nihil proficiant,publicè ex suggestu arguere Magistratum , quum damnat eum quem Deus pronunciat absoluendum , & absoluit quem morte mulctandum Dominus affirmat.

Hæc quæstio his verbis proposita admodum est ambigua,ac proinde accurata distinctione hîc opus est.Ista enim siue cõdemnatio siue absolutio quũ de Magistratus munere agitur,tota politica est, ac proinde non ineptè modò,sed etiam seditiosè interdum fecerit qui Magistratum reprehẽdat quod in absoluendo vel damnando,verbum Dei non sit ad amussim secutus.Nostis enim optimo iure iampridem explosos fuisse à sanæ mentis hominibus , qui vniuersum mundũ somniarunt Israelitica politia gubernandum,qui error sanè absurdior est , quàm vt refutatione indigeat. Itaque quod minimè ignoratis,non tam leges illas politicas Israelis , quæ vni illi genti destinatæ fuerunt,& quidem tantisperdum illa eius populi conditio esset , quàm earum fundamenta considerare oportet,& perpetua illa iustitiæ & æquitatis regula,ab iis diligenter distinguenda est,quæ pro diuersa circunstantiarum ratione necessariò inflectuntur.His itaque positis nisi officium fecerit Magistratus,veluti si nocentes prorsus absoluerit,vt quos communia ipsa ratio expressa Dei lege cõfirmata,veluti blasphemos,homicidas, adulteros, vel leuiore quàm par sit pœna affecerit,tũ verò dubium non est quin cessantem in officio Magistratum,& priuatim & publicè, si ita sit opus, arguere,reprehendere,ac etiã proposito grauissimo Dei iudicio increpare , Prophetarum & piorum omnium Episcoporum exemplo,pastores teneantur. Duo tamen præterea hîc requirimus: vnum,vt zelum Domini ab omni animi intemperie probè distinguant: alterum,ne de rebus non satis compertis quum pastores ipsorum criminum cognitioni & iudiciis non intersint, temerè quisquam tumultuetur.

Quarta quæstio.

An is qui virginem vitiauit possit sine Dei offensa ex sententia Magistratus,aliam, ea viuente, quæ vitiata fuit,vxorem ducere: siquidem virginis pater eam illi in vxorem dare velit: & an aliam illi Concionator saluo Dei honore & bona conscientia despondere possit.

Hanc legem Mosis prorsus politicam esse arbitramur , æquissimam quidem illam , sed tamen qua non magis astringantur nostri magistratus,quàm lege de furtis, & aliis eiusmodi rebus. Itaque quum eò vsque nunc progressa sit hominum malitia,vt probabile sit , si eiusmodi lex valeret, multos inopes hanc elocãdarum suarum filiarum rationem vltro etiam quæsituros,vnde maxima oriri incommoda necesse sit: ideo quoties hoc incidet,stupratorem quidem hortandum putamus, vt vitium puellæ oblatum subsequente matrimonio non inuitus purget: Magistratum autem ad pœnas de constupratore sumendas maluerimus incitari , quàm ad ferendam eiusmodi legem vehementiùs vrgeri.

Hæc sunt igitur quæ ad propositas quæstiones,tam breui temporis spatio respõdere potuimus, paratissimi alioqui pro modulo gratiæ à Deo nobis concessæ vobis in eodem opere Domini laborantibus succurrere,& mutuæ nostræ coniunctioni fouendæ nullo officii genere deesse.De rebus nostris , fruimur adhuc summa pace maximo Dei nostri beneficio : quum alioqui non desint qui extrema omnia in nos moliantur,quorum tamen machinationes Dominus ad hũc vsque diẽ miris modis repressit,& vt speramus,deinceps pro sua in nos clemẽtia & misericordia reprimet. In Gallia non desinunt aduersarii quiduis tentare,vt renascentes Ecclesias opprimant.Itaque vestris assiduis precibus & nos ipsos & Gallicas omnes Ecclesias etiam atque etiam commẽdamus. Bene valete in Domino , fratres plurimùm obseruandi. Dominus Iesus Spiritu suo vos magis ac magis corroboret,vestrísque laboribus cumulatissimè benedicat.Geneuæ,18.Maii,1566.

Tt.j.

EPISTOLA XI.

HELIÆ PHILIPPINO, FRATRI ac symmystæ charissimo.

MITTO ad te, mi frater, responsum ad quatuor illas quæstiones de quibus ad nos scripsisti. Quod autem attinet ad vestram illam precandi rationem qua vos istic vti solere scribis, nempe vt Dominus eos euertat, qui contra veritatem cognitam Euangelium euertere conantur, velim libenter priùs intelligere contrariæ sententiæ argumenta, quàm de hac re respondere. Interea hoc tibi significo, nos hîc non consueuisse tam præcisa formula aduersus istud hominum genus precari, sed potiùs hac distinctione vti, vt hostes suos Dominus, vel ad resipiscentiam adducat, vel siquidem (quod solus ipse nouit) ad ipsius electionem nō spectant, malos malè perdat, vt Filij sui regnum potēter stabiliat. Etsi enim qui veritatem cognitam oppugnant, vix ab horrendo illo in Spiritum sanctum peccato immunes esse posse videantur, tamen quum fieri etiam posit, vt aliquis vel priuata in aliquem maleuolentia, vel ambitione, vel inuidia, vel auaritia alióve prauo aliquo affectu, potiùs quàm directo ipsius Dei & Euāgelii odio, quantumuis cognitam sibi veritatem persequatur: & inter veritatis dogmata aliud alio sit grauius, adeò vt qui vnum aliquod Euangelii caput oppugnat, non statim censeri debeat Euāgelium à fundamentis conuellere, siue vniuersaliter à cognito Deo deficere: idcirco non existimamus necessariò, sed tantùm probabiliter consequi, vt qui cognitam veritatem oppugnat, in Spiritum sanctū peccasse censeatur: quo fit vt de quorumuis salute nobis sit, quoad eius fieri potest, laborādum, & occulta sua iudicia Deo sanè relinquenda: nec nisi adhibita illa distinctione preces illas concipiendas esse arbitremur, ne meritò nobis obiici posit, quod suis Apostolis Dominus, Nescitis cuius spiritus sitis. Quòd si quos eiusmodi perditos Apostatas Dominus patefecerit, qualis fuisse videtur Alexander ille, & Galatarum Pseudoapostoli, & Iulianus ille impius, quales etiam fortasis nonnullos hoc ipso nostro seculo edere possemus: tum verò non tantùm in genere, verumetiam specialiter ac nominatim posset Ecclesia contra illos extremum anathema pronunciare, & publicas priuatásque preces effundere: qua de re pluribus ad te scribere superuacaneum esse puto. Cæterùm libellum tuum De resurrectione, quòd per se nimiùm exiguus videretur, typographo non commisi, sed intra paucos dies (vt spero) dabitur aliqua melior illius edendi & cum alio non disimilis argumenti tractatu coniungendi occasio: quamobrem eum tibi remittendum non putaui. Bene vale, frater plurimùm obseruande. Dominus Iesus te suo Spiritu confirmet, & magis ac magis tibi benedicat, Geneuæ 18. Maii. 1566.

EPISTOLA XII.

AD QVOSDAM ANGLICARVM ECCLESIARVM fratres, super nonnullis in Ecclesiastica politia controuersiis.

SAEPE multúmque à charisimis Anglicarum Ecclesiarum fratribus rogati, vt in miserabili ipsorum statu consilium illis aliquod suggereremus, in quo acquiescere ipsorum conscientiæ possent, variantibus præsertim multorū sententiis, diu id facere grauisimis de causis distulimus, ac testamur nunc quoq; nos libentisimè tacituros fuisse, nisi nobis esset religio toties repetitas fratrū petitiones & grauisimos gemitus repudiare. Causæ verò istæ fuerunt obfirmati nostri silentii. Primùm sicut vna ex parte, fratrum fidē nolimus in dubium vocare, quin videlicet syncerè totum hoc negotium ad nos perscripserint, tamen vicisim difficillimum nobis est res adeò ab Episcoporum officio alienas de tantis viris suspicari, nedum nobis persuadere. deinde qui tandem sumus, vt de his iudicium vllum feramus? Quòd si etiā iudicare nobis de iis vel iure aliquo vel ex partium postulatu ac consensu fas esset, tamen iniquisimum esset, altera absente vel inaudita parte quicquam statuere. Postremò illud quoque veriti sumus, ne qualicunque hoc nostro cōsilio exulceraretur potius quàm curaretur totum hoc malum, vtpote quod solis precibus & patientia sanari posse nobis videatur. Quandoquidem igitur huc nos adigunt fratrum preces, vt aliquid omnino consilii illis suggeramus, disertè testamur sic à nobis hæc scribi, vt ne præiudicium quidem vllum velimus alteri parti fieri, nedum vt nobis iudiciū in quemquam arrogemus. Et eos omnes, in quorum manus ista peruenerint precamur in Domino, vt ne hoc scripto offendantur, sed sibi persuadeant, simpliciter & bona fide hæc à nobis scripta esse, ex facti præsuppositione, vt loquuntur, pacandis aliquo modo fratrum hoc à nobis flagitantiū conscientiis, quas prorsus negligere salua charitate non potuimus Itaque si res ita se habent, vt audimus, simpliciter & ingenuè de his controuersiis sic nos sentire profitemur.

Quæritur an probare posimus istam *ἀταξίαν* in Ministerii vocatione, quòd videlicet absque legitimo suffragio presbyterii, & vlla asignata parœcia leuisimo examine vitæ ac morum, turba ordinandorum in album referatur: quibus postea pro Episcopi arbitrio potestas fiat verbi Dei ad certum tēpus annuntiandi, vel recitandæ tantùm liturgiæ. Respondemus nobis istiusmodi vocationes & ordinationes minimè videri legitimas, siue expressum Dei verbū siue canonas puriores spectemus. Scimus tamē præstare aliquid habere, quā nihil. Sed Deū toto pectore rogamus, vt hoc quoq; largiatur Angliæ regno, legitimā videlicet Ministrorū Verbi & Sacramētorū vocationē, qua impedita necesse est veritatis doctrinæ beneficium vel statim euanescere, vel extraordinario, & cœlesti planè modo sustētari. Deinde ipsi Regiæ Maiestati humillimè per Dei sacrosanctū nomē supplicamus, vt in huius rei emēdationē, quæ est totius Anglicæ Ecclesiæ, ac proinde regni etiā ipsius fulcrū, toto animo incūbat. Tertio loco, maximos illos viros tū qui & ipsi Regiæ Maiestati sunt à cōsiliis, tū qui Papisticis Episcopis successerūt, singulari Dei Opt. Max. misericordia,

vt ty-

vt tyrãnidẽ illã quæ Ecclesiã Christianã pessundedit, ex eo ipso loco destrnãt, vnde orta est ruina, vtrosqne, inquam, cum lachrymis precamur, & per eius nomen obtestamur, coram cuius tribunali stabimus omnes, vt & superiorum temporum & sni officii memores (quum præsertim eam R. M. ipsis tribuerit Dominus à qua sint heroica omnia speranda, nisi sibi ipsi defuerint) non desinãt istius constituendæ rei rationibus ineundis, & R. M. persuadendis operam dare, nec nisi perfecta re conquiescant. Quid autem interea? Certè quod ad nos attinet, nolimus ministerii functionem hac ratione ne oblatam quidem recipere, nedum petere. Quibus tamẽ Dominus hoc modo aditũ ad propagãdam ipsius regni gloriam aperuit, eos hortamur vt fortiter in timore Domini perseuerent, ea tamen conditione addita, vt ipsis liceat sanctè & religiosè ministerio suo integro defungi, ac proinde quæ ad res in meliùs prouehendas spectant, pro sui muneris ratione proponere & vrgere. Nam alioqui si hæc libertas eis eripiatur, & ad manifestum abusum sic conniuere iubeantur, vt etiam approbent quæ constat esse emendanda: quid aliud suadeamus quàm vt priuati esse malint, quàm contra conscientiam fouere malum, quod necessariò integram Ecclesiarum ruinã mox secum trahet? Speramus autem & R. M. & tot clarissimos optimósque viros operam daturos, vt conscientiis tot piorum & doctorum fratrum potiùs cõsulatur, quàm tãtum hoc malum eueniat, nempe vt Pastores vel contra consciẽtiam facere quod malum est, ac proinde peccatis silentis sese includere, vel seipsos abdicare cogantur. Tertium enim illud, nempe vt contra R. M. & Episcoporum voluntatem ministerio suo fungantur, magis etiam exhorrescimus, propter eas causas, quæ tacentibus etiam nobis, satis intelligi possunt.

Petitur etiam à nobis vtrùm istam in pileis & vestibus tum in communi vsu, tum in ministerii functione distinctionem probemus, apertè & ingenuè respondesmus.

Respondemus igitur ingenuè, si ita res habent vt audimus, nobis videri pessimè mereri de Ecclesia Dei, & coram Christi tribunali rationem huius facti reddituros, qui sunt istius rei authores. Etsi enim ciuilem & politicum illum ordinem minimè putamus improbandum, quo non tantùm ciuiũ, sed etiam functionũ ordines distinguuntur, tamen non quamuis distinctionem putamus approbandã. Quid si enim iubeantur Ministri perinde vt moriones ac histriones vestiri? an non manifestũ esset ludibriũ Ecclesiastici muneris? Atqui peius etiam aliquid hîc admitti nobis quidẽ videtur, quoniam non tantùm istum sacerdotalem habitum ipsis etiam Papistis plerisque ridiculum reddidit Dominus, sed etiã constat infinitis superstitionibus esse pollutum ac contaminatũ. Sunt ista (inquiet aliquis) vetusta. sunt sanè: sed multò vetustior est simplicitas Apostolica, sub qua floruit Ecclesia. Quòd si etiã amplius libeat in res istas inquirere, difficile non fuerit ostendere, quæ postea distinctioni seruierunt, primùm plebeia ac vulgaria fuisse. Mutatis autẽ rebus tam longo tẽporum interuallo, quorsum ista peregrinitas, nisi ex inutili κακοζηλίας? Sunt tamen (dicet aliquis) res per se mediæ. Concedimus sanè ita esse, si per se considerentur. Sed quis illas ita considerabit? Nã qui Papistæ sunt, quicquid lex ciuilis prætexat, sanè hac ratione in sua superstitione inueterata cõfirmantur. Qui cœperunt superstitiones eò vsque detestari, vt etiam illarũ vestigia cœperint execrari, quantopere offenduntur? Qui meliùs sunt instituti, quẽ fructum inde percipient? Anne verò tanti est ista distinctio, vt propterea tã multorũ conscientias perturbari oporteat, repetita videlicet ab ipsis manifestis & iuratis sanę doctrinę hostibus, istius distinctionis ratione? Quid quod ex iis qui Ecclesiastici vocantur, non minima pars dicitur adhuc Papismum in pectore gestare? an isti verò in melius proficient, restituto hoc habitu, ac non potiùs quasi mox instaurandi quoque ipsius Papismi spe cristas erigent? Quòd si quis obiiciat Timothei circuncisionem & cætera eiusmodi, rogamus illum etiam atque etiam consideret, quid dicturus fuerit Paulus, si quis istiusmodi legem tulisset, vt quisquis Ministerio Euangelii fungeretur, teneretur vti veste Pharisaica, aut prophanorum sacerdotum habitu Euangelium annuntiare & Sacramenta administrare? nedum suos liberos circuncidere, quæcunque tandem ratio ciuili istiusmodi legi adiiceretur. Imò quorsum hæc adferrentur? Nam vt ista initio tolerari potuerint, tantisper dum sensim mutarentur, tamen semel sublata quo fructu restitui possint, sanè non videmus. Itaque quod antè diximus, iterum repetimus, non posse nobis istud cõsiliũ probari, nec quicquã inde boni nos sperare. Libẽter tamẽ de sẽtẽtia decedemus, si quid rectius cognouerimus. Quid ergo (inquiũt fratres) nobis, quibus ista obtrudũtur, faciẽdũ censetis? Respondemus distinctione hîc opus esse: alia enim est Ministrorũ, alia gregis cõditio. Deinde possunt, ac etiã debent multa tolerari, quæ tamen rectè nõ præcipiuntur. Itaque primùm respondemus, etsi ista nostro quidem iudicio nõ rectè reuehũtur in Ecclesiam, tamen quum non sint ex earum rerum genere, quæ per se impiæ sunt, non videri nobis illas tanti momẽti, vt propterea vel Pastoribus deserẽdũ sit potiùs ministeriũ quàm vt vestes illas assumant, vel gregibus omittẽdũ publicũ pabulũ, potiùs quàm ita vestitos Pastores audiant. Tãtùm, vt & Pastores & greges in conscientiã non peccent (modò salua sit doctrinæ ipsius siue dogmatũ puritas) suademus Pastoribus, vt postquã & corã R. M. & apud Episcopos suas conscientias modesta quidẽ (sicut Christianos ab omni tumultu ac seditione alienos decet) & tamen graui, prout rei magnitudo requirit, obtestatione liberarint, apertè quidem apud suos greges ea inculcent, quæ ad tollendum hoc offendiculũ pertinent, & in illorum etiam abusuum emẽdationẽ, prudenter simul ac placidè, prout occasionem offeret Dominus incumbant: sed ista tamen quæ mutare non possunt, ferant potiùs quàm Ecclesias ob eam causam deserendo maioribus & periculosioribus malis occasionem Sathanæ nihil aliud quærenti præbeant. Gregibus autem (integra manente doctrina) suademus, vt doctrinam ipsam nihilominus attentè audiant, sacramentis religiosè vtantur, suspirent ad Dominum, donec seria vitæ emendatione, ab eo impetrent quod ad integram Ecclesiæ instaurationẽ requiritur. Sin verò Ministris non tantùm vt

ista tolereot, præcipitur, sed etiam vt ea tanquam recta vel chirogtapho comprobent, vel suo silentio foueant: quid aliud suadere possimus, quàm vt de sua innoceotia testari & omoia remedia iu timore Domini experti, mauifestæ violentiæ cedant? Sed meliora saoè, quàm hæc extrema Angliæ regno omiuamur.

Quæritur & illud quid de cantu illo infracto, crucis consignatione, puerorum bapt zaudorum ioterrogatione, crusto azymo & rotundo, & geniculatioue in Cœna Domini oobis videatur.

Respondemus cantum illum nobis videri manifestam corruptionem puræ & veteris ψαλμῳδίας. Signi crucis vt olim aliquis fuerit vsus, eam tamen esse & quidẽ adhuc adeò recentem superstitiooem maximè execrabilem cenum est, vt rectissimè fecisse arbitremur, qui semel istum ritum ex Ecclesiis expulerunt, cuius etiam oon videmus quæ sit vtilitas. Puerorũ autẽ baptizaodorũ inrerrogationẽ non dubitamus ex eo inuasisse Ecclesiam, quod Episcoporum negligẽtia retenta sit eadẽ in Baptismo infantium formula, quæ iuitio in adultis Catechumenis vsurpabatur, id quod etiã ex aliis multis quæ in Baptismo Papistico adhuc vigeot, perspicere licet. Itaque sicut Chrisma & Exorcismus quantumuis vetusta, optimo iure abolita sunt, cuperemus quoque istam non modò superuacuam, sed etiam ineptam interrogationem omitti, quantumuis illam in Epistola quadam Augustiuus ipse aliqua interpretatione tueatur.

Panis autẽ, azymúsne sit an fermentatus, oon magnopere putamus laborandum, quãuis cõmunẽm panẽ sentiamus ordinationi Christi multò esse cõuenientiorẽ. Cur enim azymo pane vsus est Dominus, nisi quia per id tempus, quo sacrã illã Cœnã ipsi visum est instituere, nullus in Iudæa alio paue vtebatur? Aut igitur Azymorum festum simul restituatur oportet, aut fatendũ est cõmunem & omoibus vsitatum panẽ exẽplo Domini rectiùs vsurpari, quamuis azymũ panẽ Domious adhibuerit: vt de veteris purioris Ecclesiæ more taceã, quem adhuc Græca Ecclesia retinet. Geniculatio denique dum symbola accipiũtur, speciem quidem habet piæ ac Christiaoæ venerationis, ac proinde olim potuit cum fructu vsurpari: tameo quoniam ea hoc fonte orta est ἀρτολατρεία illa detestabilis, & adhuc in multorum animis hærens, meritò sublata esse videtur. Itaque Deuoi Opt. Max. precamur, vt & ipsi R.M. & Episcopis id consilii in his rebus suggerat, quod ad istas sordes semel repurgandas necessarium videtur. Interea tamen quum ista per se non sint idololatrica, idem de illis quod de proximè præcedentibus sentimus.

Petitur, an Baptismum ab obstetricibus administratum probemus.

Respondemus, non modò nobis improbari vt superiora, sed etiam prorsus intolerabilem videri, vtpote ea igoorantia veri vsus Baptismi & Ministerii publici exortum. Eiusmodi ergo abusum sentimus teneri Ministros grauiter reprehendere, nedum vt ratum eiusmodi Pseudobaptismum habeant. Causas sæpe nostri reddiderunt, & reddere, quum opus erit, sumus parati.

Aiunt quoque eacommunicationes & absolutiones io curiis quibusdam Episcopalibus in Anglia fieri non ex presbyterii, quòd nullum ibi sit, sententia, oeque ex Dei verbo, sed ex quorundã iurisconsultorum & aliorum eiusmodi, imò etiam interdum vnius cuiuspiam autboritate: & quidem ob actiones merè pecuniarias & ciuiles, & eius geoeris alia, sicnt in Papatu fieri consueuit.

Respondemus, nobis penè incredibile videri eiusmodi abusum peruersissimi moris & exempli adhuc in eo regno vsurpari, vbi puritas doctrinæ vigear. Ius eoim excõmuoicandi ante Papisticã illam tyrannidam nunquam penes vnum fuisse comperietur, sed penes presbyterium, & quidem non excluso penitus populo. Deinde tractatio ista τῶν ἐπιτιμιῶν iudicialis planè per abusum ad Episcopos peruenit. Quod enim de arbitris Corinthi cõstituẽdis differit Apostolus, nihil ad rẽ vbi Christianus est Magistratus: nec vnquã in mẽtẽ venit Apostolo, vt presbyteriũ ooeraret istiusmodi merè ciuilibus cognitionibus. Episcopos quoq; veteres cõstat, nõ pro aliqua sua potestate, sed litigãtiũ importuuitate, & quidẽ vt domesticos arbitros, controuersias tales audiuisse: inter quos tamen sapientissimè fecerunt, qui Christi eaẽplũ sequi maluerunt, hercissundæ familiæ arbitriũ & oblatũ adulterii iudiciũ repudiantis. Itaq; si quid cõtrà sit in Anglia, sanè istiusmodi iudiciis nõ magis arbitramur quã illis Papisticis excõmunicationibus quenquã corã Deo ligari, & hanc cõscientiarũ carnificinã, & fœdã Ecclesiasticæ, ac merè spiritualis iurisdictionis profanationẽ, optamus primo quoque tempore authoritate Regiæ maiestatis nõ minùs quàm ipsius doctrioæ corruptelas aboleri, & presbyteria ac diaconias, ex verbo Dei & puræ Ecclesiæ canonibus instaurari: quod ni fiar, sanè veremur ne hoc sit mulrarum calamitatum initium, quod tamẽ vtinam Dominus auertat. Eiusmodi eoim abusus manifestos, quibus perturbaotur conscientiæ, cerium est Filium Dei è cælo taodem seuerè vindicaturum, oisi remedium adhibeatur. Interea quod non rectè fit, rectè tamẽ ab iis, qui, quod fernnt, mutare non possunt, arbitramur tolerari, hactenus tameo vt rem ipsam oõ approbent, sed iniquam vexationem patiẽtia redimãt. Quòd si vrgeautur eousque, vt baoc rationem non modò tolerare, sed etiam huiusmodi eacommunicationem vt legitimã approbare, & illegitimam absolutionem petendo, isti abusui manifestè assentiri cogantur: suademus vt quiduis potiùs ferant quàm contra conscientiam agant.

Sed quorsum hæc? Nam certè multò meliora, imò optima omnia nobis nunc quoque de eo regno pollicemur, io quo tã multorũ etiã excellentissimorum martyrũ sanguine obsigoata est Christiauæ religionis iostauratio. Tantùm metuimus, ne idem quod tã multis aliis regiouibus, Aogliæ quoque eueniat: nimirnm oe quia resipiscentiæ coogruẽtes fructus noo eduntur, iustus Domious erepta Euangelii sui luce, tenebras duplicet. Hæ nostræ sunt quotidianæ in nostris Ecclesiis conciones: & sanè idem omnibus verbi Dei ministris nũc faciendũ in primis arbitramur, vt banc præcipuè Euanglii partẽ, quæ ad seriã vitæ emẽdationẽ spectat, modis omnibus vrgeant. Hac enim

impe-

impetrata ſuggeret certè Dominus & conſilia & zelũ cæteráque eiuſmodi, quibus ad inchoatam Eccleſiæ inſtauratione perficiendam opus eſt. Hortamur autem in primis & quàm humillimè cũ lachrymis precamur optimos noſtros & in Domino plurimùm obſeruãdos Anglicarũ Eccleſiarũ fratres, vt omni animorum exacerbatione depoſita (quæ ſanè veremur vt vtrinque hoc malum vehementer auxerit) ſalua manente doctrinæ ipſius veritate, & ſana conſcientia, alii alios patiẽter ferant, Regiæ Maieſtati clementiſsimæ & omnibus præſulibus ſuis ex animo obſequantur, Sathanæ denique occaſiones omnes tumultuũ & infinitarũ calamitatũ quærenti, animis in Domino concordibus, etiamſi non ſtatim idem de quibuſuis ſentiant, conſtanter obſiſtant. Huc enim minimè ferri & ſpectare noſtrum hoc ſcriptum, vt vna pars aduerſus alteram eo nitatur, ſiue vt tanquã ἔριδος μῆλον iſtuc proiiciamus, Deus Opt. Max. nobis teſtis eſt, quanuis ſimpliciter, præſuppoſita facti, vt loquuntur, veritate, perpetuis fratrum flagitationibus expugnati, ſententiam his de rebus noſtram expoſuerimus. Coniungimus autem noſtras aſsiduas preces cum piorum omnium qui iſtic ſunt gemitibus, vt clementiſsimus Dominus imbecillitatis humanæ miſertus, Regiam maieſtatem, omnéſque Anglici regni proceres, itémque Eccleſiarum præſules, omnes denique ſpiritualis ædificii operarios ſancto ſuo Spiritu quàm efficaciſsimè dirigat, vt toties cœptum & toties impeditum opus Domini quàm feliciſsimè promoueatur ſumma omnium ordinum pace ac concordia, non tantùm veteribus ſemel repurgatis omnibus & doctrinæ ipſius & Eccleſiaſticæ politiæ maculis, ſed etiam procul abactis omnibus errorum portentis, quæ recèns in Eccleſiam Chriſti Sathan rurſus inuehere conatur. Ita faxit ſancto ſuo Spiritu benigniſsimus Pater in Ieſu Chriſto Filio ſuo vero æterno & ὁμοουσίῳ, in quibus vnum eundémque Deum adorandum in ſecula profitemur. Amen. Geneuæ, 24. Octobris, 1567.

EPISTOLA XIII.

CHRISTOPHORO THRECIO, Polono, fratri chariſſimo.

LITERAS tuas, mi Threci, tanto auidiùs legi, quanto ſeriùs accepi: illas verò tã multas, de quibus ad me ſcribis, vel aliquorum fraude interceptas fuiſſe neceſſe eſt, vel tabellariorum negligentia periiſſe. Itaque etſi mihi ſemper erit gratiſsima diligentia in ſcribendo tua, tamen tibi deinceps etiã atque etiã cauendum arbitror, ne cuiuis literas tuas committas. Cæterùm de rerũ noſtrarũ atq; Galliæ totius ſtatu non eſt cur pluribus ad te ſcribã, quum hæc omnia cognoſcere ex Thenaudo noſtro quàm optimè poſsis. Quod autẽ attinet ad veſtras illas infelices turbas, paucis hæc accipe. Quoniam hoc hominũ genus à Domino excæcatũ, improbitate & arrogantia potiùs peccat quàm ignorantia, idcirco ex Apoſtoli doctrina, neque ſcriptis neque verbis puto cum illis agendum, ſed ſimpliciſsima illa fidei confeſsione, quam ab ipſo vſque Chriſto acceptã ſemper cuſtodiuit Eccleſia, illis oppoſita, ſinendos eſſe, donec illos Dominus quacunque volet ratione, ſicut omnino facturus eſt, extirpet. Si fecerit officium Magiſtratus, non ita magno negotio liberi eritis: ſin minus, exercebimini, vt qui ſynceri ſunt, manifeſti fiant. Sed hîc vobis aſsiduè vigilandum eſt vt, quoad eius fieri poterit, ouiculas veſtras ſibi ab his lupis cauere ſedulò doceatis. Id autem fiet ſi doctrinæ ſummam ſimpliciter & ſobriè credendam potiùs quàm ſpinoſè & argutè diſputatam inculcetis: ac deinde quæ blaſphemiæ ex contraria doctrina neceſſariò & euidenter conſequãtur, oſtendatis, nempe vel tres eſſe Deos, vel Chriſtum Deum non eſſe, ac proinde nec inuocandum nec adorandum, ac ne Ieſum quidem eſſe: quæ omnia dictu ſunt horrenda. Adde quòd ſi ita eſt, vt iſti dicunt, repetendus erit neceſſariò Baptiſmus in omnibus ſub Papatu baptizatis, quoniam in falſum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum fuerint baptizati, nec vllum prorſus fuerit in Papiſtica Eccleſia fundamentum. Hæc ita propoſita à quibuſuis rudibus faciliùs multò quam rationes ipſæ & argumenta intelligentur, & diſcent omnes in tẽpore ab illis blaſphemiis refugere, quorum aures alioqui dum non conſiderant ſatis tẽpeſtiuè in quæ præcipitia ruant, plauſibilibus iſtorum verbis patent. Proderit tamen propter doctiores quoſdam qui bono animo τὸ διότι & fundamẽta doctrinæ inquirunt, blaſphemias iſtorum ex Scripturis, & perpetuo Orthodoxorum omnium conſenſu, ſcriptis etiam refutare, nequi incauti decipiantur, & vt ſi qui ſunt ſanabiles, ad ſanam doctrinã authoritate verbi reuocentur, ſed ita vt ſimplicitatis ſemper ratio habeatur, ne ſi rationes rationibus opponere ſtudeamus, id ipſum à nobis committatur quod in aliis reprehenditur. Ego quidem quod ad me attinet, libenter hîc præſtabo quicquid poſſum, & ſcito te hac in parte, ſponte currẽtem incitare, etſi minimè ſum mihi conſcius eorũ quæ iſtic mihi tribuitis, de quo neceſſe eſt vos admoneri, ne maius à me quippiã ſperetis, quàm vires meæ patiantur, & vt in Deum potiùs quàm in homines reſpiciatis. Non dubium eſt tamen quin Dominus ſuo more ex paruulorum ore laudem ſuam perficiat. Seruetur autem in primis bona conſcientia, neque vllis priuatis odiis aut ſiniſtris affectibus ſancta hæc ſtudia prophanentur. Cupiui verò in-primis & adhuc cupio quæ ſit illorum dogmatis ſumma tum de Deo in genere, tum de Patre, Filio & Spiritu ſancto planè & perſpicuè cognoſcere, quoniam in illorum ſcriptis pleraque ambigua & manifeſtè ἀσύστατα animaduerto, vnde futurum coniicio vt ſua non ſatis rectè intellecta mox dicant, & nos calumniatores eſſe vociferentur. Siqui igitur inter illos veritatem ſeriò quærunt, admonẽdi ſunt vt vel doctrinam ab iſtis acceptam nouo aliquo ſymbolo plano & perſpicuo teſtentur, ſi nulla vetera omni ex parte probant: vel ſignificent in quo tandẽ ex veteribus illis aduerſus Orthodoxos ſcriptis acquieſcãt, vt hoc tãdẽ modo qua de re quæratur inter nos & illos cõſtet, & in quo pedẽ figamus, vtrinq; habeamus. Sed hoc fortaſſe recuſabunt. Itaq; omnia iſtinc ad me perlata ſemel euoluere, & corpore aliquo doctrinæ iſtius constructo, veritatem mendaciis oppoſitam tueri, Deo dante, conſtitui, qui labor vtinam Eccleſiæ Dei

vtilis & iucundus esse possit. Faciam autem hoc omnino quàm diligentissimè potero. Quòd si tamen tardior fuero quàm optetis, & ego quoque velim, rogo vt sæpe cogitetis, quantam negotiorum molem sustineam, méque assiduis vestris precibus iuuetis. Bene vale, vir eximie, & frater in Domino plurimùm obseruande, vnà cum toto piorum ac bonorum fratrum cœtu, quos vtinam Dominus sanctæ pacis vinculo magis ac magis deuinciat. Commendare Domino hãc Ecclesiam & scholam aduersus omnes Sathanæ conatus, Geneuæ, Calendis Nouembris, 1565.

EPISTOLA XIIII.

IOAN. SARNICIO POLONO, FRATRI *plurimùm obseruando.*

VTINAM verò, mi frater, vobis istic nunc quoque liceret concordibus animis communes illos veritatis hostes oppugnare, qui nostris dissidiis potiùs confirmantur. Sed hæc est Ecclesiæ conditio. Qua ratione verò pugnandum istic putem, copiosiùs ad Threcium nostrum scripsi. Hoc vnum addam, nisi firma quædam Ecclesiastica disciplina inter vos ex Dei verbo statuatur, non videre me quomodo vel istud incendium quò minùs crescat, impediri, vel aliis mox exorituris malis occurri possit. Et sæpe profectò sũ vos admiratus viciniæ saltẽ Germaniæ exẽplo nõ fuisse admonitos, vt statim de hac re non minùs seriò instituẽda quàm seuerè obseruanda cogitaretis. Scis enim vnũ & eundem esse tum doctrinæ tum disciplinæ Ecclesiasticæ authorem. Quorsum igitur vnam verbi partem altera repudiata reciperemus? Deinde quæ stultitia est existimare sublato ordine, in quo legum obseruatio posita est, leges ipsas & publicam pacem conseruari posse? Timetur altera tyrannis. rectè quidem. Sit ergo disciplinæ regula, verbum Dei. alioqui dum tyrannidis metu nullum ordinem admittimus, incidamus necesse est in ἀναρχίαν & ἀταξίαν, mala omnium pessima. Non placet nimia seueritas. rectè & illud. Modus enim optimus est. Maneant igitur limites à Deo ipso positi, & in vsu ipso temperetur zelus charitate. Hunc enim optimum modum esse statuo. Quòd si de extremis quæritur, iudico multò longiùs à medio recedere qui mollitie quàm qui seueritate peccant, in qua opinione me confirmat perpetua omnium Ecclesiarum historia, & miserrimus hic status in quo nũc multi versantur. Scio quid in contrariam partem dicatur, & quidem quàm multa in hac ipsa causa olim aduersus Alexandrum & Athanasium dicta sint: itémque aduersus Cyrillum in causa Nestorii, quasi sua seueritate sceleratos illos potiùs irritauerint quos moderatione sua initio potuerint sedatiores saltẽ reddere. Ego verò sicut auream mediocritatem laudo, ita etiam velim eius rationẽ ex verbo Dei, non autem ex stulta illa prudentia peti. Stultã appello quæ vel extra Dei verbum sapit, vel charitatem à zelo separat. Deinde diuina illa organa, quorũ seueritatis fructus nũc etiam metit Ecclesia, statuo non modò in hac re non peccasse, sed summam etiam laudem sanctiss. cõstantiæ mereri, quã si posteri essent secuti, potiùs quàm inane illud crudelissimæ mansuetudinis exẽplũ, nõ eò recidisset Ecclesia vnde non absque miraculo postea emersit. Quorsum hæc vero? nempe vt quod ab initio factum oportuit, serò tandem & seriò constituatis, ne quis nimirum temerè vel in Ecclesiam admittatur, vel semel admissus quidquam aut in doctrina aut in moribus nouare possit, deinde compescẽdorum offendiculorum regulam à Domino præscriptam sequamini: quibus alioqui prouocatus Dominus, Spiritu veritatis ablato, spiritũ erroris in ira sua Pastoribus ipsis immittit. Iubent Medici sapiẽter, quærere malorũ causas, & veluti fontes potiùs quàm riuos auerti. Idẽ hic nobis faciendũ statuo, & ἀταξίαν cum multis aliis peccatis, de quorum remedio non est tẽpestiuè cogitatũ, tantis malis causam præbuisse iudico. Itaque frustrà disputabitur tum voce tum scriptis, quibus sæpe certamina accendũtur, potiùs quàm extinguuntur, nisi à cõuersione cordiũ, & εὐταξίας initium instaurationis sumatur. Hæc verò & his longè meliora non dubito quin sæpe cogiteris: sed rectè dixit ille, vbi consuluimus, maturè facto opus esse. Infinitæ se difficultates obiiciunt, quæ vt opus remorentur, impedire tamen non debent. Imò quò diutiùs expectabitis, & quo tardiùs progrediemini, eo plura impedimenta obiiciet Sathan, donec tandem nullus remediis locus relinquatur. Viriliter agentes opus Domini, virtus illa cælestis iuuabit. Si multi hoc non ferant, præstat paruum gregem & tranquillum intus esse, quàm lupos ouibus esse permixtos. Multi quoque initio resilient, qui vltrò postea concurrent. Denique ne cælum terræ misceatur, scitote vobis non licere domum Dei nisi ex Domini mandatis administrare. Quænam autem illa sint, partim ex ipso verbo in genere petendum est, partim quum ad vsum & specialia illa ventum est, & vetus historia consulenda, & aliquot Pastorum qui nostra ætate diligenter hanc etiam partem operis diuini excoluerunt, iudicium dispiciendum est, & omnia prudenter ad ædificationem accommodanda sunt, vt quæ tot seculorum negligentia partim obliterauit, partim in manifestos abusus transformauit, radĩ in integrũ restituatur. Faciliùs hæc multò scribi quàm geri possunt. sed fortiter aggredientes Dominus nõ destituet. Hæc ego ad te, mi frater, non ideo scripsi, vt ignarũ monerẽ (absit enim à me hæc insania) sed vt sponte currentẽ incitarem. Multum de me, vt video, speratis. Ego etiam atque etiam moneo perexiguum esse quod præstare possum. Respicite igitur in Deũ, & precamini assiduè vt fortibus illis athletis, quibus indignus erat mundus, idoneos successores summittat. Etsi enim digni sumus quos Dominus semel perdat, tamen certum est Ecclesiam saluam fore: & quia nomen ipsius efficaciter inuocatum est super nos, idcirco Dominus in nobis opus suum perficiet. Rogate pro hac Ecclesia aduersus quam Sathan extrema molitur. Nos vicissim Deum precamur vt omnibus istis hostibus suis deuictis, det nobis eum summa cõcordia sanctum ipsius nomen profiteri. Bene vale, mi frater, cum toto sanctorum cœtu. Geneuæ Cal. Nouemb. 1565.

EPISTOLA XV.

TONVILLANO, ALIAS PETRO STATORIO.

ITANE verò, Tonuillane, fieri potuisse vt in istud tantæ Impietatis barathrum non modò præceps rueres, sed etiam alios præcipitares? Ita me scribere iubet dolor, tanto acerbior, quanto tu mihi charior fuisti. An non verò saltem tibi in mentē venire oportuit, à quibus ad quos deficeres? Non pendeo (inquis) ab hominibus, sed à Dei verbo. Rectè quidem. Sed an docuit te Dei verbum vel multiplicari posse Dei essentiam, vel seruatorem esse posse & à nnbis adorandum & Innocandum, qui Deus non sit? Illa (inquies) non dicimus, sed vos potius ex nostra doctrina colligitis. Ergo quomodo ex doctrina vestra non consequantur ostende, aut doce Christianos & bestias vnam & eandem rem esse: sed ista certè tam paucis comprehendi non possunt. Itaque si verum est quod hîc noster Thenaudus mihi tuo nomine nuntiauit, id est, si paratus es recta monentem audire, vide imprimis vt tibi persuadeas rectiora te posse ab iis doceri, quos te priùs certè cōsulere oportuit quàm ab iis deficere: imò etiam ita peruicaciter in re omnium maxima ipsos oppugnare, & viro (mihi verum iuranti crede) pessimo ad fundamētum pietatis destruendum operam tuam accommodare. Deinde cura, obsecro, vt tui isti, à quibus nunc ita es edoctus vt eos etiam doceas, vel hanc suam doctrinam, Ecclesiæ more, nouo quopiam symbolo, eóque plano ac perspicuo testentur, si nullum ex veteribus illis omni ex parte probant: vel certè significent in quo tandem veterum illorum ab Arrianis siue ἑτερουσίως siue ὁμοιουσίως aduersus Orthodoxos siue ὁμοουσίους scriptorum acquiescant. Quod si etiam addideris quibus tum rationibus tum Scripturæ testimoniis illorum dogmata nitantur, tantò gratiùs feceris. Spero enim me (Deo dante) quāuis in Ecclesia Dei minimum, sic responsurum & verè & placidè, vt iis qui seriò veritatem quærunt, satisfiat. Alios enim αὐτοκατακρίτους nihil moror, quos Dominus suo tempore iudicabit. Hoc igitur vide vt præstes, & animum ad discendum paratum afferas, quem vtinā & tibi & mihi largiatur Dominus, vt in ipsius schola proficiamus. Geneuæ, Cal. Nouemb. 1565.

EPISTOLA XVI.

EIDEM PETRO STATORIO.

ETSI me nunc quoque nihil apud te profecturum suspicor, tamen ne nunc quidem desum amici officio. Quereris te à me indignia modis affectum, & mones ingenuos conuitiis irritari potiùs quàm emendari. Ego verò, ita me bene Deus amet, nec prudens nec imprudens tibi sum conuitiatus. Putaui mihi meo quodam iure licere in re omniū grauissima paulò liberiùs tecum vt cum discipulo quondam meo agere. Non memini tamen vllam voculam mihi excidisse, quæ ad conuitium accederet. Scripsi mirari me, quòd in istud tantæ impietatis barathrum non modò præceps rueris, sed etiam alios præcipitaris. Addidi hoc mihi extorquere dolorem tanto acerbiorem, quanto tu mihi charior fuisti. Hoccine verò est conuitiari, an potiùs paternum amorem testari? Sed ad rem. Impietatis nomine notaui dogma quod constat istic receptum, nempe quòd Patrem, Filium & Spiritum sanctum negetis vnum & eundem prorsus Deum esse. Nam certè vel vnum Deum vel plures Deos illos esse oportet. Illud si conceditis, vnde istæ Babyloniæ turres? vnde, vt leuissimè loquar, tam putidæ & tam nugaces istæ blasphemiæ? Sin plures esse numero Deos mauultis, quid est impium simul & planè dementem esse, si hoc non est? Illud autem quod tu ipse inculcas περὶ τῆς τοῦ πατρὸς ὑπεροχῆς cuiusmodi tandem est, & illud, quòd Pater sit Christi (nempe secundùm Diuinitatem) caput? Si tantùm dicerem hunc esse purum Arrianismū, fortasse non mouereris, quum tamen nemo vnquam in Ecclesia senserit aliud esse Arrianismum quàm Atheismum, quia qui Filium non nouit ne Patrem quidem nouit. Tolerabilior tamen fuit Arrius quàm Gentilis ille vester Propheta, id est, magis inter se conseutanea loquutus est quum τὸν λόγον mallet dicere creatum, quàm duos natura Deos constituere, & quidem impares, quod summę est profectò insaniæ locuples testimonium. Liceat enim mihi sine conuitio schapham scapham vocare. Nolo, inquis, in hoc mysterio, vel tantillum à sacris literis abduci. Quasi verò inter nos controuertatur an ex vno Dei Verbo scripto petenda sit nostræ religionis ἀσφάλεια. Displicet vobis, ὁμοούσιον, quoniam non extat totidem literis scriptum in sacris libris. Vbi verò in illis comperietis vestrum αὐτόθεον? vestram ὑπεροχὴν, & illa portenta Essentiatoris & Essentiati? Res autem ita se habet. Extra controuersiam positum est, oportere nos ex vnis diuinis scriptis Prophetarum & Apostolorum sapere. Sit illud quoque certum, formulis & phrasibus Scripturæ esse nobis studiosè insistendum, & vitandas quoque καινοφωνίας. Sed quis sanæ mentis homo negarit scripturam ex collatione locorum esse interpretandam, nec vitanda quæcunque ad verę sententiæ alicuius defensionem & contrariæ oppugnationem faciunt? Itaque non est quod excogitatá fuisse à Patribus voculam ὁμοουσίου tam multis conqueramini, id est veterem illam centies millies refutatam calumniam reponatis. Sed hoc potiùs ostendite, vel non fuisse necessariam, vel esse incommodam, vel Scripturis contrariam, quod certè nunquam facietis. Expēde, inquam, diligēter cuiusmodi sint illa nostra, quæ tu inuidioso nomine glossemata vocas, & te (vt spero) tui ipsius mox pudebit. Dolet etiam tibi quòd inter alia scripserim saltem oportuisse tibi in mentem venire à quibus ad quos

deficeres. Me verò nunquam id scripsisse pœnitebit. Nam vt taceam quales fuerint summi illi Patres, qui Nicenæ synodo & aliis deinceps vnanimi totius Orthodoxæ Ecclesiæ consensu receptis Synodis præfuerunt, à quibus tamen omnibus vos defecisse, ne ipsi quidem vos inficiamini: vt, inquam, illos præteream, si vel de iis solis agamus, quos tu ipse partim vidisti & audiuisti, partim videre & audire potuisti: quem tandem istorum à quibus Poloniam totam & Transsyluaniã in hunc miserrimum statum redactam vides, cum illis ea pietate, doctrina, integritate vitæ præditis, quæ omnem ipsius Sathanæ inuidiam superauit, comparabis? Num Blandratam, cui vtinam nunquam adeò fuisses familiaris? Atqui puderet te nunc illum, vt opinor ad Samosateni vsque castra persequi, &, ni fallor, ne pro bono quidem viro nunc illum habes, ac meritò quidem. Num Gregorium Paulum, cuius manifesta nunc saltem tibi est væsania? Num Alciatum? atqui Valentinus ipse palàm testatus est illum Mahumetanum esse factum. Num ipsum Valentinum? atqui periurio saltem illum obligatum fuisse ne tu quidem fortassis ignoras. Quod igitur antea monui, iterum nunc moneo in Domino etiam atque etiam, nempe vt saltem à quibus ad quos defeceris tecum expendas, & quid à quibus olim acceperis cogites, quod etiam Corinthios, & suum Timotheum facere iubebat Apostolus. Denique videris quæ sit illa Theologia, cuius armis vti te velle negas, quæ est, inquis, conuitiis, minis gladiisque magis quàm veritate formidabilis. Nam si hæc in nos scripta voluisti, Seruetani nimirum sanguinis vltor & vindex, satis te tua ipsius conscientia redarguit, vt nulla sit alia defensione nobis opus. Sed te nobis tam iniquum esse minus mirari cœpi, quum te viderem ei quoque genti quæ tibi prorsus egenti tam diuturnum támque liberale hospitium præbuit, grauissimum illud ἀχαριστίας crimen obiicere, quod minimè quidem dubito quin immeritò facias. Videsis ergo ne habeat potiùs illa quod tibi optimo iure exprobret, cui, quum te suo sinu tandiu fouerit, hanc demum gratiam retuleris, quòd iis dissidiis illam implicueris, quæ vltimam ei perniciem allatura sunt, nisi Dominus pro bonitate & clementia singulari sua, illius calamitatem respexerit, siue te quoque procul expulerit, siue, quod potiùs malim, resipiscentiæ spiritum tibi concesserit, vt cui vulnus tantum inflixisti, eidem etiam medearis. Hæc ego tecum animo, vt vides, exacerbato, sed tamen, quod coram Deo testor, eiusmodi, vt si modò in viam redieris, nullum sis habiturus amiciorem. Sin minùs, relinquo te eius iudicio, cuius frustrà gloriam oppugnas. Geneuæ, 12. Iulij, 1567.

EPISTOLA XVII.

N.

LAVDABILIS est omnino consuetudo, vt sicut non nisi conscia Ecclesia contrahuntur matrimonia, sic etiam non nisi præeunte eiusdem legitima cognitione dirimantur. Deinde quum inter cõtractus ciuiles matrimonium quoque certo respectu numeretur, æquum est Magistratus authoritate potiùs quàm priuata simpliciter voluntate fieri diuortia, quod etiam in Ecclesiis & Rebuspublicis bene constitutis inuiolabiliter obseruatur. Vidētur autem huius moris duæ potissimùm esse rationes: vna vt in re tanti ad humanam societatem momenti nihil temerè constituatur, quod sæpe vsuueniret, si pars offensa pro suo arbitratu in sua causa iudex sederet, altera, vt & Ecclesiæ & Reipublicæ offendiculum vitetur. Itaque quisquis hũc morem contempserit, dignus est certè qui pœna tum Ecclesiastica tum ciuili afficiatur. In hoc autem facto de quo nunc quæritur, videri non potest consuetudinem illam contempsisse, qui eam sequi non potuit, nec fortassis etiam per charitatem debuit. Primùm enim quod ad Magistratum attinet, cur illum adiret qui in Romana Ecclesia de causis huiusmodi nõ cognoscit? Ecclesiæ autem illic nulla facies erat, non pastores, non presbyteri, qui de controuersia deciderent: & vt demus Officialem adiri bona conscientia potuisse, non esset tamẽ illic auditus vsquam Monachus de petenda nedum de repetenda coniuge disceptans. Huc adde quòd nõ modò id esset frustrà factum, verumetiam certo cum eorum omnium discrimine qui in illo matrimonio cõciliando interuenerant: vnde nihil boni, mala autem plurima fuissent exorta. Duo præterea hîc consideranda sunt: vnum, quòd non de facto aliquo incerto, vel non omnibus noto agitur, quum palàm & in omnium oculis illa alteri viro nupserit, adeò vt si licuisset adire iudicem, non fuerit adeundus ad factũ probandum, sed duntaxat vt iuridica forma condemnationis seruaretur: alterum, quòd quum illa promissio solis tribus consciis facta esset, vtroque videlicet puellæ parente & tertio quodam amico, minimè metuendum fuit ne prætermissa accusatione aliquid offendiculi exoriretur, quum si itum esset ad Magistratum vel ad Officialem, præter certa pericula & offendicula de quibus dixi, actor vix ac ne vix quidem testes inuenturus fuerit, vt mirum non sit ab illa actione destitisse. Quæ quum ita se habeant, si constiterit hunc fratrem non nisi omnia iusta & recta expertum vt vxorem ad se pertraheret, & demum post nouas illius nuptias (quæ sanè sunt publicum adulteriũ) vxorem aliam, ita vt in Ecclesia moris est duxisse, non dubitamus quin hoc facere potuerit, nulla etiam alia præeunte publica cognitione. Fatemur tamen prudentiùs facturum fuisse, si quos ex Ecclesia, in qua tunc agebat, rei totius tempestiuè, id est ante aliam ductam vxorem, commonefecisset. Quamuis ne hoc quidem prorsus & simpliciter necessarium fuisse videatur, quum matrimonium illud prius esset occultum, licet bona conscientia contractum.

EPISTOLA XVIII.

GENEROSO D. D. ANDREÆ SCADCOVIO,

Salinarum Vielicienſium Notario.

QVVM ad me quoque tāquā ad Eccleſiæ Chriſtianæ membrum pertineat aliqua eorum beneficiorum portio quæ iſtic à te accepit, generoſe Domine, neceſſe eſt vt in eorū albo recenſear, quos ipſe tibi non mediocriter deuinxiſti, æterni Filij Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti gloria & orthodoxarum Eccleſiarum pace cōtra impuriſſimas quorūdam blaſphemias adeò fortiter & cordatè abs te defenſa. Quū vero priuatim etiā & verè tibi donanti conuenientem munere me affectum volueris, ſale nimirum gemma, verè ipſe gemmeus candore & moribus ſale pietatis apprime conditis præditus, fateor eò vſque me pro hac tua in me beneuolentiæ ſignificatione obſtrictum eſſe, vt referendi beneficij nullam planè rationem inueniam. Faciam igitur neceſſariò quod inopes ſolēt, & quam referre gratiā nunquā potero, habebo dum viuam. Cæterùm etſi grauiſſimè ſero reperiri iſtic initio potuiſſe tam credulos homines qui manifeſtè impia dogmata reciperent, & nunc adhuc non paucos in tanto malo perſeuerare, tamen magnopere me recreauit D. Thretius noſter, homo ſanè omni laude digniſſimus, quum mihi viciſſim commemoraret quo ſtudio & quanto cum Spiritus Domini ardore ſeſe multi illis oppoſuerint, atque adeò quantopere ſuis adfuerit Dominus, diuiſis blaſphemorum linguis, & multis etiam eorum (quod vtinam præmoniti cauere potiùs in animū induxiſſent) tam admirabili Dei Opt. Max. iudicio ſublatis, vt qui Dei in ipſos accenſum furorem non animaduertat, mihi quidem plena luce cæcutire videatur. Tantùm igitur nunc patientia, precibus, & diligenti cautione opus eſt, dum iſtæ reliquiæ paulatim ſeſe conficiant. Quorſum enim vllæ diſputationes aduerſus αὐτοκατακρίτους? Nam dociles ſi qui ſint excipio. Quòd ſi iſti fortè, occaſione hinc accepta, diffidere nos cauſæ noſtræ glorientur, agè ſanè frui illos iſta quoque falſa opinione ſinamus, quandoquidem inuitis nobis perire decreuerunt: &, ſi verum eſt eorum dogma vel de Deitatis propagatione, vel de vnica Chriſti humana natura, vel de creata quadam Verbi Deitate, vbi tandem fuerit vnquam Eccleſia ipſos oſtendere iubeamus, quum à propagato Euangelio facile ſit demonſtrare (quod ne ipſi quidem, opinor, inficiabuntur) nullum vnquam eiuſmodi quicquam ſenſiſſe, quin perpetuo Eccleſiæ cōſenſu fuerit damnatus. Neque verò quum hæc dicimus, iſtorum veſtigia ſequimur, qui pro Dei verbo conſuetudinem & neſcio quod vmbratile catholicum tanquam laruam obtrudunt: ſed totam ſine vlla exceptione primam, mediam, & huius noſtri ſeculi Eccleſiam illis iudicem ferimus, & inculpatos omnium Eccleſiarum totius orbis Epiſcopos, non ex traditione, non ex vnius ſynodis, non ex inuidia vel odio, ſed ex puro puto Dei verbo, ſceleratiſſima hæc dogmata oppugnantes, & perſpicuis apertiſque ſymbolis veram fidem declarantes. Sed de his nunc quidem plus ſatis, ne videar aduerſus illos ipſos velle diſputare, quos ego quidem hominibus inſanabiles ac proinde ſinendos eſſe exiſtimo. Interea tamen, quandoquidē ita poſtulauit D. Thretius noſter, & hoc ipſum fratribus ac collegis meis viſum eſt, faciā diſputando quod dabit Dominus, ſi per eos licuerit qui huius Eccleſiæ quieti inſidiari non deſinunt: & triplicem iſtum errorem, tum eorum videlicet qui eſſentiam diuidunt, tum etiam illorum qui Verbum creatum arbitrantur, ac poſtremò eorum qui Verbi hypoſtaſim inficiari in Tranſſyluania cœperunt, qua potero diligentia confutabo. Qua in re vtinam ille ipſe nobis adſit, cuius gloriam propugnamus. Quod ſupereſt, Deum precor, ornatiſſime Domine, vt tibi magis ac magis benedicat, téque feliciter ad Eccleſiæ orthodoxæ perficiēdum ædificium conſeruet. Geneuæ 12. Iulij 1567.

EPISTOLA XIX.

ILLVSTRI ET MAG. DOMINO, D. STANISLAO

Naſconio de Mirovv, Palatino & Generali, Cracouienſi, Capitaneo Raſinenſi, & Schlomnicenſi.

ANTEA intellexeram ex multorum ſermonibus ac literis, illuſtris & magnifice Domine, nō modò quibus & quàm inſignibus donis à Deo Opt. Max. ornatus eſſes, verumetiam quàm ſanctè illis omnibus vtereris, quod eſt omnium Dei donorum κεφάλαιον. Nunc verò quum hæc ipſa mihi D. Thretius noſter non verbis modò ſed etiam certiſſimis teſtimoniis confirmarit, & vnum eſſe me ex iis profiteatur, qui Ieſu Chriſti Filij Dei gloriæ amplificandæ ſtudent, quam iſtic nonnulli modis omnibus in nihilum redigere conantur, alij quidem ὁμοούσιον in ὁμοιούσιον reipſa transformando (quamuis ab vtroque, verbo tenus abſtineant) alij diuina natura manifeſtè iam Emanuelem noſtrum, quantum in ſe eſt, priuando: continere me non potui, quin de iſta pietate & animi fortitudine ſingulari tua, qua Cracouienſem præſertim cœtum ab iſta lue, quantum in te fuit, conſeruaſti, tuæ excellentiæ his literis gratularer, eámque ſimul adhortarer, vt & in iſta certiſſima veritate, quam tot iam ſeculis oppugnant omnes inferorum portæ, conſtantiſſimè ad extremum perſeueret, & ad tuendam hanc vnam de vero Deo Doctrinam nobis ab initio mundi patefactam & aduerſus omnes Sathanæ præſtigias plus quàm mirabiliter à Prophetis & Apoſtolis, fidelibúſque omnibus Paſtoribus ac Doctoribus perpetuo vnanimíque con-

sensu defensam, omnes suas vires conferre pergat. Arrius olim blasphemum os alioqui, si quod vnquam Sathan aperuit, tamen vt & Sabellij realem personarum distinctionem pernegantis, & Samosateni Christum ψιλὸν ἄνθρωπον constituentis scopulos tam multis naufragiis infames vitaret, maluit τὸν λόγον asserere omnium creatarum rerum primum, quàm hoc vel illud profiteri. At isti de quibus nunc agimus, & qui primi Tragœdiam istam excitarunt, vt ipsius etiam Arrij insaniam superarent (alioqui cum ipso in eo consentientes, quòd vnius Dei appellationem ad solum Patrem restringentes, Filium Patre minorem statuunt) ita vt insanos decet, simplicissimam essentiam diuidunt, vt maius & minus in ipsa inueniant, & Deitatis propagationem imaginati cum fanatico Philopono, quam ipsi Essentiationis nomine intelligunt, re ipsa planè duos Deos constituunt, & quidem impares. Hoc verò portentosum delirium quum sit vel cæcis ipsis palpabile, difficile non fuit prospicere istos vel minimo quodam Spiritus Dei vento repulsos, statim ab opinione illa sua discessuros, quamuis in ea Valentinus ille verè gentilis (id est, plures Deos si non verbo, re tamen ipsa profitens) perire iusto Dei iudicio excæcatus maluerit, postquam nimium serò secum seriò agi cognouisset, quàm falsi martyrij spem amittere. Itaque iam manifestè Blandrata transiens ad Samosateni castra, non aliam quàm humanam in Christo naturam agnoscit, ne de duplici deitate disputare cogatur: nempe vt quum Filium Dei & æternũ λόγον adoramus, idololatræ inueniamur, & qui in Christum sperant, sint ex eorũ numero de quibus scripsit Psaltes, Maledicti qui confidũt in homine. Quid igitur tandẽ istiusmodi hominibus futurũ est? Certè hoc illis vsuueniet vt à Samosateni quoque blasphemia depulsi, ad Arrium tandẽ manifestè trãseant (quod penè iam factum video) & quandam ante ceteras res creatas τῷ λόγῳ Deitatem factitiam attribuant. Inde verò etiam exturbati, nihil erit tam absurdum quod non comminiscantur, donec in extremum exitium præcipites ruant, cuius diuini iudicij quot iam possent exempla recenseri? Tristissima porrò hæc sunt ac planè horrenda, sed tamen iusta superborum ingeniorum ac prophanorum animorum merces: quibus portẽtis quum delectetur mũdus, agè, suos sibi prophetas habeat. O fœlices verò qui perseuerabunt in illa pura & simplici confessione de vno illo vero Deo (aduersus πολυθείαν, quæ non modò expresso Dei verbo, sed etiam ab ipso sensu communi quantumuis corrupto manifestissimè coarguitur) & simul tribus illis perspicuè quamuis incomprehensibiliter Ecclesiæ patefactis personis siue hypostasibus ὁμοουσίοις, non autem ὁμοιουσίοις, ac multo minus etiam ἑτερουσίοις! Illud enim poni nullo modo potest, quin diuisa inter æquales essentia, Deorum multiplicatio inuehatur: nec istud statui, quin (si quidem adorandus est, ac inuocandus quispiam qui non natura sed communicatione sit Deus) propria vnius Dei gloria ad res creatas transferatur, ac proinde idololatræ deprehendãtur, qui Christiani sunt & vocantur. Certè sunt ista huiusmodi, vt quisquis vnquam de Christianismo seriò cogitauit, de iis in contrariam partem post toties ex Dei verbo vnanimi perpetuóque consensu decisas istas controuersias, ne dubitare quidem posse videatur. Scio tamen illi ipsi Sathanæ, qui Christum esse Filium Dei ante tot secula vociferatus est, non deesse quod aduersus hanc veritatem quantumuis manifestam suggerat. Et quod ad huius seculi filios attinet, quid mirum est illos qui nati sunt in tenebris & connatam ignorantiam improbitate cumularunt, de certissimis etiam rebus controuersiam mouere? Sed an idcirco ambigemus exorto sole diem esse, quoniam cæcis, vel oculos claudentibus ne lucem intueantur, non lucet? Si rationibus à sensu communi petitis pugnandum est, quid stultiùs quàm diuina sic exigere ad humani ingenij regulã, vt τὸ ὅτι neges, cuius τὸ διότι non possis comprehendere? Tres quipiam, inquiunt, veluti Petrus, Paulus, Ioannes, non sunt vnus homo. Concedimus. Ergo ne in diuinis quidẽ tres illi sunt vnus Deus. Negamus. Indiuidua siquidem terminatæ speciei nihil mirum est sic distingui vt etiam separẽtur, quamuis singula in tota specie subsistant. Simplicissimam autem naturam quis sanę mentis diuiserit, quamuis proprietatum in ea subsistentium distinctionem veram & realem admittat, sic affirmante Dei verbo? Certè si tres illos nolunt vnum Deum esse, plures ergo sint necesse fuerit ex ipsorum dogmate. Quæ verò hæc insania est, vel Deum aliquem qui nõ sit infinitus, vel plures infinitos statuere? Sin quæritur Dei Verbum, id est, nostræ fidei capitum verum principium, quid illic apertius dicitur, quàm vnum Deum esse inuocandum, ac proinde Filium qui maximè sit inuocandus, vnum esse Deum cum Patre? Si petitur Ecclesiarum consensus, quæ vnquam Ecclesia aliter sensit? quæ non damnauit contraria dogmata? quis ignorat plures pro hac veritate martyres occubuisse, quàm turbatores isti vel pilos gerant? Scio tamen neque ista neque aliud quicquã istis satisfactura, qui ne sibi quidem ipsis vnquam satisfacient. Neq; etiam ego hæc illis scribo, quos potiùs Dei iudicio censeo relinquendos. Multò verò minus hæc tibi scripserim, illustris Domine, quem scio minimè istis indigere. Sed hanc mihi à D. Thretio oblatam occasionem nactus, continere me non potui, quin velut in campum quendam, in istud argumentum tibi (vt spero) non ingratum futurum excurrerem, téque adeò quamuis sponte iam currentem ad totum hoc stadium quàm constantissimè conficiendum incitarem. Nam certè nihil possis vel Deo ipsi gratius, vel regiæ maiestati, totíque Polonico regno vtilius præstare quàm si Sathanã ex hac velut arce quadam nunc omnibus orbis terrarum Ecclesiis imminentem, priùs non desistas modis omnibus, quos in te sitos esse voluit Dominus, oppugnare, quàm semel expugnatum deturbaueris, & cessantibus strenuis nunc scilicet illis Catholicæ Ecclesiæ defensoribus reipsa ostenderis hæreseon extirpationem nihil ad illos pertinere (nisi fortasse Sathan aduersus seipsum dissideat) sed esse eorũ demum trophæum qui verè sunt Christiani. Nos porrò quamuis longiùs dissiti, tamen in eodem mari, atque adeò nauigio eodem iactari, precibus saltem cæterísque spiritualibus armis vos cominus decertantes pro virili iuuabimus. Bene vale, illustris & magnifice Domine. Iesus Christus æternus

æterni

æterni Patris Filius,& vnus cum eodem & Spiritu sancto Deus, Excellentiam tuam feliciter protegat,& suis omnibus donis magis ac magis locupletet. Geneuæ, 12. Iulij, 1567.

EPISTOLA XX.

AD QVÆSTIONES ALIQVOT PROPOSITAS à studioso quodam Silesio.

1 QVVM Cœnæ Dominicæ Sacramentum solis electis & fidelibus à Domino ad sui ἀνάμνησιν institutũ videri possit,non immeritò quæritur an rectè faciant illi qui omnes sine discrimine alliciunt,gratiam quidem cum ipsis symbolis coniunctam verum exponentes,paruo interim respectu habito ad eos qui confertim accedunt,an nimirum velint in doctrina & mandatis Christi perseuerare.

2 Vtrùm hæc prophanatio sit sacrosancti mysterij illius, dum populo persuademus vt in hac mensa remissionem peccatorum audacter quærant, si modò sensus aliquis feruentis desiderij in iis excitetur.

3 An etiam si qui sint,qui ex animo reformationem fieri totius quidem celebrationis cupiant, possint & debeant ea Dei verbo clamoribus illorum resistere, qui cogere potiùs student vnumquenque ad sumendam Cœnam,quàm populum exquisitiori examine probatum ad cõuersionem salutarem excitare. Et demum,quod caput est quæstionis,quomodo paulatim in eam sententiã adduci possint,vt seueriore animaduersione adhibita,probatio quam Paulus requirit,ab eis exerceatur fideliùs:nè,quod ipse Saluator fieri prohibuit,sanctum detur canibus.

Responsio.

Quod D.noster Iesus Christus de coniugio dixit,hoc nobis liceat de reliquis omnibus,quæ inter se necessariò copulari voluit,affirmare:nempe,quod Deus coniunxit homo non separet.

Coniunctis autem esse Pœnitentiam & remissionem peccatorum: & ita quidẽ vt illa isti præeat, partim expressum Dei verbum docet, partim etiam ratio ipsa & sensus communis quantumuis corruptus ostendit. Ioannes (inquit Marcus cap.1.) prædicabat Baptismum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum. Et Lucæ 13, Nisi (inquit) resipueritis,omnes itidem peribitis. Et 24. Oportet (inquit) prædicari pœnitentiam ac remissionem peccatorum in nomine eius. Denique nihil frequentius eiusmodi testimoniis in Scripturis occurrit. Nec enim Dominus alios quàm pœnitentes gratia remissionis peccatorum dignatur, & tristitiis secundùm Deum præeat oportet consolationis spiritui.

Hunc peccati sensum,ex quo nascitur cor contritum & humiliatum quod Dominus non despicit,excitat in nobis seria Legis prædicatio,Deum pro tribunali sedentem & nos in nobis factáque omnia nostra damnãtem ob oculos proponens, vt postea cum Dauide clamemus, Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, quia peccatum meum coram me est semper. Psal. 51.

Neque hæc doctrina semel duntaxat necessaria est,nempe quum primùm à superstitionum tenebris ad Euangelij lucem vocamur,sed quotidie etiam vocati & credentes illa indigemus, quoniam alioqui periculum est ne misericordiæ cognitione ad licentiam abutamur. Et quum singulis penè momentis peccemus,expedit à nobis intelligi quotidie quid sit peccare coram Domino, vt magis ac magis peccatum fugiamus,& contrarius pietatis amor in dies in nobis crescat.

Etsi enim Lex iusto non est posita, vt qui libertatis spiritu fretus, per quem etiam manumissus est à peccato,non pœnæ formidine,sed vltrò ac volens, animo ipso ita suadente,currat in viis Domini:tamen quum nostra sanctificatio nunc sit ea parte duntaxat,magnus adhuc Legis vsus est ad opus Domini sensim in nobis perficiendum,id est vt veteris hominis reliquię paulatim profligentur:quod vt fiat,necessariò semper à seria Legis meditatione, & peccati sensu incipiendum est, sicut in Euangelij gratia est desinendum.

Non tamen statuimus cum Sophistis & crucis Christi hostibus meritoriam esse vllo modo istã cordis contritionem,vel partem esse remissionis peccatorum,vel ab Euangelio propriè proficisci,sed tantùm viam esse dicimus & antegressionem quandam ad petendum & percipiendũ Christi beneficium in electis,quos Dominus per Legem ad inferos detrudit, vt in cœlum postea per gratiam subuehat.

Deinde,quum quicunque in Christo gratis iustificatur in eodem quoque regeneratus sanctificetur, vt fructus edat veræ pœnitentiæ conuenientes, Lex autem sit omnium bonorum operum vnica norma & regula:ex eo efficitur alterum etiam vsum esse Legis in ipsis fidelibus longè præstantissimum,nempe vt quæ sit Dei sui voluntas intelligant ex ipsius Lege, & ita zelum habentes secundum scientiam,bonos fructus ferant, sicut dicebat Apostolus, Delector Lege Dei quod ad interiorem hominem: & Dauid, Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Ex his consequitur verbum Dei minimè ὀρθοτομεῖν, qui in sola peccatorum remissione insistentes,Legis prædicationem omittunt,contra Prophetarum & Apostolorum, Christíque adeò ipsius exemplum. Et quum id omni tempore necessarium fuerit, arbitror hoc nostro potissimùm seculo obseruãdum esse,in quo constat iniquitatis omne genus abundare,adeò quidẽ vt Euangelium

plerisque videatur nonnisi ad iudicium tantò grauius annuntiari.

De Cœna Domini profanatione.

Quum sacra Cœna sit *κοινωνία* corporis & sanguinis Domini, nulla sit autē Domino societas cū corde penitus impuro, purificentur autem corda per fidem, efficitur ad iudicium suum panem illum & vinum illud ab iis sumi, qui fide vacant.

Iam verò fidem esse constat ex auditu, ac proinde consequitur prædicationem præire oportere fidei & quidem efficacem, sicut fides legitimam Cœnæ Domini sumptionē præcedat necesse est.

Perperàm igitur & præposterè agunt qui nondum & in Lege ad peccata sua probè intelligenda & detestanda, sicuti diximus: & in Euangelio ad salutarem Dei gratiam cognoscendam & amplectendam satis institutos & eruditos ad Domini mensam admittunt. Ac proculdubio tantę sanctorum mysteriorum prophanationis coram Domino rationem reddent.

Legitimæ huic *κατηχήσει* siue institutioni certum temporis spatium præscribi vix ac ne vix quidem potest, quum alij aliis sint tardiores, & Dominus, prout libuit, illustret suorum corda: tamen quum quæ sit humani ingenij, in hac præsertim mundi senecta, ad res diuinas capessendas in ipsis filiis Dei tarditas, imò etiam repugnantia satis supérque cōstet, rectissimè omnium facere mihi videntur, qui non statim sibi de quouis etiam maximè alacriter currente quiduis promittunt, & ne huiusmodi quidē discipulos temerè ad Cœnam Domini admittūt, quoniā in nimia properatione longè maius est quàm in moderata cunctatione periculum.

Deinde, etsi fides, cuius domicilium & sedes est in animo, nunquam possit signis externis penitus certis cognosci propter hominū hypocrisin, tamen non frustrà commendata est, & semper in Ecclesiis bene constitutis obseruata oris confessio, idque tum ipsius Pastoris Sacramentum administrantis, tum ouis illud recipientis causa.

Nam quod à Pastorem attinet, danda illi est etiam atque etiam opera, tum vt canes & porcos, id est, manifestos pietatis hostes, tum vt horum mysteriorum ignaros, ac proinde fide destitutos à veris Dei filiis siue credentibus, quantum quidem in se est, distinguat. Nullum autem est certius eius rei examen, quàm si singuli interrogati de iis sine quibus fides esse nulla potest, sic Pastori satisfaciant, vt illos bona conscientia iudicare possit satis aptos & idoneos esse ad sui ipsorum probationem, sicut inquit Apostolus, Probet autem vnusquisque seipsum. Quid si verò, dicet aliquis, hypocritica & simulata sit responsio? Nēpe nihilominus functus erit suo munere Pastor. Dei enim vnius est arcana illa cordia scrutari & iudicare.

Prodest autem plurimùm huiusmodi interrogatio & responsio ipsis etiam, qui interrogantur, non modò quia periculum quoque est maximum (sicut in Petri ipsius exemplo apparet) ne quis inani confidentia seipsum fallat, verùm etiam quoniam hac ratione si ignarus deprehendatur, suæ ignorantiæ maximè illum pudebit. Sin verò satis profecisse comperiatur, suæ diligentiæ laudem referens sic magis ac magis ad proficiendum excitabitur. Denique sine ignarus siue sciens ex ore suo deprehendatur, optimè isto examine consuletur ipsius conscientiæ, & legitimæ tantorum mysteriorum administrationi.

Non ignoro examen istud aliis quidem nimis seuerum, aliis verò etiam *ἀδύνατον* videri, quorum tamen rationibus nihil moueor, quum in contrariam sententiam loquatur Dei verbum, totius purioris Ecclesiæ vsu perpetuo confirmatum. Quod enim in ipsorum etiam antea circūcisorum Baptismo, si modò adulti essent, obseruabatur, quis nunc non videt multò magis in iis obseruandum, qui à Papismo ad veri Christianismi obligationem transeunt? nempe vt non nisi anteactam vitam suam & Papisticas omnes sordes detestati, & veræ fidei summam intelligenter professi ad mensam Domini admittantur? Baptizantur à Ioanne confitentes peccata sua. Sic baptizandum Eunuchum priùs docet, deinde interrogat Philippus. Sic libros suos palàm comportatos Ephesij illi exusserunt. Quanta verò discussione tota vetus illa purior Ecclesia in erudiendis & interrogādis *κατηχουμένοις* vsa fuerit, neminem nunc ignorare arbitramur, quamuis illam rituum multitudinem, qui paulatim inuecti doctrinam ipsam Catechismi aboleuerunt, minimè omnium probemus.

An porrò semel hoc à singulis adultis (ad hos enim vnos Cœna Domini pertinet) postulasse sufficiat, si quis fortè roget, respondeo non posse hac in re nimiùm diligentes esse Pastores, quibus etiam curandum sit non modò vt omnes à Sathana abducti ad Christum conuertantur, sed etiam ne qui abducti sunt rursus aberrent. Deinde & illud constat, assiduis stimulis illos etiam indigere, qui currunt quàm diligentissimè. Quantò magis igitur cognoscendi sunt, quoad eius fieri potest, & redarguendi si quos tardos & resides esse meritò suspicamur, nedum, vt segniter cum iis agamus quos penitus torpere ac seipsos perdere nobis cōstiterit? Itaq; Paulus & Barnabas Ecclesias quāuis à se bene cōstitutas reuisere & rursus cōfirmare cōstituerūt. Et Paulus Galatas rursus parturit. Et Timotheum idem monet vt depositum custodiat, quem etiam vult non modò alios docere, sed etiam arguere & obiurgare opportunè & importunè, quod mihi quidem commodè & cum fructu fieri sine priuato examine non posse videtur, sicut etiam Paulus testatur, sese Ephesi tum publicè tum per singulas domos docuisse, quod suum exemplum Ephesinis senioribus imitandum proposuit.

De huius Ecclesiastica disciplina, ac præsertim huius examinis ratione.

HVius eaaminis & reliquæ disciplinæ Ecclesiasticæ, in qoa tres suot classes, nēpe Ministrorom verbi, Diaconorum & Seniorum consessus, qui cum Pastoribus merè Ecclesiastica gubernāt, varium ac diuersum ordinem efficiunt diuersæ temporum, locorum & personarum circonstantię, quas necesse est prudenter ac religiosè expendi, vt omnia cum ædificatione fiant ritè & ordine in domo Domini, sicut præcipit Apostolus. Substantia autem ipsa huius disciplinæ & ordinis vna & inuariabilis est, eáque petenda non ea humana prudentia, sed ea vno Dei verbo, sicut & doctrina ipsa.

Nos in hac Ecclesia Geneuensi hunc ordinem seruamus non sine fructu. Deliguntur præeunte diligenti morum & doctrinæ eaamine, Pastores & Ministri verbi, primùm ab ipso pastorum cœtu, qui tum ex agro tum ex vrbe singulis hebdomadibus feria sexta cogitur. Sic probati Ministris Seoatui offeruntur. Senatos vbi & ipse in doctrinam ac mores illius inquisiuit, suffragiū suū addit, si libet: sin minos, nouus rursum probatur. Ita demum in publico cooventu die Dominico in singulis templis ciuitatis, ac potissimùm in ea Ecclesia cui vel in vrbe vel in agro præficiendos ille est, editur probati illius oomen, & monentur omnes, vt si quid in eo obseruarint, quamobrē sit ministerio indignus, hoc ad Magistratum modestè & citra vllam calumniam intra octiduum deferant. Qui demum ita probatus est, tandem publicis coram populo precibus Deo commendatus, & officij sui copiose admonitus in possessiooem ministerij mittitur. Ministrorum autem officium est purè docere vtrunque Testamentum, & Sacramenta administrare. Iis ministris in singulis pagis adiuncti sunt Iospectores, etiam legitimè electi, qui vnà cum Pastore omnes ἀτάκτως obseruent, & quoties opus est vocatos christianè & moderatè officij commooefaciant: alioqui ad vrbanom Presbyteriom remittendo, si contumaces deprehendantur. In ipsa autem vrbe adiuncti sunt vrbanis Pastoribos Presbyteri, siue seniores duodecim ex triplici vrbis Senatu ea ferè ipsa qoam diximus ratione delecti. Horum munus est in quaque vrbis regiooe, si quid offendiculi à quoquam oriatur, diligenter obseruare, & quum opus est ad presbyterium referre, quod siogulis item hebdomadibus quinta feria ob eam causam cogitur. Ibi vero summariè de factis singulis quæstio habetur, & qui peccasse deprehenditur, pro peccati ratione admonetur officij. Interdum etiam, nempe in grauioribus delictis præsertim aduersus impœnitentes, ad Cœnæ vsque suspensionem deuenitur. Denique (quod tamen rarissimum est) si remediis istis nihil potuit obtineri, necesse est ad publicam vsque excommunicationem progredi. Exereeotor autem omnia ista merè Ecclesiastico & spirituali iudicio, ita vt nihil prorsus de ciuili potestate ac iurisdictione delibetur. Cognoscit idem Presbyterium de matrimoniorum causis ex Dei verbo, & legibus ad eius normam accommodatis, sed ita vt ipsa sententia à ciuili Magistrato feratur.

Diaconi simili ratione delecti, & adiuncti Ptochotrophij præfecto, pauperum ærarium administrant, eósque vnos curant.

Iam verò quod ad Catechismum & illud de quo diximus examē, attinet, singulis Dominis diebus Catechismus in aliquot sectiones distributus ordioe explicatur, in quo rogati à Pastore pueri (qui omnes ex publico gymoasio adesse teneutur) vicissim & ordioe respondeot. Quoties autem celebranda est Cœna Dominica (quod quater hîc fit siogulis annis) octiduo aotè generalis fit Catechismus, & rogati pueri oon ordine, sed prout Pastori commodum videtur, modò hic modò ille respoodent. Admonentur qooque diligenter tum patres & matres, tum etiam pædagogi & Ludimagistri ne quem puerum, néue puellam nisi reddita priùs priuatim coram aliquo ea Pastoribus, fidei suæ ratione ad Domini mensam adducant. Mooentur quoque peregrini vt eius, in qua censentur, Ecclesiæ testimonium ad Pastorem afferant, (nisi fortè siot satis aliunde noti) vel fidei suæ & ipsi priuatim apud Pastorem rationem reddant.

Postremò, singulis annis, dum suam quadragesimam Romana ecclesia obseruat, pastores adiuncto sibi vno ex Presbyteris, itémqoe ex regionum vrbis præfectis & curatoribus, cuiusmodi sunt in hac vrbe viginti sex, partiti inter se totidem vrbis regiones, siogulas domos & familias adeuntes, dant operam quàm diligentissimè fieri potest, tum docendo quàm familiarissimè, tum quàm humanissimè redarguendo & exhortando, vt nemo vel nimiùm rerum sacrarum rudis, vel planè impius ad Domini Cœnam accedat, causis etiam, si opus fuerit, ad Presbyterij cognitionem relatis.

Huius autem ordinis custos est Magistratos, cessantes in opere omnes, sine exceptione, prout expedit, & qooties opus est, excitans, & huius discipliox perturbatores pro delicti ratione castigans. Hic si fortè vel aliquid in legibus mutandum videbitur, vel quæpiam grauissima causa Ecclesiastica inciderit, oon tantùm sui Presbyterij, sed vicinarum quoque Ecclesiarum sententiam ac consilium rogat, vt ita demum res omnis componatur. Et huic ordioi sic Dominus adhuc benedixit, vt nullū hîc bonum eius pœniteat. Quid autem cui loco & tempori, quibus denique personis conueniat, prudentis est hominis discernere, modò disciplina ipsa ad Verbi diuioi normam exigatur. Quàm enim perniciosum sit ad vnius Ecclesiæ quæcunque tandem illa sit eaemplom cæteras compooere, vel etiam cogere, satis supérque docet vel vnius illius pseudocatholicæ ecclesiæ Romanæ tyrannis.

EPISTOLA XXI.

N.

SVPERIORVM temporum graues & diuturnas iniurias, tum Ecclesiæ totius, quã necesse fuit grauiter offendi, tum etiam tui ipsius causa grauissimè tuli, téque semper doluì quorundam pessimorum hominum factione ab iis fuisse abalienatũ, quos nemo vnquam nouit, quin vel eos plurimùm amauerit, vel, si eos odio habuit, conscientiæ suæ testimonio grauissimè fuerit reprehẽsus. Neque hîc ego homines ipsos specto, sed illum cuius serui fideles fuerunt, & quem ego semper in ipsis sum reueritus. Itaque, mi frater, gratissimæ mihi fuerunt tuæ literæ postremæ, in quibus mihi videor animaduertisse certa quædam melioris in nos nostrásque, id est, fidei nostræ commissas Ecclesias, animi, & certioris de iisdẽ iudicij testimonia. Væ nobis, si quid nostrum quærimus & qui sumus obsecro? Agè igitur, illa omnia partim voluntaria obliuione sepeliamus, partim etiam contrariis remediis adhibitis aboleamus, atque adeò prophanæ illi sententiæ, Nunquam fidendum amico reconciliato, nullum inter eos locum esse reipsa ostendamus, quos Dominus sanguine suo vni Deo Patri reconciliatos, inter se velut vnum corpus vnico Spiritu suo deuinxit. Quominus certè id à nobis fiat, per nos non stabit, quod iam non dubito coram Deo, collegarum etiam omnium meorum nomine tibi polliceri. Cæterùm de vestro illo turbatore, vides, mi frater, cuiusmodi sit istorum hominum spiritus, & quanti sit momenti preces & consilia coniungere. Quid porrò mihi videatur, id est, quod mihi dedit Dominus pluribus ad N. nostrum scripsi, ex quo etiam pleniùs cognosces, quis sit rerum nostrarum status. N. tuum vel nostrum potiùs gaudeo breui ad te venturum, quoniam confido fore vt nos quoque inuisat. Dignus est omnino quem complectare, non modò vt filium, sed etiam vt fidelem Dei seruũ, multis donis & virtutibus ornatum, quem si fortè velles istic retinere, absconderes sanè lucernam sub modio, & inexpiabiliter in nostram Galliam peccares. Bene vale, frater, & veros tuos amicos vicissim ama. D. Iesus tuæ senectuti benedicat, & Sathanæ conatus penitus frangat. Geneuæ, pridie Cal. Septemb. 1565.

EPISTOLA XXII.

PASTORIBVS ET PRESBYTERIS

Ecclesiæ Rupellanæ.

REM ita vt gesta est, simpliciter narrabo. Vocati à nostro cœtu Diaconi, dixerũt quod res est. communi ipsorum consilio scriptum id fuisse de quo Diaconus vester queritur, ve nihil necesse sit culpam in vnum quempiam deriuare: se omnino ignorasse quicquam istorum illic gestum fuisse, vel Ecclesiæ vel vllius ex Ecclesia iudicio & cõsensu: nesciuisse hunc præfationis in istas homilias authorem vel Diaconum esse, vel qualem nunc esse intelligunt, cuius etiam nomen nunquam ediderint: credidisse potiùs quempiam esse qui Typographo operam suam nauaret: habuisse verò hanc iustissimam offensionis causam, quòd constaret pauperes quos curant, insigne damnum accepisse, & de multorum Typographorum auaritia sæpe antea verbis essent frustrà conquesti. Hæc illi, de quorum inculpata vita synceróque animo non aliter certè possumus aut debemus, quàm vos de vestro facitis, iudicare & testari. Iustas autem illos ignorantiæ causas habuisse, ex his argumentis arbitramur: primùm quum nec clàm, nec ad tempus ex ærario pauperum suppeditatum sit stipendium scribæ Ragueuello, meritò putarunt omnibus hîc aliquando versatis (quales istic esse plurimos constat) ac præsertim librariis, & Typographis satis supérque perspectum fuisse, quicquid hoc rei esset à pauperibus optimo iure possideri. Deinde quum ille vester in sua præfatione neque vestri hac de re iudicij, neque quis ipse esset, neque vllius rei istiusmodi vel leuissimam fecerit mentionem, quî tandem nostri potuerunt rem, ita vt gestam esse narratis, suspicari? Nam certè si quicquam horum ille narrasset, nihil istorum postea incidisset. Præterea si æquum fuit, priusquam ista à nostris scriberentur, querelam istuc deferri, videte etiam atque etiam quum imperfectum esset opus, cuius archetypum hîc asseruari vix quisquam nescire potuit, num multò æquius fuerit editionem vestram vel omitti, vel non nisi nobis recusantibus, aut certè præmonitis illic suscipi. Nam si hoc factum esset, nihil istorum incidisset. Hæc illi, ad quæ putamus etiam duo adiicienda. Vnum, quòd ex prima editione, quæ istinc prodiit, constat illius sumptu & nomine excusas fuisse has homilias, ex quo tamen emptas fuisse vestri illius literæ commemorant, neque id referremus nisi ex testibus idoneis cognouissemus hominem illum, non esse eius probitatis, quæ suspecta istic esse non potuerit. Alterum, quòd si postulabat lex charitatis vt nostri de vestro Diacono, quem penitus non norant, nihil adeò sinistri tam leuiter suspicarentur: eadem certè multò magis flagitabat, vt quod actum est incogitantiæ potiùs quàm maleuolentiæ ascriberetur. Quorsum autem hæc? minimè profectò, vt quicquid hoc est culpæ à nostris, quos minimè omnium contra ius tueri velimus, in quemquam transferamus, sed vt expensis in vtramque partem rationum momentis moderatius & æquius quippiam de hac tota re statuatur. Læsa est illius existimatio, sed non expresso alio quàm Typographi nomine, & ab inscientibus profectò nec quicquam minùs cogitãtibus, quàm vllum virum bonum

bonum nedum tam præclaro testimonio ornatum,& quidem Diaconum,lacessere. Quod si nostrorum scripta libebit cum illius vestra accusatione comparare, vtcunque sese interdum repressferit,comperietis ea esse recriminatione vsum,vt vix asperius aut mordacius agi de re vlla cũ quoquam potuerit,ac planè conuitia (si quis hîc est conuitiis locus) multo cum fœnore reposuisse videatur. Vtcunque sit,curabunt nostri bona fide ex reliquis homiliarum in Deuteronomium voluminibus expungendum quicquid illum offendere potuit,addetur aliquid eius loco,vt planũ fiat nostris nunquam animum fuisse de vllo detrahere,sed de quibusdam duntaxat queri,quibus nulla sit religio ex pauperum incõmodis commoda sua captare, idque non sine graui etiã illius iniuria, cuius libros mendosos & mutilos edere lucelli cuiusdã cupiditate malũt,quàm expectare vt emẽdati & integri ab iis prodeant qui archetypa ipsa magno sumptu descripta optimo iure possident. Hæc,vt speramus,omnẽ illam labẽ,qua sese aspersum ipse putat,sic eluẽt vt ne vestigium quidem eius vllum supersit,& habeat ipse in quo acquiescat. quod quidẽ & ab illo & à toto fratrum collegio etiam atque etiam petimus:ne,quibus instrumentis ad Ecclesiam ædificandam vti oportuit,ad eam destruendam Sathan nostra culpa abutatur. Bene valete.

EPISTOLA XXIII.

REVERENDO VIRO, ET PATRI D. EDMONDO Grindallo Episcopo Londinensi.



GRAVE quidem per se malum est,eos inter se dissidere, quos coniunctissimos esse oportebat:grauius,quum leui ac penè nulla de caussa magnum dissidium excitatur: lõgè verò grauissimum,quum ne tempore quidem ipso, quod omnia dicitur abolere, nedũ vel ratione vel authoritate tolli potest. Itaque quum eius tristissimæ tragœdiæ, cuius ad nos acta transmitti voluisti,tum initia tum progressum cognouissemus,non potuimus non magnopere commoueri,& in primis dolere rem tandem in tam iniquum & pertinax schisma euasisse. Quod tu igitur coràm istam quorundam αὐθάδειαν tandiu pertulisti, Reuerende vir, in eo sanè insigne patientiæ ac lenitatis Christianæ specimen edidisti,quo maiore posthac pœna digni erunt, qui porrò authoritatem tuam aspernabuntur. Nos verò quid hîc potiùs ageremus , quàm quod tu quoque suades? Itaque non iudicium aliquod, vtpote quod ipsi nobis arrogare minimè velimus, sed exhortationem ad pacem & concordiam mutuam, tum ad vniuersum illum cœtum , tum ad [illegible] mittimus,cui consilio vtinam acquiescere vtraque pars malit,quàm si curiosè nimium & φιλονείκως quis sit in maiore culpa inquiratur , eò rem adducere , vt non nisi aliqua membrorum abscissione totum corpus seruari possit. Putamus autem ad eam rem , atque adeò ad alias eiusmodi controuersias impediendas multùm profuturos aphorismos de libertate Christiana , Ecclesiastici synedrij iurisdictione,& Magistratus ciuilis authoritate scriptos,de quibus quum sententiam nostram ipsi nos fratres rogarint,respondimus quod hîc nobis suggessit Dominus. Cupimus autem responsum,quod pro modulo nostro rogati dedimus , à piis & eruditis quibusuis expendi priusquàm aliquid de ea re statuatur. Cæterùm quandoquidem in hoc argumentum simus ingressi,quum præterea plus satis sit in plurimis Ecclesiis peruulgatum (quod vtinam falsum esset) vestras quoque Ecclesias ob quædam ad publicum Ministerium pertinentia, id quod non sine acerbissimo dolore intelleximus,vsque eò vexari vt nonnulli iam seorsim suos cœtus habeant, rogamus vt nobis pro Christiana charitate nonnihil tecum agere hac de re liceat, vt cum eo de cuius in Ecclesiam Christi zelo si quicquam dubitemus,non modò sinistri virtutum tuarũ , quod tamen sine adulatione dictum sit, æstimatores simus, verumetiam admodum ingrati, quum quæ tua priuatim in peregrinas Ecclesias humanitas ac benignitas fuerit, satis superque constet. De caussa verò ipsa siue de hypothesi, etsi nonnihil ad te aliquando priuatim scriptum à quodam nostrûm audimus,& nos etiam aliquid anno superiore apud fratres assiduè interpellãtes sic egimus, vt nostrum saltem animum æquis omnibus iudicibus probatum iri speremus : tamen quum nostrum minimè sit de his pronuntiare(qui enim sumus?) absit vt cognitio a nobis instituatur. Tantùm quod à nobis extorquet pia,vt arbitramur, solicitudo te cæterósque reuerendos in Domino collegas obtestamur per eum cuius gloriam æquum est rebus omnibus sine exceptione anteponi, vt quum in istis controuersiis plus satis liqueat,offensionum occasionem nõ tantùm infirmis , sed etiã doctis & piis plurimis hominibus præbitã,magna cum operis Domini remora , hîc imprimis laboretis,vt opportunũ tanto malo remedium primo quoque tempore afferatur. Quódnã autem illud sit,quorum potiùs tandem est quàm vestrum dispicere , quibus reddenda est coram Dei tribunali vel minimæ aberrantis ouiculæ ratio?& quibus tandem ista,quàm vobis tanta tum doctrina tum pietate præditis,tanto denique rerum vsu confirmatis,& assiduè,vt arbitramur,de munere vestro cogitantibus,notiora esse possint? Nobis igitur plus satis est,quamuis sponte currentes hortari,ac rursum pro nostra in Ecclesias Anglicanas tot piorum Martyrum sanguine recẽs rigatas,obseruantia precari,vobis malis remedium illud præcipuè afferatis , quo quum semper vsam Christianam Ecclesiam constet , non temerè confidimus nullum esse , quod vel sit certius , vel faciliùs à Regia maiestate possit impetrari , nempe vt in legitimo doctorum simul & piorum, ac minimè contensiosorum hominum aliquo cœtu , ex vno Dei verbo , abolitis semel Papisticæ tyrannidis vestigiis ea constituatur administrandæ Ecclesiæ ratio , non quæ huic vel

illi adlubescat, non quæ vetere vel recenti consuetudine, non quæ carnis denique prudentia nitatur (ruere enim hæc omnia oportere vel ipsa nos experientia docet, nec temerè olim vetuit Dominus peregrinum ignem sacris suis inferre) sed quæ in timore & tremore Domini firmo verbi Dei fundamento superstructa, piorum conscientiis satisfaciat, & in æternum perseueret. Hæc tua esse vota, Reuerẽde vir, omnino nobis persuasimus, quîcum & ipsi suspiria & gemitus nostros assiduè coniungentes (nec enim aliud quicquam hîc præstare possumus) Deum Opt. Max. precamur, vt tã salutaria tàmque necessaria consilia, pro sua benignitate promoueat, Sathanæ rabiem coerceat, omnes denique nomen ipsius istic & alibi inuocantes suo Spiritu sic deuinciat, vt coniũctis animis laborantes ad vnum eundémque scopum vna eadémque via contendamus, ac tandem etiam feliciter perueniamus. Bene vale in Domino, reuerende vir, & nostri quoque memor esse perge tuis ad Dominum precibus. D. Iesus te custodiat, & in tanto tibi commisso munere sancto suo Spiritu regat, & magis ac magis confirmet. Geneuæ, 3. Iulij, 1568.

EPISTOLA XXIIII.

AD PEREGRINARVM IN ANGLIA Ecclesiarum fratres.

QVAM graue nobis fuit intelligere, obseruandi fratres, quibus quantísque dissidiis Ecclesia vobis commissa iactetur, tam nobis iucudũ fuit quòd vos intelleximus non tantùm de instauranda pace & concordia cogitare, verumetiam eius rei perficiũdæ causa id potissimum consilium capere, quod in primis vtile & necessarium esse arbitramur. Quum enim sit Ecclesia ex verbo Dei tanquam ex semine quodam genita, nec alio etiam alimento adolescat, rectè omnino videmini cogitasse non alia ratione quàm sana semel constituta doctrina tum iam exortas controuersias componi, tum alias forsan exorituras impediri posse. Lubenter itaque legimus & expendimus theses à vobis perscriptas de Christiana libertate, & aliis aliquot cohęrentibus quæstionibus nimirum de legitimo rerum indifferentium vsu, denique de iurisdictionis tum Ecclesiasticę tum ciuilis finibus. Quid autem de iis nobis videatur, quoniam à nobis, nunquam alioqui nostrum de his iudicium interposituris, tam enixè flagitatis, vt fratres etiam hac de re ad nos mittendos censueritis: non potuimus vel desiderio vestro vel officio nostro deesse. Respondemus igitur, nobis in genere probari doctrinam in iis comprehensam, vt verbo Dei & piorum auctorum scriptis consentaneam: & hunc vestrum cum sanctis Ecclesiis cõsensum vobis in Domino gratulamur, in quo etiam rogamus vt magis ac magis ad extremum vsque constanter perseueretis. Sed hoc tamen pro eo iure, quod ipsi nobis tribuistis, ingenuè & syncerè apud vos fatemur, desiderari à nobis in quibusdam perspicuitatem, quam satis intelligitis in eiusmodi aphorismis præcipuè requiri. Non desunt etiam nonnulla quæ duriusculè, alia quæ nimiùm concisè, quædam quæ non suo loco dicta nobis quidem videantur. Nonnulla denique mallemus prætermissa, sicut sigillatim vobis declarandum arbitrati sumus, vt de re tota postea, quicquid vobis Spiritus Domini suggesserit, statuatis.

Primus articulus.

Christiana libertas non est vaga & effrænis licentia, qua quicquid lubet, pro nostro arbitrio agamus aut omittamus: sed est gratuitum ius per Christi Domini mortem partum, per quod filiis Dei, hoc est credentibus, à peccati & mortis imperio exemptis, iustitiæ Dei tranquillè & securè viuere licet.

Secundus.

Itaque Christiana libertas etsi in externo rerum vsu minimè consistit, sed res est merè spiritualis & interna, nihilominus tamen perlibenter se omni humanæ ordinationi præpositísque Ecclesiasticis iuxta verbi Dei præscriptum submittit, anxiè semper ædificationis rationẽ habens, & charitati per omnia, quoad licet, inseruiens.

Ad hos articulos.

In descriptione Christianæ libertatis, quæ partim à causis partim à partibus sumpta est, videtur prætermissa liberatio à Legis ceremonialis iugo, nec satis videtur expressum regenerationis beneficium: deinde iustitiæ Dei nomen quum sit πολύσημον, ac proinde ambiguum, mallemus aliud apertiùs substitui. Denique obscurè admodum dictum videtur Christianam illam libertatem, quia res sit spiritualis, non consistere in externo rerum vsu. Etsi enim rem esse spiritualem fatemur, id est respicere pacificationem conscientiæ, quæ sciat & sentiat se assertam esse à maledictione legis & corruptione peccati: tamen quum nostram vitam regat, sint autẽ nostræ vitæ actiones plurimæ externæ, & in externo rerum vsu positæ, siue prioris siue posterioris tabulæ obseruationem spectemus, necessariò nobis dicendũ videtur externum quoque rerum vsum in ista libertate includi, in quo etiam eatenus consistat, vtpote quæ nos doceat quomodo & intus & foris nos regere coram Deo & hominibus debeamus. Itaque perspicuitatis causa, mallemus vtrumque articulum sic concipi:

1 Christiana libertas non est vaga & effrenis licentia, qua quicquid lubet pro nostro arbitrio agamus aut omittamus: sed est gratuitum donum per Christum Dominum nostrum in nos collatum, per quod filij Dei (id est credentes) omnes à maledictione legis fine à morte æterna, itémque à legalium ceremoniarum iugo liberati, simúlque sancto Spiritu donati, incipimus sponte in sanctitate & iustitia Deo seruire.

2. Itaque quum qui filius Dei est, Spiritu ipsius regatur, iubeat autem etiam Dei Spiritus, vt & omni humanæ ordinationi (id est ordini politico, cuius custos est Magistratus) & præpositis pro animarum nostrarũ salute vigilantibus obediamus, adeóque pro nostræ vocationis ratione proximorum salutem sedulò procuremus: consequitur eum abuti Christianæ libertatis beneficio, vel potiùs adhuc venundatum esse sub peccato, qui vel suis Magistratibus, vel præpositis suis sponte non paret in Domino, nec conscientiam fratrum ædificare studet.

Tertius articulus.

Quid porrò ad ædificationem faciat, quid minùs, id non est ex vulgi factiosorúmve hominum iudicio aut euentu, sed ex rei de qua agitur, natura æstimandum.

Ad eundem.

Quod dicitis, ex rei, de qua agitur, natura æstimandum, quid ad ædificationem faciat, nobis non videtur esse perpetuum, sed in iis demũ locum habere, quæ suapte natura vel bonæ vel malæ sunt. Quid igitur fiet rebus indifferentibus? Itaque sic mallemus scribere.

3 Quid porrò ad ædificationem faciat, quid minùs, non est ex vulgi aut deniq; simplici cuiusquam hominis iudicio, neque etiam ex actionum euẽtu æstimandum, sed interdum quidem ex rerum ipsarum natura, de quibus agendis vel omittendis quæritur (puta si à Deo vel præceptæ vel inhibitæ sint, & nostræ vocationi cõsentaneæ vel minùs) interdũ verò (nempe si res alioqui suapte natura mediæ & indifferentes fuerint) ex temporum, locorum & personarum circunstantiis, ad verbi Dei trutinam appensis.

Quartus.

Conscientia non est vaga opinio aut imaginatio quam quis sibi è cerebro aut ex morositate, fabricat: sed est sensus & subscriptio diuini iudicij ex sacro Dei verbo petita: quibus fidelis quisque, & quod agit, & quod omittit examinat pensiculátque, déque vtróque num rectum vel iniustum sit, statuit.

Ad eundem.

4 Ista conscientiæ descriptio, nobis videtur non satis rectè desumpta ex D. Caluini institutione, propter illud additum EX SACRO DEI VERBO PETITA, &c. Nam si hoc verum sit, conscientia non erit à natura, quod absurdum est dicere, sed à gratia: & consequeretur nullam esse neque infidelium neque infirmorum etiam conscientiam. Itaque vel scribere oportuit BONA CONSCIENTIA, vel fortassis res tota potius potuit sic concipi, Conscientia quidam est sensus diuini iudicij, siue quis sit ex verbo Dei de illo iudicio edoctus, siue illud sibi temere aut superstitiosè fabricet. Verùm quum Christianos oporteat tenere Domini sui mandata, ea demum propriè vocatur recta & bona conscientia, quæ verbo Dei regitur, quo fit vt vnusquisque fidelis, & quod agit & quod omittit, ad illud reuelatum verbum examinet pensiculétque, vt de vtroque num iustum vel iniustum sit, statuat.

Quintus.

Extra causam scandali religionem iniicere rebus adiaphoris, est non solùm earum liberũ vsum tollere, sed & ipsas & quotquot iis vtuntur, denique & Deum ipsum damnare.

Sextus.

Sine verbo conscientiam prætendere publicis Ecclesiæ constitutionibus, quæ apud Catholicã Dei Ecclesiam in continuo vsu sunt: vel priuata authoritate, aut sinistram suspicionem iniiciẽdo aut reprobando, easdem abrogare, plus quàm insanæ temeritatis & audaciæ factum est.

Septimus.

Ecclesiæ constitutiones, etsi, quantũ ad earum formam attinet, humanæ ac mutationi obnoxiæ sunt, ac proinde fidelium conscientias ligare non possunt, tamen quatenus fidei & charitati ancillantur, ac pro scopo habent ordinem ac decorum (quæ, quò Ecclesia ædificetur, ac offendicula omnia aut impediantur aut tollantur, nobis obseruanda mandata sunt) diuinæ sunt ac cælestes, & eatenus etiam conscientias sibi obstrictas habent.

Octauus.

Tales porrò Ecclesiæ constitutiones sunt publici Ecclesiæ cõgressus diebus Dominicis, ac per hebdomadem ad præscriptas certas horas, verbi Dei è suggesto ad Ecclesiã explicatio: ante & post concionẽ precatio, cum Psalmodia: inter precandũ genuum flexio: in Baptismatis administratione, promissionum gratiæ Dei ac mysteriorum Baptismi iuxta certam formam, ad Ecclesiã declaratio: testium seu conceratorum ad pædobaptismum aduocatio: Cœnæ Dominicæ diebus dominicis & manè celebratio: ad mensam in ea accubitus, virorum prior, fœminarum posterior: desponsatorum matrimoniorum in Ecclesia denuntiationes: eorundem cum doctrina & precibus inaugurationes seu confirmationes, & quæ plura his similia sunt.

Ad eosdem, nempe 5, 6, 7, 8.

In his articulis quædam nobis vidẽtur admodum obscurè, quædã etiam nimiũ durè dicta, si simpliciter & absque distinctione accipiãtur. Præterea prætermissa est descriptio rerũ indifferentium, cum nonnullis aliis, à quibus tamen videtur huius rei totius plana & perspicua explicatio pende-

re. Itaque sic scribere mallemus:

5 Res mediæ dicuntur, quæ per se siue ex sui natura simpliciter æstimatæ, nec bonæ nec malæ sunt, vt esca & potus & similia, in quibus propterea dicitur non esse positum regnum Dei: ac proinde quibus aliquis vel bene vel malè vti, aut non vti possit, ex quo efficitur vehementer errare, qui indifferentes vocari putant, quasi sine vlla exceptione quoties & quomodo libet, eas vel omittere vel vsurpare liceat absque peccato.

6 Res alioqui per se mediæ mutant quodammodo naturam, quum aliquo legitimo mandato vel præcipiuntur vel prohibentur, quia neque contra iustum præceptum omitti possont, si præcipiantur: neque contra interdictum fieri, si prohibeantur, sicut ex lege ceremoniali apparet.

7 Etsi iugum legis ceremonialis sustulit Christiana libertas, & in eius locũ nõ licet cuiquam mortali aliud iugum imponere, tamen rerum mediarum vsus nimiùm promiscuus legitimè coercetur, tum in genere tum in specie.

8 In genere coercetur rerum istarum mediarum vsus per legem charitatis, quæ vniuersalis est, id est, ad omnes & ad omnia spectans, ac disertè cauens ne quid etiam alioqui medium ac licitum, fiat quo proximus destruatur, vel omittatur quo ædificetur. Sed duo tamen hic in primis præsupponenda sunt: vnum, vt quid fieri vel omitti possit ac debeat, semper ex Dei verbo iudicetur: alterum vt vnusquisque habeat vocationis suæ rationem. Et ita intelligendum dicimus illud Apostoli, Factus sum omnibus omnia.

9 In specie verò coercetur earum rerum vsus ex constitutione vel politica vel Ecclesiastica. Etsi enim conscientias propriè solus Deus ligat, tamen quatenus vel Magistratus, qui Dei minister est, iudicat interesse Reip. vt quippiam alioqui per se licitum non fiat: vel Ecclesia ordinis & decori, adeóque ædificationis rationem habens, leges aliquas de rebus mediis ritè condit: eiusmodi leges piis omnino sunt obseruandæ, & eatenus conscientias ligant, vt nemo sciens & prudens rebellandi animo, possit absque peccato vel facere quæ ita prohibentur, vel omittere quæ sic præcipiuntur.

10 Quum autem ista non per se, sed ob certas demum circunstantias ordinentur, nõ quasi res ipsæ suapte natura sint illicitæ (hoc enim constituere solius Dei est) cessantibus eiusmodi circunstantiis, & modò pro virili vitetur offendiculum, absitque improba rebellandi volũtas, nemo peccati arguendus est qui præter istas ordinationes fecerit, sicut ex ipso Dauidis exemplo liquet, in re alioqui expressè inhibita, vt qui panes propositionis ederit.

11 Qui propter aliam rationem quàm illam triplicem, id est, nec propter ædificationem, nec propter politicam aut Ecclesiasticam constitutionem, liberum rerum mediarum vsum pro libito vel præcipiunt vel interdicunt: ac præsertim qui alienas conscientias temerè in his rebus iudicant, grauiter & in Deum & in proximum peccant.

12 Qui hoc faciunt vel manifesta improbitate vel affectata ignorantia, curandi non sunt. Qui verò ignorantia simplici vel vetusti abusus authoritate decepti in his rebus aberrãt, tolerãdi sunt, quo ad eius fieri potest, eousq; tamen vt ipsi Christianæ libertati in commune præiudiciũ non fiat, id quod ex circunstantiis & spiritu discretionis diiudicandum est: sicut ex Pauli non tãtùm doctrina, sed etiam factis liquet, Petrum quidem reprehendentis, Timotheum verò circumcidentis: ac proinde causa non est, cur ob priuatorum quorundam offensiones Ecclesia hoc vel illud rectè cõstitutum immutet.

13 Sicut ij de quibus paulò antè diximus, grauiter in Deũ & in proximũ peccant, ita sunt magnopere reprehẽdendi, qui infirmas, & in rebus indifferentibus vel faciẽdis vel non faciẽdis nondum satis eruditas conscientias, vel præpostero zelo, vel impatientia penitus subuertunt: sicut & illi in contrarium peccant, qui sua conniuentia infirmitatem fratrum fouent ac confirmant.

14 Constitutiones istæ Ecclesiasticæ, ob certas circunstãtias legitimæ factę (ordinis videlicet & publicæ vtilitatis causa, nõ autẽ quasi sit in iis cultus Dei positus) nõ tantùm sunt catholicæ, id est vniuersales, verumetiã particulares interdũ, propter multiplicẽ circunstantiarũ varietatem, ac proinde peccant tum qui catholicas temerè immutant, tum qui easdẽ, etiã si certa mutationis necessitas incumbat, pertinaciter potiùs quàm cõstanter retinent, tum verò maximè qui sinistro iudicio particulares quibusuis obtrudũt. Videtis igitur fratres, ea nos quã nobis tribuistis libertate vsos, quod tamẽ fecimus non vt quidquã vobis præscribamus, sed vt quę nostra sit de his rebus explicandis sententia, pleniùs intelligatis. Vnum autẽ pręterea addemus, nẽpe articulo octauo nobis videri non satis cõmodè veluti enumeratos Ecclesiæ ritus, quoniã quæ ex verbo Dei expresso prætermitti non possunt nec debẽt, videtur cum Ecclesiasticis functionibus à vobis cõfundi, & catholica cum particularibus, cuiusmodi est vester ille virorum prior, fœminarum posterior ad mensam accubitus: de quo ritu vt minimè velimus contẽdere, ita sanè nolimus eum in nostras Ecclesias inuehere, nec cuiquam Ecclesiæ illum non habenti, suadere.

Nonus articulus.

Ecclesia Christi est cœtus hominum fidelium, in quo per delectos legitimè ministros Euangelij doctrina purè traditur, Sacramenta à Christo instituta legitimè dispẽsantur, & præcepta Dei diligenter obseruantur.

Ad eundem.

In hoc vestro articulo nono, qui nobis esset decimus quintus, pro DELECTOS (quo nomine videtur tantùm ordinaria vocatio significari) malimus VOCATOS scribere generaliore vocabulo, ex Scripturæ vsu. Scitis enim recentibus exemplis edocti, interdum hoc mederi hominum

peccata,

peccata, vt veluti obruto ad tempus publici ministerii ordine, maneat tamen Dei Ecclesia. Deinde quod in extremo addidistis ET PRAECEPTA DEI DILIGENTER OBSERVANTVR, ad Ecclesiæ inuisibilis definitionem propriè spectat. Hic autẽ agitur de visibili cœtu, in quo res ipsa docet nimium frequenter accidere, vt penè non sit perspicua mandatorum Dei obseruatio, maiore videlicet parte minorem obruente, & Deo tamẽ nihilominus in eiusmodi cœtu delitescentes suorum reliquias seruante. Postremò propter aduersariorum calumnias, qui Ecclesiã Dei vel ex numero vel ex solis externis notis, iisque perpetam consideratis, æstimant, nonnihil vellemus huic thesi adiectum, vt tandem eiusmodi euadat.

15 Ecclesia Christi est cœtus hominum Euangelium Christi profitentium, in quo per Ministros ad hoc vocatos Euangelii doctrina purè traditur, & Sacramenta ex Dei verbo administrantur: qui cœtus aliquando rarus est, aliquando numerosus. & interdum hominibus conspicuus (cõstante videlicet publico ministerio) interdum delitescens, & ad tempus veluti obrutus, aut publicis omnium ordinum corruptelis, aut vi hostili, aut vtroque illo malo, exercente Domino iusta sua iudicia in hominum perfidiam, sed nunquam tamen Ecclesiam suam penitus delente.

Decimus.

Quum Deus tales visibiles hominum cœtus instituerit, vt in iis se patefaciat, suos electos vocet, ac Spiritus sui diuitias per verbi sui & Sacramentorum ministeriũ dispenset: hinc euidens fit, prorsus necessarium esse, vt quisquis Deo eiúsque sapientiæ (in suum certissimum exitium) præscribere nolit, pro oblata opportunitate, se alicui particulari Ecclesiæ (tanquam cuidam certæ in vasta hac Dei ciuitate parœciæ) coniungat subiiciátque.

Ad eundem.

16 In hoc articulo pro QVVM mallemus scribere QVOTIES, nec aliud præterea in eo desideramus.

Vndecimus.

Vt verò Catholicæ Dei Ecclesiæ sua constet vnitas, non licet particulari Ecclesiæ vsurpare in aliam primatum aut superioritatem, vt sua authoritate eam iudicet, cõdemnet, ab eáq; secessionẽ faciat, præsertim quũ manifestũ sit omnes Dei Ecclesias æquali potestate à Christo donatas esse.

17 Hunc vndecimum integrum probamus.

Duodecimus.

Porrò si particularis aliqua Ecclesia in alia quid desideret, siue id ad doctrinam siue ad mores spectet, ac fraternè piéque conferendo ac monendo nihil proficitur, curabit tum id (salua tamen semper pace ac publicæ vnitatis vinculo) primo quoque tempore referri ad concilium generale, cui ea est potestas in omnes particulares Ecclesias, quæ singulis Consistoriis in suas.

Ad eundem.

Ad vitandas aduersariorum calumnias hanc thesin sic conciperemus:

18 Porrò si particularis aliqua Ecclesia quidpiam in alia desideret, siue id ad doctrinam siue ad mores spectet, ac fraternè piéque conferendo ac monendo nihil proficiat, curabit vitata omni πλεονεξίᾳ, quæ possit Ecclesias inter se committere, & seruato communis concordiæ vinculo, rem totam ad synodum referri, in qua ex vno Dei verbo de controuersia diiudicetur. Synodi autem nomine non intelligimus neque Oecumenicum, quod vocant, Concilium (quis enim illud coget?) neque cœtum ad quem necesse sit aliquot centenas Ecclesias conuenire, nisi fortè alicuius regionis ordo ita ferat, sed cui pro ratione loci & temporis adhibeantur aliæ seu vicinæ, seu longinquæ Ecclesiæ, quæ ex verbo Dei controuersiam dirimant.

Decimus tertius.

Porrò quemadmodum quiuis fidelis fidem profitendo & Sacramentis vtendo in particulari aliqua Ecclesia, inferitur in Catholicam Dei Ecclesiam: ita è diuerso, quicunque aut ab eadem particulari Ecclesia ob suam malitiam legitimè excommunicatur, aut seipsum ob vllas causas illegitime aut cum data offensione exscindit, eo ipso omnibus Catholicæ Dei Ecclesiæ priuilegiis excidit, nec hanc ob causam in vllam vsquam aliam particularem Ecclesiam vlla ratione admitti poterit, donec ad meliorem mentem redierit, ac pro dicta sua malitia satisfecerit.

Decimus quartus.

Itaque ad euitandam fœdam & perniciosam membrorum in sacro Christi corpore lacerationẽ & diuisionem, non licet vlli, ne priuato quidem homini, vlla de causa ab Ecclesia Christi secessionem facere.

Ad eosdem, 13. & 14.

19 Articulum 13, vt maximè orthodoxum prorsus recipimus, & cupimus ab omnibus recipi. Sed in 14. dutum nobis videtur illud VLLA DE CAVSA, &c. quod fortassis patere posset aliquorum calumniis. Itaque nonnullis additis thesin sic conciperemus,

20 Itaque ad euitandam fœdam & perniciosam membrorum in sacro Christi corpore lacerationem & diuisionem, arbitramur nulli licere vlla de causa discessionem facere à Christi Ecclesia, id est, in qua saltem ea salua & illibata doctrina retineatur, qua constat incolumitas pietatis, & Sacramentorum vsus à Domino institutus custodiatur. Ideóque non tantùm hæreticos, sed etiam schismaticos omnes, grauiter peccare dicimus. Discedere autem à Christi Ecclesia non est simpliciter migrare ex vno cœtu in alium, sed, etiam si eodem loco maneas, seiungere sese à communi Ecclesiæ cœtu, tanquam non sis eius membrum.

Decimus quintus.

In Ecclesia Christi, quæ, vt dictum est, ciuitas est Dei viuentis, hoc est Consistorium, id est gubernatorum cœtus ex Ministris Verbi & Senioribus ferè constans, quod est in ciuitate senatus: ac proinde quemadmodũ hic, id est, in publicis suis functionibus repræsentat vniuersam ciuitatem, ita & Consistorium in suo munere personam & officium vniuersæ Ecclesiæ, cui præfectum est, gerit, nec in vllam priuati respectus rationem trahi potest.

Ad eundem.

Nobis nõ arridet per omnia similitudo politici senatus & Ecclesiastici synedrii siue presbyterii, quod Consistoriũ nunc vocant, quamuis suos vtrique fines aliquatenus præscribatis. Nec enim est in omnibus ciuitatibus senatus, nec omnium senatuum æqualis authoritas: nec licet Consistoriis in Ecclesia, quicquid magistratui licet in Rep. ac proinde sic scribere mallemus.

15. vel. 20. In Ecclesia Dei, id est, in domo siue ciuitate Dei viuẽtis, Consistorium siue gubernatorum cœtus, ex Ministris Verbi & Senioribus legitimè vocatis constans, personam sustinet vniuersæ Ecclesiæ in Ecclesiastico munere, quemadmodum ciuilis muneris Magistratus in sua Repub.

Decimus sextus.

In Ecclesia Christi quicunque, siue in pauco siue in multo numero sint, sese Consistorii Ministris pertinaciter & tumultuosè opponunt, nec obedire volunt in iis rebus, quæ Verbo Dei non aduersantur: multò etiam magis, si aduersus illos insurgunt, seditionem mouent, in eorum ignominiam & exitium coniurant, aut eosdem à ministerio submouent: tantum abest vt se Ecclesiæ nomine vlla ratione ornare possint, vt & pro manifestis Ecclesiæ (cuius publicam pacem turbant) hostibus omnium iustissimè censeri ac haberi debeant.

Decimus septimus.

Est iisdem Ecclesiæ Ministris sua potestas & auctoritas, vt ordinationes & constitutiones condant, & vt easdem vnà cum aliis, quæ iam olim conditæ apud Catholicam Dei Ecclesiam in vsu sunt (dummodo in sacris literis fundatæ sint) si ab aliquibus damnentur, reprobentur aut rescindantur, propugnent ac tueantur.

Decimus octauus.

Porrò, quum constet Christi Ministros, dum hæc faciunt, neque Christi Domini auctoritatem quicquam imminuere, neque Christianæ libertati vel tantillum derogare, neque denique vllũ Pharisaicum iugum fidelium ceruicibus imponere: verùm è diuerso magis ac in primis curare, vt sublata omni ἀταξίᾳ salutaris de Christo Domino doctrina, cõmodè, decenter, cum ædificatione ac cum fructu tradi possit, planè consequens est ipsos hac ex occasione neque Papismi neque vllius tyrannidis insimulari posse.

Ad tres illos postremos.

De his rebus paulò cautiùs loquendum arbitramur, vt vtrunque extremum vitetur, id est ne ἀριστοκρατία Ecclesiastica vel in ὀχλοκρατίαν, vel in ὀλιγαρχίαν degeneret. Sic potiùs itaque de his rebus loqueremur.

16. siue 21. Si quis siue priuatus, siue publico munere fungens in Ecclesia, iam conditis ac receptis Ecclesiasticis constitutionibus, præsertim catholicis, non acquiescit, modestè consulere Pastores & Seniores tenetur, & eorum iudicio stare, hactenus saltem vt Ecclesiam non turbet, iuxta illud Apostoli dictum, Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei. Sin verò de condendis agitur, tunc nihil prorsus, ne ipsi quidem synedrio temere nouandum est. & antequàm lex vlla sanciatur, non tantùm videndum an verbo Dei consentanea sit verumetiam an vtile sit ac penè necessarium, eam illo ipso tempore introduci. Quòd si vel leuissima sit suspicio aliquem ex grege offensum iri, nec tamen totum cœtum in suffragium mittere expediat, & pii Magistratus subsidium desit, percontandæ & expendendæ sunt eiusmodi hominum sententiæ, vt erudiantur infirmi, & si qui peruicaces futuri videantur, tempestiuè officii admoneantur. Nec pigebit etiam, si res ita postulat, aut Ecclesias aliquas minimè omnium suspectas, aut pios & eruditos homines cõsulere, vt nihil nisi cum fructu & ædificatione in Ecclesia Dei statuatur

17. siue 22. Hac ratione perlatis legibus, qui se factiosè opponunt, nec se ad officium renocari patiuntur, ac multò magis qui in suos Ministros Seniores coniurant, digni qui vt publici Ecclesiæ hostes tractentur.

Decimus nonus.

Est & eorundem Ecclesiæ Ministrorum peculiare officium, vt Dei Ecclesiam, quò illa incolumis sit, commodis legibus & constitutionibus gubernẽt: emergentibus nouis vitiis nouis conditis legibus occurrant: ac, vt Ecclesiæ in vera pietate prouehendæ, de necessariis tum Verbi tum diaconatus administrandi ministris prospiciatur, fideliter curent. Item vt excommunicationem à Christo præscriptã in Ecclesia in impœnitentes stringant, idque aut tardiùs aut celeriùs prout rei, tẽporis, & personarum rationes & circunstantiæ postulare videbuntur. Nã nec de Catholica Ecclesia, nec etiã de totius multitudinis in particulari Ecclesia aliqua cœtu, sed de dictis Ecclesiæ gubernatoribus (quos Christus ad exẽplũ superioris Ecclesiæ Iudaicæ in suã Eclesiã introduxit) scriptũ est, Dic Ecclesiæ. Quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut quiuis ethnicus & publicanus.

Ad eundem.

Hunc quoque articulum sic putamus emolliri debere.

Vnius est Consistorii de cõdẽdis disciplinæ nouis legibus, ita vti diximus, in timore & tremore Domini cogitare: cõditas autem ad præsentem necessitatem accommodare, tum admonendis, tũ etiam, si vltimo remedio sit opus, vel à Cœna Domini suspendendis vel semel excommunicandis

qui

qui peccarint, prout rei, temporis, & personarum rationes postulare videbuntur. Nam nec de Catholica Ecclesia, &c.

Vicesimus.

Ecclesiastica excommunicatio est publicum Seniorum Ecclesiæ iudicium in lapsum & impœnitentem Ecclesiæ subditum, post institutam debitam & legitimam de peccato eius cognitionem & admonitionem, in Christi Domini nomine, ac ipsius Verbi authoritate pronuntiatũ, quo declaratur eundem, donec resipiscat, ex Ecclesiæ Dei & sanctorum communione eiactum ac Sathanæ traditum esse.

Ad eundem.

Hunc quoque vellemus sic emolliri:

Si qui factam sibi iniuriam querentur, apud ipsum synedriũ primùm conquerentur, idque modestè & vt Christianos decet, peccata sua confitentes potiùs quàm excusantes, vt ibidem, si fieri possit, tota controuersia diiudicetur & componatur. Sin verò id fieri non potuerit, vel erunt cõsulendæ aliæ Ecclesiæ, vel adeundus, si sit opus, Christianus Magistratus, vel res ad Synodum referetur. Is ordo denique seruabitur qui fuerit in ea regione, in qua eiusmodi quippiam incidet, constitutus. Interea verò quisquis causam suam factiosè persequetur, ac non potiùs quietè aget, dignum se esse prodit, qui ab Ecclesia vel ob hoc ipsum summoueatur.

Vicesimus primus.

Qui legitimè excommunicati sunt, aut qui illegitimè ac cum offensione ab aliqua Ecclesia defriuerunt, quandoquidem à Christi regno, & salute exulant, ad nulla publica Ecclesia ministeria obeunda, aut Sacramentorum vsum in vlla Ecclesia admitti possunt: nec vlla cum iis consuetudo (nisi quæ ad eorum emendationẽ facere possit, aut duntaxat sit politica eáque moderata & politico more) contrahi aut haberi potest.

Ad eundem.

In hoc vicesimo primo, post hæc verba ADMITTI POSSVNT, addendum videtur DONEC ECCLESIÆ LEGITIME SATISFECERINT.

Vicesimus secundus.

Politicus Magistratus est ordinatio diuina, qua procerum opera defensis bonis, coercitis autem malis, pietas, honestas & pax inter homines conseruantur.

Vicesimus tertius.

Debent sine vlla personarum exceptione, quotquot Dei ordinationi aduersari nolunt, etiam Magistratui subiici, eiusque mandatis, modò Dei verbo non aduersentur parere.

Vicesimus quartus.

Quemadmodum pius & fidelis Magistratus incomparabilis Domini benedictio est, ita impius, infidelis, iners aut tyrannicus Magistratus, vt sit flagellum & animaduersio ad castiganda subditorum peccata & malitiam ab irato Deo excitatur.

Vicesimus quintus.

Vt officium Magistratus est Ecclesiam Dei gladio tueri ac conseruare: ita itidem Ecclesiæ ministrorum est, illius pro Ecclesia implorare auxilium aduersus rebelles, hæreticos & tyrannos, quotiescunque opus esse duxerint.

Vicesimus sextus.

Si quis quam repugnantibus legibus & patriæ priuilegiis, sese Dominum aut Magistratum cõstituit, aut si is qui in Magistratu confirmatus est, subditos priuilegiis & libertate, quæ iis adiurarit, iniustè spoliat, aut eosdem manifesta tyrannide opprimit: tum huic sese opponere debent ordinarii Magistratus, qui secũdum Deum & pro officio, subditos suos defendere tenentur tam aduersus domesticum quàm peregrinum tyrannum.

Ad 22, 23, 24, 25, 26.

Conclusiones de Magistratuum auctoritate vestras, quales ad nos misistis, non dubitamus in genere vt pias & orthodoxas approbare. Tantùm coniicere non potuimus, cur in articulo 25. feceritis tyrannorum mentionem. Et in 26, qui videtur inferiores Magistratus aduersus superiores armare, cogimur ἐπέχειν, non modò quoniam periculosum admodum est nostris præsertim temporibus, eiusmodi fenestram aperire, verumetiam quia de hac re non simpliciter (sicut res à vobis in hac thesi tractatur) sed ex plurimis & grauissimis circunstantiis videtur omnino diiudicandum. Itaque in hoc aphorismo ἐπέχομεν minimè id quidem hominum timore, sed ne quid temere in re tanti momenti pronuntiemus.

Vicesimus septimus.

Quòd si vitium aliquod sit in eius persona qui iuxta leges & patria iura, aut per tacitum aut apertum consensum Dominus est, nempe, quòd sit vel impius, vel auarus, vel ambitiosus, vel crudelis, vel scortator, impudicus, &c. hoc corrigere, solius est superioris potestatis, & patriæ ordinũ: quorumuis autem priuatorum hominum, aut etiam ipsorum inferiorum magistratuum est, vt præstita debita obedientia iuxta Christi doctrinam simul & exemplum, magis eligant iniuriam pati, quàm deserta vocatione (in qua quisque perpetuò se continere debet) improbo resistere, ac sic iniustè facere velle.

In hac vltima vestra thesi pro IMPROBO RESISTERE, scriptum mallemus VEL VT OPPONERE.

Et hæc quidem sunt, fratres, quæ de hoc negotio vobis, quandoquidem ita postulastis, candidè & ingenuè scribenda putauimus. Faxit Dominus Deus noster omnis sanctæ pacis & concordiæ

author, vt, quod vnū hîc nobis proposuimus, aliquis ex hac nostra opella fructus ad Ecclesiæ vestræ ædificationem redeat, cuius precibus nos totos commendamus. Geneuæ, 25. Iunii, 1568, in communi Fratrum ex vrbe & agro collectorum cœtu.

EPISTOLA XXV.

AD QVÆSTIONEM PROPOSITAM, QVID SIT EI ABSTEmio agendum in Cœna Domini, qui vini odorem ne ferre quidem possit absque animi deliquio, sic respondendum arbitramur.

ROGATVS piæ memoriæ vir D. Caluinus, à Fratribus, qui tum in America erant, vbi nullus est vini vsus, liceretne pro vino vti in Cœna Domini, vel aqua simplici qua plerunque illic vtuntur, vel alio illic non inusitato potionis genere: respōdit fuisse Christi in hoc instituendo sacramento consilium, vt spiritualis alimoniæ, id est, sui ipsius κοινωνίαν nobis sub communis cibi ac potus symbolis repræsentaret, ac proinde si non fuisset tum in Iudæa communis vini vsus, proculdubiò alia vulgari potione vsurum fuisse, quod ex ipsius scopo ac consilio liqueat. Itaque nihil à Christi consilio ac voluntate alienum facere videri, qui non contemptu neque temeritate, sed ipsa necessitate adacti, pro vino aliud in iis regionibus vsitatæ potionis genus vsurparent. Hoc Domini Caluini responsum, vt optima ratione nixum, & Christi consilio consentaneum noster cœtus, adeò comprobauit, vt eos superstitiosè facere censuerit qui à vini symbolo vsque adeò penderēt, vt alteram Cœnæ partē omittere mallēt, quàm ἀνάλογον aliud symbolum, ita cogente necessitate, vsurpare. Quòd si quis obiiciat alterū Sacramenti vsum, quo fit videlicet vt mutuam coniunctionem sic quoque testemur: respondemus non esse quidem negligendam, ac non tamen adeò præcisè vrgendam analogiam panis ex multis granis, & vini ex multis acinis confecti: sed ad illam mutuam coniunctionem testificandam sufficere quòd iisdem in genere symbolis nempe cibo & potu vtamur, eádemque fidem testificemur. In hac autē quæstione eandem valere rationem arbitramur, si modò is, de quo agitur, vel minimam vini degustationem ferre nequit, vt videlicet, potiùs quàm integram Cœnam non peragat, vel aqua vel alia sibi familiari potione vtatur, neque dubitet tam sibi sub hoc potu quàm sub vino sanguinem Christi communicari, quum promissio sit generalis & ad omnes fideles spectet. Tantùm addimus & illud, commonefaciendum esse cœtum rei istius, ne quis infirmus offendatur.

EPISTOLA XXVI.

N.

QVOD literæ meæ grauissimis quidē de rebus, sed exiliter & tenuiter admodū scriptæ, vsque adeò tuæ præstantiæ placuerūt, Vir generosissime, id omne partim ei zelo tribuo, quo te totum ad Ecclesiam Christi amplificandam ferri video, partim etiam summæ humanitati ac singulari beneuolentiæ in me tuæ acceptum fero. Ego verò quod præstantiæ tuæ vicissim offeram, aliud nihil habeo, quàm animū tantarum virtutū admiratorē, quæ quum in tui ordinis hominibus rarissimè appareant, eo sanè magis in te eminent, & tāto maiore studio rogandus est à Poloneis Ecclesiis Dominus, vt te, cuius & auctoritate & consilio secundum Regiam maiestatem difficillimis temporibus regantur, hoc sancto & verè heroico spiritu pergat induere, & magis ac magis confirmare. Ita fiet nimirum, vt & illæ in tantis tempestatibus, quantæ ipsas nascentes exceperunt, & adhuc hodie iactant, firmæ & inconcussæ sub tuo præsidio permaneant: & tua præstantia vicissim tum coram Deo tum coram hominibus summam aliquando bene gestæ rei Christianæ gloriā ac coronam reportet. Sed absit vt sponte currentem pluribus exhorter. De rebus nostris. Accipies ex D. Threcio nostro, generosiss. vir, breuem sed verissimam Gallicorum ciuilium bellorum historiam, ex quibus quæ sit illustrissimi Condensis Principis, & omnium Euangelium Christi in Gallia profitentium integritas & innocentia cognosces: cōtrà verò teterrimi illius monstri, quàm immania sint consilia, quàm desperata improbitas, quàm detestanda perfidia, qua nunc præsertim Regiam maiestatem conatus est inuoluere. Sed is, vt spero, mox comperiet, malum consilium esse consultori pessimum, siquidem quum hæc ad te scriberem, Condensem cum Amiralio ex comparatis insidiis elapsum, copias minimè contemnendas apud Pictonas collegisse nobis nūtiatum est. Intereà, quum omnes vrbes teneant crudelissimi & immanissimi hostes, nisi Dominus illorum rabiem extra ordinem cohibeat, magnum periculum est ne talis laniena edatur, qualem à condito mundo fortasse, nec veteres nec recentes historiæ cōmemorant. Hoc vicissim proculdubiò nostros exacuet. quod si euenerit, (Deus autem donet vt meliora audiamus) istius ἀλάστορος consilia proculdubio regnorum omnium florentissimum euerterint. Hoc saltem exemplo vtinam tandem sapiat Polonia, & Cardinalitium hoc virus vel solo contactu lethiferum tempestiuè repellat. Nos intereà qui has ruinas ex propinquo audimus, ac penè oculis intuemur, quíque ab aduersariis vel præcipuè petimur, sanè extra teli iactum non sumus: & accedit etiam pestis malum, quo ab hinc quatuor menses vexamur. Sed in his malis cæterísque omnibus quæcunque tandem illa futura sint, erigimus nos bonæ conscientiæ testimonio, & sursum animos ad eum attollimus, cuius toties bonitatem experti, non dubitamus nos illi totos committere, quodcunque nobis onus imposuerit siue ad viuendum siue ad moriendum, forti, vt speramus, animo subituri.

EPISTOLA XXVII.

N.

BINAS tuas literas vir optimus D. Threcius mihi simul reddidit, vir ornatissime, vtrasque tum excellentis eruditionis, tum singularis in me cuiusdam beneuolentiæ plenas. Dicam autem ingenuè quid mihi vsuuenerit, dum priores tuas perlegerem. Vbi in eam partem incidi, in qua immodicè profectò ea de me prædicas, à quibus quàm lõgissime abesse me sentio, putaui errore quodam factum esse vt alii cuipiam scriptæ literæ, mihi inscriberentur. Postea verò quum ex certis aliis signis cognouissem tuum verè hoc esse de me iudicium, tam sum gauisus à tam laudato viro laudari, quàm ægrè tuli eum me non esse, qui expectationi tuæ vlla ex parte possim respondere. Etsi verò tantarum rerum sponsorem appellare me nõ potes, nolui tamen te diutius in tanto errore versari. Exiguus vel potiùs nullus est Beza, quem tu tantum esse tibi persuasisti. Is tamen, quantuluscunque est, amore se vinci nũquam patietur, cuius rei tesseram ad te mitto, quandoquidem te video lusibus nostris delectari, descripta quædã ex nostris poematum libellis, quod studii genus quum certo animi indicio, quoniam iuueni mihi multa neque rectè cogitata neque Christianè scripta excidissent, omisissem, repetere me tandem interdũ, animi relaxandi causa, coegit maledicorum quorundam improbitas, qui mores meos ex fictis illis lusibus ideo coguntur metiri, quòd, Dei beneficio, aliud nihil inueniant quod in anteacta vita mea reprehendant: nec interea vident se illa in me reprehendere, quæ si in suis carperent, nemo illos ferre posset. Spero autem me & hæc & reliqua alia putida mendacia ita refutaturum, vt & bonis omnibus satisfiat, & in ipsos istiusmodi conuiciorũ auctores tota hæc turpitudo redundet, quandoquidem & tu cuius est apud me maximi ponderis auctoritas, & alii nonnulli ita mihi faciendũ iudicatis: quum alioqui portentosa ista conuitia semel aspernari, ipsóque potiùs honestæ vitæ testimonio, quàm vllis scriptis refellere initio decreuissem. Cur autem id iam nõ præstiterim, quod alioqui triduo fieri poterat, in causa sunt tum alia quædam, tum verò etiam illud, quòd paulò post tuas mihi redditas literas pestis, quartum iam mensem apud nos sensim exardescens, ex improuiso altera ex meis ancillis correpta, domo excedere me relictis chartis librísque omnibus coegit. Ab eo tempore tamen, Dei gratia, ego cum tota familia bene habui, & spero fore vt hæc contagio latiùs non serpat: sin minus, mali tamen nihil euenisse meis aut mihi statuã, hoc præsertim tẽpore, quo non admodũ iucunda vita bonis esse potest. Sed hæc omnia ex D. Thretio nostro cognosces.

EPISTOLA XXVIII.

N.

HÆC ad te scribo (mi frater) animo valde afflicto tum publicis tum etiam priuatis miseriis & calamitatibus. Præterquam enim quòd in vniuerso terrarum orbe sic furit Sathan impotenter, modisque omnibus, vt Ecclesiæ longè maxima ex parte in extremum discrimen adductæ videantur, visum etiam est Domino, nostris id cõmerentibus peccatis, hanc Ecclesiam & scholam peste, ab hinc quatuor penè menses affligere, leni quidem illa satis & clementi, vt paternam esse virgã planè experiamur, sed quæ tamen Academiam nostrã ferè totam dissipauit, ac mea etiã consilia, cogitationésque meas omnes ab hinc octiduũ infregit, correpta eo morbo ex meis ancillis altera, quæ res fecit vt in aliam domum migrare, libris chartísq; omnibus relictis, repentè fuerim coactus. Itaque dabis mihi veniam, frater, si non ita copiosè, & accuratè, vt oportuit, ad tuas literas respondeo: quanquam id etiam fortassis non fuit necessariũ, quum tota illa Stanchari controuersia iam diligenter támque perspicuè sit à tam egregiis & excellentibus viris pertractata, vt quemquam inueniri posse mirer, cui non sit abundè satisfactum. Accipe tamen paucis, quando ita vobis videtur, quid de illa conciliatione sentiam, cuius ad me formulam misisti. Summa illius hæc est, Christum in sua hypostasi, id est, secundum personam cõsideratum, factum esse mediatorem omnium hominum etiam infideliũ in ipsa incarnatione, quia tunc naturam hominibus omnibus communem in se Deo coniunxit atque reconciliauit. Deinde mediatorem factum esse fidelium tantùm secundùm naturam humanam in ipsa morte, per quam solos fide iustificatos lucrifecerit. Mihi verò totum istud multis de causis displicet. Etsi enim verũ est Verbum assumpsisse & secum coniunxisse eam humanam naturam, quæ si in genere spectetur, tum fidelibus tum infidelibus cõmunis est, quum his & illis competat eadem hominis definitio: tamen falsum est quod hìc affirmatur Christum etiam esse infidelium mediatorem, quoniam mediatoris nomen (in hoc, quod tractamus, argumẽto) reconciliationẽ includit, quæ ad solos fideles spectat: & quanuis rectè dicant Patres neutrã naturã separatim consideratã esse mediatricẽ, tamẽ hoc non est ita accipiendum vt iste vult, quasi videlicet sic describatur persona & non officium. Mediatoris enim nomen nihil aliud quàm reconciliationis munus & officium declarat, quod tamen obire non potuerit, nisi qui Deus simul & homo sit. Nam si homo tantùm esset, maneret semper diuulsa à Diuinitate natura humana: & si vicissim Deus tantùm esset, nulla esset Dei cũ homine coniunctio: ideóque Christus non esset mediator, id est, non reconciliasset Deum & homines. quod significauit Augustinus his verbis, Diuinitas sine humanitate non est mediatrix, & humanitas sine diuinitate non est mediatrix: sed inter diuinitatem solam & humanitatem solam mediatrix humana diuinitas & diuina humanitas Christi: id est Christus non est mediator siue reconciliator, quatenus Deus tantùm, vel quatenus homo tantùm, sed quatenus homo Deus & Deus homo, in vna eadémque persona. Neque aliò spectant aliæ in isto scripto citatæ ex aliis Patribus sententiæ:

qui tamen impropriè locuti sunt quoties hæc duo vocabula ΜΕΣΙΤΗΣ MEDIATOR, & ΜΕΣΟΣ MEDIVS, non distinxerunt, quum tamen hoc multò latiùs quàm illud pateat. Est enim inter quosuis homines, fateor, & Deum medius Christus, vt qui sit Deus & homo, ac proinde cũ duobus extremis communicet, at non est mediator propriè loquendo, & ex Scripturæ vsu, nisi inter Deum & fideles, quos solos reconciliauit. Huc etiam spectant, & ita interpretanda sunt Patrũ dicta, quibus videntur affirmare Christum esse duntaxat secundum humanam naturam mediatorem, ita videlicet vt MEDIATOR pro MEDIO accipiatur, id quod manifestè declarat Augustinus eo loco, quem ex libro Confessionum 10. cap. 43. citant, In quantum homo (inquit) in tantum mediator: in quantum verò Verbum, non medius, quia æqualis Deo & Deus apud Deum, & simul cum Spiritu sancto vnus Deus: quod pleniùs etiam demonstrat Thomas eo loco, quem isti proferunt, cui tamẽ in eo non assentior, quòd Diuinitati, vel potiùs quòd Verbo nullas in ipso mediationis officio partes relinquit, Quia (inquit) neque secundum diuinam naturam neque secundùm ordinem est inter extrema, sed extremum supremum: neque disiuncta coniungit vt causa proxima, sed vt causa prima, à qua non denominatur mediator, sed mediationis author. Respõdeo non esse hîc nobis considerandam naturam diuinam absolutè, sed cum relatione, id est, in ipsa hypostasi Verbi, quod solum (non autem Pater & Spiritus sanctus) humanam naturam assumpsit. Iam verò nihil impedit, quominus Verbum, etsi, quod ad essentiam attinet, vnũ est cum Patre (in qua nimirum vnica & tota, perinde vt Pater, subsistit, sua ab illo proprietate distinctũ) tamen Patri quod ad officium reconciliandi humani generis subordinetur, non secundùm naturam, inquam, siue secundùm essentiam, quæ vnica est, sed propter officium mediationis siue reconciliationis. Itaque Verbum sic est causa eminens adeóque author mediationis, respectu humanæ naturæ assumptæ (à qua separandum quidem non est, sed tamen distinguendum) vt nihilominus respectu Patris, ex cuius volũtate has mediationis partes in se recepit, mediæ etiã causæ rationem sustineat. Neque inde colligere potest Stancarus, nos esse Arrianos: Primùm, quòd totam hanc subordinationem, quæ ordinis est non gradus, in officio duntaxat ponimus, non in essentia neque in ipsa hypostasi, quum tamen in ipsa hypostasewn ordinatione consentiant orthodoxi, primum, vt ita loquar, locum Patri tribuendum, adeò vt Basilius contra Eunomium, Cyrillus, Hilarius, lib. 9. de Trinit. (quod etiam facit vbique Tertullianus in lib. de Trinit.) illud dictum, *Pater maior me est*, de ipsis etiam Deitatis hypostasibus ordine consideratis intelligant, quod tamen diligenti explicatione propter Arrianos indiget: deinde quoniam nihil impedit quominus qui in sese cuipiam est prorsus æqualis, infimum tamen aliquem suo coæquali volens ac lubens reconciliet, nec intereà quidquam ipsius dignitati decedat. Itaque illa Stancari exprobratio nihil aliud est quàm futile vanissimi hominis commentum: &, vt ad istam conciliationem redeam, primùm tenendum nobis erit, Christum non esse aliorum quàm fidelium mediatorem siue conciliatorem: & præterea non esse quidem *μέσον*, id est medium quidem inter Deum & homines, in Diuina sua natura seorsim ac distinctè considerata, secundùm quam non est aliud quàm sit ipse Pater: sed nihilominus Verbum illud, quod est Deus apud Deum, vltrò in sese recepisse fidelium cum Deo reconciliandorum partes: quo fit vt Christus secundùm quidem humanam naturam, qua Spiritũ sine mensura accepit, sit & medius & mediator: secundùm diuinam autem, id est quatenus verbũ est, non sit quidem in ipsa Verbi natura per se considerata, medius, sed habita tamen officii ratione, quod sponte in se recepit, sit inter Patrem & fideles tum medius tum mediator. Hoc autem ita esse probat illa millies inculcata sententia, *Missum Filium esse à Patre, vt omnis qui credit in eum, nõ pereat*: nam certè hæc fides in Verbum propriè respicit, vt & Christi adoratio, quamuis quũ vnica persona Deus sit & homo, vnica illum gloria colamus. Neque Christus dici posset nostra iustitia, nisi præcipuè id in eo spectaretur quòd sit Iehoua, quamobrem etiam Ieremias vtrunque coniungit. Et quum remittere peccata sit propriè diuinæ naturæ, nostra autem reconciliatio à remissione peccatorum pendeat, consequitur ipsius Verbi præcipuas esse in ipso mediationis actu partes, nedum vt mediator secundùm diuinam naturam dici non possit. Itaque Origenem non probo, dictum illud Pauli *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, referentem non ad Deitatẽ sed ad humanitatem, Quæ, inquit, est eius anima. Est enim certè hic scriptor adeò omnibus modis impurus, siue ita ipse scripsit, siue deprauata postea fuerunt eius scripta, vt nullam in Ecclesia authoritatem in rebus controuersis mereatur: & res ipsa euincit ibi ab Apostolo non nominari hominem vt excludatur Deus, sed vt significetur, quomodo, qui Deus est, ad nos appropinquarit, seipsum videlicet exinaniens forma serui accepta. Denique vt vno verbo concludam, si nullæ sunt ipsius Verbi tanquam mediatoris in mediationis, id est, reconciliationis officio, partes, causa non erat cur Verbum caro fieret, sed satis supérque fuisset Verbum huic homini adesse peculiari quadam virtute, vt censuit Nestorius Christum diuidens. Itaque Basilius aduersus Eunomium non dubitat ita scribere, si bene memini (hæc enim ad te scribo, libris destitutus) Filius ordine secũdum post Patrem locum habet, quoniam ab illo est genitus: & dignatione, quoniam principium & auctor ipsius Pater est, & quoniam per eum aditum & accessum habemus ad Patrem. Hæc Basilius, subordinans Patri Filiũ, non quidẽ in ipsa essentia diuina (esset enim hoc Arrianum) sed in modo habẽdi illam essentiã, quæ quũ vnica sit, nulla inter Patrẽ & Filium inæqualitas ex illa subordinatione consequitur: deinde illũ etiam inter nos & Patrẽ, ratione officii, mediũ ac mediatorẽ apertè cõstituẽs. Illud autẽ rectè cõsideratũ manifestè etiã ostendit, ne id quidẽ quod in illa formula dicitur de Christo mediatore per mortẽ, ab illo satis rectè intelligi. Primũ enim in eo fallitur ꝙ incarnationẽ sic diuidit à morte, ac si Christus incarnatione, id est assumptione naturæ humanæ factus sit tãtũ *μέσος* inter Deũ & homines, id est disposita persona ad fideles cũ Patre recõciliandos,

non autem reipsa μεσίτης, quatenus in sese naturam illam humanam assumptã cum diuina vniuit. Nam contrà oportet nos inchoare ipsum actum nostræ, id est, fidelium cum Patre reconciliationis, ab ipso incarnationis momento, quod manifestè docet Apostolus dum Filii Dei exinanitionem (quæ sanè est satisfactionis pro peccatis nostris, ac nostræ reconciliationis initium) ab ipsa formæ serui acceptione inchoat. Quantum enim hoc est quòd æternus Dei Filius dignatus est caro fieri, id est carni nostræ sese hypostaticè vnire, & nostris omnibus infirmitatibus, nõ quidem in sese (est enim immutabilis) sed in assumpta sua carne fieri, excepto peccato, obnoxius? Itaque ipsa incarnatio quamuis nihil de Deitate per se considerata detrahat, est tamen non minimus actus inter eos, per quos qui credunt, sunt Deo Patri per Filium reconciliati: & ille ipse puer recèns in vtero Virginis conceptus Ecclesiæ fuit mediator siue reconciliator, non autem duntaxat tunc cœpit esse disposita ad futuram mediationem persona: neque tantùm coniunxit, suam vnius singulariter consideratam humanitatem cum Deitate, sed iam tum reipsa erat Ecclesiæ suæ Iesus, id est iam tum incepit populum suum à peccatis ipsius seruare, conciliatoris partes reipsa exequendo. Hoc ipsum quoque Apostolus eo loco confirmat, quo testatur nos per vnius videlicet Christi obedientiam iustificari. Quis enim negauerit hanc obedientiam ab ipsa incarnatione cœpisse, & tum ad compositam personam totam, id est ad vtranque naturam simul consideratam referri, tum etiam & ad humanam & ad diuinam naturam distinctè consideratas pertinere? Neque est rursus quòd nos calumnietur Stancarus, quasi Filium faciamus Patri inæqualem, quum tribuimus illi obedientiam, quoniam videlicet, maioris sit imperare, inferioris autem obedire. Nihil enim impedit quominus etiam æqualis æquali quippiam faciendum non vt dominus, ac aliquo gradu superior, sed vt socius coæqualis mandet: & qui hoc vltrò exequitur, dicatur alterius voluntati paruisse, nec tamen alteri propterea impar censeatur. Fuit autem hæc optima Patris voluntas, vt in Filio sibi reconciliaret Ecclesiam, cui voluntati vltrò obediens Filius formam serui accepit, vt Patris voluntatem impleret: quo etiam respectu dicitur vbique Pater quidem Filium misisse, Filius autem missus à Patre, nec tamen propterea inæquales sunt existimandi. Deinde quod isti scribunt de mediatione per mortem, magis perspicua explicatione indiget. Quamuis enim sæpissime, quum de satisfactione pro peccatis nostris agitur, Scriptura nos ad illud sacrificium in cruce oblatum reuocet, est tamen hoc intelligendum συνεκδοχικῶς, vt videlicet nouerimus coniungendum esse cum morte quicquid tota sua vita nostri causa fecit ac pertulit Christus, non modò luendo pœnas nostris peccatis debitas, sed etiam omnem pro nobis iustitiam implendo, factus sub lege, vt execrationi legis obnoxios redimeret. Præterea quum mors propriè ad solam humanam naturam distinctè consideratam pertineat, vt etiam cautè loquutus est Petrus, quum passum in carne diceret: non temerè vereor ne hic quoque isti fucum faciant. Nam certè si à sola morte pendet actus mediationis siue reconciliationis Dei & Ecclesiæ, consequetur necessariò quod isti contendunt, nempe Christum esse duntaxat secundùm humanam naturam mediatorem. Nos autem ex Dei verbo affirmamus Christum esse modis omnibus mediatorem, nempe & secundùm totam compositam personam, quia neque solum Verbum, neque sola caro, sed Verbum, caro nos Patri reconciliauit: & secundùm naturam diuinam distinctè, & secundùm naturam humanam distinctè, quoniam in hac conciliatione aliqua distinctè gessit Verbum, aliqua etiam distinctè gessit caro, quamuis nec Verbum absque carne, nec caro absque Verbo quicquam obierit. Verbi est assumptio carnis, vt per eam postea interueniente fide cum ipso copularemur: & eiusdẽ carnis sanctificatio, vt in ea & ipsi sanctificaremur: at quòd Christi perpessiones sunt nobis viuificæ, & ex ipsius morte ac sepultura, vitæ odor ad nos promanat, totum est à Verbo, cuius etiam propriè vi ac potentia Satan est domitus, mũdus deuictus, & mors superata, siquidem Verbum, cuius vim Petrus & Paulus Spiritum vocant, carnem excitauit à mortuis. Quòd si resurrectio est mediationis Christi periodus, & ea distinctè manauit à Verbo, non autem à carne, vtpote quæ non sese excitauerit, sed à Deo fuerit excitata: quis sanæ mentis dixerit Christum nobis non esse mediatorem, etiam secundùm diuinam naturam distinctè consideratam? Assumi verò, sanctificari, legem implere, sitire, esurire, delassari, tam multa denique ad mortem vsque crucis perpeti, sepeliri, resurgere, ascendere in cœlum, sedere ad dexteram Patris, in quibus omnibus posita est nostra cum Patre reconciliatio & coniunctio, ad carnem propriè & distinctè spectant. Intercessio verò, vt & alia quædam, totius est personæ, licet seruata naturarum proprietate, vt est alibi demonstratum. Hæc est nostrarum Ecclesiarum fides de Christo mediatore, quam non dubitamus esse scriptis Propheticis & Apostolicis consentaneam. Et quum inter vestras ac nostras Ecclesias videam summum esse, Dei beneficio, consensum, spero hæc vobis non ingrata fore. Omnes autem illos qui à vobis discessionem fecerunt, tótque consequutis malis aditum patefecerunt, ipsúmque adeò Stancarum, precor & obtestor per viscera misericordiæ Dei nostri, vt & sui & pacis Ecclesiarũ maiorem habeant rationem, istáque abiecta in defendẽdo semel arrepto dogmate pertinacia, in animum inducãt cum Ecclesiis in verè fraternam gratiam, abolitis prioribus omnibus, redire, & synceris omnium Ecclesiarum orthodoxarum confessionibus apertè potiùs acquiescere, quàm nouas & ambiguas conciliationum formulas scribendo, suspicionem præbere, quasi fucare potius manifestè defensos errores, quàm semel abiectis illis, veram cum fratribus concordiam inire velint. Id verò si fecerint, non dubito quin dextram illis vltro præbeatis, exultent in cœlis Angeli, applaudant omnes Ecclesiæ, ringatur denique Satan cum omnibus istis blasphemis in Filiũ Dei Seruetanis, Samosatenianis,

Arrianis, Tritheitis cæterisque eiusmodi teterrimis monstris. Et de his quidem hactenus.

Venio ad illa tristissima, quæ nuntias de blasphemis Christi diuinitatis hostibus, quorum alii præter Anabaptismum etiam Samosateni blasphemiam aduersus æternam Verbi hypostasin ruentur: alii fateri recusant, quòd tres personæ sint vnus Deus, sed censent quòd sint duntaxat vnum, & ὁμοούσιοι aliáq; huiusmodi vocabula repudiant, quos & ipsos rectè iudicatis tres essentias necessariò constituere: alii denique essentiæ propagationē siue essentiationem Gentilismum, id est, Trithcismum tuentur. Hæc verò quis sine horrore audire sustineat? Neque hîc, mihi crede, consistet istorum excæcatio, sed tandem nullum erit religionis Christianæ caput quod non oppugnent, quoniam verè sunt in reprobum sensum traditi, & necesse est eos in peius proficere, donec omnibus pateat ipsorum stultitia, vt nemo deinceps ab istis nisi volens decipiatur. Ago autem gratias Deo immortali, quòd vicissim fidos & fortes veritatis defensores in Ecclesiis excitarit, qui & verbis & scriptis (quandoquidem eò nunc redacta res est) arcem nostræ religionis custodiant: nec tanta sit spiritus blasphemiæ etiam apud vos efficacia, quin supersint cœtus piè & sanctè æternum Filium Dei, vnum cum Patre Deum inuocantes, quos vtinam magis ac magis sanctus Spiritus, & ipse coæternus & coessentialis cum Patre & Filio Deus erudiat, confirmet, ac defendat aduersus spiritum erroris, & ab omni malo custodiat. Cœperam & ipse, vt fidem vobis datam liberarem, hoc argumentum tractare recèns etiam ab impurissimo Monacho Santesio ad hoc ipsum agendum prouocatus: sed præter morbum, qui me magna æstatis parte grauissimè afflixit, & perpetuas de misera patria solicitudines, quæ me vix respirare patiuntur, superueniens pestis, quæ me domo eiecit, omnia mea consilia infregit. Verùm si me superstitem seruarit Dominus, & eam nobis tranquillitatem concesserit quæ ad scribendum requiritur, dabo pro viribus operam, fauente Deo, vt vestræ expectationi cumulatè satisfiat, etiam si fortassis post optimi doctissimique fratris nostri D. Simleri librum hac de re nunc editum, superuacaneus noster labor fuerit. Cætera si quæ sunt, ac præsertim miseræ nostræ Galliæ statum, & inauditam hostium veritatis perfidiam, adeóque Hispani Principis mortem in carcere properatam ex Threcio nostro abunde cognosces. Bene vale, vir eximie, & charissime frater, cum symmystis omnibus, fratribus nostris plurimùm obseruādis, quorum precibus assiduis vicissim hanc Ecclesiam & scholam vniuersam commendamus. Geneuæ, Calendis Septembris, 1568.

EPISTOLA XXIX.

RESPONSVM AD QVÆSTIONEM QVANdam de Astrologia iudiciaria.

Rogas quid de Astrologia iudiciaria sentiam, de qua iampridem magna est inter doctos & pios homines controuersia, quibusdam nihil prorsus ei tribuentibus: quibusdam verò non secus illi tribuentibus omnia, quàm si syderibus esset omnis in vniuersum mundum attributa potestas: aliis denique mediam quandam viam sequutis, ita videlicet vt ei neque adimantur omnia, neque tribuantur: quorum sententiam amplecti me profiteor, sed ita vt in ipsius rei explicatione nonnihil à nonnullis dissentiam. Hoc autem breuibus perstringam, ne excedam Epistolæ modum, quum alioqui res ista longiorem tractatum requirat. Itaque memineris hæc me tibi scribere, non vt iis qui contrarium sentiunt, aut etiam tibi per omnia satisfaciam, sed duntaxat vt, quandoquidem ita vis, quæ sit nostra de his rebus opinio, paucis cognoscas, paratus & ipse, si quis meliora sentiat, errorem corrigere.

De diuinationis nomine nolim multum contendere. Tantùm dico diuinationis nomen mihi quoque videri impropriè Astrologicis prædictionibus tribui: quoniam is verè dicitur diuinare, qui externo quodam impulsu, non autem ex causis, aliqua prædicit. Quamobrem etiam testatur Dominus non vno loco, se vnum illum esse, qui ventura nouerit, & per seruos suos Prophetas prænuntiet. Dæmonas enim, qui iampridem mundum hac ratione fascinarunt, quasi & ipsi diuinare possent, certum est nihil nisi vel ex peculiari Dei patefactione, illorum ministerio ad exequenda iusta sua iudicia vtentis, vel ex Prophetarum prædictionibus, vel ex secundarum causarum nexu obseruato cognitum, vaticinari vnquam potuisse, quod ex illorum oraculis cum verbo Dei collatis prorsus liquet. Homines autem per se aliqua maiore futurarum rerum prædicendarum vi quàm dæmones esse præditos, nemo sanæ mentis, vt opinor arbitrabitur. Itaque si diuinare dicantur ex syderibus Astrologi, nihil aliud diuinationis nomine intelligi posse videtur, quam rei cuiuspiam in astris tanquam causis, adhuc veluti delitescentis patefactio & prædictio: ex quo consequitur non posse latiùs patere istas prædictiones tanquam cōsequutura effecta, quàm ipsæ causæ nostræ cognitioni pateant, ex quibus effecta illa consequutura iudicemus. Primùm igitur constituamus oportet, quatenus illæ causæ nobis pateant. Ac sum quidem ego in ea opinione, vt minimè existimem corpora illa cælestia idcirco tantùm esse condita (qui tamen est vel præstantissimus ipsorum vsus) vt illa contemplantes ad cognoscendam & adorandam tanti opificis maiestatem assurgamus: neque idcirco duntaxat definitos esse eosdem motus, variósque aspectus ac concursus, distinctásque eorum magnitudines, vt dierum & noctium spatia definirent. Nam si ita esset, sole tantùm & luna nobis opus fuisset. Itaq; idcirco etiam hæc esse facta existi-

existimo tantóque ordine digesta attributo singulis inuariabili motu, vt in inferiorem mundum (quo nomine tum elementa ipsa, tum corpora ex elementis composita complector) inenarrabilem quandam vim suam exererent: id quod etiam perpetua experientia vulgum ipsum docuit. Aeris igitur constitutionem non illam tantùm, quæ certo quodam ordine in genere animaduertitur in quatuor anni tempestatibus, sed etiam particularem pro diuerso syderum positu ab astrologis animaduerti & prædici posse concedo, & quum ab aeris constitutione pendeant maxima ex parte & aquarum & terrarum, vt ita loquar, habitus, non mirum est eousque etiam extendi astrologorum prædictiones. Ex his autem & illud effici concedo, corpora ex ipsis elementis composita astrologicis quoque prædictionibus includi. Sed multæ hic difficultates & quidem maximi momenti occurrunt. Primùm enim liquet hominem constare ex corpore quidem mortali, vtpote composito, ac proinde mutationibus ipsique adeo dissolutioni, vt nunc quidem res sunt post hominis videlicet peccatum, obnoxio: & ex anima cuius simplex & immortalis est substantia, & quæ verè est actionum humanarum principium, ac tale quidem principium, vt voluntarii & quidem etiam contingentes sint eius motus. Itaque animam syderibus subiicere non absurdum modò, sed etiam pene impium esse mihi videtur. Quãtulum igitur erit, obsecro, quod Astrologis relinquetur in his vel illis prædicendis, quæ cuipiam in vita euentura sint, quum à syderibus eximatur verum humanarum actionum principium? Solet autem in contrariam partem afferri physicum illud axioma, quod pluribus persecutus est eruditissimus Galenus, nempe *quòd animi mores temperamentum corporis sequantur*, ac proinde quæ scientia de corporis temperamento statuat ex syderibus, ea quoq; de moribus animi possit iudicare. Sed primùm omnium illud planè subit mirari, quînam ausint astrologi ex natiuitatis puncto, quod vocant, de corporis nascentis temperamento pronuntiare. Cur non enim potiùs conceptum consyderãt, vtpote qui sit ipsius coagulationis corporis initium? Causa autem illa quam proferunt, quoniam videlicet multum interest, quem aerem illud tenellum corpus primum excipiat, certè inanis est ac planè ἀργὸς (vt aiunt) λόγος, ad id efficiendum quod volunt. Neque enim ab aere ambiente, & hoc vel illo modo à vario syderum positu affecto, sed ab ipsa potiùs materiæ proportione, ex qua corpus compositum est, propriè pendet corporis temperamentum. Deinde mihi sanè vix persuaserint Astrologi, eius puncti, quo primùm in lucem prodit infans, tantam esse vim, vt corporis temperamento dominetur, quum intereà tam multæ ac propè infinitæ atque adeò inter se contrariæ & repugnantes syderum positiones tota alicuius vita incidant, quas illi vni non præponderare vix ac ne vix quidem crediderim. Omittendum etiam illud non est, corporis temperamentum adeò pendere ex lacte & cibo quo quis educatur, ex loco in quo quispiam alitur, & cæteris eiusmodi circunstãtiis, vt mihi quidem hallucinari videatur, quisquis non fatebitur longè maiorem vim esse rerum istarum ad afficiendum corpus, quàm aereæ illius vnius constitutionis, cui primæ corpusculum, quantumuis tenellum, exponatur. Quòd si quis contendat stellas arcana quadam vi, etiam extra aeris constitutionem, in corpus agere, quomodo videlicet magnes cum polari stella quandam συμπάθειαν habere videtur, tam id mihi fuerit facile negare, quàm ipsis difficile atque adeò ἀδύνατον demonstrare. Hæc autem omnia huc spectant, vt ostendam, non modò incertum, sed penè etiam plerunque vanum esse, quod Genethliaci de corporis temperamento tam audacter pronuntiant, vtpote quod sit potiùs ex propinquioribus signis à medicis dignoscendum. Quomodo igitur de animi moribus iidem iudicarent? Sed tamen vt illud etiam ipsis concedamus, posse illos ex suis syderibus statuere, quis humor sit in corpore quopiam dominaturus, quis ignorat non vsque adeò affici animum temperamento corporis, quin intereà corpori dominetur? Nam alioqui, vel nullum vel tenue admodum esset inter bruta & homines discrimen. Quantulum igitur erit, quicquid Astrologorum prædictioni hac etiam in parte relinquetur? Nam certè omnibus etiam superioribus concessis, nihil aliud ex syderum positu Genethliaci colligere possunt, quàm hunc vel illum melancholicum aut biliosum, aut alium denique futurum, ac proinde his vel illis morbis & incommodis obnoxium: quæ res quàm magnæ sint vtilitatis non video, quum ex aliis propinquioribus & multò certioribus signis à medicis colligi possint. Particularia autem illa, quæ certum est homines istarum rerum curiosos præcipuè captare, nempe quid hoc vel illo anno, vel die, sit alicui euenturum, sitne hoc vel illud prosperè vel incommodè cessurum, prædici nulla obseruatione mihi posse videntur, non modò propter superiores rationes, verumetiam quia non dubium est, quin consiliorum nostrorum euenta ab externis causis pendeant. Vt quis igitur diuinare possit mansurum imperium penes Augustum, necesse etiam fuerit ipsum diuinare quid Bruto, quid Cassio, Lepido, Antonio obsistentibus fuerit euenturum, qui sanè est inextricabilis labyrinthus. Particularia autem exempla eiusmodi prædictionum partim à dæmonibus, qui aliunde ista discere potuerunt, suggesta fuisse respondendum est, quod etiam liquet ex historia Pythonissæ, quam Saul consuluit: partim esse vanissima & casu potiùs ipso confirmata, quàm verè prædicta, quam vanitatem facillimum esset deprehendere, si quis in animum induceret, quæ isti coniectores falsò prædicunt, cum iis comparare quæ euentu ipso confirmantur. Sed quoniã nullum est genus hominum audacius, & nemo istos diuinatores consulit, nisi qui veraces illos fore sibi persuasit, idcirco fit vt pro diuinis quibusdã hominibus habeantur, quos tamẽ res ipsa ostendit non aliunde quàm ex decipiẽdis hominibus quæstũ facere. Itaq; vt paucis concludam, hoc mihi persuasi, iustis (ni fallor) de causis, extra constitutiones aeris, & corporũ, quæ inde consequũtur, affectiones (quæ tamẽ vtræq; infinitis particularibus obiectis impedimẽtis variãtur) nihil habere Astrologũ

quod ex arte prædicat: ac proinde, qui fines istos excedant, meritò tanquam in ea inquirentes quæ nobis abscondit Dominus, expresso Dei verbo, sacrisque imperatorum legibus damnari. Iatricam autem etsi aliquis est vsus, is nimirum quem dixi non excedere corporis temperamentum,& quæ possunt ex corpore in animum redundare: tamen, quum hoc idem multò certius aliunde cognosci posit, & omnium sæculorum experientia docuerit homines in hac re nullum vnquam modum tenere potuisse (quo peccato vix vnquam vllum fuit grauiùs & seueriùs à Deo Opt. Max. vindicatum) rectè & religiosè facere iudico principes, qui præclaram illam ac planè cælestem astrorum motus scientiam sic curant in Academiis doceri vt quæ inde colliguntur prædictiones, intra illos, quos dixi, fines coerceantur: & quoties incidunt grauia illa Dei flagella, veluti fames, pestilentia, bella, cæteráque eiusmodi, doceantur homines seipsos non autem stellas accusare, ac sibi persuadere quod verissimum est, non contingere illa nec prædici posse ex astrorum motu, nisi incertissimo euentu, sed ex Deo peccatis nostris irato proficisci, ac vicissim etiam illo resipiscentia nostra pacato sedari, quæcunque tandem sit cœlorum facies.

EPISTOLA XXX.

REVERENDIS VIRIS, HELVETICARVM Ecclesiarum fidis Pastoribus, fratribus in Domino plurimùm obseruandis.


VOD imperat Dominus, monet charitas, cogit facere necessitas, hoc illud est, obseruandi fratres quod nunc apud vos agere Diaconi nostri instituerunt. Quæ sit Ecclesiarum Gallicarum calamitas, fama proculdubio & quorundam literis intellexistis: nos verò non minima ex parte ipsis oculis cernimus, quum nullus dies prætereat, quo non ad nos veniant miserrimorum omnis ætatis hominum cateruæ. Hoc autem miserrimo spectaculo certè vel ipsas cautes necesse sit commoueri, quum ad extremam inopiam etiam nuditas, fames, vulnera denique in quibusdam accedant. Et hæc tantùm sunt ærumnarum principia, nisi Dominus miserrimi illius regni misereatur. Nos quod possumus adhuc, per Dei gratiam præstamus: præbentur hospitia, suppeditatur & vestis & victus, sed (vt in tanta turba fieri necesse est) satis tenuiter. Huc accedit aliud malum, quòd quum satis vberem messem largitus sit nobis hoc anno Dominus, tamen nonnus vicinus noster, quocunque tandem id consilio faciat, seuerissimis edictis non modò quicquam vllius prorsus speciei vel frumenti vel leguminis ad nos ex sua qua vndique circuncingimur, ditione prohibet importari, sed ne sua quidem ex ipsorum territorio à nostris collecta, per suam ditionem peruehenda curare nos sine molestia patitur, vnde præter caritatem consequi etiam breui penuriam necesse est, nisi nobis aliúnde Dominus prospiciat. Hoc illud est igitur quod nos oneri tanto sustinendo impares breui futuros, huc coegit deuenire, vt quum de vestra charitate minimè possimus dubitare, ista vob's per literas explicaremus, nihil alioqui minus libenter facturi, quàm vt vos isto sumptu grauaremus, nisi extraordinaria necessitas, quæ (vt inquit ille) legem non habet hucusque nos adigeret. Quanuis enim nobis satis constet, vobis istic minimè deesse in quibus vestra charitas exerceatur, speramus tamen vos æqui bonique hanc nostram audaciam consulturos, quod à vobis maiorem in modum petimus. Cæterùm & hæc eadem, & istis multò plura, tum etiam quæ in huius beneficentiæ administratione ratio hic obseruetur, ex ipsis fratribus D. Ioanne Budæo & Vassano, illo quidem huius vrbis, isto verò Lugdunensis Ecclesiæ diacono, plenius cognoscetis. Negotium autem ipsum vobis pluribus commendare nobis religio fuit, ne de vestræ charitatis zelo quicquam dubitate videremur. Bene valete, Fratres ac Domini in Christo plurimùm obseruandi. Dominus Iesus suorum gemitus exaudiat, Satanæ rabiem coerceat: det nobis vt in silentio & spe animas nostras possideamus, vobis denique vestrisque gregibus quàm cumulatissimè benedicat. Geneuæ, 17. Decembris, 1567.

EPISTOLA XXXI.

N.


OMPREHENDERE te ratione non posse magnum illud pietatis mysterium non miror. Fidei enim hoc opus est, non humanæ ratiocinationis. Videamus tamen nunquid hîc etiam valeat ratio. Duo imprimis postulo mihi concedi, quorum neutrum cum iusta ratione inficiari possis, Deum videlicet veracem esse, & nobis per Iesum Christum esse loquutum. Atqui ex illo Christi dicto, Potestatem habeo deponendi animam meam, & iterum illam sumendi, necessariò statuitur Christi Deitas. Quo enim respectu illum hæc dixisse putabimus? Num corporis? atqui exanimis corporis non fuit animam qua exutum erat repetere, nedum resumere: quum mortuum corpus neque appetere quicquam, neque agere possit. An verò animæ? Hoc verò si ita esset, dixisset, Potestatem se habere, non animæ sed corporis deponendi, & rursum assumendi, quum anima animam nec deponat nec sumat. Superest ergo vt alterius naturæ respectu hæc dixerit, quæ nec anima sit nec corpus, sed in animam & corpus

pleoam

plenam potestatem & imperium habeat. Ista verò quænam est, nisi qua qui præditus est, Deus est & vocatur? Nam vitam quidem abiicere posse, cuiusuis animâtis esse videtur, sed amissam vitam sibi ipsi tribuere, illius vnius esse fateamur necesse est, cuius natura sit à seipsa, ac proinde ne beatis quidem illis spiritibus competere. Ex hoc consequitur quod modò dixi, Christi nimirum veram Deitatem sic perspicuè probari. Rursus autem quum Deitas desinere, imò ne mutari quidem vnquam possit (Deitas enim alioqui non esset) ex eodem Christi dicto liquet τὸν λόγον verè sibi adiunxisse alteram naturam humanam videlicet, quoniam alioqui nec animam habuisset, quam deponeret, id est, à corpore segregaret: nec corpus, quod rursus cum anima copularet. Neque verò hinc licet colligere Deitatem fuisse vnquam vel ab illa anima vel ab illo corpore seiunctam, sed depositio ista & repetita animæ assumptio, intelligenda est respectu humanæ solius naturæ, vt dicatur animam suam deposuisse Christus, quum illam à corpore separauit, & rursus assumpsisse, quum illam denuo cum eodem corpore copulauit. Postremò sic quoque hypostatica vtriusque naturæ vnio iisdem Christi verbis statuitur. Quum enim omnium sit Dominus, quid illum necesse fuit hanc animam quam deposuit, suam vocare, nisi quoniam alia ratione est ipsius propria, quàm vel Lazari vel cuiuspiam alterius anima? Itaque Lazarum excitans à mortuis, non suam animam (quamuis etiam illius Dominus esset) sed alienam, nempe Lazari, dicitur, non suo sed alieno, nempe Lazari corpori, rursum adiunxisse: non denique seipsum, sed Lazarũ amicum suum à mortuis excitasse. Cur itaque hæc anima Christi est, nisi quia ex ipsa quoque constat Christus? Et Lazari anima cur Christi non est, nisi quia Lazarus aliud est ὑφιστάμενον quàm Christus? Et hoc est quod hypostaticam vnionem naturarum appellamus. Vides igitur, quod tibi persuasum cupio, non insanire nos qui hæc dicimus, sed planè amentes esse qui hæc negant.

EPISTOLA XXXII.

IO. CRISPINO FRATRI AC SYMMYstæ charissimo.



VID tibi verò responderim, mi frater, quàm me Opt. Max. Deo gratias ingentes agere, quòd suum hoc opus cum humanæ illius ψευδωνύμου sapientiæ ludibrio peragat: eúmque assiduè precari, vt quod cœpit, perficiat, & reipsa tandem intelligam me frustrà meticulosum fuisse? Scio accidisse quod prospicere difficile non fuit, nempe vt multi nostra tarditate offenderentur, quum à nobis præsertim magnum præsidium in parte huius operis difficillima, id est, in mittendis ministris, certò expectarent. Scio etiam nonnullos sic offensos fuisse, vt opus non modò non promoueri, sed etiam impediri à nobis existimarent. Nosti qui noster sit animus. Sed quid agerem? Petuntur à nobis Ministri. Respicitur in me quasi omnium istarum rerum probè conscium. Nec enim ignorari potest aut debet, vnumquemque verè pium nihil hæsitante cõscientia, in rebus tanti momenti acturum. Ego quid hîc respõdeam? De fratrum qui istic sunt conscientia nihil dubito. Sed quis sum ego vt bona conscientia possim vel facere ipse, vel aliis faciendum suadere, quod an satis rectè fiat plurimas ambigẽdi causas habeo: cur rectè fiat, vix possim vllam rationem afferre, quæ dubias conscientias tranquillet? An postularem quæ arcana sunt mihi explicari? absit à me (mi frater) ista πολυπραγμοσύνη. Nam vt alia taceam quæ faciunt vt libentissimè multa ignorem, noui, noui, inquam, plus satis experientia edoctus, quàm multa sint in istis μυστηρίοις adeò μυστηριώδη, vt ne ab ipsis quidem mystis intelligantur. Non dissimulaui tamen præsertim apud te, quid me suspensum teneret. Quum à me nonnulli sententiam de iis rebus peterent, nihil iis respondi ad quos hoc negotium existimaui nihil pertinere: aliis (sed paucis & quibus necesse fuit declarari quid de re tota mihi videretur, ne sese à me vel deceptos vel elusos fuisse meritò conquererentur:) significaui vel voce vel scripto, quid in hac re me torqueret, atque etiam quid metuerem. Si quid hic peccatum est, Deus est tamen mihi testis quid cupiuerim, & quid cupiam, quod certè est eiusmodi, vt minimè metuam ne hoc aliquando mihi coram Seruatoris mei tribunali exprobretur. Ipsis autem fratribus neque rescripsi quicquam neque adhuc rescribendum censui. Nam neque illos possum planè confirmare in eo quod cuiusmodi sit nondum intelligo, neque etiam velim committere vt tantum opus à me interturbatum fuisse videatur. Facio ergo sedulò quod vnum superest. Precor assiduè vt Deus suorum misereatur, hostes desperatos malè perdat, denique Filii sui regnum amplificet, & omnibus istic laborantibus (siquidem nominatim etiam preces pro vobis concipimus) tanta Spiritus sui virtute opituletur, vt mox de Satana debellato simul triumphemus, etiam si nec eodem loco, nec simili ratione simul omnes pugnauerimus. Alioqui tute nosti optimè, ne si maximè quidem velimus, adesse nobis quorum opera istic vobis prodesse nunc quidem magnopere possit. Quod in postremis tuis scriptum erat de ingenti illa pecunia vltrò offerẽda, rursum ita me offendit (vide quanta in his rebus consilii inopia laborem) vt certum mihi argumentum videatur, omnia illic fieri quàm impudentissimè fieri potest. Nam si ego vester ille hostis essem, nihil certè magis optarem quàm hoc mihi contingere, quòd sponte nunc ipsi offertur, nempe vt quibuscunque conditionibus hostium meorum conditionem deteriorem, meam verò meliorem possem ipsorummet sumptu facere. Scis enim iampridẽ illos periuriis, vt ille dicebat, ἀστραγαλίζειν. & quis ignorat esse illis persuasum, nullam hæretico fidem esse præstandam? Quis

sit autem illius animus, & quàm altè ipsius cordi vulnus istud insederit, non potestis nescire. Sed quibus ista. Vides tamen nos magnas ambigēdi causas habere, ac proinde damnari iure non posse, quòd adhuc ἐπέχειν, non vt simus extra teli iactum, quod, ne si quæreremus quidem, nobis contingeret, sed vt nihil prorsus nisi præeunte nobis bonæ, id est πεπληροφορημένης conscientiæ luce aggrediamur, quod quidem velim te omnibus istic fratribus persuadere, ne quam inde occasionem nos distrahendi versutissimus ille noster hostis Satan arripiat. De rebus nostris, rectè, & pacificè omnia, Dei beneficio, quanuis quotidie nuntientur, quæ, quis sit hostis illius nostri animus, satis supérque demonstrent. Vigilamus ergo, & quidem eo vno freti, qui tam sæpe nobis stertentibus egit certas & perpetuas excubias. Audimus ad Calend. Ianuarii in Aragonia regni conuentum indictum ex quo constat vix illum ante Martium ad vos venturum. Interea certum est triremes Genuenses & Siculas è portu soluisse, deportando, vt aiunt, Sauonam militi. Non dubito etiam quin optimè omnium noueritis quid in Germania parent nonnulli, siue vt solo venturi illius terrore consternemini, siue quòd re vera sit ille omnia experturus, potiùs quàm Deo volens cedat. Aiunt remissum esse in Hispania nonnihil de inquisitionis rogore. At ego metuo Danaos & dona ferentes, quum satis ostendat res ipsa eundem illis animum esse qui fuit, ac etiam multò magis exasperatum. O miseros principes, qui illinc maximè trepidant, vnde pendet ipsorum securitas: nec minùs vsquam timent, quàm quum eum lacessunt, quo irato ne subsistere quidem ad momentum possunt! Sed his quoque Dominus prouidebit. Velim autē vt ad nos & sæpe & prolixè scribas de iis quæ scire nostra interest. Illud etiam addo, vt si resciueris Emdensis illius tragœdiæ quis fuerit exitus, & nostræ literæ quid effecerint, id nobis perscribere non graueris. Fratres omnes vnà mecū te salutant. Bene vale cum toto fratrum ac symmystarum cœtu. nominatim Dathenum, Taffinum, Iunceū, & Mermerinm cupio meo nomine salutari. D. Iesus te seruet, mi frater, cum bonis omnibus, & sancto suo Spiritu vestris laboribus magis ac magis benedicat. Geneuæ, 28. Nouemb. 1568.

EPISTOLA XXXIII.

REVERENDIS VIRIS, ECCLESIÆ TIGVRINÆ fidis Pastoribus, fratribus in Domino singulariter obseruandis.

FRATRES & symmystæ plurimùm obseruandi, etsi de vestra, miserrimis præsertim istis temporibus, charitate dubitare nec possumus nec debemus, tamen quoniam noua est hæc nostra agendi ratio, causam nostri huius consilii paucis initiò vobis exponemùs. Quæ fuerit Gallicarum Ecclesiarum sub Francisco I. Henrico, & Francisco II. calamitas minimè ignoratis, quibus temporibus vsque adeò benedixit hîc Dominus suorum, ac præsertim beatæ memoriæ viri Io. Caluini ministerio, in cuius labores successimus, vt in hanc potissimùm Ecclesiam tanquam in portum quendam multa naufragorum millia fuerint & eiecta & recepta. Altera Dei Opt. Max. benedictio hæc est penè incredibilis, quòd tam exigua ciuitas recèns nata, Antichristo in primis exosa, nullis sanè opibus foris suffulta, domi à suis lacerata, non modò ad hunc vsque diem singulari Dei beneficio perstitit, verumetiam plurimos pro viribus adiuuit, & ita quidem vt nulli grauis totum hoc onus in se receptum sustinuerit. Rebus autem Ecclesiæ posteà sic in Gallia amplificatis, vt tamen (quemadmodum ferè cōsueuit Dominus gaudia nostra temperare) vnà cum credentium turba, miseriæ quoque & calamitates creuerint, eò tandem deuentum est, vt recipiendis quidem naufragis portus iste adhuc sufficiat, commodè verò alendis non item, absque aliorum subsidio. Præterquam enim quòd ingens est familiarum ex istis tempestatibus enatantium turba, vix centesimus quisque vel tabellā affert ex naufragio. Præterea magnum ex peste, quæ nos tota æstate vexauit incommodum sensimus, interdicto præsertim nobis eorum commercio, quibus vndique, etiam intra teli iactum, circunsessi sumus. Itaque iam annus est, ex quo vicinarum Ecclesiarum subsidium petere coacti fuerunt nostri diaconi, neque id frustrà, quum eas omnes ac præsertim Bernensem, admodū benignas & liberales simus experti, & quidem opportunissimo tempore, cuius beneficentiæ Dominus vltimo die proculdubiò recordabitur. Ecce verò, quum iam speraremus, bellis in Gallia cōpositis, aliquam saltem pacis speciem ad tempus tam miseris fratribus concessum iri, vt vel colligendis sarcinis spatium ipsis tribueretur, ea exorta est tempestas, qua nulla sæuior videtur existere potuisse. Itaque ad vos vsque nunc venimus, fratres, ne identidem simus vicinis molesti: nunquam tamen id facturi, nisi necessitas ipsa non id modò flagitaret, verumetiam huc nos adigeret, inclementi præsertim hac hyeme, in qua præter victum etiam vestitu plurimis pauperibus opus est. Hoc autem petimus, vt quantum id fieri sine vestro incommodo posse iudicabitis (nec enim vos quoque oneribus vestris premi ignoramus) causam hanc, quæ non nostra sed Christi est, tum amplissimo & religiosissimo Senatui vestro, si ita expedire vobis videbitur, tum etiā priuatim quibuscunque aliis pietate & charitate plenis commendetis. Quicquid autem ad nos miseritis, optima fide, fauente Deo, administrabitur, vt neque ipsi decipiamini, neque vlla fiat iis iniuria, quibus hanc operam impendetis. Cæterùm hanc causam pluribus apud vos agere, nostri non est

instituti

institutí, quum de vestra nihilo magis quàm de nostra ipsorum voluntate dubitemus. Precamur autem Dominum (fratres ac symmystę plurimùm obseruãdi) tum vt vestro hac in re studio istic benedicat, tum vt vestras cum nostris preces, pro nuper quidem, singulari Dei beneficio, florentissimi, nunc verò sua culpa miserrimi regni Gallici salute, coniungere pergatis, vt ex hac suæ tyrannidis arce deturbatum Antichristum præcipitem breui ruere cernamus, & communibus votis nouum canticum Deo nostro victori concinamus. Geneuæ, 17. Decembris, 1568.

EPISTOLA XXXIIII.

PETRO RAMO.

ALIVD est verò à P. Ramo siue in paucis siue in multis dissentire, quàm publicam studiosæ iuuentutis eruditionem vsu Logices prohibere, & Dialecticam existimare legitimè exerceri quũ de dialecticis præceptis clamitatur. Illud ego multis sæpe dixi, & ad teipsum scripsi non temere, vt tu putas, neque vel ἐριστικῶς, vel vllo, ita me bene Deus amet, maledicendi studio, sed quoniam tuum istud in summis omnibus & extra omnẽ iudiciorum aleam positis scriptoribus reprehendendis cacoethes probare nunquam potui, ac ne nunc quidem possum. Hoc verò quicunque de me tibi retulit (nec enim hæc te confinxisse existimo) mihi sanè iniuriam fecit. An enim ita me insanire arbitraris, vt vel eam artem vituperem qua rationis ipsius vsus ostenditur, vel vsum ab iis remouendũ arbitrer quæ vsus ipsius causa instituta sunt? Quòd tamen vsum facis ipsius artis magistrum, in eo quoque vereor vt tibi sit assentiendum, quum vsus ad doctrinæ normam exigendus potiùs quàm doctrina ad vsum penitus accommodanda mihi quidem videatur. Petis vt cur à te dissentiam plenè tibi exponam, quia, inquis, de philosophia iudex esse vis, & es philosophici gymnasii moderator. Atqui neutrũ istorum ita est. Quum institueretur hoc gymnasium, dixi vt vnus quispiam qua ratione mihi constituendum videretur. Leges ex communi sententia bonorum & eruditorum virorum pręscriptæ sunt, quibus exercendis quum ad triennium præfuissem, ab hoc onere postea liberatus, vni meo administrando muneri, quod per se grauissimum est, totus incubui, ac nunc etiam incumbo: vt istis tractandis controuersiis nunc vacare ne possim quidem si maximè velim. Miror autẽ à me requiri quod tam multi doctissimi viri tam accuratè & verbis & scriptis præstiterũt, quibus summo consensu tuas in Aristotelem animaduersiones prorsus displicuisse non ignoras. Cum istis si ferre non potes vt à te dissentiam, tuo sanè iudicio fruere. Ego verò contrà in sententia permaneo, salua tamen, vt arbitror, mutua nostra amicitia, nisi fortassis existimas eos inter se tantùm amare, quorum idem sit de rebus omnibus iudicium. Tuam verò tum de meis quibusdam præfationibus tum etiam de meis versiculis sententiam libenter audiam quum voles. Quis sit porrò rerũ nostrarũ status, ex hoc nostro plenissimè cognosces. Geneuæ pridie Cal. Octobris, 1569.

EPISTOLA XXXV.

CASPARI OLEVIANO, HEIDELBERGENSIS ECCLEsiæ fido Pastori, fratri ac symmystæ obseruando.

VALDE me recreat optimi principis rectum iudicium, & constans voluntas, quem & nos assiduis precibus iuuamus. Nec enim dubito quin extrema sit tentaturus Sathan, vt hoc opus quod certam ipsius regno ruinam minatur, quaqua ratione impediat, & in tanta ferè omnium ordinum corruptela facilè inueniat non modò Sophistas versutos & in suam ac aliorum perniciem ingeniosos, verùm etiam Centauros & Cyclopas qui nihil non audeant, vt ipsorum ἀταξίαν nullus interturbet. Ergo quæ nuper ad te scripsi, mi frater, nõ eò spectant, vt hanc tuam acrimoniam in lenitudinem transformes, sed vt duntaxat eousque tẽperes, vt rem per se satis supérque plerisque odiosam, amabilem potiùs quàm terribilem & formidolosam reddas, quantum id quidem fieri potest ac debet. Neque verò mihi dubium est quin hoc ipsum spectes. Sed quum sapientissimi etiam quiuis in alteram partem tum quoque sæpenumero declinent, quum in eo toti sunt vt medium teneant, suspicatus hoc ipsum tibi natura vehementiore prædito vsuuenire, familiariter ea de re te volui commonefactum, ea tamen lege vt tu mecum vicissim non aliter agas, quod ipsum à te etiam atque etiam peto. De rebus nostris video rursum minari nobis pestem in ver proximum, nisi Dominus nostri misereatur, quanquam sanè videtur eorum potissimùm misereri, quos calamitosissimis istis temporibus hinc euocat. N. suo more pergit quasuis occasiones captare, sed paulò apertiùs μάντεις quàm vnquam antea. Hinc coniecturam facito quantopere nobis sint necessariæ bonorum preces. In Galliis nostri rursum copias instaurarunt, & nunc Tholosæ imminent. Hostis aliquandiu suo more nostros ludificatus inani tractatione de pace, quandiu videlicet credidit mittendum nobis è Germania subsidium, nunc demum quasi de integra mox sequutura nostrorum extinctione securus ἐπιχαιρεκακεῖ: nec sanè per eos stabit à quibus deseri nos video, quin ita eueniat. Sed Dominus est in cælis.

Certè vel sola mittendi subsidii simulatio videbatur hostem ad quiduis vltrò concedendum inclinatura. Lege quæso & expende canticum Deboræ, de quo etiam ad Dathenum nostrum scripsi, & experire an quicquam hîc possis, quanquam video potiùs euenturum quod de diebus Noe Dominus noster prædicit. Ista mirabiliter me dies & noctes, sicuti par est, excruciant, vt si Domino ita videretur, nunc sim libentissimè ex hac vita migraturus. Cætera, si voles, ex N. nostri literis petes, quicum nunquam me loquutum memini quin aliquid discerem. Scripsit iam ad me sæpe Dathenus noster de illa iustificationis controuersia, de qua tu quoque iam olim aliquoties. Ego verò vltrò hæc in fumos abitura credidi. Quid enim vanius est quàm iustum arbitrari, qui legē non impleuerit? Atqui lex nō tantum prohibet fieri quod vetat, idque addita mortis interminatione, verùm etiam præcipit quod iubet, idque addita vitæ promissione. Ergo qui pro non peccatore censetur in Christo, mortem quidem effugerit: sed quo iure vitam præterea petet, nisi omnem iustitiam legis in eodem Christo impleuerit? Neque verò id obstat quominus nostra iustificatio remissione peccatorum aptè & rectè definiatur, sicut pleniùs demonstraturum me spero, si opus erit. Multò enim mallem ista sepeliri, quoniam hîc quoque metuo cōtradictionis spiritum, quum iam sit controuersiarum veterum plus satis. Sed de his breui plura, vt spero. Cura interim, mi frater, ne ista sententiarum repugnantia pariat etiam animorum alienationem, quod vnum præcipuè captare Sathanam non ignoras. alioqui si quantum ex vna parte ædificatur, idque tanta cum difficultate quantam quotidie experiris, tantundem ex altera diruatur, quò tandem res sit euasura tute satis intelligis. Spero tamen meliora, sed quid metuam significo. Bene vale, charissime frater, & fratres meo nomine saluta. D. Iesus vos istic custodiat, sanctisque vestris laboribus magis ac magis benedicat. Geneuæ, Idibus Februarii, 1570.

EPISTOLA XXXVI.

P. RAMO.

MALLEM ex te ipso tuum hoc de ornanda nostra schola consilium, quàm ex amicis intellexisse, minimè id quidem quòd abs te vel quoquam alio rogari velim, vt homines ambitiosi solent, sed quòd inde coiiciam te nonnihil de meo in te animo dubitare cœpisse. Atqui præter quàm quòd hoc parum Christianum est, sic etiam id esse à moribus meis alienum, vt nihil suprà, possum tibi sanctè in Domino affirmare. Itaque etsi in nonnullis quæ ad nostras literas pertinent valde à te dissentio, amo tamen eruditionē tuam, amo facundiam & multas egregias virtutes quibus tuum hoc ingenium Dominus exornauit, nec optarim quicquam potius quàm & tibi gratificari, & huic scholæ simul prodesse. Duo tantùm obstant quominus quod optas, & nostrum collegium alioqui vehementer cuperet, commodè nunc confici posse videatur. Vnum, quòd nullus nunc sit in schola vacuus locus, nostrorum verò tenues adeò ac penè nullæ sint facultates, vt nec augere possint professorum numerum, nec constitutis antea stipendiis, quæ sanè perexigua sunt, quicquam adiicere: alterū, quòd nobis certum ac constitutum sit & in ipsis tradendis Logicis, & in cæteris explicandis disciplinis ab Aristotelis sententia ne tantillum quidem deflectere. Hæc ad te ingenuè scribo ex vetere formula, Inter bonos bene agier oportet. Quòd si nihilominus tibi videatur ad nos vsque excurrere, gratus sanè veneris, neque te, vt spero, Geneuā saltem vidisse, & amicos ac veteres discipulos quos hîc plurimos habes, salutasse pœnitebit. Cal. Decembris, 1570.

EPISTOLA XXXVII.

VILLERIO, RHOTOMAGENSIS ECCLESIAE fido Pastori, ac symmystæ charissimo.

GAVDEO hanc mihi ad te scribendi occasionem oblatam, primùm vt tibi significem tuas mihi redditas esse, de quibus magnam tibi gratiam habeo: deinde vt te vicissim faciam rerum nostrarum certiorem. Sed vtinam in ea tempora incidissemus, quibus tranquilliora & nostræ illi doctrinæ pacis & patientiæ accōmodatiora scribere possemus. In Gallia instauratus est satis feliciter nostrorū exercitus. Nemausum, dedita iam etiam arce, tenent nostri, & aliquot præterea ad Rhodanum oppidula. Vezelios, patriam meam, mirabiliter tutatus est Dominus, ter repetita obsidione. Biturigibus quos proditione capere se posse nostri sperabant, aliquid cladis acceptum est, sed admodum leue fuit hoc damnum. Sacrum Cæsaris & Charitatem ad Ligerim, magis ac magis communierunt nostri, & Orillaeum quoque apud Aruernos. Interea latè sæuit belli tempestas, cuius ne nunc quidem finis apparet. Etsi enim nullus ferè dies abiit, quin nuntius de pace afferatur, tamen præter quàm quod, vt inquit ille, metuo Danaos & dona ferentes, quum altius assurgo, & nostros video tam licentiose prophanare bella Domini, etiam flagellis toties castigatos, quid sperem non habeo, nisi quòd

quod ſcio Eccleſiam humanis conſiliis non regi,& quanuis in profundum merſam enatare. Interim aut ego fallor(& vtinã fallar)aut quod opus cœpit Dominus, & magna iam ex parte perfecit,abſoluet tota illa priore generatione hominum ſublata, vt mundum veluti de integro toto Galliæ regno inſtauret. Sed quum in ira aduerſum nos ſua maximam eorum partem iam ſuſtulerit quos oportuit eſſe ſuccedentis ſeculi gubernatores, eorũ videlicet qui fama tantùm acceperunt τὰ τῶν θείων μεγαλεῖα,quid fiet naui prudentibus naucleris deſtitutæ? Siue igitur pax domi aliqua futura eſt,quam ego ſanè qualemcunque, ſalua religione, cuiuis bello antepoſuerim: ſiue perſeuerabit os gladii donec omnia cædi deſtinata deuorarit,magna & peculiari patiẽtia ſuperſtitibus opus erit,quam etiam certo ſcio Dominum rectè petentibus minimè denegaturum. Nos in hoc velut hirundinis nidulo noſtrorum montium rupibus affixo viuimus ſanè beatè, ſi modò bona hæc noſtra ſolida eſſent,id eſt,niſi noſtra eſſent mala quę reliquum corpus affligunt. Et tamen niſi hæc eſſet inter nos συμπάθεια,certè beati non eſſemus. Dico igitur & agnoſco nos eſſe dupliciter beatos,& quia hunc veluti receſſum adhuc præparauit Dominus in quem acerbiſſimæ illæ tempeſtates nondum penetrarunt, & quia datum eſt nobis ἐξουσίαν precibus & lachrymis duntaxat pugnare. Senſimus tamen aliquid ex peſtis malo,quod iam apud nos eſt τριτὸς,& minatur aliquid in quartum annum,vicino etiam,quantum poteſt, afflictionem addente afflictioni. Sed ne commemoranda quidem hæc ſunt, præ iis quæ ſubeunt tot miſerrimorum fratrũ myriades. Schola noſtra bis interrupta eſt. Nunc rurſum vehementer excreuit. Vrbs exulibus,iiſque ferè calamitoſiſsimis omnibus redundat,& niſi ſuccurriſſent nobis vicinæ Heluericæ Eccleſiæ (quàuis quod de Achaicis Eccleſiis teſtatur Paulus, poſsim & ego,pro noſtro modulo de noſtris teſtificari)pereundum multis fuiſſet. Imò nunc quoque valde laboramus. Ego & omnes collegæ,Dei beneficio,valemus, & quos Dominus ad peſte correptos conſolandos delegit etiam omnes adhuc ſeruauit. In hoc ſtatu rerum nihil æquè me affligit atque perpetuus mœror, quem etiam neceſſarium eſſe arbitror. Ago interea nõnihil, etiam præter quotidianum meum munus: ſcribo,meditor quantum licet. Dominus quum bonum erit, dabit ſuis relaxationẽ in hoc ſeculo,aut potiùs quietem in altero perpetuam. Ego certè, Dei beneficio,ad vtrumuis ſum comparatus. Ὁ αἰὼν miris modis ſeſe & nos verſat. Omnia tamen adhuc in bonũ exitum conuertit Dominus,& ad extremum,ſicuti ſperamus,cõuertet. In Italia certum eſt gliſcere bellum inter Antichriſtum & Florentinum aduerſus Ferrarienſem. prætextus eſt Mutina & Regium, quas vrbes iſte Diuo Petro ſcilicet eripuit. Venetos arbitramur ſeſe cum Ferrarienſi neceſſariò coniuncturos. Vtinã potiùs omnes Filium mallent oſculari. ſed iuſtus eſt Dominus. Sic fortaſſe fiet vt pugnantibus inter ſe lupis, grex ouium tantiſper aliquid tranquillitatis obtineat. Genua ſcribitur ingentem Conſtantinopoli mox exituram claſſem, captum à Mauris Timetum vulnerato rege, & in Goletæ præſidium compulſo, cui vix ſubſidium ferre poſſit Hiſpanus, domi plus ſatis occupatus. Sic rurſum fortaſſis Dauidem liberabunt Paleſtini. Vtcunque res ceſſura ſit, ſeruiamus Domino,& bene nobis erit. Hæc eſt vnica ſpes & conſolatio mea. Nuntii iſtinc allati magnopere nos ſolicitos tenuerunt: fama & quorundam literæ nos poſtea recrearunt. Quia tamen hęc incerta ſunt,adhuc hæremus. Idque eo magis quòd donec obſtruatur fons & origo omnium iſtorum malorum,vix audeo ſperare plenam iſtic tranquillitatem fore. Feceris autem nobis gratiſſimum,ſi pleniſſimè,quantum quidem licebit,ad nos interdum de his rebus ſcripſeris,vt nos magna ſolicitudine liberes,vel noſtrum ad concipiendas preces ſtudium exacuas. Ceuallerium noſtrum gaudeo non tantùm iſtic ſaluum eſſe,verùm etiam tanto cum fructu eſſe. Prouocauit me ternis literis. Ego bis tantùm reſcripſi. Rogo vt me apud eum excuſes quòd duos parietes ſtudeã hac vna fidelia dealbare. Quum enim ad te ſcribo,videor etiam ad illum ſcribere,qua in re velim vt tu mihi infinitis penè ſcribendis literis occupato gratificeris: & has ipſas literas cum eo communicare,ſi tecum eſt,aut ſi abeſt,ad eum etiam mittere ne grauare, vt me nouerit gratam ipſius memoriam ſeruare, quemadmodum illum,& bonos iſtic omnes qui me norunt, huius Eccleſiæ ac ſcholæ, ac nominatim etiam, pro beneuolentia in me ſingulari ſua, mei aſſiduè apud Dominum memores eſſe confido. Cæterùm qui has tibi literas reddidit, Ioannes Franciſcus Caſtalio Locarnenſis (quam vrbem noſti multa pro Domino iampridem eſſe perpeſſam) quum à nobis iſtuc diſcederet quorundam negotiorum cauſa,petiit,vt ſeſe alioquin iſtic omnibus ignotum in fratrum amicitiam inſinuarem. Bonus eſt,& dignus quem boni ament. Itaque velim tibi vſque adeò eſſe commendatum, vt heroi etiam noſtro innoteſcat à quo tamen priuati beneficii nihil petit. Bene vale,mi frater. Dominus Ieſus te & ſuæ iſtic Eccleſiæ reliquias porrò magis ac magis conſeruet. Amicos velim ex me omnes nominatim ſalutes. Geneuæ,24. Februarii,1570.

EPISTOLA XXXVIII.

N.

TANDEM ſalutationem à te poſt tot annos accepi, ſi modò ratũ habes quod ad me N. noſter ſcripſit. Vnde verò tam pertinax ſilentium? Si hoc ex pudore eſt (habes enim certè quod te meritò pungat,niſi vehementer fallor,quoties de hac Eccleſia cogitas)bene eſt,& nobis eſt pleniſſimè ſatisfactum. Sin minus. Sed nolo malè quicquã ominari, ne me exiſtimes μεμψίμοιρον. Etſi enim profectò non egiſti mecum vt fratrem decuit, teſtis eſt mihi tamen Dominus vix vnquam mihi vel in mentem veniſſe vt de violata fraternitate

tecum expostularem. Longè alia me pungebant, de quibus adhuc valde miror te non satis seriò cogitare, ne ab Ecclesia quidem, vel potiùs, nequid hic offendam, à tuo Presbyterio commonefactum. Ab hac certè Ecclesia, ac præsertim à fideli seruo Dei, cuius memoriam oportuit pluris à te fieri quàm improbissimi & damnatissimi hominis (quem antea stultissimum duntaxat putaram) insana deliria, nihil vnquam iniuriæ accepisti, beneficia fortasse multo plura quàm vnquã referre possis. At tu contrà quid rependeris, satis nosse debes. Ignosce, frater. Non hi sunt Christiani hominis, nedum Pastoris, mores. Non excidet coram Deo quod aliis inculcas ex tuo munere, sicut scriptum est Matth.5.vers.23,& 24. ac ne illud quidẽ Iacobi 4. 6. Vtinã hæc satis seriò mediteris tandẽ, & quos tristitia affecisti, exhilares. Bene vale. D. Iesus te custodiat ab omni malo. Geneuæ, 9. Martii. 1570.

EPISTOLA XXXIX.

PETRO MELIO, FRATRI OBSERVANDO, VERITAtis apud transyluanos & Polonos, fortißimo propugnatori.

PRIMVM omnium, mi Meli, fortem hunc animum tibi à Domino, confirmãdę reliquorum fratrum fidei causa cõcessum gratulor, & æternum ęterni Filii Patrem precor vt his tuis laboribus magis ac magis benedicat Spiritu sancto suo, vt istic quoque profligatis omnibus blasphemiis Christus in sanctis suis vincat & triumphet. Cæterum libellos tuos mihi redditos esse scito, sed ita intempestiuè vt prælo subiici ante nuper elapsas nundinas nulla ratione potuerint. Ecce verò quum iam ad opus sese Crispinus noster accingeret, filiam primùm vnicam, eámque grauidam, mox etiam vxorem ex peste amisit, quibus cladibus ita nunc vexatam illam familiã video, vt de operis ad proximas nũdinas editione prorsus desperarim, idque magno meo dolore, qui expedire videam vt istorum portẽta omnibus patefiant. Tuam in illorum argumentis colligendis diligentiam, in refellendis solertiã probo, etsi interdum aliquid in responsionibus, & quorundam locorum expositionibus desidero. Scis enim veteres, partim Gręcæ editionis erroribus & Hebręę linguæ ignorantia deceptos, partim in tuẽdam veritatem vuicè intentos, quædam interdum Scripturæ testimonia detorsisse, à quo nobis etiam atque etiam cauendum puto. Vtar igitur eo iure quod tu mihi tribuis, &, quandoquidem ita vis, quædã meo iudicio conabor ex bonis meliora, si possim, efficere. Si adfuisset noster Thurius, aut Paxius, multùm me iuuissent in diiudicanda tua κακογραφίᾳ, cui dandum erit etiam temporis aliquid vt puriùs omnia rursum describantur, quibus operæ Typographicæ vti possint. Sed vt paucis omnia, scito me operam daturum pro viribus, vt bono & honesto desiderio tuo satisfiat. Athanasii quinque illos Dialogos nunquã antehac editos, & aduersus has ipsas hæreses scriptos, vnà cum Latina versione mea, iam absoluit Henricus Stephanus noster, quibus iam adiunguntur quinque illi doctissimi & sanctissimi libri Basilii illius verè magni aduersus Eunomiũ, quos itidem Latinos quoque facio. Vetus enim interpretatio tã barbara est & inepta, vt à quoquam intelligi potuisse mirer. Spero autem vtilissimos fore hos libros Ecclesiis, non modò propter singularem pietatem & eruditionem, verumetiam propter auctorum vetustatem ac dignitatem, vt omnes videant nihil ab istis perditis nunc proponi, quod nõ sit à pura vetere tota Ecclesia millies refutatum ac damnatum. Postea, si opus erit, nostra etiam edentur, quanquam, vt arbitror, nihil opus erit, nisi fortè ad testandum nostrarum Ecclesiarum consensum. Sed velim nos omnes in precando Deo quàm diligentissimos esse, vt hostes nominis sui ipsemet disiiciat, & istam spiritus erroris efficaciam longiùs progredi non sinat, quemadmodum meretur hominum perfidia, etiam eorum maxima ex parte, qui sese Euangelicos profitentur. Seruet nos denique Dominus in diebus istis malis, nec rursus extingui sinat inter nos Verbi sui facem, Amen. De rebus nostris, pergimus feliciter, Dei gratia, summa cum animorum concordia. Crescit hæc nostra schola mirabiliter, sed, quod planè miserabile est, ex multarum aliarum ruinis. Pestis reliquiæ, quanuis paruæ, nonnihil tamen opus nostrum remorãtur. Spero etiam Dominum cui seruimus, omnes malorum conatus nunc quoque infracturum, & hunc orbis terrarum angulum, vt sit aliquot pauperibus suis perfugium, pro bonitate singulari sua conseruaturum. In Gallia pergit omnia vastare crudelissimi belli calamitas. Nostri adhuc subsistunt mirabili Dei omnipotẽtis virtute fulti. Multos absumpsit gladius, multos morbi sustulerũt & incredibiles labores. Quis sit exitus secundum carnem futurus, tempus patefaciet: secundùm spiritum iam victores sumus, etiam patiendo. Sedente certè ad clauum illo Cardinali, nihil aliud quàm ipsius nauis naufragiũ expectandum videtur. Sed hæc, agè, Domino committamus. Bene vale, vir eximie, & frater charissime, vnà cum omnium orthodoxorum fratrum cœtibus, quos velim vt & meo & nostri totius collegii nomine saluere iubeas. Precamini pro nobis assiduè, vt & nos vicissim pro vestrarũ Ecclesiarum pace precamur. Geneuæ, 18. Iunii, anno temporis nouissimi 1570.

EPISTOLA XL.

CHRISTOPHORO THRETIO, FRATRI ET amico singulari.

BINAS tuas literas diu expectatas simul accepi, mi frater: vnas superiore Ianuario, alteras Martio scriptas, vtrasque sanè gratissimas eo nomine quòd te saluũ esse nuntiarint, cum alioqui tristia multa complectantur, cuiusmodi ferè sunt hodie omnia quæ cernimus & audimus. Ceterùm causa non erat cur tuum illud diuturnum silentium tam solicitè apud me excusares, qui de tuo in me animo non sanè magis quàm de meo ipsius possum dubitare. Tantum molestè ferebam nescire me tandiu neque vbi esses, neque quid rerum ageres, adeò, vt nequid tibi humanitus euenisset valde metuerem. Sed bene est quòd meũ tandem desideriũ expleuisti, de quo tibi magnas gratias ago. Cæterùm valde sunt horrenda quæ de perditis vestris sectariis narras, illud tamen boni video tot malis inesse, quòd magis ac magis prodita ipsorum insania, minùs ad fallendum idoneos fore confido. Regię Maiestatis consilium de compescendis sectis valde probo, modò ne tam sit irritum quàm edictum illud quo iampridem illarum authores è regno suo extruserat. Est tamen, fateor, illud metuendum de quo scribis, nimirum ne boni quoque cum malis inuoluantur. Sed tamen nõ dubito quin Deus babeat suorum rationem. Et prius omnino agendum erit de sectarum auctoribus, communibus omnium & à vetustis nouisque omnibus Ecclesiis sine controuersia damnatis hostibus, si non vt ipsorum blasphemiæ horribiles merentur plectendis, at certè tam procul ablegãdis, vt Poloniæ ampliùs non noceant. Alibi certè, nisi fortè in Transyluania recipiendos non arbitror. Vtcunque sit, certandum est absque fatigatione, vt illorum in malo pertinaciam nostra in bono constantia tãdem debellet. Itaque magnopere laudo D. Melii studium indefessum, cuius illustre specimen exhibẽt libri quos ad me missos accepi. Quid antem in causa sit cur ne proximis quidem nũdinis prostare possint, pluribus ad eum perscripsi. Athanasii dialogi illi iam sunt excusi, sed eis adiungi volui illos excellentissimè scriptos Basilii verè magni aduersus Eunomium libros, Latinè itidem à me conuersos. Spero autem hunc meum laborem sanctis omnibus & iucundum & vtilem fore. Admoui & ipse manus huic operi, quamuis, meo iudicio, D. Simlerus noster perfectè hoc argumentum pertractauit, tantùm vt fidem vobis datam liberarem: sed cohorrui totus ad blasphemias quas isti à maioribus suis acceptas è pessimis etiam deteriores reddiderunt. Opus igitur ad tempus abieci, quod quum postea repeterem, venit mihi in mẽtem facturum me operępretium, si semel distributè & enucleatè omnes aduersus ipsam Christi personam excitatas hæreses complecterer, & ipsa Sathanæ μεθοδείας certa μεθόδῳ explicata, malis semel istis omnibus quatenus possem occurrerem. Opus hoc statuo nec immensum esse nec difficile, quum in his rebus exponendis luculentissima sint veterum quoque scripta. Sed quadam mihi ad hanc rem & alias multas, animi tranquillitate opus esset maiore ac constantiore, quàm & hæc mea functio, & hic locus, & hæc tempora mihi concedant. Faciam tamen spero, quod dabit mihi Dominus vt faciam, & negligentiæ saltem culpam præstabo. Editus est superioribus nundinis prior theologicarum mearum lucubrationum Tomus: editus quoque est theologicarum quæstionum libellus. Hæc ipsa mitterem istuc quoque modò, nisi ad vos perlata mihi persuaderem. Etsi enim hæc nostra scio non esse magni momenti, quum ab aliis copiosè sint explicata, & conscientia nunc mundus egere potiùs quàm scientia videatur, tamen cupio bonorum & doctorum de meis laboribus iudicia audire, ne saltem noceam dum prodesse volo. Venio ad nostrum illum. Eius ad me literas vnà cum binis illis tuis extremo mense Maio accepi, sed ante annum scriptas. Nam ex quo mea poëmata ad illum misi, nihil prorsus ab ipso accepi. Vehementer autem te rogo faxis vt quid hoc rei sit intelligam, id est, an ad illum nostra peruenerint, & cur ipse ad me ne γρῦ quidem tanto temporis interuallo, nisi fortasse illorum fraude de quibus scribis, interceptæ sunt aliquæ ipsius ad me literæ. Valde doleo quòd illas tam serò acceperim. Video enim hominem iam tum fuisse valde perturbatum, & vereor ne quid postea deterius acciderit. id quod ego multis de causis ægerrimè ferrem. Respondeo igitur illi non copiosè modo, verùm etiã prolixè, & quidem ea moderatione, ni fallor, adhibita, vt ædificari posse, confidam, offendi verò nõ item: nulla prorsus nec tui nec alterius facta mentione, quum ille mihi iustum de re tota disserendi argumentum vltrò præbuerit, & generosa hæc ingenia satis norim nulla re magis quàm intempestiua seueritate irritari. Curabis igitur vt meæ illi reddantur, & si quid responderit, tutò ad me perferatur. ac etiam eorum me commonefacies quæ nostra intererit scire, ne nostra negligẽtia tantus vir pereat istorum cassibus inuolutus. De Venturini nostri negotio, rogo vt pio & honesto viro adsis cõsilio, & iis omnibus quæ ipsi profutura existimabis, ne diutius à familia abesse cogatur. Quod ad res nostras attinet, pergimus feliciter, Dei beneficio, concordes. Crescit schola, sed ex aliarum multarum ruinis. Magnus pauperum etiam ministrorum & studiosorum numerus concurrit, vt pares huic oneri tamdiu sustinendo non simus, quamuis Helueticæ omnes Ecclesiæ liberaliter nos iuuerint. Scis Paulum hanc ob causam aliquando Corinthum vsque excurrisse, vt Hierosolymitanæ Ecclesiæ subueniretur. Siquid istic efficere eiusmodi poteris, scito hanc oblationem valde opportunam fore. Scribo tamen hoc verecundè, & ita vt arbitrio tuo & fratrum rem totam relinquam. Pestis quartum iam annum nos exercet, nunc tamen admodum

leuiter, nec quisquam alicuius nominis nobis est ereptus. Ea mihi inoidit longiorem cum D. Thurio & D.Paxio consuetudinem, quod maximi damni loco à me ducitur. In Gallia video crescere magis ac magis incendium, iusto Dei iudicio. Mitto ad te histotiam tertii huius belli breuiter nec sanè(vt arbitror) accuratè scriptam, vsque ad superiorem Decembrem. Ab eo tem pore nostri copiis felicissimè instauratis Tholosanum agrum valde infestarunt: inde ad Rhodanum vsque progressi, occupatis aliquot passim oppidis & arcibus, in quibus præsidium reliquerunt: nunc sunt Lugduno proximi, inde vt opinor, in Burgundiam ascensuri. Caeolycorum castra trans Ligerim sunt in Aruerniæ finibus. Interea totos sex menses & ampliùs de pace deliberatum est, missis vltrò citróque legatis. Nihildum æqui & sancti obtineri potuit, vt ego quidem pacem nullam, nisi debellatis hostibus, ausim sperare. Hoc autem vnus Dominus suo tempore efficiet. Bene vale, mi frater vnà cū omnibus bonis, quos velim meo & totius nostri collegii nomine salutare. D. Iesus vos custodiat ab omni malo, & propter sanctum nomen suum opus suum perficiat inter vos. Geneuæ, 18. Iunii, 1570.

EPISTOLA XLI.

N.

AIs tibi probari traducis animæ dogma, auctoribus veteribus Theologis non paucis. Ego illud prorsus repudio quod & veteres plures reiecerunt, & Ecclesia Christiana iam pridem communi consensu explosit. Quin & ille philosophorum princeps Aristoteles mentem fatetur θύραθεν immitti. Si rationes requiris, vide quid sis ad hæc responsurus. Si traduci vis totam substantiam, interierit statim quisquis generarit: sin partē duntaxat, quinam simplicissimam substantiam in partes secueris? Quod si qualitas duntaxat traducitur, nempe non erit substantiale quiddam anima, sed accidens corpori tanquam subiecto inhærens & interitu subiecti pariter euanescens. Quòd si tum ex patris tum ex matris anima quidpiam traducitur, ex quo anima altera conflatur, quænam erit, obsecro, particularum istarum veluti ferruminatio? Vides ergo quàm absurda ac etiam impia (sic enim animæ natura vere spiritualis, eiusdémque immortalitas tollitur) istud dogma sequantur, quod mirum est ab eius defensoribus non fuisse meliùs animaduersum. Sed age, istius etiam rei veritatem ex ipso Dei verbo eruamus. An probabile est Deum peculiarem illam in homine creando rationem secutum, eâdem qua cætera bruta ratione multiplicari hoc animantis genus voluisse? & quot testimoniis tum simplicissima substātia, tū immortalitas animæ humanæ adstruitur, an non totidem etiam omnibus corporeis perpessionibus eximitur? Ecclesiastes autem ille quum corpus quidem dicit in terram vnde sumptum est reuerti, spiritum autem ad eum redire qui dedit illum, num ista distinctione temerè vsus est? Nam alioqui corpus etiam est Dei donum, quum generatio fit ex Dei beneficio, neque omnibus hominibus communis. Et ne quis cauilletur Ecclesiasten de primo duntaxat illo homine sic loqui, præterquam quòd totus ille locus ostendit non de vno quopiam, sed de singulorū hominū conditione illic disseri, audiamus Apostolum in epistola ad Hebræos, patres carnis à patre spirituū (spirituum inquam, non spiritus) distinguentē. Zacharias verò propheta ca. 12. vbi Deum dicit (non præterito, sed præsenti tempore vsus,) extēdere cælos, fundare terram, creare spiritum in medio hominis, manifestè demonstrat illam ipsam Dei virtutem in extendēdo cælo, tum in sustinenda terra, tum in creanda hominū anima adhuc vigere & ἐνεργεῖν. Audiamus iam quid in contrarium affertas. Non dicitur Dominus animam Euæ extrinsecus indidisse. Concedo. Sed non dicitur etiam aliud quàm costam ex Adamo sumpsisse. Adiicis igitur illud Mosis narrationi ex quo tuum dogma elicis. At ego sentio id quod de maris creatione dictum fuerat, in fœminæ opificio per se satis intelligi, ideóque eius voius mentionē factam quod in fœminæ opificio proprium fuit. At, inquis, cessauit Dominus die septimo ab omni opere? Imò sic cogeris hoc interpretari, vt tamē otiosum esse Deū dicere nō possis, quin ista Christi verba te redarguant, Pater operatur quotidie & ego operor. Nempe rursum dices, Cessauit, id est, desiit aliquid facere ex nihilo. Imò si verū hoc esset, à primo statim die cessasset Dominus, vt qui reliquis quinque diebus, excepta hominis anima, nihil nisi ex præiacente materia condiderit. Quid igitur? nempe destitit Deus septimo die non ab omni opere, sed ab omni eo opere quod fecerat: vt qui mundum omnibus partibus ac numeris suis absoluisset. Interim eadē illa vis sic in omnibus illis conseruādis viget, vt etiamsi ex nihilo creet animas hominū, nō magis tamē adiiciat quicquā perfecto illi operi suo, quàm quū eiusdem speciei indiuidua vel ex semine suo, vel ex corruptione sine semine producit. Sed toti homini, inquis, dictū est, Crescite & multiplicamini. Fateor, ideóque vi huius promissionis ex homine homo prodit. At num Maria Christū etiam secūdum deitatem ex sua substantia genuit, quia Deum & hominem peperit? Ergo, inquis, homo non fuerit perfectum animal. Imò quia altera sui parte perfectior est reliquis animātibus, ideo excellentiore dono Dei, quod ad hanc partem, animam videlicet, attinet multiplicatur. Nū enim angelicam naturam ideo credideris corporeis substantiis imperfectiorem, quòd propagari non possit? Sed, inquis, nisi hoc dogmate posito quînam dicetur peccatum originis animam peruadere? Mihi illud satisfacit quòd Adamus sibi & suis illam integritatem amittens, illi corruptioni & reatui sese obnoxium reddiderit, ideóque anima quo momēto corpori adiūgitur, tum à Deo

à Deo ex iusto ipsius iudicio deserta, tum impuri vasis acore inquinata hanc labem soli creatoris misericordiæ sanabilem contrahat. Denique quum nos iræ filios nasci Deus testetur, & experientia satis superque probet: hoc nostro tabernaculo iam deflagrante, non quâ sit ignis immissus, sed qua ratione statim restingui possit nobis cogitandum puto. Num enim, obsecro, sapete quempiam existimaueris, qui domo sua incensa, non de restinguendo incendio laboret, sed qua ratione cœperit hæc vel illa pars domus ardere curiosè peruestiget? Et, quæso, si omnium quę piè & meritò credimus comprehendi à nobis rationem posse existimas, quæ tandem fides Christianorum fuerit? Itaque etiam atque etiā te moneo vt in iis potius cognoscendis, quæ verbo Dei scripto traduntur, quàm in eorum ratione extra illud verbum perscrutanda labores. Quòd sicubi hæsites, tum ad dissoluendum nodum minimè adhibendam esse in consilium rationem illam nostram putato: (quînam enim cæcus de coloribus iudicarit?) sed locum vnum ex alterius collatione, omnes denique interpretationes ex fidei analogia diiudicato. Hanc viam si institeris, minimè vereor ne te consilium istud cepisse vnquam pœniteat. Contrà verò postquam in quærendo hoc vel illo teipsum quàm diutissimè fatigaueris, hoc vnum assequutus fueris, vt de omnibus etiam certissimis dubitare incipias. Geneuę, Cal. Aprilis. 1571.

EPISTOLA XLII.

GVLIELMO GRATAROLO, MEDICO.



MI Gratarole, accepi literas tuas vnà cum libris, de quibus magnam tibi gratiam habeo. Fecisses autem mihi longè gratissimum, si librum illum Cœlii de amplitudine regni Dei, apud Rhætos excusum, misisses sicut postularam, rogóque vt quum primùm id fieri poterit, eum ad me perferendum cures, cuius pretium noster hic tibi Crispinus numerabit. De Pomponatio, nondum mihi licuit librum inspicere. vbi legero, liberè ad te scribam quid de eo mihi videatur. De confessione illa, idcirco non miseram ad te eius exemplar, quòd putarem vbique iam peruagari, propter plurimas ad me multis ex locis literas ea de re perscriptas. Me verò nondum potuit pœnitere eius tanquam à nobis extortæ, quum minimè sit à nobis extorta, sed ita ferente legationis nostræ ratione exhibita, vt principes intelligerent quæ sit eorum fides pro quibus illorum opem requirebamus. Quòd aduersariis, quos vocant, placuerit, nostrorum autem quibusdam displicuerit, vtrunque sanè præter omnem expectationem accidit. Sed tamen mea me conscientia sustentat, & scio nos vberiores inde fructus iam esse consecutos quàm vt illius me pœnitere possit. Facile est aliena scripta torquere, præsertim iis quibus suspectum est quicquid aduersariis probatur, quíque non satis expendunt neque quibuscum nobis negotium esset, neque quis scopus propositus, nempe animos exulceratos mitigare, & ad colloquium præparare: quod quidem ita nobis successerat, vt neglectæ occasionis minimè possimus accusari, & tamen aliquid futurum adhuc speremus. Hæc qui non considerant, facilè nimirum omnia pro suo arbitrio interpretantur. Hoc tamen profiteri possum quod etiam tueri sum paratus, nulli rei nos magis studuisse in hoc scripto, quàm vt perspicuè, & tamen accommodatè omnia explicaremus, quod tandem, vt spero, ii etiam intelligent quibus ista nunc non placeot. Eius porrò exemplar Crispinus noster tibi suppeditabit. Hoc vnum addam, cupere me magnopere non tantùm intelligere quibus displiceat, sed multo magis quid cui displiceat, qua in re mihi feceris gratissimum, si ad me quorumuis iudicia diligenter perscripseris. Bene vale, mi optime frater.

EPISTOLA XLIII.

CLAVDIO SPENSAE DOCTORI *Sorbonico*.



ETsi variis de me rumoribus qui isthic circunferuntur non soleo magnopere commoueri, postquam tamen audiui te quibusdam literis meis adeò grauiter offensum, vt de ea re apud multos sis conquestus, putaui eius facti mei rationem paucis tibi exponi oportere. Te igitur offendit, vt audio, quòd in quibusdam literis quas ab hinc sesquiannum scripsi ad hominem mihi amicissimum, non tantùm mentionem fecerim tui ad Geneuensem Ecclesiam aduentus, sed te quoque licet ignotum mihi, tanquam leuem & inconstantem reprehenderim, quæ deinde literæ ad Senatum peruenerint, adeò vt veluti in iudicium eo nomine sis accersitus. Hanc querelam si ex te ipso audiissem, possem fortasse planiùs & breuiùs respondere, sed quoniam absens eam cognoui, eas tantùm coniecturas persequar quibus te suspicor commoueri potuisse. Primùm si eas literas scripsisse me arbitraris tanquam ad Senatum peruenturas, magnopere certè falleris. eo enim consilio scripsi vt homini mihi quondam amicissimo cauerem, qui quum accusaretur tanquam profectionis meæ conscius, fateor hoc me tribuisse summæ in illum beneuolentiæ meæ, vt eas ad illum literas darem ex quibus in-

Yy.i.

telligere possent nonnulli me ea voluntate è Gallia non discessisse, qua multi suspicabantur. Quia verò boni quidam viri ad me paulo antè scripserant, te simulátque Lutetiam reuersus ab amicis tuis esses rogatus, ecquid Bezam Geneuæ conspexisses, respondisse te eo ipso die Geneuæ fuisse quo vxorem duxissem, adeò vt nulla res æquè vel amicis vel mihi illbic nocere potuerit: hæc, inquam, ad me quũ essent relata, cogitare nimirũ cœpi quo pacto tuum illud testimonium eousque saltem eleuarem, vt mihi & meis fraudi esse non posset. quod ego quidẽ ita videor præstitisse vt non celarim id quod res erat, & dignitati etiam tuæ melius cauerim quàm ipse feceris. Nolebam, dices, hanc meam ad vos profectionem palàm fieri. at tu ipse quum de me loquereris, primus eam prodidisti. Ego verò qua ratione suspicari potui te id celatũ velle quod primus indicasses? At amicis tantùm dixi. ego quoque priuatim ad amicum scripsi. At cogitare debuisti eas literas in multorum manus peruenturas. & tu quoque existimare potuisti quod paulò post accidit, fore vt palàm fieret quod in aurem dixisses. Itaque si dici possum imprudens qui tam temere scripserim, vide ne tu in loquendo inconsideratus fueris. At (inquis) hominem tibi ignotum qua tandem fronte leuem & inconstantem dicis? Ego vero miror illud tibi non venire in mentem quod omnibus est perspectum, eam esse videlicet de nobis qui hîc versamur opinionem apud illos quorum suspicionem reformidas, vt eos demum probent quos à nobis sciant reprehendi, nostrámque amicitiá pro summo crimine obiicere soleant. Itaque si velim, affirmare possum nulla re magis quàm hoc testimonio me tibi gratificari potuisse. Sed aliam defensionẽ paro. Liceat enim mihi apud te παρρησιάζειν vt verum tandem audias. Falleris si te mihi ignotum esse putas. Audiui te centies Lutetiæ concionantem quo tempore parochus à sancta cruce turpem illam palinodiam cecinit. audiui, inquam, iis temporibus de te multa, atque vtinam eum semper cursum tenuisses. Iam enim in portu consisteres, aut ab eo certè propiùs abesses. Quæ paulò post secuta sunt prætermitto, nec enim cuiquam sunt ignota. prætermittantur ergo, atque etiam, si vis, condonentur: ecquis enim est in cuius anteacta vita non possint infinita reprehẽdi? Sed vbi mutatio in melius? an iis te sacrilegiis pollutum esse negas, quæ si ponãtur, tolli Christi sacrificium, & eam ipsam quam toties asseruisti ex fide iustificationem inanem esse oportet? Et miraris si ad amicum priuatim scribens leuem te & inconstantem appello? Atqui, ne sis nescius, eos ego qui quum Dei veritatem degustarint, laruis deinde nescio quibus perterriti, etsi apertè non deficiunt, medium tamen quoddam iter somniant, vereor ne non satis sit inconstantes vocare: eos verò qui quum in his sordibus scientes volutentur, suum tamen factum tueri pergunt, eos, inquam, ego perfidos Apostatas dicere non erubesco, atque si id facere dubitem, perfidiosus sim ipse necesse est causæ Christi desertor. Itaque etsi illa propriè non scripsi animo accusandi tui, tantum abest tamen vt eius me notæ pœniteat qua te aspersi, vt potiùs verear ne mollior sit ista vox quàm perpetua ista tua in vtranque partem claudicatio mereatur. Hîc fortasse obiicies sollẽne illud NON LIQVET. Id si verum est, quæso, qua conscientia viam aliis conaris ostẽdere, quam ipse tibi non satis cognitam esse fatearis? At multi, inquis, etiam ex veteris nõ semper eadem tradiderunt. Esto, nec enim vllus simul omnia præstare potest, verùm, quod nemo negare potest, quotidie aliquid promouerunt. tu verò ita es Academicus, vt si vitæ genus inspiciatur, multò in sinistram partem propensior, si doctrina, multò quàm antea incertior esse videaris. Crede mihi, mi Spensa, etsi vitanda est in tantis rebus temeritas, videndum est tamen etiam atque etiam ne dum ad manifestam etiam lucem nimiùm diu conniuemus, iusto tãdem Dei iudicio penitus caligare incipiamus. Extant horrenda eiusmodi iudiciorum exempla in iis præsertim locis in quibus versaris, atque adeò in nonnullis etiam hominibus quorum conspectum boni omnes meritò abhorrent, tantum abest vt ipsorum fauorem ambiant. Hæc ad te perscribere volui, quando ita fert occasio, vt eorum te admonerem quæ à multis piis & eruditis hominibus in te animaduerteram non immeritò fortasse reprehendi. Quòd si rem ipsam potiùs quàm personam meam consideres, nunquam te, opinor, libertas ista offendet. Positus enim es celso & eminenti loco, vt etiamsi cupias, singula facta tua dictáque tua latere non posint. Itaque mirari non debes si à me & absente & obscuro homine aliqua tua annotentur: immò potiùs conari te oportet ne quenquam etiam ex minimis prudens offendas, ea denique dicas & facias quæ non te securum præstent aduersus eorum inuidiam quos tute impios esse nosti, sed eam potiùs de te opinionem quę ex piorum animis nondum est penitus sublata, augeant & confirment, de quo Deum Opt. Max. oro, vt seriò tandem cogitare posis.

EPISTOLA XLIIII.

N.

MI frater, diu abs te literarum aliquid expectaui, quæ spes me fefellit, quanuis certè quod scriberes, ac de quo etiam consilium fortasse caperes non defuit. Scito te à me diligi, cuius vel hoc argumẽtum babeto, quòd de iis vel vltro commonefaciendum te putaui, quæ magnopere tua interest vt intelligas. Audiui nonnihil, quum apud N. nostrum essem, de quodam coniugio, in cuius benedictione vtinã satis prudẽter te gesseris. Quærẽti mihi etiam alibi, & quidem ex Viro optimo & tibi amicissimo, ecquid noster N. narrauit quidem ille mihi multa quæ lubentissimè cognoui, quibus etiam narrandis ille multum delecta-

delectabatur. Videbar tamen mihi subolfacere hoc ipsum à nonnullis in te requiri, de quo te aliquando cõmonefecimus, sed, vt spero, frustrà, nempe vt in hac ætate qua valet corpus, & viget memoria, frequentior & diligentior esses in lectione & studiis, quæ vocant. Scis hoc disertè fuisse ab ipso Paulo inculcatum suo Timotheo. Ne igitur, quæso, ægrè feras eadem tibi ab eo ingeri qui te sanè paterno affectu complectitur. Nam quicquid prætexas, hac admonitione (quod inter nos dictum sit) egere te scio. Et vt magis noris quàm hoc non dicam de nihilo, scito ea tempora pro foribus iam esse in quibus longè aliis etiam de rebus erit nostri ordinis hominibus laborandum quàm adhuc ex magistris vllis nostris quantumuis excellentibus Dei seruis didicerimus. Itaque diligenter etiam atque etiam legendum nobis est ac meditandum Dei verbum, si vnquam aliâs, & veteres ex Patrum scriptis cognoscendæ hæreses, quas sic interpolatas incipit Satan propinare, præterquàm quòd hæc ætas est hominum ad quæuis portenta procliuium maximè ferax, vt in parandis solidis firmisque defensionibus non possimus satis magnam diligentiam præstare. Requiritur autem hæc opera potissimùm à vobis iuuenibus, qui in ἀκμὴν istorum certaminum incidetis, nobis qui primis illis fortissimis athletis nunc pauci superstites sumus, ad æternam quietem breui euocandis. Hæc igitur velim te, tuique similes quibus datum est & linguarum & artium cognitione à prima ætate imbui, assiduè meditari, vt habeat semper Ecclesia solidè doctos qui Sophistas istos profligent. Addam & aliud. Actum est in Synodo Rupellana de N. nostri causa. Audio decretum Synodi non placere, quasi sit de absente indicta causa iudicatum, nec satis constent quæ ille vt certa proposuit. Ego existimo ad prouinciæ cognitionem reiecta de quibus planè non constaret, & tamen fortassis aliquid hîc humani vsuuenit. Iniquissimum tamen ac prorsus intolerabile fuerit, quæ in Synodo generali decreta sunt vnius consistorii auctoritate rescindi, nisi fortassis altera pars vti iure suo noluerit, aut alioqui inter ipsos de quibus agitur ita conuenerit vt aliter inter se transigant, absque vllo disciplinæ Ecclesiasticæ detrimento. Rogo te igitur ac moneo, frater, vt te prudenter hîc geras: denique, vt & tuæ huius iuuentæ memor, & de compescendo illo feruore quem tibi innatum esse scio, semper solicitus moderationem vbique serues, τὰ πρωτεῖα semper maioribus concedens, & tum quoque illos adhibens in consilium, quum quid facto sit opus vel clarissimè perspicies. Spero hæc omnia te accepturum, vt ab eo profecta qui te Ecclesiis Dei quàm vtilissimum esse cupit, ac etiam sperat. Testor enim me quanuis hæc temerè non scribam, tamen non scribere alieno cuiusquam suasu, ac multò etiam minùs reprehensionis causa, sed solo illo in te amoris impulsu, cui tantum saltem tribuere te meo quodam iure velim, vt non ingratas fuisse tibi literas meas intelligam. Bene vale, & pro nobis precare. D. Iesus te custodiat ab omni malo, & tuo ministerio magis ac magis benedicat. xx. Iulii, 1571.

EPISTOLA XLV.

N.

VIDEO te neque quid in nobis carpas, nec etiam quid probes satis intelligere, adeóque veri Christianismi penitus esse ignarum. De magno igitur salutis nostræ mysterio, sic habeto. Sicut Adamum consyderamus non tanquam personam aliquam singularem, sed vt truncum & stipitem ex quo propagatum fuit totum humanum genus, ideóque dicimur filii iræ: ita etiam Christum consyderemus oportet, non veluti vnicum tantùm hominem, sed tanquam arborem viuam ex qua per gratiam renascamur, sicut ex illa putri & corrupta sumus natura propagati. Nos enim oportet veluti surculos Adamo exemptos, Christo adhærere, vt ex ipso vitæ succum hauriamus ad felicem & æternam tum animi tum corporis vitam, sicut illius pestifero succo infecti miseram vitam in mortem æternam trahebamus. Christo igitur toti & Deo & homini inseri & vniri nos necesse est, vt ipse nobiscum sese communicet, veréque simus caro ex carne eius, & os ex ossibus eius: quæ communicatio & insitio solidis fidelibus cum Christo est peculiaris. Est enim gratuitum Dei donum qui nos prior dilexit, quum illum odissemus, & hanc nobis gratiam offert, Christum videlicet per verbum suum & Sacramenta tanquam sigilla diplomati apposita. quæ oblatio ne frustrà fiat, vnà dat nobis electis suis Spiritum sanctum suum aperientem cor nostrum, primum vt hoc mysterium Dei intelligamus, deinde, vt Dei promissioni ita assentiamur & credamus, vt certò apud nos constituamus hanc salutis promissionem ad nos pertinere, eámque in nobis sentiamus efficacem. Itaque Deus Filium suum nobis offert tum verbo tum sacramentis ad iustificationem & sanctificationem, vt hoc modo tota nostræ salutis gloria in solidum ad eum referatur. Cognitionem autem illam & πληροφορίαν ex quibus fides constituitur qua totum Christum verè & reipsa, spirituali tamen modo apprehendimus, efficit in nobis Deus per Spiritum suum, cuius vinculo incipimus Christo penitus coniungi. Neque tamen eum cœlo deducimus, aut aqua aut pane, aut vino includimus, vel alligamus, vel transsubstantiamus, sed fide ad eum vsque subuecti eum sedentem ad Patris dextram amplectimur.

Chriſti communicatio in nobis quid valeat.

Sed videndum eſt propius ex hac communicatione quis ad nos fructus perueniat. Hoc videtur Apoſtolus vno verbo comprehendiſſe, quum inquit Chriſtum nobis factum eſſe à Deo ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem & redemptionem, quæ tamen commodè poſſunt ad duo capita redigi. Nam ſapientiæ nomine intelligitur cognitio illa & πληροφορία, id eſt, fides qua apprehendimus iuſtitiam & ſanctificationem in Chriſto, redemptio verò eſt vltimus iſtorum omnium finis. Hoc igitur poſitum ſit, eo quòd Chriſto coniungimur, nos per eum vnum iuſtificari & ſanctificari, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

De iuſtificatione.

Deus autem quum ſit ipſa iuſtitia, cum homine iniuſto nullum commercium habere poteſt. Itaque vt coram eo poſsimus conſiſtere, neceſſe eſt vt vt iuſtitiam eámque perfectiſsimam afferamus, quam nemo habet, niſi qui non ſolùm legem non violauit vllo modo, ſed etiam penitus impleuit. Atqui eiuſmodi nullus vnquã fuit, aut etiam eſſe cœpit ex poſteris Adæ. ex quo conſequitur omnes eſſe in ſeſe perditos. Nam vehementer falluntur qui Dei miſericordiam à iudicio ſeparant, quum nunquam ſit miſericors Deus, quin velit iudicio ſuo ſatisfieri. Eſt igitur operæpretium videre quomodo Deus hæc duo quæ magnopere videntur diſsidere, iudicii rigorem dico & miſericordiam ſeu clementiam, vnà temperarit, opificii ſui ita miſertus, vt tamen de eo meritas pœnas ſumeret. Nempe Filium ſuum vnigenitum voluit hominem fieri, ſed abſque peccato, id eſt humanæ quidem naturæ, non tamen corruptionis participem, vt hoc modo in natura noſtra iræ Dei obnoxia imago illa Dei perfecta reſtauraretur in ſecundo Adamo, qui deinde huius ſanctificationis fructus ederet, id eſt qui & Legem impleret, & pœnas peccati noſtri lueret, vt hanc integritatem, iuſtitiam & ſatisfactionem nobis gratis adoptatis & in eum per fidem inſertis imputaret: in eo videlicet ſummè iuſtus, quòd in Filio ſuo vt ſponſore peccata noſtra ſeueriſſimè vltus eſt: & rurſus, in eo ſummè clemens, quòd ſicut Filio ſponſori imputauit peccata noſtra quæ illius non erant, ſic nobis imputat quod noſtrum propriè non eſt, nempe Filii ſui obedientiam & perſolutionem pœnæ per eum præſtitam. Ideo nos dicitur in Filio ſuo per fidem gratis iuſtificare, id eſt per Filii ſui iuſtitiam nobis credentibus imputatam iuſtos nos facere in filio.

Quomodo per Chriſtum iuſtificemur.

Tota igitur Filii Dei pro nobis incarnati vita à nobis conſiderari debet, quæ quidem duobus extremis continetur, nempe conceptione qua ad nos deſcendit, & aſcenſione qua ad Patrem aſcendit: inter quæ extrema collocamus ſingulas vitæ actiones, mortem, ſepulturam, reſurrectionem. Hæc omnia noſtra ſunt, quia pro nobis geſta ſunt, ſi crediderimus. Tota igitur vita Chriſti ad aſcenſionẽ vſque perpetua quædam eſt eáque abſolutiſſima obedientia, quia non modò non peccauit, verùm etiam totam legem abſolutiſſimè impleuit Chriſtus. quæ obedientia nobis per fidem Chriſto vnitis datur, noſtráque fit per imputationem. Deinde hæc eadem tota vita fuit perpetua quædam crux perpetuúmque ſupplicium, quo ad plenum ſatisfecit Chriſtus, non pro ſuis peccatis, quæ nulla fuerunt, ſed pro noſtris quæ ſibi à Patre impoſita ſuſtinuit. Hæc igitur pœnæ perſolutio quum non poſſit eſſe inanis apud Deum, imò verò ſit maximi momenti, vtpote pleniſſima & abſolutiſſima, non poſſit autem ipſi Chriſto proficere, vt qui nihil debuerit, ſupereſt vt aliorum cauſa perſoluta fuerit, eorum videlicet qui per fidem ipſi coniunguntur. Quamobrem nulla eſt condemnatio iis qui in Chriſto Ieſu inſiti ſunt, vt qui coram Deo ſint in Chriſto iuſtiſſimi, in quo nimirum ſatisfecerunt pro peccatis ſuis, & præterea etiam legem totam impleuerunt. Quo igitur nomine poſſit eos Sathan accuſare, aut accuſante Sathana Deus condemnare? Inde fit vt neque viuentes peccemus ad mortem, neque mors ſit nobis maledictio, ſed ingreſſus ad æternam vitam: neque ſepultura corporis ſit in mortem ſecundam, ſed in ſpem certam reſurrectionis. Perficitur autem in nobis beatitas tribus gradibus. Quorum vnus eſt quandiu hîc viuimus per fidem & ſpem quotidie creſcentem: alter poſt hanc vitam, quum ſpiritus quidem Chriſto fruitur, nõ tamen in ſolidum, altera verò noſtri pars in puluere quieſcit: tertius denique & poſtremus erit poſt æternum iudicium, quum percipiemus plenam Dei fruitionẽ Chriſto capiti noſtro coniuncti, erítque Deus omnia in omnibus. Et hoc quidẽ modo Chriſtus dicitur ab Apoſtolo nobis factus iuſtificatio à Patre.

De Sanctificatione.

Sed & aliter nobis conſiderandus eſt Chriſtus, quatenus videlicet ſanctificatio noſtra eſt. Etſi enim hæc eſt iuſtificationis comes perpetua, tamen alia quadam ratione nos dicitur Chriſtus ſanctificare. Id enim quod nos iuſtificat, iuſtitia videlicet Chriſti, nõ hæret in nobis, ſed ſola imputatione noſtra eſt, ſicut etiã noſtra contumacia fuit Chriſti per ſolam imputationem. At in ſanctificatione, Chriſtus cui, ſicut diximus, per Spiritum ſanctum credentes ſunt vniti, qualitatem in nobis inchoat, quæ licet imperfecta, Deo tamen placet, propterea quòd iis ineſt quos iam antea per Chriſtum ſibi reconciliauit, quíque Chriſti Spiritu quo ſunt ſanctificati, aguntur & mouentur: & hoc demum illud eſt quod ſanctificationis nomine propriè intelligitur. Hæc etiam cauſa eſt cur ſpirituales & regenerati dicamur. Nam fide inſiti Chriſto, cõſortes & participes reddimur ipſius Spiritus, cuius duplex eſt in nobis effectũ. Primùm enim extinguit in nobis ve-

bis veterem hominem, id est, naturam illam vitiatam quam propagatione acceperamus. Deinde instaurat & renouat imaginem Dei, & nouum illum hominem creat Deo placentem: vt sicuti olim naturæ illius veteris impulsu peccabamus, & per peccatū moriebatur tum animus noster tum corpus, id est, æternæ mortis rei toti eramus: sic spiritus Christi (cui insiti sumus) motu & vi tum peccato resistamus, tum etiam intelligere velle, & facere quæ Dei sunt, atque ita vitam illam cælestem viuere incipiamus. Id autem fit, non per imitationem solum (nam vnde nobis hæc vis vt imitari possimus Filium Dei?) sed per vim mortis, passionis & resurrectionis Christi, quæ à nobis per fidem apprehenditur. Vis enim illa à diuinitate Christi promanans in humanam ipsius naturam, cui insiti sumus, qua vi ipse per totam vitam suam, ac potissimùm per mortem expugnauit diabolum, & peccatum, non suum, quòd nullum habebat, sed nostrū, quod Pater illi imputarat, vis, inquam, illa Christi mortis, nobis communicatur, vt per hanc Christi vim moriamur peccato, sicut Christus peccato semel mortuus est, id est, non vt peccatum nobis non imputetur (id enim ad alteram illam partem, hoc est ad iustificationem pertinet) sed vt peccati & corruptionis illius natiuæ vis iā non fit in nobis efficax, imò verò cōtrà freti vi illa Christi, cui per Spiritum sanctum coniuncti sumus, peccatum occidamus. Deinde sicut Christus sepultus, eadem illa vi fuit ab ipso peccato, quod per imputationem in se assumptum expugnarat, penitus immunis & liber, ita eadem illa vis nobis communicata facit vt peccato simus sepulti, id est, peccatum in nobis mortuum esse pergat. Est enim sepultura quidam mortis progressus, & testimonium mortem veram esse non fictam. Atque sicut corpus quo diutiùs iacet in sepulchro, eò magis corrumpitur, donec penitus absumatur: sic etiam quoniam consepulti Christo sumus per fidem, id est, participes virtutis sepulturæ eius facti, peccatum mortuum sensim in nobis deperit, donec penitus tandem aboleatur. Postremò quia non satis est non peccare, sed etiam bene agere oportet, eadem vis illa Christi, qua victor peccati & mortis in carne nostra viuere cœpit Deo, accepitque nomē quod est supra omne nomen, vis (inquam) illa nobiscum cōmunicata facit vt anima nostra peccato per illius mortem & sepulturam mortua & sepulta, iam etiam incipiat per eius resurrectionem viuificata viuere Deo, id est, victis & interemptis peccato & morte, viuere ex Dei voluntate. Et hac ratione Christus nobis dicitur à Patre factus non tantùm iustitia, sed etiam sanctificatio. Quòd autem diximus iustificationis effectum tribus in nobis gradibus perfici, idem de sanctificatione constituendum est, vt intelligamus peccatum in nobis quandiu hic viuimus, sic mori & sepeliri, vt tamen adhuc in nobis repugnet: sic item nos resurgere, vt non toti statim emergamus: verùm sicut fides in nobis augetur, ita & augeatur & adolescat Christus, quem fide apprehendimus, donec viri perfecti euadamus, quod nobis tum demum continget, quum Christo capiti nostro reipsa corpore & animo adiuncti, cū ipso regnabimus in æternum. Hæc fides nostra est, quam si oppugnaris, morieris: sin receperis, viues.

EPISTOLA XLVI.

GVLIELMO GRATAROLO, MEDICO.



I Gratarole, gratiam tibi habeo pro tua ista in me beneuolentia, rogóque vt, si quo modo fieri possit, id mihi præstes de quo postremis tuis literis ad me scripsisti, vt tempestiuè respondeam. Ab illo nihil sanè mihi metuo, imò cupidissimè hanc occasionem amplectar improbissimi hominis nominatim appellandi, quod adhuc facere nolui, ne omnem ei resipiscentiæ spem viderer præclusisse. Verùm hoc amabò rescribe, si quam fecero in mea responsione mentionem Bellii, & Theologiæ Germanicæ, & ille se eorum librorum authorem inficietur, num id possim ità securè affirmare, vt si necesse fuerit, testibus etiam aut idoneis argumentis conuinci possit. Nam de re ipsa, id est, quin reuera libros illos ac præsertim præfationem Bellianam ediderit, non dubito: sed videndum nobis est vt non tantùm detegatur iste, verùm etiam conuincatur, vt tandem omnes norint quæ sit sancti istius viri conscientia. Cæterùm quia venturus est ad nos iste qui has tibi literas reddidit, rogo vt ei committas duos ex meis libellis quos apud te habes, nempe Aeschyli & Pindari quædam, sicut ex titulis cognosces. Iis verò si adiunxeris tuum illum Pomponatium, & Cœlii librum de amplitudine regni Dei, gratissimum mihi feceris. Sed & hoc rogo vt mihi præstes, nempe vt percontaris ex Oporino num Henricus Stephanus isthac nuper transiens ab eo acceperit aliquot Ethicorum Aristotelis Græcolatinorum exemplaria. quod si ita esse compereris, vellem & illud ex Conradi Reschi vidua rescires vbinam ea reliquerit. Mea enim sunt, quod illi affirmare poteris: & commodè per eos ad me afferentur. Quòd si nulla acceperit, tum isti accipient & ad me perferent. Vides quomodo & quàm facile opera tua vtar. Tu vicissim impera quicquid à me præstari tuo nomine posse credideris, & te à me plurimùm diligi tibi persuade. xi. Augusti.

EPISTOLA XLVII.

N.

CVR neque sæpius, neque pluribus, neque alia ad te scribam, tu ipse facilè conijcere potes. Quæ sit autem de tua missione sentẽtia tum Senatus tum Collegij nostri, potuisti ex nostris literis intelligere, neque nos arbitror sententiam facilè mutaturos, minimè id quidem quòd non tibi consultum cupiamus, aut quasi sit nobis graue heroinæ præsertim illi gratificari, apud quam nunc versaris, sed quòd totam istam rationem, quam in hoc negotio sequutus videris, probare nullo modo possim². Imò nec possum nec debeo apud te dissimulare, minimè nobis placuisse quod scripsisti, fore videlicet vt vicina nostra de hac re apud nos agat alterius rogatu: quasi verò, si quid hîc concedi saluo Ecclesiæ iure posset, nô multò malimus omnia huic tribuere: aut quasi non illa satis nobis sit infensa, à marito præsertim instigata, nisi hæc etiam repulsa ipsam commouerit. Vis, opinor, vt ego ingenuè tecum agam, mi frater. Vtinam aut hîc apud nos, ita vt nunquam meliùs valeres, aut quàm optimam istic operam Christo nauare posses, vel etiam (sicut optare te video) priuatus quiesceres. Sed hoc nobis probari non potest, quòd & initiò & nunc quoque de rebus tuis non aliter constituis, quàm si tuæ missionis causas pulchrè nobis probasses. qua de re tibi etiam atque etiam cogitandum puto, ne quia non impedis quod per alios agitur, tu ipse id procurare videâris, quod non ignoras nostri moris non esse. Absque hoc esset, & tu quantum possum conijcere, liberatus esses ab istis molestiis, & nobis aliunde iam esset prospectum. Intereà tamen nihil neque tibi neque nobis mouendum arbitror, tantisper dum hanc temporum tempestatem mitiget Dominus: sed dandam potiùs nobis operam, vt communibus precibus pacem Ecclesiis impetremus, quã tueri postea possimus. De rebus nostris, paucis omnia, quandoquidem ita opus est. Crescit nostrum hoc ædificium mirum in modum, sed ex aliorum ruinis. Insidiatur Satan vndique. Sed intereà apud nos ἀκίνδυνα sunt, qualia ne optare quidem ausi essemus. Faxit ille ipse, qui iampridè, vt nosti, cumulare nos infinitis suis beneficiis non desinit, vt tanta ipsius bonitate nunquam abutamur. Collegæ & amici omnes te plurimùm salutant. bene vale, mi frater, cum lectissima vxore tua, tuisque omnibus D. Iesus te soletur & recreet, & suos omnes respiciat. Geneuæ, 22. Februarii, 1568.

EPISTOLA XLVIII.

REVERENDO VIRO D. HENRICO BVLLINGERO, Patri mihi plurimùm obseruando.

NEMINIMVS te (pater plurimùm obseruande) ante aliquot menses pro charitate singulari tua petiisse, vt tibi significaretur ecquid miserorum Fratrum necessitas à vestris quoque Ecclesiis subsidiu postularet, id quod adhuc facere distuli, ne quid oneris nisi prorsus necessariò vobis imponeretur. Nunc verò quum amoto à nobis pestis flagello, maxima vndique miserrimorum hominum turba huc confluat, augescentibus quotidie Gallici belli ciuilis calamitatibus, & eo vsque efferata hostium rabie vt nulla prorsus neque sanguinis, neque sexus, nec ætatis habita ratione, omne sæuitiæ genus passim exerceant: sitque ideo verisimile in dies magis ac magis pauperum numerum apud nos auctum iri, obsecramus te etiam atque etiam, nostrorum præsertim Diaconorum rogatu & nomine, vt si quid istic quoque colligi posse speres, quo miseris subueniri posit, in id incumbere ne graueris, & siue per hunc ipsum nuntium, siue per alium quemnis idoneum, quum primùm poteris, quicquid collectum fuerit, huc perferendum curare. Erit hoc certè suauissimi odoris sacrificium coram Deo nostro: & quod ad pecuniæ collectæ distributionem attinet, ita est ei rei prospectum per Dei gratiã, vt nulla fraudis suspicio esse posit. Itaq; te cæterósque collegas tuos, fratres nobis plurimùm obseruandos, iterum etiam, atque etiam rogamus, vt hoc quicquid est oneris, membrorum Christi nostri causa suscipere nõ grauemini, siquidem bona cum gratia obtineri quicquam istic posse, neque hac nostra importunitate quenquam offensum iri existimabitis. Cæterùm de Gallicis rebus hæc tantùm certa habemus. Nauarrenum vnà cum matre tuendæ à tergo Aquitaniæ partes suscepisse: Condensem ad Ligerim progredi, cuius transitum modis omnibus impedire statuerit oppositus hostium exercitus: Aurantium Principem, cui nostrorum tum equitum tum peditum non paruæ copiæ, quæ Condensem maximis initio itineribus ex hostium insidiis euadentem, assequi non potuerât, sese iam coniunxerint, ad Veromanduos vsque peruenisse, vnde triduo Lutetiam vsque Isara fluuio superato, penetrare posit: ideo iam Melduni ad Sequanam alterum exercitum à rege colligi, qui transitum illius impediat: eóque proficisci Nemorsum vnà cum Heluetico nuper collecto peditatu, & milite à Narbonensibus aliisque vicinis populis summisso. Sed & Anglum terra maríque exercitum instruere, fama est: & quatuor quoque Scotorum millia Rupellę à nostris expectari. Transiit quoque Lugduno aliquot ab hinc diebus Cardinalis Guisianus, Lotharingi frater, citatis equis in Hispaniam proficiscens, partim alteram (vt aiunt) defunctæ nuper Reginæ sororem Philippo oblaturus,

turus, partim petiturus auxilia, vt in summo rerum omnium ac præsertim fidei Catholicæ discrimine. Italiam quoque concursuram probabile est, vt non iam Galli cum Gallis, sed totus Occidens inter se committatur. Intereà non credas quàm immaniter innumerabiles familiæ oppidatim tractentur adeò vt ab orbe condito non putem similis crudelitatis exempla ne apud Tartaros quidem & ipsos Canibalas extitisse. Quid igitur futurum putas, si fortè Dominus tot nostrorum peccatorum memor nos tradat in hostium manus? Et sanè si vnquam aliâs, tempus ipsum nos ad resipiscentiam vocat, quam vtinam nobis synceram & seriâ Dominus largiatur, vt ipsum veræ pacis Regem omnes concordibus animis colamus. Quod ad nos priuatim attinet, cogimur ipsis penè oculis sæuitiem hostium quotidie intueri in iis quos asperrima hæc tempestas ad hæc veluti litora extrudit, in quibus præter ouiculas miserrimas, plurimos etiam Pastores numeramus. Pergimus quantum possumus, &, Dei beneficio, schola nostra cœpit feliciter instaurari. Vtcunque sit, potens ille est in cœlis Dominus, cui parati sumus & viuere & mori. Rogamus autem vt nos assiduis precibus apud Dominum mutuò iuuare pergatis, quem vicissim precamur (Vir eximie & obseruande frater) vt te collegásque feliciter conseruet, vestróque ministerio magis ac magis ad nominis sui gloriam vtatur. Geneuæ, 8. Decembris, 1568.

EPISTOLA XLIX.

CHRISTOPHORO THRETIO, FRATRI charissimo.



DVM vereor (mi Threti) ne vel pauca vel incerta pro certis scribam de rebus Gallicis, aliquot elapsi sunt menses: quod minimè miraberis factum, vbi cognoueris tam procul à nobis motum hoc bellum, in extrema videlicet Aquitania: itáque interclusa esse omnia itinera intercedentium regionum, in quibus nullum prorsus oppidulum obtinemus, vt quicquam nisi ex ipsis aduersariis intelligere vix possimus. Horum autem quanta sit tum in dissimulandis quæ nostris bene ciciderunt, calliditas, tum in confingẽdis nostrorum stragibus audacia, denique in mentiendo impudentia, non est quòd pluribus tibi exponam. Res autem ita se habent. Condensis & Amiralius vndique circunsessi, quum iam nihil de ipsis interceptis & nobis semel perditis dubitarent hostes, mirabiliter cum suis familiis traiecto Ligeris flumine in Pictonum vsque regionem, ac demum Rupellam enaserunt, equitatu præsertim singulis diebus aucto. Sed adeò repentinus fuit iste discessus, vt neque illum consequi plurimi tũ equites tum pedites, qui priùs illum traiecisse quàm traiecturum audierunt, neque rebus suis consulere infinitæ penè piorum familiæ variis locis dispersæ potuerint. Nihilominus tamen Normannorum pars cum Britannis & aliis nonnullis, Andeloto & Mongomerio ducibus, cæsis aliquot hostium cohortibus, Ligeri non procul Salmuriis superata Rupellam incolumes peruenerunt: & altera ex parte, Delphinates, Prouinciales, Occitani non pauciores 25000, Rhodano frustrà repugnantibus hostibus, superato, sese cum reliquis ad oppidum Santonum Engolismam coniunxerunt. Ita factum est mirabiliter, vt quum aduersarii omnia obtinerent, adeò vt certò sibi persuaderent fieri non posse vt vlla ratione nostri copias vllas cogerent, vno tamen momento numerosus isque instructissimus exercitus nostrorum extiterit, ipsi verò in suis cogendis & instruendis multùm adhuc laborent. Præterea verò illud quoque nostris optimè cessit, quòd Nauarrena verè heroico spiritu prædita, Henricum filium suum vnicum annos circiter septendecim natum & in religione ab infantia educatum ad nostros postea deduxit, cuius authoritatem & auspicia non dubium est quin maxima pars Aquitaniæ sequatur. Cum his copiis nihil cunctatus Condensis cum Amirallio multa Santonum ac vicinarum regionum oppida partim expugnauit, partim deditione recepit, in quibus est Engolisma munitissimo & opportunissimo loco sita. Prælium nullum nisi leue factum, hostibus nullas adhuc instas copias opponentibus. Sparsus est tamen inter ipsos hostes rumor, circiter deditam Engolismam initum certamen in quo nonnulli aduersarii ceciderint, quod tamen pro certo affirmare nondum ausim. Feruntur autem nunc nostri Burdegalam versus contendere, cuius etiam munitissimum nauale, quod Blayam vocant receperint. Rex interea à Pontificiis fascinatus, ac primùm quidẽ nostros proposita nescio qua obtinendi iuris sui specie frustrà conatus à Principe auertere, apertè mox edicta omnia de pace, quibus religionis cultus nobis concessus fuerat, abrogauit: vtque Pontificem cum Hispano & suis Caroleis penitus in suas partes pertraheret, disertè suo illo abrogatorio edicto professus est, insigni certè ac planè indelebili cum Regiæ maiestatis nota, se quicquid antea cum nostris egit, simulatè egisse vt tempori obsequeretur, Ichu scilicet imitatum. Hoc tamen præcipit (sed manifesto cum ludibrio, vt res ipsa ostendit) ne qua vis iis inferatur qui pacatè volent domi absque vllo istius nouæ, quam vocat, religionis cultu viuere. Postea copias cœpit Aureliæ cogere, quas adhuc satis infirmas esse ferunt: ego tamen magnas fore non dubito, quum præsertim confœderati illi decem millium subsidium eò miserint. Cæterùm miserrima est interim piorum per tot vrbes conditio. Omni enim sæuitiæ populorum expositi sunt, nullo neque sexus neque ætatis discrimine seruato. Quibuscum clementiùs agitur, tenentur in captiuitate miserrima nihil aliud quàm carnificis manum expectantes, annotatis & auctioni expositis omnibus ipsorum facultatibus. Multi itaque imbecilles deficiunt, omnia suspiriis, lachrymis, cædibus denique repleta. pauci qua ratione possunt dilabuntur, inopes & nudi plerique

quibus non hæc vrbs duntaxat, verùm etiam vicina regio completur. Illa porrò audire, iſta verò
coràm cernere quàm ſit graue nouit Dominus, norunt boni, quibus hoc in primis durum eſt
quòd ea intueri cogantur, quibus ingemiſcere quidem, remedium autem ſatis commodum af-
ferre non poſsint, quoniam tenuior eſt noſtra conditio, quàm vt tot miſeris, ſicuti par erat, ſuc-
currere poſsimus. Inter cæteros illud ſanè mihi grauiſsimum eſſe apud te profiteor, quòd mul-
tos partim ſpectatæ rum eruditionis tum pietatis Paſtores, naufragos alios quidē cum familiis,
alios vero incerto ſuorū ſtatu, ſæuiſsima tempeſtate in hunc portum eiectos (vt de iis taceam qui
adhuc latent, vel crudeliſsimè, prout deprehendi poſſunt, trucidantur) partim maximæ ſpei iu-
uenes in medio ſuorum ſtudiorum curſu penè omni humano ſubſidio deſtitutos, (hei nobis) in-
tueri cogamur. Quid ſi verò diutius hæc tempeſtas perſtiterit? Sanè quid huic malo nobis im-
medicabili opponi poſsit, nihil inuenio præter vnum illud lectiſsimum & firmiſsimum, DOMI-
NVS PROVIDEBIT: neque hîc dubito te commoneſacere, mi frater, vt ſi quod iſtinc quo-
que arbitraris ſubſidium conferri ad optimos viros iuuandos poſſe, tuam operam nobis in hac re
ne deneges, quam ſcio peropportunam, & Deo Opt. Max. gratiſsimam fore. Et hoc quidem
nunc eſt Galliarum onus. In Germania molitur etiam hoſtis quicquid poteſt, & equitatus colli-
gitur Regis nomine. Noſtros tamen certum eſt, ſingulari Dei beneficio, longè plura obtinuiſſe,
quàm alii vnquam impetrare poſſe videantur, quantumuis in quibuſuis confingendis ſint præ-
fractè impudentes. Sunt enim parata equitum ſex millia, peditum ſedecim, tormenta maiora vi-
ginti, minora decem: quas copias intra menſem ad ſummum (Deo fauente) præſentis Ducis Bi-
pontini auſpiciis progreſſuras cōfidimus. His ſeſe coniungent præcipui quidam ex noſtris Picar-
diæ & Campaniæ ducibus, qui quū non poſſent ob interiecta flumina, & adeò repentinā profe-
ctionem Principem Cōdenſem aſſequi, collectis ex præcipua illarum regionū nobilitate, duobus
equitū, & ex cætera multitudine circiter quātuor peditū millibus, ad Aurantium oblata occaſio-
ne tranſierunt, tantiſper dum Bipontinus cum ſuis in Burgundiam progrediatur. En quæ mer-
ces maneat miſeram Galliam, piorum ſanguine redundantem, cuius clamor ad Dominum vſ-
que penetrauit. Et quoniam Galli ſeſe à Phrygibus oriundos iactant, vtinam ſaltem plagis
emendentur: quod ipſum tamen nondum auſim ſperare, nedum vt iræ Dei omnipotentis oc-
currant. Mortua eſt vnà cum immaturo fœtu Hiſpaniæ regina: vnico illo Philippi filio, iam
adulto, paulò antè ſiue ſponte mortuo, ſiue arcanis quibuſdam ſacræ inquiſitionis myſteriis
ſublato. Huic porrò calamitati mirum ni paratum iam ſit remedium, quod nec erit nouum il-
li familiæ, nec à Pontifice Romano impetratu difficile, in tanto Cacolycæ Eccleſiæ diſcrimi-
ne. Grauiſsima hæc ſunt, ac ſanè eiuſmodi, vt inſignem totius penè terrarum orbis mutatio-
nem ſecum trahant, quum præſertim etiam eadem tempeſtate nutet totius Belgicæ ſtatus. Ita-
que nobis omnino precandus eſt Dominus, ſi vnquam aliâs, ne nobiſcum pro noſtris meritis a-
gat, quum nulli, meo quidem iudicio, magis ipſum iam pridem offendant, quàm quorum ma-
ximè ſtuduit hoc noſtro ſeculo miſereri. Certum eſt tamen manſuram Eccleſiam, quæ ſola Dei
gratuita bonitate nititur, nec inultam fore iſtam indomitam Antichriſtianorum peruicaciam
cum manifeſta iam perfidia, ipſorum quoque perfidorum expreſſo teſtimonio teſtata. Quando
verò iſta futura ſint nouit Dominus, qui ſuo tempore vel ea nobis ob oculos proponet ſpe-
ctanda, vt ipſi victori canticum concinamus, vel ad ſeſe nos euocabit, certiore quiete tempe-
ſtiuè fruituros: vel ſi nos diutiùs aut diriùs exercere conſtituit neceſſariam animi fortitudinem
nobis in tempore ſuppeditabit. Iam venio ad res propriè noſtras. Exercuit nos peſtis tota æ-
ſtate admodum clementer, poſteà paulatim deferbuit: vt nunc penè nulla ſit. Itaque iam cœ-
pit vtraque ſchola noſtra, & quidem ſatis feliciter, inſtaurari, & vix vnquam frequentiores con-
ciones habuimus. Precare pro me collegiſque meis Dominum, mi frater, vt in tanto opere nos
confirmet, & hoc qualecunque miſerorum perfugium ab hoſtium inſidiis tutum conſeruet. No-
ſter certè Magiſtratus per Dei gratiam fortiſsimo eſt animo, cuius exemplum ſi nonnulli imi-
tarentur, quos tamen præire cęteris oportuerat, alia fortaſsis eſſet rerū facies. Quod ad me priua-
tim attinet, me tandem libris meis reſtitutū aſsiduæ ſolicitudines nō modò impediunt, verùm
etiā perturbāt, vt neq; iam olim cœpta ſatis libero animo perſequi, neq; pridē deliberata inchoa-
re poſsim: minimè id quidē quòd animo deficiā (Deo ſit gratia) ſed quòd à me nōdum impetra-
re potuerim pro mea imbecillitate, vt animum à tot fratribus mihi vita ipſa lōgè charioribus, in
extremo diſcrimine tandiu poſitis, & tanto ædificio, cuius pars aliqua fui, ruinam quodammo-
do nunc minante auocatum, ad ea meditanda & ſcribenda conuertam, quæ mentem ab aliis pe-
nè omnibus cogitationibus liberam requirunt. Velim tamen tibi perſuaſum eſſe me promiſ-
ſo meo non defuturum, quod etiam meo nomine cupio chariſsimis & mihi plurimùm obſer-
uandis illis omnibus Dominis ac fratribus à te ſignificari, quorum literas ad me ſuperioribus
nundinis longè gratiſsimas miſiſti, ad quas etiam ſigillatim, Deo fauente, breui reſpondebo. In-
choatum librum de diuortiis quum iam abſoluturus eſſet Criſpinus noſter, peſtis domum e-
ius ſemel atque iterum interiecto etiam interuallo inuadens, & illum & me coegit adhuc cœ-
ptum opus intermittere, ad quod tamen breui me rediturum ſpero. Hæc nunc habui, quæ ad
te ſciberem. Cæterùm quid ad te ſcripſerim de noua noſtrorum Epigrammatum, non illorum
veterum ſed nouorum editione, puto te meminiſſe. Si hoc fortaſsis illi noſtro amico placuiſ-
ſe putabis, velim vt mihi quàm primùm diſertè ſignifices, quod facilè per Norimbergenſes fe-
ceris: ac etiam addas quibus titulis eum à me ornandum exiſtimes, quum mihi videar ex te in-
tellexiſſe, illum fuiſſe Epiſcopum, quæ tamen appellatio an ſit illi grata futura neſcio. Itaque

velim

velim hac etiam de re ad me aliquid scribas, si modò tempestiuè facere potueris. Quòd ad Thurium nostrum & alios attinet, de quibus ad me recipiendis scripsisti, fecissem id sanè perlibenter, tum ipsorum causa, tum etiam in eorum gratiam à quibus mihi commendantur, sed præterquàm quòd vadè incommodè ad eam rem præstandam habito, ea est vitæ meæ ratio (quandoquidem ita Domino visum est) vt, contrà quàm ipsi arbitrantur, perexiguum sit omnino quod adiuuandis ipsorum studiis à me proficisci potest. Sed curabo omnino (fauente Deo) vbi ad nos venerint, vt quàm optimè ipsis prospiciatur. Velim autem intereà meo nomine Dominos ac fratres omnes mihi plurimùm obseruandos à te salutari, qui me his nundinis amantissimis suis literis dignati sunt, ad quas sigillatim quoque breui respondebo. Omnes mei collegæ rectè valent, quibus omnibus pestis adhuc per Dei gratiam pepercit, téque plurimùm salutant. Bene vale, mi frater, & hanc Ecclesiam ac scholam, vt & Galliam vniuersam, in extremo iam discrimine versantem memineris assiduè Domino commendare. Thenaudum nostrum nominatim cupio saluere, quo interprete vtêris eorum edictorum, quæ vnà cum his literis accepisti. D. Iesus vos seruet, & suos omnes tum exteros tum domesticos hostes aut conuertat aut dissipet. Geneuæ, 22. Nouembris, 1568.

EPISTOLA L.

N.

Mi frater, redundat hæc ciuitas maxima miserrimorum exulum multitudine, quos esse arbitror Gallicarum Ecclesiarum sepositas à Domino reliquias in diem liberationis. Inter eos multi sunt Ministri verbi, multi studiosi, quorum maxima est egestas. Iis, vt & cęteris, publicè & priuatim subuenitur quantū fieri potest. Verùm crescente malo, & paulatim deficientibus apud nos remediis, cogit eos necessitas ad alias etiam ecclesias excurrere, vt subsidii quantuluncunque fieri poterit obtineant. Visum est autem illorum literis ad vestræ ciuitatis Magistratum, meas etiam ad te coniungere, quibus vehementer à te peto vt quantum fieri poterit, miserorum fratrum causam istic patrocinio tuo iuues, quod officium scio fore Filio Dei gratum & acceptum. Nos verò etiam hoc priuato nomine tibi plurimùm deuincies. De rebus nostris, minantur nonnihil nobis reliquiæ contagionis, adhuc tamen pertenues. Vicinus ille factus etiam est solito durior & minacior. Sed omnia sunt in Dei potentis manu, cui nos curæ esse non dubitamus. In Gallia magnam Occitanorum partem nostri iam tenent, & Tholosam metropolin grauiter premunt. Interceptum est præterea quoddam oppidulum in Cenomanorum finibus. Multi tamen scribunt pacem esse confectam, sed vanos esse rumores arbitror, nisi fortè Palestini nunc quoque Dauidem liberent. Certò enim aiunt Philippum recentem cladem in Granatæ regno accepisse, Tunetes à Mauris in Africa captos, classem Turcicam, quanta nunquam visa est, primo vere Constantinopoli soluturam: in Italia bellum gliscere inter Pontificem Florentino coniunctum, & Ferrariensem, quem vix deserent Veneti. Sic fortasse mutuò pugnantibus illis grex Domini quietis aliquid obtinebit. In Anglia seditiosi Catholici, ducibus eorum captis, Dei beneficio in reginæ potestatē venerunt. Hæc nunc habui quæ ad te perscriberem. D. Iesus te custodiat vnà cum tota tibi commissa Ecclesia, tuóq; ministerio magis ac magis benedicat. Geneuæ, 25. Februarii, 1570.

EPISTOLA LI.

N.

BINAS tuas literas simul ferè accepi, quarum vnæ præsertim singulare quoddam tuum in hanc scholam, ac priuatim etiam in me studium declarant. Vnà etiam mihi redditus est epistolarum D. Philippi liber quem ad me missum voluisti. Tribus igitur beneficiis vno ferè tempore me obruisti, quæ me coegerunt non de habenda duntaxat, verùm etiam de referenda quoquo modo gratia cogitare. Quum igitur lucubrationum mearum primum volumen edere istis nundinis decreuisset noster Crispinus, & fortè mihi occurrisset libellus ζητημάτων καὶ ἀποκρίσεων ad illius imitationem qui Iustino Martyri tribuitur, à me conscriptus, ausus sum etiam illum tibi consecrare, seorsim excusum, cuius exemplaria sex vnà cum integro volumine ad te mitto. Cupio verò tibi probari, si non quicquid libellus ille complectitur, at certè meum hoc factum quo beneficiorum acceptorum memorem esse me tibi posterisque testatum volui. Cæterùm vt ad illum epistolarum librum redeam, video te quidem non immeritò suspicari varia hominum fore de illo iudicia, siquidem in ea tempora incidimus quæ diuinitus sane, vt cætera omnia, tertio posterioris ad Timotheum suum epistolæ capite Apostolus non tam describit quàm depingit. Sed rectè fecisti quòd istos nihil moratus tantum κειμήλιον diutius occultari noluisti. Sic enim statuo, profuturum illum magnopere non tantùm ad cognoscendas vtiles quasdam illorum temporum historias, verumetiam erudiendis plurimis ad fortitudinem animi cum moderatione coniungendam, id est, veram in quibusuis difficultatibus sapientiam præstandam, cuius singulare nostris temporibus exemplar illum hominem fuisse arbitror. Deinde vt illa quam vocare solent [illegible], ego facilitatem quandam morum dicere ma-

lim, interdum in eo nimia fuisse videatur, publico etiam non semel aliquo damno: quis tamen non deosculetur ἦθος illud ἁπλοϊκὸν καὶ πάντως ἄδολον, in homine præsertim quem & summa doctrina & φύσει μαντικὸν ingenium, & tantus rerum vsus, vel maximè vafrum ac versutum efficere potuit, nisi Dei Spiritus ipsum gubernasset? Itaque quo sunt rariores istæ virtutes, nostri tamen ordinis hominibus prorsus necessariæ qui vitia detestari & probitatem laudare consueuimus, eò mihi pretiosior est hic liber in quo tot illarum expressas imagines intueor, & de hoc quoque beneficio magnam tibi gratiam ab omnibus habendam existimo. Quòd ad Gallicas Tragœdias attinet, accipies vnà cum his literis breuem illarum commentarium, Gallicè ab amico quodam, etsi breuiter admodum nec satis politè, simpliciter tamen ac verè scriptum, quanuis multa singularia Parisiis, Rhotomagi, Tholosæ, Aureliæ, Lugduni immaniter aduersus pios facta prætererit. Eum si fortè intelligere per te non poteris, vel noster Languetus, conterraneus meus, vel alius quiuis tibi explicabit. Nunc passim volitant nuntii de pace confecta, sed neque conditiones illius, neque vllas ea de re literas adhuc à nostris accepimus: & valde metuo ne quiduis offerant aduersarii, vt nihil præstent. Illud quidem constat, si vel minima subsidii istinc mittendi species affulsisset, nostros iampridē fuisse quiduis impetraturos. In Italia gliscit bellum Pontificis à Ferrariensi Mutinam & Regium repetēīis. Classem Turcicam, quanta visa non est hominum memoria, breui soluturam aiunt partim Constantinopoli, partim Epidamno, Africam & Hispaniam versus: & missus fertur in Galliam Turcicus legatus, qui recreandę tātæ classi portum in Narbonensi, ex fœderis conditione postulet. In Africa oppressis Tunetibus grauiter premitur Goletta, quam olim fuisse volunt Carthaginis portum. Genoa scribitur noua victoria potitos Mauros aduersus Philippum. Quid si igitur Palestini nunc quoque Dauidem eripiant Saulis crudelitati, & iusto Dei iudicio sese mutuò dilaniaotibus istis, ouile Domini aliquantulum respiret? Sed hæc agè Deo committamus. Ad nostra redeo. De diuersis illis quorundam noui Testamenti locorum lectionibus, idem semper mihi atque tibi visum est, ideóque plurima in meis annotationibus præterii. Inuenio tamē mira quædam in eo exemplari de quo ad te scripsi, nec sanè, vt arbitror, dissimulanda, de quibus etiam, si tibi molestum non erit, nonnihil ad te scribam, priusquam annotationibus meis adiiciantur. Denique hos duos & pios & non infeliciter institutos adolescētes, à quibus has literas accepisti, velim siue istic substiterint, siue Vvitebergæ esse maluerint, tibi plurimùm esse commendatos. Sartacenus vnus, alter Coladonius vocatur, vterque optimi parentis, medici quidem ille, iste iurisconsulti filius, quibus etiam priuatim multum debeo. Itaque rursum eos tuæ humanitati plurimùm commendo. Athanasii dialogos illos quinque de quibus ad te scripseram, ne nunc quidem absoluere potuit Henricus Stephanus noster, totus in etuendo suo Thesauro occupatus. Itaque res tota in Septembris nundinas reiecta est, si modò nos Dominus superstites esse voluerit. Minantur enim mali nescio quid reliquiæ contagiosi anni superioris subinde pullulantes: alioqui nihil est, vt arbitror, vna Geneua beatius. Valde me delectauit D. Andreæ Freybubii libellus aduersus instauratas veterum hæreseōn blasphemias istic editus, in quo pium nostrarum Ecclesiarum cum verbo Dei & tota vetere Ecclesia consensum non sine incredibili voluptate intueor. Vtinam abscindantur nōnulli quorum vna certè improbitas prohibet quominus solidū hoc per omnia gaudium gaudeamus. Custodiat Dominus hoc verum & firmum fidei nostræ fundamentum, & procul saltem à nobis teterrimos illos errores abigat, quorum tam efficax instauratio vltimam, vt mihi quidem videtur, orbi terrarum internecionem minatur. Bene vale, vir reuerende & verè eximie. D. Iesus te seruet, & optimis ac doctissimis fratribus, liberis tuis, totique adeò familiæ tuæ magis ac magis benedicat. Geneuæ, 27. Februarii, 1570.

EPISTOLA LII.

P. CARPENTARIO IVRISCONSVLTO, QVI SE postea omnium hominum maximè ingratum, & sceleratissimum apostatam præbuit.



VONIAM à pace Gallica video consilia tua pendere, expectaui aliquandiu nunquid ea de re certius afferretur. Quæ nuntiantur pleraque manifestè sunt vana, alia verò non tantùm varia & incerta, verùm etiam prorsus repugnantia. Et quæso, veluti Satana ipso ad gubernaculum sedente, & nihil non audente & impunè moliente, quid minùs expectare possis quàm vt tanta tempestas tam repentè sedetur? Primùm ergo suadeo vt perinde deliberes de rebus tuis, ac si vel nulla prorsus, vel maximè insidiosa pax esset futura. Dein de vt pacem iam initam, & quidem syncerè initam esse somniemus, an putas sapienter facturos qui sese in tuam patriam, id est, in ipsum pelagus vbi maxima vis tempestatis incubuit, statim dederint? Ego quidem hoc mihi persuadere non possum. Quid porrò ab illo vetere tuo amico expectare meritò possis non video. Nec enim dubito, præterquàm quòd est valde meticulosus, qualem esse hominem nosti: quin nunc grauissimè & priuato quidem nomine nostris sit infensus, quòd fratris ipsius filium, Tholosanum, vt audio, præsidem (vt & cæteros in illo Senatu sedentes) grauissimis damnis affecerint. Scis autem istiusmodi homines iniuriarum potiùs quàm officiorum memores esse solere. Itaque non modò non recusandam, imò ne differendā quidem tibi censuerim conditionem quam offerunt amici: non modò ne sis otiosus, quòd sanè tibi graue esse

esse debet, verùm etiam quòd prudentis hominis, in hoc præsertim rerum tuarum statu, esse existimem certa & parata quibusuis vsque adeò incertis anteferre. Nihil autem obstat quominus, vt vestri ordinis professores solent, aliquod certi temporis spatium paciscaris, atque etiam adiicias, si qua interea sese occasio obtulerit, vt tibi ad tuos visendos aliquid temporis concedatur. Ita igitur faciẽdum tibi arbitror, & quidem nulla interposita mora, quam tibi tanto damnosiorem fore existimo, quanto fuerit longior. Quod ad pecuniam attinet, quam adhuc mihi debes, meministi quid tibi in tempore prædixerim. Scito repetitam à me fuisse pecuniam quæ deposita fuerat, vt eam statim, sicuti par erat, restituerem testor tibi quod verum est, etiamsi fortasse non credes, aliunde me sumere mutuò oportuisse quod domi non haberem. Hæc res ne mihi sit fraudi etiam atque etiam rogo. De tuo illo creditore, audieram nonnihil ex tuo cognato. Iam senti re te necesse est satius fuisse te impetrata à nostris misione, adhibitis in consilium amicis creditoribus monitis, honestè rebus tuis prospicere, quàm profectionem instituere fugæ simillimam. Scio quàm multa posis prætexere. Sed preterquàm quòd certò noui plurima te frustrà metuisse, omnia sanè tuæ existimationi postponere te oportuerat. Ego certè, referentibus mihi multis te non esse ad nos reuersurum, centies contrarium affirmaui, vt me centies mendacem feceris. Sed ista fieri infecta non possunt. Cum N. vel quoquam alio de his rebus agere me puderet, & si consilium meum nunc saltem sequi voles, satisfacies illis potiùs quàm vt vllam hac de re querelam instituas. Etsi enim ille, si ita se res habet vt scribis, iniquè & duriter tecum egit, tamen de tantillo eum quoquam contendere tibi honorificum non erit. Venio ad duo alia quæ me sanè grauiter pupugerunt. Quereris te in istas difficultates incidisse, quòd nostris prodesse studueris. Ego nunquam hoc tibi concedã, & ne me fortè existimes immodico nescio quo amore peccare, quod sæpe mihi obiecisti, nullum super hac re iudicem effugerim, paratus etiam quauis sponsione certare Ni contrarium liqueat. Quod tibi promissum fuit, non modò suo tempore præstitum est, verùm etiam sæpe, vt tu nolli, repræsentatum auctarium accepisti, si non quantum cupiuisti, & ego sanè cupiuissem, tamen quantum antea alius nemo. Ipsemet misionem petiisti. Quid est, obsecro, de quo conquueraris? Noluerunt, inquis, mihi pecuniam fœnerari. Etsi enim inuidioso hoc verbo non vteris, tamen quid tibi stomachus expresserit facilè ex tuis literis coniicio. An & cur tibi quicquam credere recusarint nostri, testor me ignorare. Peculiolæ & quidem mutuatitiæ aliquid illos collegisse scio, vnde suorum inopiam & quidem non quorumuis, sed quorum demum causa comprobetur, bonis conditionibus subleuent. Certæ sunt hac de re leges perlatæ, vt & reip. & priuatis caueatur. Si per leges id fieri non potuit quod postulabas, an eas, obsecro, æquum fuit tua causa rescindi? Et tamen quid hîc tecũ actum sit, sanctè tibi testari possum nunquam me ex quoquam cognouisse. Tantùm hoc commemoro, vt bonos, honestos, immerentes, publico munere fungentes homines incusare tandem aliquando desinas. Sed illud quod tu bello sanè nomine vocas presbyterii nostri Senatusconsultum, quomodo tandem coram Deo, imò coram hominibus excusaueris? Sed ipse me continebo. Tantùm hoc testor coram Deo, tam falsum, tam mendax, tam commentitium hoc esse in quo nimium credulum fuisse te video, quàm quicquam in quenquam confingi posit. Si hoc tibi non satisfacit, tu videris. Deus autem nos, sat scio, aduersus hanc fœdisimam calumniam, vt aduersus alias innumerabiles, vindicabit. Interea mutuam nostram amicitiam colere, quoad eius fieri poterit, nunquam desinam. Æquum est autem vt quemadmodum postulas vt iracũdiam tuam boni consulam, sic tu me multò magis, non irascentem profectò, sed vera & iusta respondentem audias. Ad nostros illos redeo. Vide tute ne in hac animi alacritate ipsis desis. Ego non literis modò sed quibuscunque modis licebit, eos vltrò iuuare pergam: literas autem idcirco non mitto, quòd non perfunctoriè, sed quàm diligentisimè causam ipsorum apud principes vnum & alterum agere instituerim, quod facere non possum priusquàm plenius quæ sint ipsorum consilia cognouero. Velim autem eos proxima Imperii comitia anteuertere. qua de re sedulò ipsos cõmonefacies. Perditus ille de quo in extremis tuis literis scripsisti, me non fefellit, sed illos potiùs qui plura ipsius fidei commiserũt quàm vellem. Bene vale cum vxore, totáque familia. Geneuæ. Cal. Aprilis. 1570.

EPISTOLA LIII.

N.

AVDIO, mi frater, quendam sese istic iactare quasi in eo quod hîc habuit mecum colloquio de reali corporis Christi præsentia & Eutychiana illa vbiquitate os mihi obturauerit, atque adeò nescio quid ea de re scripsisse quod edere quoque cogitet. Si ita est, non possum istam impudentiam vanisimi & mendacisimi hominis satis demirari. Fuit hîc ad aliquot dies, studium cognoscendæ Ecclesiarum nostrarum doctrinæ, & procurandæ communis concordiæ prætexens, nihil alioqui præ se ferens quod eum mihi commendaret. excepi licet ignotum, & vt video, immerentem, qua potui humanitate ac etiam liberalitate. Semel atque iterum cum eo collocutus: etsi nihil præter loquacem inscitiam in homine deprehendi, tamen ne quam de nobis conquerendi occasionem vel leuisimam haberet, admisi ad tertium colloquium, sed bonis & idoneis testibus duodecim aut tredecim præsentibus. Hi verò omnes testabũtur non modò nihil illum habuisse alicuius momẽti quod regereret: verùm etiam mox testatum quòd sibi satisfactum esset, gratias egisse, & suam nobis operam omnem prolixè

promisisse. Quòd si nunc contrarium loquitur & scribit, sciat me, siquidem vixero, veritati minimè defuturum. Videbatur autem vetus amicitia postulare (etiam si nunc à nobis fortasse nonnihil in hac causa dissentis, sicuti multorum non obscuris sermonibus refertur) vt me potiùs de hâc re commonefaceres, quàm tale quicquam de me istic ab errone & circulatore isto spargi patereris. Itaque etsi meæ conscientiæ testimonio & certissima huius causæ quam defendo bonitate fretus, nullos istiusmodi hominum conatus reformido, tamen te vehementer rogo vt istæ turbulentorum ingeniorum consilia pro virili impedias, &, quod te facturum spero, paci Ecclesiarum consulas. De rebus nostris, grauiter adhuc nos vrget pestis, quæ me secuodò expulit domo, sublato cum duabus ancillis voico charissimo fratre meo Vezeliorum præfecto, qui soluta vrbis obsidione ad me venerat vt sese aliquaotum recrearet. Ego verò in maximo mœrore expecto quicquid dederit Dominus, siue diutius mihi peregrinandum est, siue mox in æternam illam quietem emigrandum. Tu autem, frater, Deum pro nobis assidue precare, vt & ego vicissim eum oro vt te ab omni malo custodiat. Bene vale. Geneuæ, 27. Septemb. 1570.

EPISTOLA LI'II.

N.

ETIAMSI non significasses tibi veluti excidisse literas quas ad me dedisti ex tabernaria nescio qua officina, facilè id coniecissem ex earum vel leuissima inspectione, adcò incogitanter & imprudenter multa in iis effudisti. Noo placuit tibi mea in illo tuo scripto reprehendeodo acerbitas, & me reuocas ad eum Apostoli locum in quo lenitas commeodatur. Ego is non sum, Dei gratia, qui velim peccata mea, quæ plurima suot & maxima, excusare. Sed in mutua nostra amicitia siquid peccaui (quòd certè si feci, imprudeos feci) in eo demum peccatum à me fuisse agnosco, quòd nimiùm leuiter te & apud alios & apud meipsum excusaui, & nimiùm te patienter tuli grauissimè in multis peccantem. Ignoscat hoc mihi Deus, faxitque vt tandem & teipsum meliùs noris, & reipsa potiùs quàm ex libris verè philosophari discas. Venio ad illud ipsum scriptum, de quo tecum egeram. Ego certè illud non sum commentus (absit enim hoc à me) neque ab vno quopiam accepi, sed ab iis de quorum fide & auctoritate dubitare mihi integrum non fuit. Esto tamen vt non bene percepta sit animi tui sententia, vel non rectè descripta, annon tamen illa sunt eiusmodi quæ vel omnium grauissimam reprehensionem mereantur? Sed ista in me non conueniunt, inquies. Vtinam ita sit, & fuerim ego potiùs nimiùm credulus quàm tu blasphemus & impius. Malo tamen tibi ipsi potius hac in re quàm multorum quantumuis grauium hominum testimonio credere. Sed ad alia penè innumerabilia, non tamen leuiter, sed impudenter, stultè, insanè denique abs te dicta quid tandem responderis? nec enim velis, opinor, inficiari quibus ipsi parietes personant. Video te arbitrari vel illic fuisse à me comparatos Corycæos, vel ab inuidis aut maleuolis quibusdam hæc ad me fuisse perscripta. At ita me bene Deus amet, vt illud quidem à meis moribus est alienum, istud verò falsissimè tibi, quantum iudicare possum, persuasisti. Verùm quod palàm fecisti, palàm dixisti toties, & ita quidem vt ex eo etiam veluti gloriam velle captare videreris, an putas latere quenquam potuisse? vis oosse vnde ista cognouerim, & quidem maximo cum meo dolore? Nemo illinc veoiebat ex quo de te non rogarem & quidem ex aniioo (Deus testis est) quo in me omnes quàm maximè velim esse affectos. At ego vix vllum audisse me memini, qui non ea de te referret, quibus haud scio an quicquam indigoius dici posit. Ne longiùs abeam, priores illas literas ad quas quum ego respouderim tu contrà ne γρῦ quidem, quàm turpes, quàm maledicas, quàm calumniosas ad me dedisti? In his autem postremis, vt multa non resecem ad viuum, quoties nescio quos nostros apostolos commemoras, an nō toties quàm impudeotissimè calumniaris? Viuit Dominus io cœlis qui hæc audit, & requiret. Nos autem, Dei gratia, didicimus per bonam & malam famam ambulare, & vt maximè velis oostri ministerii cursum remorari, quid tu tandem effeceris, miser homuncule? Teipsum certè præcipitem dabis quandoquidem iudex noster est in cœlis. Dolet tibi quòd bis fueris carcere multatus. Doluit & illud mihi imprimis, totíque fratrum cœtui, ipsisque adeò Dominis quàm vehementissimè, quod verè testari possum, etiamsi contrarium tibi persuasisti. Sed quid aliud agerent quibus hæc præscribunt æquissimæ & moderatissimæ leges, vt hac saltem pœna, quæ leuissima est, maledicos & blasphemos coerceant? Ineptum sanè illud est quod aliquando ex me quæsiuisti, an sit ebriosus qui semel ebrius factus est, ac proinde habendus blasphemus, cui semel excidit blasphemia. Discrimen sanè est inter eum qui semel vel etiam sæpius peccauit, & eum qui veluti habitum quendam vitii contraxit, sed vtrumque tum Ciuiles tum Ecclesiasticæ leges puniunt. At debuit haberi tuæ professionis ratio. Concedo, & nisi habita fuisset, aliter profectò tecum actum esset quamuis quod ad me attinet, omnem operam dederim vt clementiùs etiam tecum, si fieri posset, ageretur. Sed quid si Philosophia ipsa has à te pœnas exegit? nec enim mediocri iniuria sanè illam ipsam affecisti, quum ipsius leges vsque adeò intemperaoter transgredereris. Et tamen, si Deo placet, inuenisti etiam alium qui tibi ea in re factam iniuriam diceret. Ego verò nostros illos fratres & prudētiores esse noui quàm vt audita altera taotùm parte quæ sit in iudicio damnata, sententiam de re sibi alioqui iocomperta ferant, & de hac Ecclesia meliùs sentire mihi persuasi, quàm vt ab ea quicquam iniquè decretum sibi tam facilè persuadeant. Vtcunque sit,

quis

quis tandem præter teipsum ista quæ hîc tibi contigerunt enuntiauit? Egóne qui promissis
tuis fretus omnem operam dedi, vt mea commodatione omnia ista tua dedecora tegerētur: an
alius ex nostris quisquam? certè nullus, opinor. Itaque tibi ipsi totum hoc imputes oportet, ex
quo & illud intelligere potes, quàm sapienter ipse met tibi caueas. Descende tandem, descende in
teipsum, neque immoderatos istos affectus in consilium adhibe. Quot hîc tibi contentiones, quot
rixæ fuerunt? quîcum hic vixisti quem ista tua intemperies non offenderit? quoties hoc ipse con-
fessus es? quoties te Dominus corripuit? vbi est [illegible]? vbi Christiana illa [illegible]? annon semper
tu tui similis esse pergis? imò annon hoc est in deterius progredi, vt Apostolus loquitur? Nam an-
tea cum priuatis pacem colere non potuisti, nunc non dubitas integras Ecclesias lacessere. Viuit
Dominus, viuit, qui hæc requiret, nisi hoc ingenium mutes, & alios prorsus mores induas. Cæ-
terùm quid de me aulici illi sentiant, de quibus scribis, siue quid hic vel ille garriat, ne tantillum
quidem moror: nec te velim mea causa hac in parte laborare. Aulicorum ingenia noui ab ipsa pe-
nè pueritia. Si placere hominibus studuissem, non essem ingressus in hoc vitæ genus, quod sequor.
Scio cui reddenda sit mihi muneris mei ratio. Vnū hoc mihi propositū est, hoc vnum ago, nec ita
desipio vt aliam ab hominibus mercedem expectem quàm illam ipsam quæ bonis omnibus re-
pendi solet. Et quanquam is sum qui nihil humani à me alienum esse sciam, nunquam tamen te
opinor in me animaduertisse eius ambitionis signa qua solent ii laborare qui in pretio esse cu-
piunt. Satis est mihi si pro virili culpam præsto. Cætera omnia Domino committo, cuius gratiæ
& misericordiæ confido, alioqui vt fractus illabatur orbis, impauidum, vt spero, ferient ruinæ. Sed
de hoc plus satis, quod tamen exprimere apud te placuit, vt semel noris me ne tantillum quidem
istiusmodi nugis & quisquiliis commoueri. Transeo ad quædam alia. Quod de Essentiatione di-
cis, excusari nulla vel Thomæ vel alterius cuiusquā istiusmodi scriptoris authoritate potest, quo-
niam Essentiatio nihil aliud quàm Essentiæ creationem vel propagationem, ac proinde multipli-
cationem significare propriè potest, qua significatione quum à Gentilianis accipiatur meritò il-
lam damnauit Caluinus, quem à te priùs intelligi quàm reprehendi oportuit. At non vult Calui-
nus Filium habere esse à Patre; nempe si spectetur ipsum esse Filii absolutè & absque personæ re-
latione, quum esse Filii & esse Patris non sint duo esse, sed vnicum illud esse, quod nisi à seipso es-
set, deitas non esset. Aliter de his vel sensisse vel scripsisse maximum illum virum dici non potest
absq; insigni iniuria, cuius certè laboribus incredibilibus pro veritate Dei aduersus horrendas il-
las blasphemias tum susceptis quum hanc causam ferè omnes silentio suo prodebant, indigna
merces rependitur. Mones denique vt potiùs de nostra qua hîc vtimur disciplina Ecclesiastica
defendenda laborem, quam tu quidem nulla ratione tueri potueris. At ego te quietum hac in par-
te esse velim. Est enim adhuc adeò profectò infirmis & planè iunceis telis impetita, vt ruinam mi-
nimè timeat, ne si tu quidem aut mille tui similes in eā coniurauerítis. Et quod de quorundā hac
in re iudiciis cōmemoras, nihil me mouet. Imò ne de illo quidē ipso cuius theses sunt, aliud mihi
persuasi, quàm veritati sponte cessurum. Vt autē non per omnia consentiant viri boni (nec enim
hoc patitur humani iudicii imbecillitas) attamen mutuò se pati & tolerare norunt, ac proinde ni-
hil tale metuo, quale tu nobis non tantùm prædicere, verùm etiā minitari videris. An verò tā citò
excidit tibi, quid mihi tunc responderis quum primum illas theses tibi ostenderem? Miror, inqui-
ebas, hunc hominem suæ professionis finibus non contentum in Theologiæ limites excurrere, de
quo etiam pollicebaris fore vt eum amicè commonefaceres? Et tamen is est profectò vir ille qui
Theologicorum quoque minimè sit Imperitus. Te verò qui neque in verbo Dei sis exercitatus,
neque ex Scholasticis quicquam istorum discere potueris, oportuerat profectò in hac discepta-
tione spectatorem & auditorem potiùs quàm actorem esse. Sed sperasti nimirum ita vlcisci te
posse iniuriam quam tibi à nostro cœtu factam putas, cuius videlicet vel ipsa ruina tuum dedecus
tectum optares. sed falleris certè vehementer. Stabit enim quod manu sua plantauit Dominus, &
adhuc conseruauit, & iudicium illud in te latum sola resipiscentia rescindet, qua de re rectissimè
feceris si dies & noctes potiùs quàm de oppugnanda veritate firmissimè cogitaris. Nō probas, &
nunquam te probaturum testaris quòd in nostro cœtu scribam & lictorem habeamus. Agnosco
tuas hyperbolas. Quid tum enim si hoc non probas nec vnquam probabis? an propterea iniquum
est tabulas Ecclesiasticorum iudiciorum extare, quarum vel leuissima inspectio iis redarguendis
sufficiat qui nostrum hunc morem vt oligarchicum siue Tyrannicum calumniantur? Alias multas
rationes omittam cur ita id fieri, id est, in acta referri quicquid in consistorio dicitur aut geritur,
non tantùm expediat, verùm etiam sit necesse. An id verò temerè à quouis fieri potiùs quàm ab
homine idoneo, & ad hoc ipsum munus ab ipso Magistratu ritè delecto oporteat, tute iudicato.
Lictorem porrò nullum habemus. Quorsum enim hoc? Sed apparitorem habemus, cúmque non à
nobis lectum, sed à Magistratu datum, quemcunque ipsi libuit, quíque non ex nostro imperio
quicquam agat, sed ex ciuilis Magistratus auctoritate vocet quos opus est. Quid enim? an singu-
los nostrûm velles in ciendis hominibus occupatos? Imò verò si hoc faceremus, an non hoc
ipsum cuius nos immeritò insimulas ageremus? Inuaderemus enim certè in ciuilis Magi-
stratus iurisdictionem, à quo crimine quàm longè absimus, omnes ii norunt quibus Ecclesiasti-
cæ nostræ disciplinæ ratio probè est perspecta. Vtcunque sit, quis te nobis iudicem vel discepta-
torem dedit? Ergo hæc quoque videt Dominus, & nisi resipueris, requiret. Venio ad libri tui
editionem. Eam partem quam misisti, legi cum soceri tui venia. Si reliqua miseris, curabo vt excu-
datur, sed duabus cōditionibus, quarū vna est vt priùs inspiciatur & probetur (est enim hoc ita in

hac Ecclesia constitutum in omnibus cuiuscunque libris) quod me bona fide facturum spondeo. Altera, vt mihi potestatem facias quædam nimis asperè in tuum antagonistam dicta emolliendi, quædam præterea in ipsis vocabulis emendandi, quum & barbarismis & solœcismis multæ periodi, scatcant, adeò fuisti tu quidem in scribendo, amanuensis autem in exscribendo præceps. Tu nunc quid tibi agendum putes, constituito. Librum interea socer tuus sanè habeto.

Habes longam epistolam, asperam, acrem, sed verè & non minùs candidè quàm ingenuè scriptam. Eget enim tuus hic morbus istis remediis, mihi crede, quamuis natura tua nõ ferat. In summa, memineris quid inter verum amicum & adulatorem intersit. Amare docuit me & natura & aliquis rerum vsus: & quamuis plus æquo interdum ad amicorum vitia conniueam, adulari tamẽ, Dei gratia nunquam didici. Expertus verò quantùm adhuc tibi patientia mea nocuerit, eò nũc vehementiùs tecum agendum credidi. Si quid ita obtinuero, gaudebo quod nunc quoque te aberrantem in viam reuocarim. sin minùs, ei te relinquo coram cuius tribunali omnes aliquando stabimus. D. Iesus nostri misereatur, Spiritum suum tibi tribuat, faxítque vt quorum verã amicitiam expertus es, eorum iudicia pluris facias, & monita libentiùs audias. Geneuæ. 26. Maii.

EPISTOLA LV.

N.

ETSI nunquam antea mihi tecum intercessit familiaritas, vir eximie, arripui tamẽ percupidè hanc ad te scribendi occasionem. Nec enim coniunctius quicquam iis esse potest quos eiusdem religionis vinculum, eiusdem veritatis tuendæ studium coniunxit. Huc accedunt eximiæ dotes, quibus ita exornauit te Dominus, vt bonis omnibus vel ob hoc ipsum reddiderit amabilem, malis autem illis, quibus id vnum propositum iampridem est, vt surgens Ecclesiæ ædificium interturbent, planè formidabilem. Itaque & amo te, & postulo penè impudenter vt me vicissim ames, quod etiam impetraturum me confido. Cæterùm quis hîc sit rerum nostrarum status, ac etiam quid impediuerit quominus postremus quidam tuus, planè tuus, id est argutè simul & perspicua methodo scriptus libellus ederetur, ex Frederico nostro cognosces. Enimuerò minimè nos pœnitet fidem silentii illustrissimo Principi datam præstitisse. Sed quum iniquissimum esse videatur, vt aliis quidem suã mendacia magis ac magis spargere liceat, quod sedulò facit in primis Ismael ille Illyricus, nobis verò tueri veritatem sit nefas: rogo te etiã atque etiam, vt quum occasio dabitur (velim autem vt eam quoque captes) illustrissimũ Principem promissi appelles, quum ille vicissim pollicitus sit facturum se, vt viperæ istæ sibilare desinerent. Quàm sanctè verò istud obseruent, Alastor ille plus satis testatur, qui non contentus, quæcunque alii rectè & ordine scripserunt in suas ineptissimas farragines transferre, facit etiam quod de Harpyis Maro testatur, purissima quæque suis sordibus conspurcãs. Edidit etiam nuper libellum de peccato originis, non modò ineptum & ridiculum, verumetiam execrandum, vt qui doctrinæ de animarum mortalitate fundamentum manifestè iaciat. Nam si corrumpi potest animi essentia, certè & interire. Et quis istum asinum ferre possit simplices essentias, quas Actus vocant, corruptioni subiicientem? nempe qui similes amant labris lactucas. Miseram Germaniam, quæ hæc monstra non tantùm tolerat verumetiam fouet, & quidem (vt audio) satis carè. Agè tamen, saltem non indignetur Illustrissimus princeps, si quum illius insania compesci nõ possit, nos saltem silentio veritatem non prodamus. Hoc igitur tibi commendo. Mitto autem ad te mutuæ nostræ amicitiæ symbolum, exemplar quarundam mearum prælectionum, seu potiùs παρεκβάσεων, quas bona fide exceptas passus sum excudi, futuri fortassis aliquando maioris operis rudimentum, si modò ita censuerint amici, quibus ego diiudicandum hoc quicquid est mitto potiùs quàm legendum. Ignosces audaciæ meæ, & quæcunque ab homine tui amantissimo, tantulo quidem quantuluscunque sum proficisci possunt, à tuo Beza expectabis. Bene vale, vir eximie. D. Iesus te seruet Ecclesiæ suæ, tuísque laboribus magis ac magis benedicat. Geneuæ, 14. Martii. 1564.

EPISTOLA LVI.

N.

TIBI igitur, vt video, decretum est pergere. Ego amici officio defunctum esse me gaudeo, qui & quæ vitare deberes præmonuerim, & aberrantem studuerim modis omnibus in viam reducere. Tantùm hoc vnũ adiiciam, quod mirum est & triste, te toties à Deo & amicis commonefactum nõ sentire nullos minùs sapere quàm qui sibi sapiãt, nullos esse in suis rebus minùs oculatos, quàm qui alienis oculis sua cernere detrectant. Hoc ita esse nunquam nisi serò admodum experieris. Ad aliud venio. Allatum est ad nos scriptum de Dei esseotia, quod aiunt vel à te dictatum, vel ex te fuisse exceptum, breue quidem illud, sed eiusmodi vt summopere bonos & doctos omnes Theologos sit optimo iure offensurum, quod breuibus complectar. Quum factum dici posse Filium dicis, iacis Arianæ blasphemiæ fundamentum, loqueris cõtra Scripturæ & omniũ orthodoxorũ morẽ, obiicis omnes nostras Ecclesias calũniis aduersariorũ, vt nemo pius hoc audire sine offensione possit, quibuscũq; postea interpretationibus vtaris. Certè in tuam gratiã non mutabitur in Ecclesia symbolũ Athanasii, neque Nicenũ conciliũ

sacro-

sacrosanctum corrigetur, cui nemo adhuc inuentus est qui sese opponeret, quem Deus horrendo iudicio non perdiderit. Quòd Filium dicis à Patre Essentiatũ respecto personæ, durissimũ est ac etiam impropriè dictum. Nam Essentiatio nihil aliud propriè significare potest quã Essentiæ generationem ex propagatione, quæ in Diuinis absque Deitatis ipsius multiplicatione dari nõ potest. Deinde quum Essentia & persona sint diuersa, quomodo Essentiata dicetur persona nisi impropria admodum locutione? quoniam (inquies) genitus est Filius communicatione Essentiæ. Concedo, sed alteram Essentiam genitam seu propagatam à Patre, ac proinde Essentiatam personam fuisse nego, quamuis apud patres interdum [illegible] filius dicatur. Sed quum non ignores commentitium hoc Essentiationis nomen quorsum & à quibus sit nostris temporibus repositum, quare hoc discordiarum semen retinebimus, Apostolo præsertim, quod & ratio ipsa in omnibus disciplinis fieri iubet, omnes λογομαχίας prohibente? Iam verò quis illud ferat quod dicis, nempe eod fferre, dogma aduersariorum à nostro, id est mendacium à veritate, tenebras à luce, quòd illud quidem plura, nostrum verò pauciora absurda consequantur? Imò verò nisi absurdum esse dicamus quod ex verbo Dei necessariò consequitur, nullam doctrinæ nostræ, id est Christianæ partem absurditas consequitur: id autem dicere, vt iis liceat qui secundùm carnem tantùm sapiunt, ita Christianis, id est verè, siue ea Dei sapientia sapientibus nefarium est. Quòd autem dicere audes testimoniis & veris principiis Scripturæ quamuis malè accommodatis niti Antitrinitarios, ideóque ex verbo Dei ipsis responderi non posse, certè vox est piis omnibus intolerabilis, & quod ad me attinet, si ita sentis, vix alio te loco habuerim, quàm hominis prorsus impii, quoniam pietas nostra omnis non alio fundamento quàm ipsissimo verbo Dei nititur: alioqui væ nobis nisi ex Dei verbo blasphemias impiorũ refellere solidè & verè possimus. Sed quo tandem loco postremum istud tuum dictum habebimus, posse te multas rationes afferre, quibus ne Paulus quidem ipse, si viueret, respondere posse? Itáne verò te potuisse desipere, vt istud quod vel cogitare impium & in Deum ipsum blasphemum est, palam etiam, tot audientibus, ausus sis effutire? Túne miser homuncio ausis organo Dei electo, cuius tonitrua ferre vniuersi mundi sapientia non potuit, túne, inquam, Spiritui Christi per os Apostolorum loquentis opponere quicquam possis, quod refellere Dei sapientia nõ possit? An ignoras quid Elymæ mago, quid Alexandro fabro ærario sese Pauli sapientiæ opponẽtibus cõtigerit. Vidit diuinissimus ille vir etiam ἄῤῥητα, & quæ homo eloqui nõ possit: & tu, scilicet, aut mortaliũ quispiam tuis rationibus illũ cogeres obmutescere. Ignosce ingenuè loquẽti. Tua ista vox non est hominis sani, sed φιλαυτίᾳ prorsus ebrii. Quòd nisi cũ lachrymis & gemitibus crebris irã Dei fueris deprecatus, & piis qui te ista loquentẽ audierũt, satisfeceris, periisti, infelix, nec te vlla philosophia quocunque perueneris aduersus indignationem Omnipotentis tuebitur. Hæc ego apud te animo (vt vides) exulceratissimo, & quidem eò magis quòd te amaui, & vt ab aliis diligereris studui pro viribus. En quam nunc amicis mercedem rependis: en quò te præcipitem tua intemperies agit. Et sunt illa ludus & iocus præ iis quæ tibi imminent, nisi prorsus alius fias. Hoc ego tibi opto ex animo, & à Deo Opt. Max. precor. Bene vale. Geneuæ, 13. Martii, 1569.

EPISTOLA LVII.

IOAN. COGNATO GALLICÆ LONDINENSIS Ecclesiæ Pastori.

Mi frater, quòd tam raras à me accipis, velim assiduis meis occupationibus acceptum feras. Nunc autem putaui omnino hanc ad te scribendi occasionem à me prætermitti nõ posse. Accepi hac hyeme septem quædam scripta Antonii Corrani, Hispani, eáque copiosissima, in quibus & te nominatim cum aliis quibusdam mihi ignotis, & totum Seniorum ordinem vir ille tam acerbè grauitérque accusat, vt vix quicquam virulentius scribi potuerit: qua de re certiorem te faciendum existimaui, non vt contẽtiones siue iam sopitas rursus excitem, siue adhuc ardentes fodiam, sed idcirco duntaxat vt intellecta tanti momenti criminatione, des operam ne quid ex ea re detrimenti Ecclesia tibi commissa accipiat. Nosti, & millies expertus es, nobis per bonam & malam existimationem ingrediendum esse. Vt autem ea qua decet moderatione res tota statim pertractetur, neque vt aliquoties istic factum est, flamma ex flamma spargatur, omnia ad reuerendum Dominum Londinẽsem misi, cuius arbitrio ac potestati sic te prorsus obsequi velim, vt te nihil hîc tuum quærere, sed vni paci Ecclesiæ tibi à Deo commissæ studuisse omnes intelligant, ac re ipsa experiantur. Potuisti, vt astutus est noster hostis, in actione huius causæ decipi, quod maximis etiam viris vsuuenit: & ista quorundam vehementia, quos ait in Galliam vsque fuisse allegatos, mihi nõnihil est suspecta, siquidem ita se res habet. Sed minimè vanam fuisse suspicionem hanc tuam, ne non satis syncerè homo iste ageret, perlectis ipsius ad N. literis, quas nõ aliunde quàm ab ipsomet accepi, res ipsa, ni fallor, ostendit, vt si quid hîc peccasti, ego quoque si tuo loco essem, fuerim fortasse similiter aut grauiùs etiã peccaturus. Sed multa hîc incidunt de interceptis, de perperã trãslatis, aliquoties simulatis literis, & aliis quibusdam, quæ sic iste vobis impingit, vt si vera sint (quod ego quidem mihi persuadere non possum) omnino reprehensione digna videãtur. Sed vtcũque se res habeat, vides quid Sathan conetur, nempe vt vos illis dolis pessundet, quibus alibi peregrinãtes Gallicas Ecclesias perdidit, ea in quorundum etiã optimorum animis insita opinione, quæ facilè post eã eximi non potest, Gallos videlicet vbicunque fuerint, discordias & tumultus secum trahere. Hîc igitur præcipuè enitendum in contrariam partem videtur, vt publica tranquillitas priuato quouis dispendio redimatur. Quòd autem attinet ad priuatas controuersias, quò sunt grauiores istius in te criminationes, eò maiorem

facies innocentiæ tuæ fidem, si quàm planissimè illam defenderis, id est, si quàm maximè Christianè te in tota causa gesseris, quod te facturum confido. De rebus nostris scribit ad te copiosè Remundus noster, vt arbitror. Itaque totam hanc partem omitto. Bene vale, mi frater. D. Iesus sancto suo Spiritu te regat, & in tot difficultatibus sustineat, vt inoffenso cursu stadiũ hoc tuum ad metam vsque decurras. Geneuæ, 8. Martii, 1569.

EPISTOLA LVIII.

REVERENDO VIRO ET PATRI, D. EDMVNDO Grindallo Londinensi Episcopo.



CLARISSIME & ornatissime vir, dabis, vt spero, mihi veniam quòd non ita iucundũ nuntium tibi adfero: minimè tamen id facturus, nisi in eo negotio quod ad tuum munus spectat opera potissimum tua opus esset. Accepi his diebus ab Antonio Corrano Hispano literas minimùm septenas, omnes non tam excusationum quàm turpissimarum accusationum plenas, ídque non modò aduersus Cognatum & alios quosdam peregrinæ Gallorum Ecclesiæ fratres, verùm etiam aduersus vniuersum Presbyterorum cœtum, atque adeò in Xantonicarum Ecclesiarum Ministros, qui si tales essent quales iste esse dicit, certè non modò sacro ministerio indignos, verùm etiam grauibus pœnis dignos esse arbitrarer. Nec enim video quid in quenquam grauius dici possit, quàm si vt calumniator, testium subornator, falsator, filius diaboli, vt deniq; spiritu Cainico præditus traducatur, quæ omnia in illis scriptis expressa & multis modis inculcata comperies. Volui enim ea ipsa ad te mittere, ne & ipse vt calumniator ab eo traducar. Omitto sannas & dicteria in aliquot mihi probè iam diu cognitos homines vibrata, quæ mihi sanè, qui & in quos & à quo dicantur noui, risum potiùs quàm bilem mouerunt, cogitanti præsertim non aliud esse ferè illius gentis ingenium. Accidit autem percommodè vt tum hìc apud nos esset noster Galasius, ad quem etiam pars istius accusationis pertinet, quîcum communicatis omnibus, putauimus nos operæpretium facturos, si rem totam ad te, quem Dominus istic & speculatorem & iudicem constituit, reiiceremus, & ita quidem vt tibi integrum sit pro tua prudentia totum negotium pertractare. Idcirco enim quas & ad ipsum N. literas scribo, apertas vno fasciculo inclusi, vt iis vtaris prout expedire censueris. Mihi verò vehementissimè dolet Ecclesiam illam, quam ad mutuam souendam concordiam vel ipsa necessitas cogere debuit, tã multis subinde dissidiis vexari, quod fieri sanè non potest sine magnis offendiculis, & magna præsertim molestia tua, quum te potiùs eos intuentem, qui tot tantísque beneficiis à te sunt cumulati, exhilarari saltem ab eis oportuerit. Sed hæ sunt Sathanæ artes, tibi plus satis cognitæ, vt Domini ædificiũ & mutuũ populorum in vnius religionis cõfessionẽ consensum vel impediat, vel dirimat. Sic paucis ab hinc annis non priùs conquieuit Sathan, quàm Gallicas Ecclesias, Vvesaliensem, Francfurtensem, Argentinensem denique prorsus per eos ipsos dissiparet, à quibus semel ædificatas contineri oportuerat. Nec tu etiam ignoras quibus artibus hoc olim sit idem ille hostis molitus, vt vos Anglos suo tempore dispersos, qui nunc per Dei gratiam estis dispersorum hospites, inter se committeret, & commissos (quod per Dei gratiam efficere non potuit) quibusuis redderet exosos. Sed de Londinensi Ecclesia tuis secundum Deum auspiciis collecta optima quæque sperare me iubet summa tua tum æquitas tum etiam prudentia. Spero enim potiùs fore vt te ad clauum sedente, hæc quoque tempestas ita commodè discutiatur, vt ne ad hunc quidem scopulum ista nauicula collidatur, quam ad rem perficiendam non dubito quin Dominus opportuna tibi consilia suppeditet. De re autem ipsa quid hìc nobis, D. Galasio videlicet & mihi videatur (nam de his agere, vt ille postulabat, in communi fratrum cœtu non placuit, vt & ipsi & Ecclesiæ toti parceremus) ex meis ad vtrunque literis, si videbitur, cognosces. De rebus nostris. Afflixit nos pestis totis octo mensibus, sed clementer admodum, vix mortuis quadringentis, iísque ferè omnibus ex plebe infima, quamuis omnes vrbis regiones lues inuaserit. Nunc igitur, Dei beneficio quodam singulari, instaurata est schola hæc nostra & quidem insigni cum incremento. Vrbs autem ipsa redundat tãta miserorum exulum turba, vt penè sit incredibile tam multos adeò exiguo oppido contineri posse. Quòd nisi vicinæ Ecclesiæ Helueticæ sua beneficentia nostrum Ecclesiasticum ærarium liberaliter iuuissent, nos certè iampridem tantis sumptibus impares fuissemus. Hæc verò significare tibi volui, vir ornatissime, quòd tibi bonísque omnibus iucundissimum auditu fore mihi persuaserim, sic affligi Christũ in Gallicis istarum partium Ecclesiis, vt quemadmodũ apud vos trans mare in amplissimo regno tutos portus inuenit, ita etiam in ipsis leonis faucibus quieta quædam statio illi sit patefacta. Et quum hìc aduersus communem hostem communibus quoque precibus sit opus, spero etiam fore vt cognito rerum nostrarum statu, cælesti Patri ciuitatulam istam & scholam, quæ Dei vnius ope freta iampridem orbis terrarum minas non expauit, eò ardentius commendes, sicut & nos vicissim Deum precamur assiduè vt potẽte sua manu Angliam ab Antichristi tyrannide secundò iam adeò potenter liberatam seruet, & magis ac magis aduersus omnes Sathanæ omniúmque ipsius mancipiorum conatus sartam tectam tueatur. Geneuæ, 8. Martii, 1569.

EPI-

EPISTOLA LIX.

ANTONIO CORRANO HISPANO.

Nisi verò tu ipse causam tuam mihi exposuisses, nihil istorum resciuissem de quibus ad me toties & tam copiosè scripsisti. Nec enim certè quenquam de tuo negotio huc vnquam missum memini, quod tamen te non modò suspicari, sed etiam credere video. Tantùm hoc recordor scriptas priuatim ad quendam nostri ordinis literas fuisse, quibus postulabat Cognatus ecquid de te, qui aliquando hîc fuisses, & de quo fortasse nonnulli nostrûm aliquid etiam aliunde audiuissent, testari possemus. Addebatur hæc ratio, quòd istic esses nonnullis suspectus tum ex quibusdam tuis literis, tum etiam ex quorundam testimonio. In ea re quum illum peccasse dicis, falleris, vt arbitror, vehementer, quum potiùs sit laudandus Pastor qui ne leuissimas quidem suspiciones prætermittit, vt sibi suóque gregi caueat. Quòd te rursus priuatim priùs admonendum fuisse censes, ne in hoc quidem tibi assentior, quoniam in tanti præsertim momenti rebus priùs existimo cuncta quàm diligentissimè inquirẽda, quàm querela de quoquam instituatur. Nam alioqui periculum duplex consequeretur, nempe vt vel temere culparetur quispiam, vel probandæ veritati aditus præcideretur. Itaque quum rogaret ille quod iustum & æquum est, memini me simpliciter bonáque conscientia scribere non quod temerè essem cõmentus (esset enim hoc planè mentiri) non quod temerè arripuissem (quod summæ leuitatis esset) sed quod ita esse ex iis cognouissem de quorum fide non possem meritò dubitare. Hæc igitur occasio fuit mearum ad Cognatum literarum, de quibus iure an iniuria conqueraris, dicere liquidò non possum, quòd earum exemplar neque apud me retinuerim, neque tu miseris. Tantùm id scio, studuisse me omnia sic temperare, vt neque veritatem petẽti reticerem, neque discordiis occasionem præberem, quum non vtilem modò, verùm etiam necessariam vobis præsertim peregrinis concordiam esse constet. Itaque de hac re non habeo quod prætereà scribam. Si literarum exemplar miseris, libenter audiam quicquid voles: & si quid à me hic peccatum demonstraueris, vltrò culpam agnoscam. Nunc ad tua illa scripta venio, de quibus quid sentiam, syncerè tibi declarare constitui. Omnia certè ita asperè & virulenter scripsisti, vt te planè demirer in hoc ipsum vitium, quod in meis quibusdã scriptis, nec prorsus immeritò, reprehendis, tam facilè delabi potuisse. Hoc tamen certè inter nos interest, quòd ego causam publicam, tu tuam ipsius agis: ego in Euangelii hostes, tu in fratres inueheris, quos quum tu proditores, calumniatores, falsatores, filios Diaboli, denique spiritu Cainico præditos appellas, videsis, obsecro, quò vsque sis prouectus, vt nisi prorsus cæcutio, nonnihil hîc mihi potiùs quàm tibi condonandum videatur. Sed ad rem. Tuum illum conterraneum diu amaui, ac etiam honesto testimonio ornaui. Is ad me aliquando confessionis cuiusdam exemplar misit, de qua quid mihi videretur amicè & familiariter ad ipsum scripsi. Quum postea quorum scelerum istic vbi nunc es accusatus esset, & quàm turpiter sese subduxisset cognouissem, fateor mihi valde iam tum fuisse suspectum. quum verò postea intellexissem quos sermones de Cœna Domini habuisset, & ipsemet ad me nonnulla ea de re scripsisset, coactus sum acerbiùs illum reprehendere, nõ priùs sanè pro fratre illum habiturus, quàm aliũ factũ cognouero. Tu verò quocunque loco voles illum sanè habeto. Quòd autem tuarum ad ipsum literarum exemplar ad me à Cognato missum arbitraris, sanctè tibi affirmo vanissimum esse, neque vel apicem illarum vnicum me aliunde quàm ex te vno acceptum legisse. Legi igitur quod exemplar ad me misisti, nec possum aut etiam debeo, ni fallor, dissimulare quid de istis literis sentiam, vt me tibi verè amicum esse experiaris. Scio quàm familiariter inter amicos agi soleat: & qui in priuatas literas tam seuerè inquirunt, arbitror in communem hominum societatem peccare, quum nobis etiam ineptire fas sit inter amicos & familiares. Si quemadmodum tu dicis, studio interceptæ sunt, traductæ ac etiam deprauatæ, ego quidem istud factum probare non possum. Sed quum hæc mihi non sint comperta, hãc partem nõ stringo. Ad ipsas literas venio. Quædam in iis scripta quomodo excusare possis non video & ingenuè dico, si Cognati loco fuissem (cuius alioqui causam hîc non ago) me aliter fortassis, sed multò asperiùs tecum acturum fuisse. Tua hæc verba sunt, bona fide, opinor, Latinè expressa, *Huncrogaui vt quatuor coronatos tibi numeraret, emendis mihi tractatibus siue libellis, quos existimabis mihi vtiles fore. Inter cæteros velim habere libros D. Casparis & Valentini Crotoaldi, & alios aliquos qui religionem nostram sic pertractent vt conscientias ædificent. Nam certè me iam tædet Hebraismorum & Hellenismorum: & prolixi commentarii iam ad meũ gustum & palatũ nihil faciunt.* Hæc verò cuiusmodi sint obtestor te vt seriò cogites, nõ autẽ apud te cõminiscaris quomodo excusare possis. Fastidis Hebraismos, & Hellenismos & prolixos commentarios: quàm vereor ne Israelitarum sis similis, quibus cibus cælestis nauseam mouebat. Certè vel tu prorsus es indoctus, vel diuinitus in te illapsus est Spiritus sanctus, quod dogma etiam est illius Casparis, vel quicquid scis, ab istis Hebraissatoribus & Græcissantibus, ab istis, inquam, prolixis commentariis, quos nunc fastidis didicisti. Non est meum tibi præscribere studiorum rationem. Sed planè miror fieri potuisse vt in hæc tam absurda eruperis. Perinde enim hæc sunt ac si diceres velle te absque cæmento & lapidibus deinceps ædificare, vt de isto tuo fastidioso ventriculo nihil dicam. Loqueris enim in genere, & satis ostendis profectò nescio quid in eo delitescere quominus tibi sapiant tot doctissimorũ & optimorum hominum labores, quibus tu ipse quicquid es, secundùm Deũ Opt. Max. debes. Et quæso cui nõ immeritò sint hæc verba suspecta, quum impurissimi illius Casparis (alterum enim ego ne de nomine quidẽ noui) libros iis accẽses, quibus cõsciẽtia ædificetur? Sed & illud cuiusmodi est, quòd Casparẽ nominas prætermisso cognomento? Nam certè hoc prodit fuisse illum valde probè vtrique vestrûm cognitum, quum

ita minimè soleat appellari, sed ex Schuencfeldii potiùs cognomine, cuius fortasis inuidiam effugere voluisti, quoniam nulla est hodie Ecclesia, quæ non istum vt planè detestabilem execretur. Et quæso quorsum tam cupidè & tam procul istos vsque adeò impuros libellos? Non est, fateor, inhibita, Pastoribus præsertim, quorumuis librorum lectio, vt si quid inest boni vndique colligatur, & aduersariorum quoque argumenta cognoscantur. At profectò sapientis esse non videtur aurum, quod aliunde purissimum sese offert, ex istis stercoribus petere. Quòd si contraria veritati argumenta ex ipsomet scriptore cognoscere optasti, cur illā causam optimā præteristi? cur ædificationē conscientiæ, damnatis etiam cōmentariis, prætexuisti? Itaque vt hunc locū paucis cōcludam, minimè miror ista fuisse N. suspecta, quæ quò magis excusare conaberis, eò certè magis istā suspicionē apud me quidē auxeris. Quid ergo (inquies) tun' me Schuēcfeldianum facis? Bona verba. Non ita arbitror, quū te dicas contraria scripsisse, & de tua fide D. Episcopus Londinēsis testetur. Sed hoc dico, tuas illas literas ita fuisse scriptas, vt eius Ecclesiæ Pastori, ad quam accedebas, optimo iure fueris suspectus. Venio ad quæstiones quarum explicationē vsque adeò cupidè à tuo N. requiris. Obsecro, quæ nam illæ sunt? Quomodo possimus Verbum à Deo pro hominis remedio promissum considerare, antequàm carnem assumeret, & in qua substantia sese Patribus veteris fœderis demonstrarit. Hanc porrò quæstionē prorsus Seruetanā esse, si negas, negas solē meridie lucere, &, quum voles, ita demonstrabo, vt omnes intelligant. Scio tamen te prætexere posse iampridem à vetustissimis Patribus fuisse agitatam. Concedo. Sed cur eorūdem decisioni non acquiescis? Certè nescio an qui de hoc ambigit, satis sit Christianus. Quòd si non ambigis, cur igitur quæris, & ita quidem vt quid tu sentias non explices? cur etiam ex eo id quæris, quem tu minimè ignoras vt Seruetanum à quibusdam (falsò tamen, opinor) accusatū? Altera quæstio est, Quomodo Christus dū in hoc mundo versaretur, sederet ad dexterā Patris, iuxta illud, *Et nemo ascendit in calū, nisi qui descendit è calo, filius hominis qui est in calo.* At enim, nisi tibi sordescerent prolixi commentarii, non erat cur hoc quæreres. Repertus est nostra ætate vnus homo, qui sessionem ad dextram Patris ad incarnationem referret. Hoc inanissimum commētum ita video te arripuisse, vt de eo cœperis dubitare quod vel ipsis in Christiana religione tyrunculis notissimū est. Certè non potes ignorare nostras Ecclesias ab Eutychiano errore cuius fundamentum in dubium reuocas, prorsus abhorrere. Non potuisti igitur hac de re ita rogare amici sententiam, vt tu facis, quin meritò in suspicionem veneris, vel ista tibi non satis esse comperta (quod turpissimum ei fuerit, qui se alios docere posse existimat) vel te, quæ dicas & scribas, hæsitantē dicere & scribere. Tertiū enim illud minimè tibi volo impingere, quòd scilicet aliud dicas & scribas, quàm sentias. Sed volebas fortasis in vera doctrina confirmari. Cur igitur istam quæstionem non potiùs ita proponebas, vt te constaret nihil de re ipsa ambigere, sed potiùs confirmationē veritatis petere? Et scilicet hac in re tuus N. potuit nouum tibi quippiā suppeditare, quod ex illo eruditissimo Theologo Petro Martyre discere non multò melius potueris, nisi tu istiusmodi libros fastidires, quibus tamen, crede mihi, mi homo, nihil vnquam rectius aut doctius in hoc argumento scriptū tota legit antiquitas. Tertia tua quæstio est, Quo inhabitationis genere Christus in fidelibus resideat, & quibus similitudinibus id possit intelligi: ad cuius quæstionis explicationem requiris etiam phanatici & impurissimi illius Ecclesiarum turbatoris Osiandri librū De essentiali Christi iustitia, petēa etiā vt tibi explicetur illud Ioannis, *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater, &c.* Et quid hoc rei est? Nolo enim acerbius quicquam dicere. Vis etiam rescire quæ sit de Velsio, quæ de Acōtio existimatio, quorum alterius vel nihil vidisti, vel apertam insaniam vidisti, commiseratione digniorem quàm insectatione: alterius verò mirum ni sententiam idcirco probaris, quòd plena sit paradoxorum. Ista enim necesse est iis placere qui, quemadmodum tuis ad me literis semel atque iterū inculcas, non pendent ab hominum quantumuis celebrium auctoritate, neque, vt nos scilicet bestiæ præ vobis Hispanis solemus, naso suspendi se patiūtur. Hoc quum tu scriberes, sanè sum miratus tibi de quibus & in quos scriberes in mētē non venisse. Nā, obsecro, quæ gens est hodie sub cælo in Christi cognitione tardior, in tuendis crassissimis superstitionibus pertinacior, quàm Hispana? quænā idolo Romano & hominū traditionibus addictior? Et hoc est scilicet acutum aliquid præ cæteris gētibus cernere. Cui verò gēti debemus duo illa teterrima monstra nostro primùm seculo nata? Ignatiū dico & Seruetū, vtrūq; nec Hebraismis, nec Hellenismis, nec prolixis commētariis, sed suis vanissimis, inanissimis, Hispanissimis denique contēplationibus addictū. Requiris aliud exēplū, in iis etiā qui aliquid esse potuerūt, nisi suo vitio indulsissēt? Sume Valdesii cōsiderationes pro exemplo, id est, euanidas speculationes, præ quibus mirum ni mulierculis & imperitis hominibus ipsum Dei verbum sordeat. Neque verò hæc scribo, vt ipsi genti, vel bonis & doctis detraham, pulchrè mihi conscius quæ sit Gallorum, à quibus ortus sum, stoliditas & vecordia nihilominùs vituperanda quàm inanis Hispanorum argutia, vt qui gloriatur, in eo glorietur in quo nec Iudæus est nec Græcus: sed idcirco dūtaxat hoc scribo, vt te ab hoc, si fieri potest, errore abductū, id est à speculationibus in quas veluti diuerticula quædā, præstantissima quæque ingenia Sathan abripit, ad rectā viā id est ad verbum ipsum Domini quàm simplicissimè tractādū reuocem: quod tu quidē alicubi in tuis istis scriptis ad me missis facieodum testaris, & vrges. quomodo verò cum isto tuo fastidio cohæreat sanè non video. Perstringis enim eos alicubi qui arcana Dei scrutentur, eos fortasis intelligens qui de prædestinatione, id est fidei fundamento, accuratiùs scripserunt, quod studio quodam videris refugisse. Alibi optas doctissimum quenque in explicando mysterio personæ Christi acquiescere in simplicitate verbi Dei. quasi verò non oportuerit hæreses & blasphemias excitatas compescere, aut quasi extra verbum

Dei

Dei excurrerint pij doctíque homines, qui nostra memoria Seruetum, Schuencfeldium, Osiandrum, Vbiquitarios oppugnarũt. Nec interim vides ipse cuiusmodi quæstiones nectas, & ad quos explicatores refugias. Illud autẽ oĩ feceris, prædico tibi quod serò senties, fore videlicet vt & ipse cum egregiis istis conscientiarum ædificatoribus euanescas. Quò diligentiùs autem & religiosiùs verba Domini scrutari perges, eò magis senties quid inter istos solidissimos & eruditissimos scriptores à Deo nostra memoria excitatos, & quibus instauratam veram religionem debemus, intersit, & vanissimos istos contemplatores, omnium hæreseωn authores, quorum humilitate nihil esse arrogantius, & sapientia nihil stultius, tandem exitus ostendit. Vnum superest in tuis illis literis, quod velim etiam atque etiam expendas. Refers quiddam satis obscurè de ministro oppidi Sanctæ fidei, qui quum de N. tecum loqueretur, ais tibi tunc in mentem venisse illud Ioannis, *Si scires donum Dei, & quis est qui loquitur tecum forsitan petisses ab eo, &c.* Hoc verò quînam vel de te sentire sine extrema arrogantia, vel de tuo N. scribere absque intolerabili adulatione potuisti? Denique quid est Scripturam turpiter prosanare, si hoc non est? Habes, opinor, multò plura de tuis literis quàm putaras. Omnia autem huc spectant vt in te ipsum descendas, & perspicias quam occasionem sinistrè de te suspicandi & iam tum præbueris quum istæ tuæ literæ legerentur, & posteà deinceps confirmaris, quum ista non modò agnoscere noluisti vt impudenter scripta, sed etiam vt piè & sanctè scripta, atque adeò vt digna quæ publicè ederentur, defendisti, quod sanè nescio qua fronte dicere, & posteà scribere sis ausus. ego quidem sine rubore legere non potui. Venio ad reliqua tua scripta, quæ ad me præterea misisti. In iis expostulas multis de rebus, quæ si ita sunt vt tu dicis, indignos sanè se præbuerint tui aduersarij Christianorum nomine. Sed de his istic videritis. Tantum dico non posse non mihi tuam hanc agendi rationem summopere displicere, & illud quidem inter cætera, quòd post quam quicquid in quosuis perditissimos homines dici potest, eiaculatus es, tandem in cuiusdam scripti conclusione, testaris te velle Petri doctrinam sequi, & Christũ imitari maledicta non regerentem. Mirabilis sanè patientia, vbi cælum penè ipsum & terram ad vlciscendam iniuriam commoueris, posteà modestiam tuam prædicare, neque vel leuissimum erratum tuum agnoscere. Sed de hoc quoque tu videris. Illa igitur omnia, quæ in facti quæstione, vt vulgò loquuntur, posita sunt, omitto, de quibus iudicare nec possum, nec volo, nec etiam debeo. Alia quædam attingo. Non probauit N. quòd ista Ioannis verba καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, Gallicè sis interpretatus, Et Dieu estoit ceste parolle-la. Tu verò quid respondes? *Si minister* (inquis) *non aliam linguam didicit, quàm sui pagi, vt vulgò dicunt, non idcirco accusandus est Ioannes, qui Græcè scribens ita omnino illud scripsit, quod αὐτολεξεὶ sum interpretatus: & malo cũ Ioãne Euangelista taxari à Ministro quã aliorum opiniones sequi.* Hæccine verò digna sunt ea persona quam sustines, & adeo fortiter tueris? primùm quòd linguarum imperitiam N. exprobras, nescio quo iure facias. Est enim ab hinc annos viginti quatuor ita explorata ipsius doctrina & fides in Christi Ecclesia, vt hanc laudem ipsi eripere frigido & inepto isto dicterio sanè non possis. Sed ad rem. Neque circunstantia loci, neque ratio ipsa, neque Græcę linguæ vsus ferre potest, vt in ista enuntiatione nomen Dei sit subiectum, Verbi autẽ attributum. Primùm enim si nomine Dei Patrem accipias, quomodo omnino necesse est in superiore membro interpretari, falsa fuerit enuntiatio. Ergo pro diuina essentia intelligas oportet, id quod etiam apparet ex eo quod Euangelista ἀνάρθρως θεὸν dixit, quum addito articulo dixisset, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. Iam verò scis angustiora non dici, de iis quæ latiùs patent: sed è contrario quæ latiùs patent dici de angustioribus, vt genus de specie, speciem de indiuiduis. Esset enim diminuta ista enuntiatio, Deus est Verbum, quoniam videri possent Pater & Spiritus sanctus excludi: veluti inusitatum est dicere Animal est homo, Homo est Petrus. sed ista recta est & perfecta enuntiatio, Verbum est Deus: vt & ista, Homo est animal, Petrus est homo. Cur ergo (inquies) ita scripsit Euangelista? imò verò nulla est in Græco sermone ambiguitas (vt vel ipsi pueri norunt) sed elegans potiùs transpositio. Articulus enim declarat ὁ λόγος esse subiectum, vt & in ista enuntiatione Ioan. 4. 24. πνεῦμα ὁ θεός & in ista Hebræor. 11. 10, δημιουργὸς ὁ θεός. Nec aliter Græci interpretes hunc locum accipiunt, ac nominatim Cyrillus, & Augustinus quoque, quàm vt ita Verbum hoc esse Deum significetur. Quòd si excipias te quoque non aliter eum intelligere, respondeo Gallicæ linguę vsum, cuius certè valde adhuc rudis es, nullo modo ferre istiusmodi traiectionem posse. Itaque non Ioannem Euangelistam vt tu falsò dicis, sed te potiùs, & quidem optimo iure reprehendit N. quod agnoscere debuisti potiùs, quàm vt rectè factum & quidem tanto & tam iniquo cum conuitio defendere: & hîc rursus velim te commonefieri quòd nimium citò Hebraismos & Hellenismos fastidere cœperis. Non minus sanè intolerabilis mihi visa est illa intemperies, qua tum in Morellanum siue Colongium nostrum, tum etiam in totam quãdam Synodum inueheris. Tua enim hæc verba sunt, *In ea Synodo* (inquis) *Colongius vt doctrinam meam alicuius erroris insimularet, testificatus est me, quum de hominis regeneratione agerem, hominem in tres partes diuisisse. nempe corpus, animam, & spiritum: quod absurdissimum visum est isti Aristarcho, cui, quòd fortassi solos parœciæ suæ libros pertractarat, eiusmodi partitio visa est valde periculosa & hæretica. Et quod peius est, assensere viri.* Scilicet tu mihi persuaseris in ea fratrum turba inuentum neminem, cui locus ille Apostoli in mentem veniret. Colongium quidem, meum aliquando in hac Ecclesia collegam, scio ante viginti annos, quũ tu adhuc in tuo gurgustiolo versareris, ea iam fuisse doctrina & eruditione præditum, quam multi non indocti agnoscerent: neque mihi ignoti sunt eius regionis ministri nonnulli, à quibus non dubito quin de multis doceri possis. Itaque etsi mihi Deus testis est, me nihil istarum rerum nisi ex tuis literis audiuisse, tamen quin bonis & doctis illis viris magnam iniuriam facias non dubito. Certè quòd tam scurriliter fratribus illudis, excusare non potes. Quid autem

hoc rei sit, fortassis diuinare licet. Inter putidos errores quos nonnulli suis speculationibus addicti, neglectis doctissimorum hominum Commentariis, nostra memoria sparserunt, hic est non minimus quòd spiritum tertiam quandam aduentitiam hominis partem indi credentibus tradiderunt, cui delirio posteà similia multa superstruxerunt: & haud satis scio an tuus Caspar, dum verbũ suum internum ab externo non tantùm distinguit, verùm etiam separat, ab eo commento sit prorsus alienus. Quid? si igitur tibi iam prolixos, quos vocas, commentarios tantopere fastidienti, & istos bellos conscientiarum ædificatores tam cupidè lectitanti nescio quid excidit, vnde suspicio sit oborta istam animæ & spiritus distinctionem à te solis regeneratis attribui? Quòd si fortè fecisti, malè certè fecisti, quum naturalis sit illa partium hominis distributio, si res ipsas spectes, nec solis regeneratis propria, vt solidè Caluinus quoque demonstrat. Sed nolo his coniecturis indulgere. Tantum dico incredibile mihi videri illam diuisionem partium hominis simpliciter fuisse ab iis reprehensam, qui Prophetarum & Apostolorum scripta dies & noctes versant: & quum illos etiam ludibrio habeas, quos tute scis à Deo esse ad illarum Ecclesiarum administrationem vocatos, certè vereor vt ne incautus dederis locum ei spiritui, qui auctor est omnium in Ecclesia Dei perturbationum, & eos semper dedit præcipites, qui se ab eo transuersos rapi patiuntur. Hîc ego non ago vel hominum, vel amicorum, nō fratrum denique causam, sed seruorum Dei in nomine ipsius congregatorum, quos scio non esse ἀναμαρτήτους, sed vicissim non dignos esse credo, quibus tanquã indoctis & ineptis illudas, quum id saltem probabile sit, potiùs plures quàm vnum sapere. Quum autem illis etiam exprobras tyrannidem, & quidem iniquiorem quàm illa sit a tuis Hispanis inuecta inquisitio, vide, vide etiam atque etiam quò proueharis, & quos homines inter se compares. Nam si sic agere constituisti, est Deus in cælis qui istam intemperiem vindicet. Reddituros autem illos non dubito facti sui rationem: nec facilè passuras Ecclesias suos Pastores à te eiusmodi scelerum accusari: qua de re etiam illas admonere mei fortassis officij fuerit, vt vel tales sunt, quales tu esse scribis, Ecclesiis deinceps non imponant, vel tu non alio loco quàm tua hæc tanta intẽperies meretur, ab omnibus habearis.

De tot testimoniis, quibus te penè onustum istuc venisse scribis, agere non constitui, certè nũquam sanctiùs aut rectiùs te geres quàm te facere semper optaui. Sed nisi aliũ te in Gallia præbuisti quàm in his scriptis ostendis, insigniter illos profectò fefelleris, qui tibi tam honesta testimonia præbuerunt. Duo tamẽ non possum prætermittere. Ais Neraci, præsente me, idcirco tibi motã fuisse controuersiãm, quòd ministri omnino postularent vt Gallico sermone conciones haberes. Ego sanè istiusmodi cõtrouersiæ non memini. Sed aut me fallit memoria, aut de tua vocatione & multis à te gestis quærebatur, in qua accusatione scio mihi visum fuisse quẽdam suspicionibus potiùs quàm firmis argumẽtis tecũ agere. Habere tamen apud te dicis illius disceptationis acta. Iis ergo stare sum paratus, sed iam tum mihi suspectum fuisse tuum illud tam auidum exercendi ministerij studium scio. Certè hac in re mihi tecũ non cõuenit, cui quanta sit oneris istius moles dies ac noctes cogitanti, nihil gratius possit contingere, quàm si priuatim viuere cõcederet Dominus, quamuis alacriter adhuc, Dei gratia, in hoc stadio decurram, in quod nunquam nisi tremens, & sic adigente per os seruorum suorum Domino, sum ingressus. Alterum hoc autem demirari satis non possum, quòd ipsemet audes commemorare in quodam testimonio tibi tributam fuisse tantã pietatem & eruditionem, quanta sit alterius cuiusquam hominis mortalis. Obsecro enim, mi homo, quid esse potuit vel eo, quicunque tandem ille sit, imprudentius, qui tale tibiipsi testimonium tradidit: vel te inconsiderantius, qui hoc accipere, & porrò nunc eo vti non dubites? Itaq; rectè omnino fuisse posteà in cœtu reprehẽsum dico istius testimonii scriptorem: rectè noster N. modestiam in te desiderauit, quum id proferres: rectè denique feceris (mihi crede) si semel illud sepelieris, & reprehensionibus potiùs quàm istiusmodi immodicis laudationibus aurem præbueris. Sed ne hoc quidẽ dissimulare possum, tã crebras istas locorũ mutationes, & tam frequẽtes cũ variis cõtrouersias, istam denique desultoriam obeundi ministerij rationem mihi suspectam videri, qua de re tu quoque videris.

Quænã porrò fuerit tibi cum Merlino controuersia, nunquã audire memini. Quòd ambitiosos nescio quos mones vt priusquã de te statuant, ostendant se tantum in Hispania laborasse, quantũ tu in Gallia, cui per totum quinquennium sub crucis onere inseruieris, id, inquã quorsum dicas nescio. Sed profectò causa non est cur Gallos in tuam patriam ableges, vnde tu ipse discessisti: & subductis omnibus, existimo te non esse inficiaturũ, quin sub hac cruce ditior potiùs quàm pauperior euaseris, quod haud scio an cuiquam illorum, quos ita subsannas contigerit.

Quòd Caluinum & me iudicas nimiùm, vt tu scribis, cholericos & iniuriosos in quibusdam apologiis fuisse, vellem te meliùs expendisse. Quiescit in domino Caluinus, qui vt asperior interdum fuerit in veritatis hostes, at certè nunquam, quod sciam, cuiquam conuitium fecit. Quod ad me attinet, fateor libens, me tum quoque grauiter sæpe peccare, quum optimè agere studeo. Sed iniuriosum me in quenquam fuisse, vel alias quàm veritatis tuendæ partes sumpsisse, nunquam, vt spero, probabis. Quòd si tantopere tibi displicet ista grauior animi commotio, obsecro, qui fit vt in priuata causa nihil non in fratres euomas? Qui fit & illud, vt furiosorum hominum insanam doctrinam & eius defensorum conuitia plenis plaustris iactata dissimules, eos verò qui sese pro omnibus opponunt ferre non possis acriùs paulò veritatem defendentes? Sed hoc omitto. Habeo ego tibi gratiam quòd in me moderationem maiorem requiras, quam quotidie à Domino exposco, vt & cæterorum vitiorum, quæ in me multa & magna sunt, emendationem, nec eo nomine litem vllam tibi moueri æquum esse existimo. De formula Baptismi

qua hic

qua hîc vtimur, nescio profectò cur ita statuas, nec censuerim (si fortè iudicium hîc meum requiras) vt nescio quid ea centonibus vndique collectis consuas potiùs quàm formulam in tot Ecclesiis receptam retineas. Tãtum enim abest vt quicquam in ea vel obscurè vel perturbatè scriptum inueniam, vt contrà nihil in eo argumento clariùs, breuiùs, certiore denique ordine scribi potuisse mihi planè persuadeam. Sed nescio quomodo suum cuique pulchrum est, præsertim quum aliena fastidimus. Tu quod voles existimato. Suum enim cuique iudicium in eiusmodi rebus ego quidem relinquendum arbitror, modò ne quid cum Ecclesiæ offendiculo fiat.

Habes satis prolixum ad illa tua multò longiora scripta responsum, ingratum fortasse, sed ab eo tamen profectum, cui, ita me bene Deus amet, nihil iucundius possit accidere, quàm si te bonis omnibus gratum, & Ecclesiæ vtilem esse cognouerit. Nulli vnquam adulari didici, ac multò minùs velim quenquam calumniari. Illa verò dissimulare me prohibuit tum vetus nostra coniunctio, tum etiam mea in multos fratres obseruantia, quibus quum insignem abs te iniuriam fieri viderem, putaui mei esse officij de his te commonefacere, quæ, meo quidem iudicio rectè feceris, si emendaris. Sin autem meipsum potiùs errare iudicabis, fruere sane tuo iudicio. Ego id scripsi, quod sentio. Quid autem facto sit opus, meum non est statuere. Satis est mihi precari, vt Dominus offendiculis medeatur, quod etiam suo tempore facturum confido, & vt breui fiat, opto. Scito tamen te ingratum esse, nisi te Bezæ multum debere, non vt Bezæ, sed vt Dei seruo, meliùs agnoueris.

EPISTOLA LX.

GERMANICÆ CVIDAM ECCLESIÆ.



QVANQVAM non potest satis bene disputari à nobis (fratres charissimi) de sententia Istebij & Musculi Andreæ, contendentium Christũ in vtraque natura passum esse quòd istorum nulla adscripta sint argumenta: tamen vobis petentibus, non putauimus committendum esse, vt quid sentiremus de hac re, disertè non profiteremur, & breuiter literis comprehensum ad vos mitteremus, ne istorum sententiam quæ Prophetarum & Apostolorum & omnium orthodoxorum sanæ doctrinæ aduersari videtur, nostro silentio comprobare videremur. Quare sic accipite sentẽtiam nostram. Negamus omnino in Deitatem cadere posse mutationem vllam, quum Scriptura apertè dicat (Num.21.) *Deum non esse similem filio hominis, vt mutetur*: & illud Psal. *Tu idem ipse es, & anni tui non deficient*: & Prophetæ locus ille, *Ego sum Deus, & non mutor*, idem confirment: quibus cõtenti testimoniis vlteriùs progredimur. Vnam Patris & Filij & Spiritus sancti substantiam simplicem & non compositam, immutabilem, & proinde impatibilem, seu perpessioni non opportunam esse confitemur: quod quia non est controuersum, testimoniis supersedebimus. Itaque affirmamus vnigenitum Dei Filium Iesum Christum, in hac vnione, quæ non confundit naturas, (nec enim vna natura est carnis & Deitatis) secundum Deitatem esse immutabilem & nulli perpessioni obnoxium esse posse. Qui autem loci tribuunt ei mutationem, versionem, variationem, aut denique perpessionem, eos dicimus referri debere ad humanam naturam assumptam & vnitam, idque per communicationem idiomatum, nomine communi ad partẽ relato: vt quũ dicimus quempiã sepultum esse, qui sanæ mentis sunt, corpus tãtùm intelligunt, non totum hominem, id est corpus & animam simul, quòd animæ naturæ non conuenit vt sepeliatur, quippe quæ immortalis sit. Hoc autem in omnibus ferè linguis vsitatum est, non in hoc tantùm dicendi genere, sed etiam in aliis quamplurimis. Etenim si natura Dei pati potuisset, superuacanea corporatio fuisset. Christus igitur carnem assumpsit, vt in ea supplicium peccato hominis debitum perferret. Id perspicuè docetur in Epistola ad Hebræos, *Postquam igitur pueri communicant carni & sanguini, & ipse similiter particeps factus est eorundem, vt per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum, & liberaret eos quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti*, &c. Quis locus apertiùs docet finem assumptæ humanæ naturæ? nempe vt in ea mortem perpeteretur, atque sic eum qui dominatum mortis obtinebat, aboleret. Huc pertinet quod scriptum est 1.Pet.2. de Christo, *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis defuncti iustitiæ viuamus, cuius ipsius vibice sanati estis.* An obscurè dicit Petrus alteram tantùm Christi naturam, corpoream videlicet, luisse pœnas peccatis nostris debitas? Minimè verò. Nam & corpus & vibex naturam tantùm attingunt humanam. Si cum istis sensisset, an non id saltem vno verbulo significasset? Eiusdem Apostoli in eadem Epist.cap.3. locus hoc ipsum cõfirmat, qui in hunc modum scriptus est: *Mortificatus quidem carne, viuificatus autem Spiritu.* Eòdem pertinent & verba eiusdem Apostoli paulò inferiùs posita, *Quum igitur Christus passus sit pro nobis carne, vos quoque eadem cogitatione armate vos, quòd qui passus est in carne, destitit à peccato, vt non ampliùs hominum cupiditatibus, sed voluntati Dei, quod superest in carne temporis, viuamus.* Atque hi tres loci facilè nobis suppeditabunt optimam interpretandi rationem, quum explanandi erunt loci, qui communia nomina vtrique naturæ continent. Quanquam non desunt alij aliquot, qui possunt idem suppeditare in Euangelistarum narrationibus vt apud Ioannem, *Destruite templum hoc & triduo excitabo illud.* Adiicit Ioannes. *Hoc autem dicebat de corpore suo cruci affigendo.* Quo in loco Ioannes significat crucisxus & mortem ad solam humanitatẽ pertingere, non etiam ad Deitatẽ. Iam quum Christus ipse dicit, *Tristem esse animam suam vsque ad mortem*, an non satis negat Deitatẽ tristitiæ expertẽ? Itémque quum idem Patri commendat spiritum suum *Pater* (inquiens) *in manus tuas commendo spiritum meum*, commendat spiritum, id est animam suam Patri, nõ Deitatem. Nam & Ioan-

nes scribit inclinato capite tradidisse spiritum, quod Lucas expressit per Expirandi verbum. Præterea quum illa verba in cruce Christus vsurpat, *Deus, Deus meus, cur dereliquisti me?* queritur profecto apud Deitatem non patientem aut dolentem. Quúmque eadem sit Patris & Filij Deitas, quamuis non eadem hypostasis, consequitur etiam Deitatē Christi & doloris & perpessionis omnino fuisse expertem, & esse, & futuram in omnem æternitatem, talémque in quam nihil mutationis (vt anteà dictum est) cadere possit: aut dicant isti & explicent nobis illius querelæ rationem, & quomodo ad vtranque naturam referri possit. Eadem ratio est illius deprecationis, qua Christus deprecatur supplicium. Eadem denique ratio omnis precationis quæ Christo tribuitur. Nā Deus quidem, at non Deitas orat, sed humana natura. Quid quòd omnes Euangelistæ in morte Christi describenda verbis omnino vtuntur, quibus mors puri hominis significari solet? Dubium ergo nō est quin omnibus modis docuerint cruciatus & mortem in Diuinam Christi naturam cadere non potuisse. Dilucidè Petrus Act. 2. duas naturas non confusas esse ostendit, quum ad hunc modum concionatur, *Viri Israelitæ, audite verba hæc, Iesum Nazarenum virum demonstratum à Deo erga vos virtutibus & prodigiis & signis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut & ipsi scitis, hunc definito consilio & prænotione Dei traditum, quum accepissetis per manus iniquorum, crucifixum interemistis: quem Deus suscitauit solutis doloribus mortis,* & cætera quæ sunt notissima, & ad disceptationē huius quæstionis vtilissima. Videtis vt hominem Christum dicit demōstratum à Deo, & eius consilio traditum, à Iudæis crucifixum, & interemptum, & postremò à Deo suscitatum. Quid dici potest distinctiùs ad demonstrandum vnionem non esse confusarum naturarum, & suas cuique proprietates retentas? Idem planè efficit testimonium Dauidis, quo Petrus vtitur paulò post, *Non derelinques animam meam in inferno, nec sines vt Sanctus tuus videat corruptionem.* Hinc certè potest elici distinctionis naturarū doctrina, quæ disertè ab Irenæo traditur libro 3. aduersus hæreses. Quemadmodum Christus, inquit, fuit homo vt tentaretur, ita etiam Verbum vt glorificaretur. Et quiescebat quidem Verbum, dum tentaretur & crucifigeretur, & mortem obiret, homini autem aderat, dum vinceret, sustineret, se benignum humanúmque præstaret, resurgeret, in cœlos ascenderet. Omnis igitur deiectio Christi & humilitas ad humanam naturam referenda est: quod ipsum quanquam satis multis testimoniis probatum esse putamus, tamen nonnullis præterea locis euidenter id declarantibus confirmabimus. Primus in 5. cap. ad Hebr. illud habet, *Christum in diebus carnis suæ preces & supplicationes apud illum, qui poterat ipsum à morte seruare, cum clamore valido & lachrymis obtulisse.* Nonne verò satis euidens est hæc ad humanitatem tantùm referenda esse? Nam si ad Deitatem referas, necesse est fatearis Christum se à morte seruare non potuisse: quod quidem nō modò cum Deitatis omnipotentia pugnat, sed etiam cum verbis Christi Io. 10. dicentis *se potestatem habere ponendi animam suam, & eam iterum sumendi.* Alter locus est in eadem Epistola cap. 10. *Per quam voluntatem sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam.* An verò putandum est Apostolum sine causa appellasse oblationem corporis Christi? Inquiratur causa. Profectò hæc reperietur, vt crucis tormentum ostendat ad solam humanam Christi naturam pertinere. Si diuinæ naturæ extitisset vel dolor vel cruciatus aliquis, an non maioris esset pretij, quàm corporis, quàm sanguinis, quæ humanæ tātùm sunt naturæ, & proinde ab illis hoc disertiùs fuisset enarrandum? Nunc verò ne verbum quidem de hac re legitur, id est nusquam legas Christum in Deitate sua quicquā pertulisse, quemadmodū sæpe legitur in corpore suo pertulisse, & per oblationē corporis Christi nos sanctificatos esse. Atque hæc causa esse videtur, cur in instituendis Cœnæ suę symbolis humanæ tantùm naturæ, quæ perpessioni, & morti obnoxia est, signa panem & vinum adhibere voluerit, quibus mortis suæ memoria in cœtu fidelium proponeretur & celebraretur, cū omnium sensuum commotione. Dignior enim futura erat Deitas, si quidquam passa esset, cuius memoria etiam symbolis memoriam excitantibus recoleretur ob cruciatus toleratos. Neque verò hæc à nobis dicuntur, quasi in Cœna Christum Deum & hominem fide non sumamus, sed vt (quod sæpissime iam diximus) ostendatur Christi diuinam naturam talis esse, vt in eam nulla perpessio cadat, idque significatum esse in omnibus narrationibus Euangelistarum, si diligenter expendātur & ponderentur. Ac olim in sacrificiis Mosaicis hoc ipsum de quo loquimur, adumbratum esse, nonnulli ex veteribus fortasse non sine ratione crediderunt, quòd omnino nihil putandum sit temerè & sine certa causa à Deo per Mosem ne in ceremoniis quidem restitutum esse. Illi ergo per duos hircos vtranque naturam præfiguratam scribunt, ac per alterum qui amandabatur ad solitudinem, diuinam Christi naturam præsignificatam, quæ nullum cruciatum nedum mortem perpeti posset: per alterum autem, qui mactari solebat, humanam Christi naturam. Iidem putarunt idem prorsus prænuntiatum per aues duas, quarum altera emittebatur libera, altera mactabatur, & Deo sacrificabatur. Quúmque vno animali Christus idem patiens & non patiens non satis aptè posset adumbrari, duo ad aram eodem tempore sisti iussit, ad id accommodatè præsignificandum quod facilè consideramus in Christo vno Deo & homine. Atque hanc vnam esse germanam explicationem superiorum locorum sacræ scripturæ de Christi supplicio à nobis citatorum, cùm scripturæ collatio à nobis facta demonstrat, tum orthodoxi omnes & Græci & Latini qui de hac quæstione fecerunt mentionem, magno consensu confirmant, quorum singulorum verba nimis lōgum esset hîc subnectere, certè necessarium non est, quum præsertim extet eruditissimus libellus Theodoreti qui inscribitur, Eranistes seu Polymorphus, in quo fidelissimè & diligentissimè illorum sententiæ & disputationes collectæ inferuntur. Nunc subiiciemus paucas ex infinita multitudine absurditates, quæ opinionem de vtriusque naturæ Christi perpessione, necessariò consequuntur. Prima est, quia ex ea efficitur Patrem quoque patibilem esse, id est, talem in quem cruciatus cadat,

si in

si in Filium quatenus Deus est, cruciatus cedit, quum sit vnigenitus Dei Filius eiusdem cum Patre essentiæ. Quis autem sanæ mentis dicat illam Dei vim & omnipotentiam beatissimam & perfectissimam in cruciatus miseriã cadere posse? Altera, quia Deum, qui spiritus est, Anthropomorphitarum more corporeum, & instrumenta patiendi habentem statui necesse esset. Tertia est, si passum in Deitate Christum confitentur, quousque passum esse confitentur? an etiam mortuum? Quòd si mortuum in Deitate, dicant isti quæ possit esse Deitas non immortalis. Etenim si anima morte affici non potest, nec fieri particeps mortis corporis, quanto minùs diuina natura quæ circumscribi non potest, crucifigetur, aut morte constrictur, aut denique sepulchro mandabitur? Si Diabolus non moritur, Christus secundùm Deitatem mortem subiisse dicetur? Quarto loco illud confici videtur, Si passa est Deitas in cruce, perpessam quoque esse in reliquis omnibus superioribus doloribus & cruciatibus quos pertulit Christus, vt in circũcisione, in fuga, in fame & siti, in fatigatione, in frigore, in æstu & cæteris affectionibus quæ cadunt in corpus. Quòd si ista illis absurda non videantur, primo absurdo concesso, certè omnibus paulò consideratioribus, absurdissimum videbitur, beatitatẽ perfectissimam tot miseriis toties miseram esse factam. Quinto loco, quum humana natura morte teneretur ob peccatum, absurdum esset diuinam luere pœnas humanæ debitas: atque ob eam causam, vt antè dictum est, assumpta est humanitas vt iudicium Dei ferret, quod merueramus. Deinde si passa esset Deitas, consequeretur eam naturam passam esse, quæ nihil commeruerat, quod cum Dei æquitate pugnat: aut certè fatendum esset Diuinam naturam labe peccati contaminatam, quæ in Christi Deitate fuisset expianda. quo quid dici aut excogitari potest absurdius? Sed quid necesse est persequi infinitas absurditates, quæ absurdissimam istam opinionem necessariò consequuntur? Veniamus iam ad testimonia Scripturæ, quæ isti ad confirmandam suam sententiam proferre posse nobis videntur: quæ si ad rationem à nobis ab initio positam expendantur & ponderentur, quiuis facilè intelligat istam absurdam opinionem inconsideratè & imperitè ex illis esse conflatam. Hæc autem fuit nostra ratio quòd communibus nominibus sæpe pars intelligatur, non solùm in sacris literis, sed etiam in omnibus ferè linguis. Quod igitur Paulus dicit, *Si cognouissent, Dominum gloriæ nunquam crucifixissent*, accipiendum est acsi dixisset, Corpus Domini gloriæ nunquam crucifixissent: crucifixerunt enim naturam quam cognouerũt, non quam penitus ignorauerunt. Si autem cognouissent quam ignorauerunt, non crucifixissent quam cognouerunt. Quia autem diuinam ignorauerunt, humanam crucifixerunt. Hæc autem ad verbum apud Theodoretum leguntur. Quis enim verba ista audiens, non statim intelligit crucifixionem ad corpus tantùm referri debere? Quum legis in marmore sepulchrorum, Hîc iacet Petrus, statim intelligis corpus Petri, nec est ficta ista idiomatum communicatio, sed in hominum sermone rectè & verè obseruata. Eadem ratione accipiendum est quod legitur Deum Filio non pepercisse, sed in mortem tradidisse: sic illud, Oportebat Christum pati, &c. Itémque illud, Christus à mortuis excitatus est. Quis enim est tam auersus à veritate, & ista vsitata dicendi ratione, vt non statim ei in mentem veniat corpus Christi traditum in mortem, perpessum & à mortuis excitatum? quemadmodum ipsemet Christus dixerat de corpore suo, triduo se excitaturũ illud. Quis ex verbis sententiæ Dei, qua pronuntiauit Adamum humum esse, & in humum reuersurum, colligit animam quoque Adami in humum aut terram reuersuram? aut ex illis verbis, Quacunque hora comederis, morte morieris, ipsam quoque animam quam Deus ipse inspirauit mortalem instar corporis fore? Si in his admittimus communicationem idiomatum, & in sexcentis similibus, sicut admitti debet, in Literis Apostolicis architecti opinionis istius non admittent? Rogandi sunt vt explicent locum illum qui habetur Ioannis tertio, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo*. An dicent humanam naturam, quæ per Filium hominis significatur, aut de cælo descendisse, aut tum in cælo fuisse, quum hæc Christus loqueretur? An non vident isti necessarium esse, vt confugiant ad illam proprietatum communicationem, vt expedire possint veram & germanam interpretationem? Nam corpus eius non descendit de cælo, sed ex virgine conceptum & natum est opera Spiritus sancti, vt Matthæus & Lucas clarissimè testantur. Est & illud considerandum quod Ioannis 8. scriptum est de Christo, ipsum esset antequam Abraham esset aut fieret. Atqui Scriptura non vno in loco disertè narrat Christum Filium esse Abrahami. Quare semper est necessaria illa obseruatio, qua dicimus per commune nomen alteram tantùm partem significari frequentissimè. Nam hîc quis non videt quod dicit de se Christus, naturæ humanæ attribui non posse, sed tantùm diuinæ? Quid igitur necesse commemorare plures locos in quibus necessariò adhibenda est ea, quam aptè nominauimus idiomatum communicationem: quam ostendimus in omnibus linguis vsitatam esse, in omnibus Epitaphiis celebratam, quam vulgus imperitum intelligit, & in suo etiam sermone crebrò vsurpat? Quæstionem illam Christi quærentis, Si Dauid Christũ vocat Dominũ, quomodo filius Dauidis esse potest, si enodare velis, annõ adhibetur hæc eadem sæpe iam commemorata proprietatum seu idiomatum communicatio? Itaque non cõtentiosis hæc satis fore iudicauimus.

Ad alteram quæstionem tractandam transiremus, si eam intelligentia consequi possemus. Quia autem inusitatis verbis contexta est, relinquimus eam suo auctori discutiendã. Quòd in posteriore parte affirmatis ab istis extenuari humanitatẽ Christi, id nullo modo comprobare possumus. Credimus enim illam naturam Christi eandem quæ crucifixa est, à morte excitatam in cœlum ascendisse atque illic esse, vt in capitibus religionis Christianæ continetur. Quare si vos verè concluditis ex illa essentiali iustitia extenuari humanitatem Christi, debetis nostro iudicio totam propositionem repudiare. Certè nullam aliam iustitiam agnoscimus, quæ ad tribunal Dei cõsistere possit,

nisi Christi, quæ nobis per fidem communicatur & imputatur, vt disputat Paulus diuinissimè in Epistola ad Romanos.

Quod autem positum est in tertia propositione, Christum secundùm vtramque naturam mediatorem esse, nihil admodū absurdi continere nostro iudicio videtur, si modò hæc verba, Vtramque naturam, de ambabus naturis coniunctim accipiantur. Mediator enim necesse est vt vtriusque naturæ sit particeps, & cum Deo & homine coniunctionem habeat, per quam hominem Deo conciliare possit. Dilucidè autem hanc quæstionē diiudicat Augustinus, fidelis scriptor, &, vt nobis videtur, verè, quum sic ait, *Diuinitas sine humanitate non est mediatrix, humanitas sine Deitate non est mediatrix: sed inter Diuinitatem solam & humanitatem solam, mediatrix est humana Diuinitas, & Diuina humanitas Christi.* Idem lib. 10. confessionum, cap. 42. Mediator inter Deum & homines oportebat vt haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in vtroque hominibus similis, longè esset à Deo, aut in vtroque Deo similis longè esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. Quòd verò idem Augustinus eodem libro, cap. proximo scribit, *In quantum enim homo, in tantum mediator, in quantum autem Verbum non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul cum Spiritu sancto vnus est Deus:* sic explicandum iudicamus, In quantum Christus Filius Dei, qui demonstratus est antiquis sanctis (nam apud Augustinum hæc verba præcedunt) homo est factus, in tantum mediator est: sed in quantum est tantùm Verbum, non est mediator. Locus autem Pauli 1. Timoth. 2. scriptus de vno mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, non sic accipiendus est quasi Christus nō sit mediator in quantum Deus est: sed quum vellet Paulus vinculum nostræ cum Deo coniunctionis notare, humanæ potiùs quàm diuinæ naturæ meminit, vt sic Deum quasi præsentem sistat, qui ad nos vsque descendat, & qui nostris infirmitatibus compati facilè possit, nostræ naturæ societate nobis coniunctus. Nec verò negat esse Deum quem non solùm hominem sed Christum nominat, quo vocabulo, diuinitas quoque in Propheticis & Apostolicis literis significatur. Semper enim illud tenendum est, carnem seorsim nihil prodesse, & hoc conciliationis munus in quo cōtinetur æterna redemptio verè Christo attribui secundùm vtranque naturam. Quæ enim propria sunt humanitatis, vt pati, efferri, & sanctificari, &c. eiusmodi ad conciliationem faciendam, & æternam redemptionem inueniendam non satis valerent, nisi huic humanæ naturæ vnita esset diuina. Atque idipsum apertè significat Apostolus quum sic scribit 2. Cor. *Omnia autem ex Deo qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditque nobis ministerium reconciliationis, quandoquidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata ipsorum.* Quid aliud significât illa verba (Heb. 9.) *Christus per Spiritum æternum seipsū obtulit?* Quare his locis & similibus, quos necesse non est adscribere, rectè expensis, Christum quâ & Deus & homo est, atque vtrunque vnus, credimus & confitemur elici & esse mediatorem & verum nostrum reconciliatorem, si modò hæc verba (vtramque naturam) de ambabus naturis coniunctim accipiantur. Iam verò quos dicitis negare Christum Filium Dei secundùm humanitatem dici naturalem debere, non habemus quomodo improbare possimus, si illud negare tantùm volunt, humanam naturam eiusdem esse naturæ & substantiæ, cuius est Deus. Hoc enim verissimum esse putamus, quum sit factus è semine Dauid secundùm carnem, vt clarissimè dicit Apostolus in initio Epistolæ ad Romanos, & idem in Epistolam ad Gal. disertè dicit, *Factum de muliere.* Et Epistola ad Hebræos affirmat, *Per omnia factum similem nobis excepto peccato.* Notum est ex Matthæo & Luca quàm mirabiliter opera Spiritus sancti conceptus sit in vtero virginis. Nos quidem non putamus litigandum de vllo vocabulo, si nihil erroris & impietatis in Ecclesiam Dei inuehatur.

Postremò Serueti errores innumerabiles nullo modo probamus, sed iis refutandis nolumus tempus frustrà consumere, quum præsertim satis confutati sint in libello, quem de ea re non ita pridem edidit charissimus frater noster Ioan. Caluinus. Hæc habuimus quæ breuiter vobiscū communicanda putauimus, quæ vt in bonam partem accipiatis, vehementer vos oramus. Valete. Lausannæ Cal. Ianuariis, 1556.

EPISTOLA LXI.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. AVgusto, Duci Saxoniæ, Electori, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Burgrauio Magdeburgensi, &c. gratiam ac pacem à D. N. Iesu Christo.



QVAE me causæ & iam antea & nunc rursum D. Selnecceri criminationibus respōdere, tum etiam posteriorem hanc meā defensionē Celsitudini tuæ dicare coegerint, Illustrissime Princeps, obsecro C. T., vt ex præfatione mea cognoscere minimè dedigneris. Sūt enim ista certè eiusmodi, vt siue incommoda spectes quæ neglectionem eorum consequuntur, siue commoda quæ ex accurata eorum dispectione proueniunt cōsideres, ad Principum cæterorúmque Magistratuum curam vel maximè pertineant. Spero autem fore vt C. T. postquam cognouerit quanta non tam nobis quàm ipsi pietati iniuria inferatur, idque maximo omniū Ecclesiarum damno & offendiculo, seriò tandem de remediis afferendis deliberet, quæ vt omni tempore vtilia sint, at nunc certè prorsus esse necessaria, prudentes piique omnes existimant, ipsáq; Christiana

stiana Ecclesia miserabili cum gemitu, Celsitudinis T. cæterorúmque Illustrissimorum Germaniæ Principum opem implorans, vociferatur. Quid quòd tua etiam propriè hac causa est, quum id vnum apertè iam moliantur nonnulli, vt vtrunque Saxoniæ tuæ oculum, florentissimas videlicet academias Vvitebergensem & Lipsiensem, eruant? Neque verò ista commemoro vel vt oleũ addam camino, quod hominis fuerit extremè scelerati, vel quòd cum Vvitebergensibus tuis, sicut aduersarii mei nullo pudore comminiscuntur, arcana vlla consilia communicem, qui certè in optima causa, apud te præsertim iudicem, nullius nedum meo patrocinio indigent: verùm quòd planè ferreum esse oporteat qui tam tristibus & nimiùm veris tragœdiis non commoueatur. Neque enim iam aduersum nos rationibus, sed conuitiis: non argumentis, sed millies refutatis calumniis, non denique (liceat enim mihi Tuæ Cels. pace dicere quod res est) veritatis quærendæ studio, sed sola peruicacia contenditur. Nam vt vetera illa prætermittam, quòd verbum Dei subiiciamus naturæ legibus, quòd Dei omnipotentiam inficiemur: quòd signa euacuemus, quæ magnis rursum clamoribus à Selneccero, & Ienensibus inculcantur? cuiusmodi sunt ista nuper nobis à Boetio quodam obiecta?

1 Quòd carnem Christi in diuinam gloriam assumptam esse nolimus?
2 Quòd Christo homini nihil amplius quàm cæteris sanctis tribuamus?
3 Quòd personam Christi diuidamus?
4 Quòd gloriam Mediatori debitam, quòd videlicet pro Ecclesia interpellet, auferamus?
5 Quòd Dominum cæli, cælo subiiciamus?
6 Quòd res spirituales velimus sacramentis duntaxat significari? Atqui posteriora hæc duo quoties falsò nobis obiici diser tis & expressis verbis testati sumus? an non extant cõfessiones, Anglicana, Gallica, Heluetica, cui & Scoticæ & Sabaudicæ Ecclesiæ subscripserunt, quibus hæc criminatio redarguatur? Illa verò priora quo pudore nobis tribuuntur qui hæc ipsa à Brentio & Iacobo Smidelino, illo, inquam, vbiquitatis Apostolo, & istarum in Saxonia instauratarum contentionum altero post Illyricum illum conflatore, totidem penè verbis dicta, scripta, defensa, etiãnum hodie oppugnamus? Hic est igitur illorum pudor, Illustriss. Princeps, hæc pietas, hæc conscientia, hæc sunt commenta, hæ portentosæ calumniæ, in quibus ne fortè deprehendi possint, illud etiam sedulò curant quãtum possunt, ne qui libri nostri in suorum hominum, quorum videlicet animos & aures inanissimis istis & putidissimis sycophantiis oppleuerunt, potestatem & manus perueniãt. Hic igitur, quid potiùs faciamus quàm vt innocentiam nostram Deo commendemus: vestrarum Cels. opem aduersus istam effrenem audaciam imploremus: veritatem denique constanter & ipsi defendamus, quandoquidem ne silentio quidem nostro promouere quidquã potuimus? At quãto satius, quãto Christianarum Ecclesiarũ ædificationi accõmodatius, quanto vestris Illust. dignitatibus conuenientius fuerit, hoc ab istis imperio vestro subditis impetrare, vt saltem absque calumniis & conuitiis, syncerè, modestè, Christianè deniq; collatis & expensis nostrarũ rationum momentis nobiscum agant, & se quoque falli potuisse in animum inducant? Nam & ipse D. Lutherus ingenuè in hoc ipso argumento confessus est, sese, ingenio istis altercationibus attrito sæpenumero errasse, personæ tribuendo quæ alterius sunt naturæ, & contrà: in quo sanè errore tum agnoscendo tum corrigendo si mũdi peccata passa fuissent illum virũ Dei perseuerare, multò profectò pacatiores & tranquilliores Ecclesias haberemus. Sed quũ illud peccata nostra impedierint, hoc saltem si fuerit per vestras Cels. effectum, tum certè nostris non contentionibus & rixis, sed verè Theologicis & Christianis collationibus & συζητήσεσι Spiritus ille pacis & sanctæ concordiæ benedicet. Ad me quidem quod attinet, sic me bene Deus amet, vt neque veritatis causam viuus prodam, neque tamen vllam constituendæ publicæ priuatæque tranquillitatis iustam & æquã rationem sciens prætermittam. Quod superest, Illustrissime Princeps, Deum Opt. Max. toto pectore precor, vt Cels. tuam omnibus tum animi tum corporis bonis magis ac magis locupletet, sanctóque suo præsidio quàm potentissimè tueatur. Geneuæ, VI. Id Martij, anno temporis vltimi CIↃ. IↃ. LXXII.

EPISTOLA LXII.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. GVIlielmo Landgrauio Hessiæ, Cattorum Principi.

MENSIS agitur nonus, Illustrissime Princeps ex quo Rupellanæ Synodi literas ad tuã Cels. misi, quibus illam cohortabantur & obsecrabant Gallicæ Ecclesiæ vt cõtrouersiis quas iam tum nonnulli D. Brentij testamento quasi classico excitati, instaurare cœperant, remedium aliquod afferret. Sed eas literas multæ causæ sunt cur interceptas fuisse suspicer, vt & alteras fortasse meas quas Hessiandri libello, tuæ Cels. dicato adiunxeram. Nunc verò quum noua & quidem multò quàm vellẽ iustior occasio Cels. tuæ rursum appellandę sese rursum mihi offerret, ne hanc quidẽ prætermittendam mihi putaui. Est autẽ huiusmodi. Coactus grauissima Ienensium & D. Selnecceri criminatione, corruptarum videlicet sacrarũ tabularum, adeóque impietatis ab ipsis accusatus, breuẽ, & quantum res sinebat, moderatã defensionem opposui, iniecta quidem aliqua, sed admodum leui Cœnæ Domini mẽtione, eáque eiusmodi, vt nõ paruum ad dirimendam hanc controuersiam aditum aperire videretur. At Selneccerus contra ceu crabro

quispiã irritatus, quæ non iacula potiùs quàm sputa in me vibrauit? eiusmodi profectò vt, eo de quo querebatur plerumquè prætermisso, id vnũ captasse vir ille videatur vt me plenis conuiciorũ plaustris obrueret. Hic enim istorum mos est, quem ego sanè totum ipsis libenter relinquo. Interea tamen veritatis per meum latus confossæ defensionem minimè mihi deserendam credidi. Itaque nunc alteram defensionem, eámque veram simul, vt spero, & moderatam edo, cuius ad tuam Cels. mittendum exemplum censui, tum vt quousque tuæ Cels. auctoritate nihil isti cõmoti progressi sint intelligas, tum ne fortè apud tuam Cels. violatæ fidei criminationem incurram. Nouit enim tua Cels. quæ fuerint conditiones appositæ, quas quandiu fieri bona conscientia potuit, etiã cum aliqua fortassis veritatis iactura, præstitisse me spero omnes concessuros qui perspectum habuerint quoties intra quinquennium lacessitus nihil prorsus responderim, & quàm nulla iusta occasione isti non tam me vilem homunculum quàm ipsam veritatem prouocarint, adeóque vniuersam Germaniam concusserint. Sed, dicet quispiam, quis tandem erit istiusmodi contentionum & scriptionum ac defensionum terminus? vtinam verò nõ procul distitus. quod quum in vestrarum Cels. potestate, qua coerceri saltem istorum nõ tam scriptorũ quàm conuitiatorum audaciã oportuerat, non autem in nobis situm sit, qui ne tacendo quidem & tuæ Cels. obsequendo quicquam promouimus, liberauimus nimirum animas nostras coram Deo & Angelis ipsius, vt tota iam istorum tum præsentium tum imminentium malorum culpa in istos vnos turbarum instauratores redundet: & quos nulla iam hominum imperia possunt impedire quominus & domi & foris cælum terræ misceant, Dei tandem ipsius iustis pœnis extra ordinem afficiantur. Bene vale, tum animo tum corpore Illustriss. Princeps. D. Iesus Ecclesiæ suæ misertus rabiem Sathanæ cohibeat, tuámque & piorum omniũ Principum Cels. sancto suo præsidio magis ac magis tueatur. Geneuæ, xi. Martij, anno temporis vltimi. CIↃ. IↃ. LXXII.

EPISTOLA LXIII.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. FRIderico, Comiti Palatino, sacri Romani Imperij primario electori, Bauariæ Duci, &c. gratiam & pacem à D. N. Iesu Christo.

QVAE & quàm desperata sit, Illustriss. Princeps, quorundam in opere Domini impediẽdo audacia, non dubito quin iampridẽ vel vnus omniũ maximè animaduertas & multo cum gemitu de remediis afferendis cogites, quæ sanè facilia admodum essent si quanta & quàm proiecta est quorundam ad quiduis audacia quam sola impunitas armauit, tanta esset Magistratuum in illis iusta & Diuina authoritate sua coercẽdis fortitudo. Sed agè hæc semper fuit Ecclesiæ conditio. Interea benedicat, precor, Dominus tuæ Cels. eámque magis ac magis confirmet, vt quæ tibi in istis malis consilia suggerit, illa tam apud omnes efficacia reddat, vt quod non dubito quin ex animo desideres, id reipsa tandẽ obtineas. Nos interea quibus præter preces, vocem & calamũ nihil suppetit, fortiter, vt spero, officiũ faciemus, cuius mei conatus alterum ad tuam Cels. specimen nunc mitto: alteram nimirum ad Selnecceri, hominis certè vanissimi, ineptias defensionẽ, quæ vt ipsum nõ erudiat (nec enim isti vllo quærẽdæ veritatis studio ducuntur) at certè magis ac magis istos, vt spero, mundo patefaciet. Adiunxi huic fasciculo alia duo eiusdẽ defensionis exempla, vnum illustrissimo Saxoniæ Duci electori, alterum Illustrissimo Hessiæ Landgrauio Gulielmo inscriptum, quæ si ex tuæ Cels. manu acceperint (ignosce, mi Domine, si benignitate singulari tua hîc abutor) confido fore vt multò libentiùs quid hoc rei sit inquirãt. Ah, Illustriss. Princeps, quãdo tandem ista scribendarũ apologiarũ molestia liberabimur? Tum videlicet, quum illi vel resipuerint, vel eò fuerint Dei potiùs quàm hominũ iudicio redacti, vt sine veritatis iactura possint eorum calumniæ negligi. Me quidem certè tantopere istarum scriptionum pudet, vt si aduersarij sic perrexerint, vno penè silentio posthac ipsos vlcisci constituerim. Illustriss. Princeps, Deum Opt. Max. precor vt Cels. T. magis ac magis amplificet, sanctóque suo præsidio quàm potentissimè tueatur. Geneuæ, xi. Martij. 1572.

EPISTOLA LXIIII.

ORNATISSIMO VIRO IOANNI CORRASSIO Tholosano Senatori.

ETSI de tua in me beneuolentia nunquam dubitaui, mihi tamẽ periucunda fuit illa tui in me amoris significatio. Etenim si meritò lætabatur ille se laudari à laudato viro, quãto est amari iucundius, quum longè pluris sit testimoniũ amoris quàm laudis? Vt autem is non sim qui hoc de te vel sim antea meritus, vel etiam mereri vnquã possim: tamen hoc tibi persuadeas velim, nemini me vnquam in te diligendo cõcessurum. De rebus nostris, quod de contagione tam diu nobis infesta istic audiuisti, vtinam vanum esset. Ea nos certè totum sesennium valde exercuit: & quum iam planè videretur extincta, rursum his diebus cœpit nonnihil minari, erepto nobis Crispino Typographo, viro docto, & pio, & vetere amicitia mihi cõiunctissimo.

ctiſſimo. In vicinia verò multis iam locis idem malum graſſatur, cuius cauſam omnem nonnulli in veneficas conferunt, quod minimè vanum eſſe ex earum conſtanti confeſſione liquet. Ego etſi hanc cauſam minimè excludo, multò magis tamē nobis nocere puto eorum hominum mores, qui ſordidiſſimè viuunt, & peſſimè habitant. Vtinam verò ad ipſum malorum omnium principium, peccata noſtra videlicet, aſſurgamus. Sed agè, fiat Domini voluntas, à quo ſemel poſiti rerum termini amoueri nunquam poſſint. Vrbs antea frequentiſſima, magna iam ex parte exhauſta eſt. Scholam nunc quidem penè nullam habemus. Sed vt ægrotis vſuuenire ſolet, vt qui modò propinqui morti videbantur, ſaluo permanente vitalis ſpiritus vigore, rurſum erigantur: ita quum integra perſtent apud nos veræ vitæ principia, doctrinæ videlicet puritas, ἀταξία Eccleſiaſtica, & ſumma vtriuſque ordinis, Magiſtratus dico, & noſtræ διακονίας conſenſio, confido prorſus fore vt noſtræ huius ciuitatis corpus nunc languidum ac proſtratum, ſuo rurſum tempore vires recipiat, & multò etiam magis quàm vnquam antea viuidum vegetúmque appareat. Pergimus interim, &, vt ſpero, ad metam vſque pergemus. Helueticæ Eccleſiæ perſtant in pace & veritate. Germanicas pergunt Vbiquitarij & Flaciani perturbare, quibus ſanè nihil impudentius, furioſius, immanius denique fingi poteſt. Vvitebergenſis academia, ſingulare Germaniæ ornamentum, Catecheſin primùm, deinde etiam communi Synodo conuocata Eccleſiarum quæ D. Auguſto electori ſubſunt, ſcriptum edidit in quo de duabus Chriſti naturis, & carnis in cælum aſcenſione verè & purè docent: de Cœna verò ad communem ſtabiliendam pacem multò accommodatius, quàm illi turbatores loquuntur. Hoc verò immanes illi Leſtrygones perferre non potuerunt, ideoque coniunctis viribus illam academiam inuaſerunt. En quo res reciderit, iuſto quidem Dei iudicio, indigniſſimũ verbi ſui contemptum per diſcordiæ ſpiritum vindicantis. Ego quoque licet perinuitus, tamen & eorum calumniis coactus, & amicorum precibus victus, & quòd noſtros matæologos videam ab iſtis nonnulla mutuari, in huius certaminis ſocietatem ſum pertractus, vno & altero ſcripto ea de re libello, quos ad te miſiſſem, niſi ex improuiſo lues illa Criſpini domũ nũc propterea occluſam inuaſiſſet. Me quidem certè ſcriptionum iſtarum vehementer tædet, quum præſertim hoc hominum genus videam partim prorſus indocile, partim ſola improbitate vaniſſima deliria tueri, quæ animi vitia Deus vnus poſſit emendare. Itaque de rebus iſtis deinceps tacere prorſus conſtitui, vel certè placidius aliquod ſcribendi genus & ab omni circunſtantia perſonarum & locorũ auerſum amplecti. Edidi quoque ab hinc biennium præter Chriſtianarum quæſtionum libellum binos commentarios, vnum De polygamia, alterum De diuortiis, in quibus multa ſunt ad veſtram Iuris tum Ciuilis tum Canonici, quod vocant, diſciplinam pertinentia. quæ ſtudia quum tantùm & quidem valdè iuuenis deguſtarim, nolim quidem ego abs te petere vt qualiacunque illa noſtra, quorum iſtic, opinor, exemplaria nonnulla inueniuntur, & quidem parum emendatè excuſa, legas: ſed tamen etiam atque etiam te rogo vt illa per otium inſpicere, tuúmque de iis iudicium ad me perſcribere ne graueris, vt emendatiora prodire aliquando poſſint. Et de iſtis quidē hactenus. Cæterum rediciſtuc ad te Romſpergus noſter, cui tum antea mihi noto, tum etiam abs te mihi commendato perlibenter præſtiti quod à me poſtulauit, & tibi perſuaſum eſſe velim quemcũque mihi commendaris, re ipſa experturum, quantum quidem in me ſitum erit, tantum apud me põderis literas tuas habere, quantum & dignitas poſtulat tua, & mutua noſtra coniunctio requirit. Bene vale. Geneuæ, 14. Aprilis, 1572.

EPISTOLA LXV.

REVERENDIS VIRIS, ECCLESIÆ TIGVRINÆ Paſtoribus & Doctoribus, fratribus eximiis & plurimùm obſeruandis.

LITERAE veſtræ, reuerendi viri, & patres ac fratres plurimùm obſeruandi, in noſtro conuentu perlectæ variè nos affecerũt. Quemadmodũ enim nobis periucunda fuit illa perpetua veſtræ in nos ſummæ charitatis ac beneuolẽtiæ teſtificatio, ita etiã pergraue fuit intelligere quod aliunde etiã multò apertiùs quàm ex veſtris literis cognouimus, non defuiſſe qui diſcordiæ alicuius ſemina inter nos iacere ſtuduerint, quaſi videlicet in Synodo Rupellana nõ tantùm à vobis diſſentire in grauiſſimo illo Cœnæ negotio, verùm etiam vos dãnare auſi eſſemus. Qua de re, etſi iam vobis antea ſatisfactum eſſe nobis chariſſimus frater Theodorus Beza noſter affirmauit, viſum eſt tamē ad vos apertè id quod res eſt ſcribere, vt illorũ qui nos diſiunctos volũt & impudentiã & improbitatem penitus noueritis. Sic igitur ſe res habet. Quum offerre breuẽ noſtræ fidei confeſſionem Regiæ maieſtati cõſtituiſſemus, & inter cæteras quibus ſemper grauati ſumus calumnias, hæc vel potiſſima eſſet, quòd ipſius corporis & ſanguinis Domini communicationem in Cœna non agnoſcamus, ſiue quòd pro re Sacramenti non Chriſtũ ipſum, ſed tantùm ipſius fructus ſtatuamus, vti placuit Subſtantiæ vocabulo, quod ſemper etiam in Cœnæ Domini liturgia vſurpauimus idque nullo cuiuſquam offendiculo. Ecce verò quietè ſic nobis pergentibus, exoritur tandem Lugduni Pedemontanus quidam, Alamannus nomine, homo, quod aliunde etiam apparuit, prorſus furioſus, vt porò quem etiam nunc affirment ad Iudaiſmum defeciſſe. Is vt ſibi nomen quæreret, cœpit non tam Subſtantiæ nomen quàm rem ipſam exagitare: qui quum eſſet facilè refutatus, rumore tamen ſui ſparſo cœpit vnus & al-

ter leuissimus homo de illa vocula disceptare, donec res eò euaderet, sine vllo tamen tumultu, vt nonnulli bene alioqui de re ipsa sentientes, vocabulum illud quasi ambiguum expungendum censerent, pauculi vero etiã quidam satis ostenderent sese hoc mysterium satis non tenere. Hæc qualiscunque controuersia belli secundi ciuilis interuentu sopita quum ad Synodum Rupellanam delata esset, post longam & accuratam disquisitionem, Synodus summo omnium consensu eorum sententiam qui voculam illam ex liturgia & confessione sublatam volebant, reiecit tribus potissimùm de causis. Primùm enim iudicauimus, prout & nunc iudicamus, si quæritur quidnam per cõmunionem adipiscamur, dicendum esse non tantùm merita & fructus mortis Domini, verùm etiã in primis ipsum Dominum qui est fons istorum bonorum à nobis spiritualiter per fidem percipi, id quod Substantiæ nomine in nostra cõfessione & liturgia significatum voluimus. Deinde, quum duplex nobis scopulus vitandus esset, vnus quidem eorum qui nos tanquam Christum ipsum è Cœna tollentes accusant, alter autem illorum qui metuunt ne posita substantiæ communicatione realis etiam præsentia, & corporalis ille communicationis modus stabiliri videatur: vtrique malo sic occurri commodissimè posse existimauimus, si illis quidem retento Substantiæ nomine (quo nihil aliud quàm Christus ipse intelligitur) os occludere pergeremus, istorum verò timori mederemur addita ea interpretatione, quæ & omnem ambiguitatem vocis tolleret, & merè spiritualem ac mysticum esse istum ipsius Christi nobiscum consociationis modum demonstraret. Tertio loco quum non ageretur de hac voce confessioni & liturgiæ inserenda (quod si fuisset integrum, fortassis ab ea abstinuissemus) sed de illa vel retinenda vel expungenda, non putauimus expungi posse quin & magnæ leuitatis notam incurreremus, & aliis subinde in eadem liturgia & confessione, prout huic vel illi temerè libuisset, exagitandis & mutandis aditum pateferemus: aduersariis denique nostris inter quos versamur, & quorum vel præcipua nobis habenda est ratio, os ipsum quodammodo ad veterem illam nobis reponendam calumniam aperiremus. His igitur rationibus subnixa Rupellana Synodus retento confessionis cap. 36. nullos certè damnauit (quod credidisse videmini) sed eorum duntaxat opinionem reiecit qui eam vocem nollent eo sensu admittere quo illic vsurpatur. Hæc Synodi verba, quum mali isti homines perinde sunt interpretati ac si aduersus vos (patres & fratres obseruandi) perscripta essent, magna certè nos iniuria affecerunt. Præterquàm enim quòd Synodo nunquam in mentem venit aliis quàm Gallicis Ecclesiis quicquã præscribere: coram Deo & Angelis ipsius testari sanctè possumus, tam nobis vestram, id est, Helueticam confessionem (cui & Geneuensis Ecclesia subscripsit) quàm nostram ipsorum in omnibus & singulis approbari, quas videlicet ab vno eodémque Spiritu dictitas, & ex puro Dei verbo depromptas, penitúsque inter se consentientes semper sumus arbitrati, etiamsi non iisdem per omnia verbis vtamur, quod fieri non potuit nec fortassis etiam oportuit, quum ne ipsi quidem Euangelistæ in verbis per omnia consentiant. Hanc verò nostram testificationem, patres & fratres obseruandi, à synceris integrísque animis profectam, rogamus vt non tantùm isti calumniæ, quam vnus discordiæ spiritus malis illis dictauit, verùm etiam cæteris omnibus semel opponatis, si quas præterea Sathan deinceps disiungendis animis nostris comminisci moliatur. Hac autem in re vt plenius etiam vobis satisfaceremus, scriptum illud Rupellanæ Synodi sic emendauimus vt pro his verbis, *Synodus reiicit eorum opinionem qui nomen substantiæ nolunt recipere eo sensu quo in prædicto 36. confessionis articulo continetur*, hæc substituerimus: *Synodus sine vllo prorsus exterarum Ecclesiarum præiudicio, quæ certis de causis substantiæ vocabulum non vsurpant, vocabulum quidem substantiæ retinet, sed eo demum sensu quo in prædicto 36. articulo continetur, &c.* Item in extremo post hæc verba, *Sic oportet vt verè participemus alterum Adamum Iesum Christum:* Synodus hæc adiecit, *Communicatione mystica & spirituali, vt inde vera & æterna vita hauriatur, cuius communicationis gratia specialiter instituta est Cœna Domini, quanuis idem Iesus Christus, cum omnibus suis donis, etiam in simplici verbo & in Baptismo nobis offeratur & à credentibus percipiatur.* Et de hoc quidem hactenus. Quod ad alias huius conuentus actiones attinet, absentibus iis quorum præcipuè causa indicta fuerat Synodus, & quos in primis adesse oportuerat, hominibus videlicet duobus priuatis, & tertio cuiusdam in Franciæ prouincia Ecclesiæ Pastore, disciplinæ hactenus summo consensu receptæ oppugnatoribus, constitutum fuit, vt eorũ scripta à capite ad calcem quàm diligentissimè recitarentur, & ad verbi diuini normam exigerẽtur. Hoc quum septem totis diebus à diluculo ad vesperam factum esset, duabus duntaxat horis necessitati corporum attributis, idque palàm & publicè, factáque præsentibus omnibus dicendi potestate, tandem deprehensa est omnium contrariorum argumentorum futilitas, quibus homines illi cunctas Ecclesiasticæ gubernationis partes, doctrinæ videlicet iudiciũ, omnium Ecclesiastico munere fungentium tum electionem tum abiectionem, excommunicandorum & damnationem & absolutionem, ipsas denique Synodos omnes totius præsentis populi communibus & expressis suffragiis subiici oportere contendunt. Itaque summo omnium ex singulis prouinciis missorum fratrum consensu, adstipulantibus cæteris, totóque acclamante cœtu longè frequẽtissimo rursum sancita & approbata est disciplina siue εὐταξία feliciter ex Dei verbo in Ecclesiis Gallicis instituta, & ad hũc vsque diem successu penè incredibili vsurpata, & illorum opiniones semel sunt explosæ. In ipsas autem personas, quanuis durius sanè iudiciũ multis de causis commeritas, nihil grauius cõstitutum est: sed (prout Christiana charitas iubet, & vos etiam, obseruandi fratres, non minùs sapienter quàm Christianè faciẽdum nobis esse monuistis) Synodicis scriptis literis iniunctũ est illarum partiũ Ecclesiis quas illi perturbare cœperãt, vt omnino studio & diligentia flectere illos, & mãsuetè si nõ ad mutandã sententiã adducere, at certè

hunc

huc pertrahere conentur, vt pacem & concordiam colere potiùs in animum inducant quàm rebus nouandis serendísque vllis discordiis studere. Hoc si ab illis impetrari nulla lenitate vel patientia potuerit, tum scilicet (quod Deus auertat) acrioribus remediis opus erit, nequid maioris detrimẽti Ecclesiæ patiantur. His peractis quæsitum est de multis particularibus causis, & nonnullis disciplinæ perscriptæ capitibus, quorum nonnulla clarioribus verbis concepta sunt, nonnullis etiam aliquid adiectum prout faciendum esse docuit necessitas, & ipse rerum vsus, & ita tandem celebrata Domini Cœna summo cum omnium piorum gaudio quos arbitramur non fuisse decem millibus pauciores, feliciter dimissus est conuentus cui si Dominus (sicuti speramus) porrò benedixerit, magnum inde fructum ad Ecclesias Gallicas (Deo iuuante) rediturum confidimus. Quod superest viri reuerendi, & patres ac fratres plurimùm obseruandi, & vestræ charitati gratias ingentes habemus pro vestra hac de nobis perpetua sollicitudine, & vicissim à vobis petimus etiam atque etiam vt nihil aliud de nobis vel omnibus vel etiam singulis in animũ inducatis, quàm quod fratrea vobis per omnia coniunctissimos decet, quod vestrum de nobis iudicium nos nunquam fallet. Bene valete in Domino, Patres obseruandi, & hoc regnum à bellis quidem ciuilibus nunc respirans, aliis verò plurimis maximísque calamitatibus laborans pergite Domino dies ac noctes commendare, quem etiã vicissim totis animis precamur vt vos vestrósque greges ab omni malo custodiat, vestrísque sanctis laboribus in dies magis ac magis quàm efficacissimè benedicat. Nemausi, 17. Maij, anno Domini, 1572.

Ex Synodi mandato.

EPISTOLA LXVI.

N.

RVPALLANT nouam academiam instituentes requirunt Philosophiæ professorem, & quum te intellexerint hoc munus sustinere posse, scribi tibi à me voluerunt vt id recipere non recuses. Quod petunt, non dubito quin seriò petant. Stipendium offerunt honestum, libras videlicet francicas quingenas. Collegas habebis Beraldum & Martinium, quorum consuetudinem scio tibi fore peruucundam. Ciues ipsi à pietate & comitate commendantur. Placebit vrbis maritimæ situs, cuiusmodi etiam fuerunt Athenæ, & Alexandria Ægypti. Academiam quoque spes est frequentem fore piorum scholasticorum concursu, in quorum gratiam est constituta. Scis autem nobis ne philosophiam quidem ipsam cauponantibus, hoc in primis propositum esse oportere vt quàm plurimis prosimus. Superest ergo vt quod te posse non dubito, velle autem debere existimo, id ipsum velis. Cætera ex Ricardi nostri literis pleniùs cognosces. De N. nostro vtinam possem boni quidpiam sperare. Antea credidi emansorem esse, nunc vereor vt planè sit transfuga. Conatus sum longissimis, & ipsius quoque confessione non incommodè scriptis literis hominem nutantem retinere. Respondit se responsurum, & ab ipso postea verbum nullum. Aut igitur nihil habet quod respõdeat, aut quod habet respondere ipsum pudet, nisi fortasse recoquit optimi illius magistri sui Alciati responsa. O miserum hominem, nisi miseriam suam agnouerit! Nos interea meminerimus Apostolici illius ἀποφθέγματος, Nouit Dominus qui sint sui. De rebus Gallicis ex Teatore nostro plenissimè cognosces. Bene vale, mi frater. D. Iesus tibi studiísque tuis magis ac magis benedicat. Eleutheropoli. Calendis Iulij, 1572.

EPISTOLA LXVII.

N.

PRIMVM omnium tibi gratulor restitutam valetudinem, & Deum Opt. Max. precor vt extremam hanc senectam tibi quàm placidissimam concedat. De iis quæ N. nostro per literas significaram, idem mihi semper visum est ac tibi, & hic quoque lætor mea consilia cum tuis cõgruere, quantumuis hæc tristia sint & acerba. Sed partim me cogit ipsa muneris mei ratio inania etiã multa conari, partim verò vt minimè futura sint quæ cogito, animũ tamen istis meditationibus recreare cõsueui: & vt non fiant quæ fieri debuerant, iucundum est tamen animo prospicere & secum commentari quid maximè fieri oportuerit. Quid, quod etiam multa præter spem Dominus? Sed agè, precibus, vt tu sapienter mones, intenti, quicquid tẽpus ipsum feret, patienter expectemus. Nam ista certè sunt eiusmodi, vt etiam si non impellas, tandẽ tamẽ sua sponte sint corruitura, quoniam, vt inquit ille, σαθρὸν γὰρ φύσει πᾶν ὅ, τι ἂν μὴ δικαίως ᾖ πεπραγμένον. De rebus Gallicis, vidẽtur noui belli occasiones quæri ex Belgicis motibus, impediẽdis procul dubio Hispanorum successibus. Nam & tota Narbonensis ora firmissimis præsidiis munitur aduersus illorum classem, & in Oceani litore duplex est classis instructa, vna Burdigalæ, altera Rupellæ, quæ tamẽ quò sint ducendæ ne ducibus quidem ipsis liquet. Audisti etiam proculdubio de Anglicano fœdere. Fames horribiliter vexauit Aquitaniã & Narbonensem. Vites in tota Burgundia & Campania frigus grauiter afflixit, quibus plagis correpti, ne nũc quidẽ sapiũt Phrygas. Ecclesiæ feliciter crescũt, si numerũ audientiũ spectes. Sed in tanto auditorũ numero vix credas quàm pauci sint

ἐν πᾶσι vt noster Paulus loquitur. Pseudodialecticus ille, quem ἐξ ἀκρας iampridem docti multi cognominarunt, contentionem non paruā excitauit de tota Ecclesiastica εὐταξίᾳ, quam inquit Democraticam esse oportere, non Aristocraticam, sola προσκλήματα presbyterio relinquens. Synodus ob eam causam Nemausi ineunte Maio coacta, cui etiam interfui, dogma istud plane, meo iudicio, absurdum & perniciosum, refutatis contrariis omnibus argumentis damnauit, cui si cum suis pauculis ille obsequatur, bene erit: sin minùs, certè turbas dabit homo ad turbanda optima quæque comparatus. Amiralium fertur Rex ipse complecti, vtinā amore satis syncero per nonnullos liceat. Nauarrenam, singulare nostri seculi ornamentū, ex repentino morbo amisimus, quo tēpore plurimùm Ecclesiis prodesse voluit & potuit. quibus de rebus plenissimè ad Textorē nostrū scribo, cuius literas resignādi potestatē tibi facio, vt eam potiùs ipse abs te, quàm tu ab illo accipias. Crispinum etiā amisimus, politum & tersum Typographum. Stephanus nūc prorsus feriatur, temporum asperitatem causatus. Tuas notationes legi, ex quibus, vt spero, nostra efficiā meliora, & quidem non dissimulato eius per quem profecerim nomine. Versor nunc in Tertulliano emendādo & illustrando, duro quidem scriptore nec vbique orthodoxo, sed planè inter omnes tum Græcos tum Latinos Theologos admirando. In eum si quid annotasti, velim vt id communicare mecum non grauêre. Bene vale, vir reuerende. D. Iesus te nobis conseruet. Genenæ, Calendis Iulij 1572.

EPISTOLA LXVIII.

N.

DVM te istic bonus ille vir exercet, alius quidā nihilo melior Theologus nos etiā exagitauit, Gallicarū Ecclesiarum optimè ac felicissimè constitutā εὐταξίαν conatus à fundamentis conuellere. Sed vicit veritas, dānato ipsius dogmate post longam & accuratam disquisitionē in generali Synodo Nemausi apud Occitanos coacta, cui etiā interfui, piorum fratrum assiduis precibus expugnatus. Huic decreto si paruerit ille cum pauculis factiosis, bene erit: sin minus, ecce tibi nouas turbas quas minimè oportuit, quæ tamen vitari nō potuerunt. Ecclesias gubernāt presbyteria positis à generali Synodo canonibus, idque quoties de re communi quapiā agitur (veluti de legendis aut abiiciendis ministris, de falso coarguendo dogmate, denique de excommunicando vel recipiēdo quopiam) nō nisi commonefacto populo, vt si quis habeat quod opponat, ingenuè id proponat presbyterio, à quo quicquid detulerit expendatur ac diiudicetur. Licet etiam iis quibus satisfacere suum presbyteriū nō potuerit, ad Classem siue Colloquium, & à Classe rursum ad prouincialem Synodū, & hinc denique ad vniuersalem Synodum prouocare, modò id sine tumultu & publico offendiculo fiat. Sic enim sunt Gallicæ Ecclesiæ in prouincias, prouinciæ in Colloquia siue Classes, & hæ rursum in sua presbyteria distributæ. At ille nescio quē adeò Christianū populū somniās vt semper à Spiritu sancto regatur, soláq; προσκλήματα presbyterio relinquens, nihil vult ratū haberi nisi quod præsens populus rogatis expressísq; suffragiis decreuerit, quod ni fiat, clamitat Oligarchiā ac Tyrannidē inuehi in Ecclesiā, nihil interea Ochlocratiā reformidans, in qua nimirū ipse, & eius similes dominētur. Contendūt iidē quibusuis etiā ἰδιώταις prophetandi partes in Ecclesia concedendas, huc detorto Pauli loco ex cap. prioris ad Cor. 14. Denique volunt ex Gallica cōfessione & liturgia expungi Substātiæ vocē, idcirco de industria passim à Caluino vsurpatā, vt eorum calumniæ occurreret qui nos clamitant pro re sacramēti, non ipsum Christū, sed eius duntaxat dona & energiā ponere, quū tamē nos oporteat in primis ipsum fundū possidere vt fructus inde ad nos promanantes percipiamus. Sunt autē diuersæ distinctæq; quæstiones, Quid percipitur, & Quod percipitur quomodo percipiatur: ac proinde diuersa sunt Corpus siue substantiā corporis Christi siue Christū ipsum percipi, quod minimè negamus: & corpus siue substantiā corporis Christi, siue Christū ipsum corporaliter & substantialiter percipi, id est, eo modo quo corpora & substātiæ naturaliter accipiuntur, & corporibus ac substātiis iunguntur, quod vt falsissimū & absurdissimū, & à nostræ salutis mysterio prorsus alienum reprehendimus, quū totum huius cōmunicationis modū spiritualem, & mētis ac fidei esse dicimus. Hæc qui non distinguunt, irritantur, & nisi voculā illam Substātiæ expūgamus, disiungere nos student, sed irrito per Dei gratiā conatu. Vides excubare Sathanam in omnes turbandarum Ecclesiarum occasiones. Quidni & nos igitur de illarum pace laboremus? Habes aliquam mearum cogitationum partem quæ fortasse non fuerint inutiles, si coràm de his conferre liceret. Habeo enim alia nonnulla maioris momenti, quæ tamen per literas satis cōmodè significare non possum. Perplacet autem mihi quod de conuentu absque vlla principum aut ciuitatum auctoritate priuatim instituendo scribis, quamuis nullis prorsus consciis principibus id fieri minimè velim. Quis autem hominū id meliùs aut facilius quàm tu vnus, perficiat? Nosti enim omnes, nec illorum quenquam esse arbitror (eos dico quibuscum hac de re agi cum aliqua spe potest) apud quem auctoritate non multū valeas, quam & ætas ipsa & doctrina, & maximus rerum vsus tibi conciliauit. Neque sanè quicquam aut melius, aut gloriosius à te suscipi potest. In me quidem nulla fuerit mora, si tam diu vitam mihi prorogarit Dominus, & tu me tempestiuè de loco & tempore, cæterísque rebus eò pertinentibus cōmonefeceris. De rebus Gallicis, videntur omnia ad illos Belgicos motus respicere. Nam & ora Narbonensis omnis firmis præsidiis munitur, & duplex est instructa classis, vna Burdigalæ, altera Rupellæ. Quid sit cōsequuturum nouit Dominus. Mihi quidē in nostra peccata & illorum populorum leuitatem intuenti, ne nunc quidem animus potest læti quicquā præsagire.

Amisimus

Amisimus Nauarrenam, quanti pretii fœminam? & quidem eo tempore quo maximè iuuare nos & potuit & voluit. Apparantur nuptiæ, mihi planè suspectæ in Solomonis ipsius sapientissimi exemplum intuenti. De rebus nostris, tuemur huius Ecclesiæ & Scholæ reliquias pro viribus. pestis rursum erupit. Messis parum est copiosa, lætioris vindemiæ non magna spes est. Cœli summa in his regionibus siccitas. Instruat nos Dominus fide & patientia quanta nobis opus est. Bene vale, vir reuerende. D. Iesus te custodiat ab omni malo. Geneuæ, Calendis Iulii, 1572.

τοῦ διαλλακτικοῦ συγγράμματος χάριν ὡς μεγίστην ἔχω. Quod de duplici corpore annotasti, olim mihi displicuerat. Sed id postea pro nobis plurimum facere animaduerti. Nec enim aliud esse potest corpus sacramentale, quàm corporis nomen Sacramentali metonymia acceptum, quod etiam sensisse videtur Lombardus libro sententiarum quarto distinctione octaua, nisi fortasse existimandum sit illos sic insaniuisse vt duplex corpus reipsa Christo affingerent.

EPISTOLA LXIX.

N.

SIVE prudenter hoc ago, siue imprudenter, continere me non possum quin his tibi literis testificer, vir amplissime, quanta hîc omnes lætitia simus perfusi, quantóque studio Deo Opt. Max. gratias egerimus, quum ad alia plurima beneficia quibus vestram gentem affecit, hoc etiam recẽs accessisse cognouissemus, Regiæ videlicet Maiestatis, & fidorum eiusdem cõsiliariorum totiúsque adeò Anglicani regni, inter verè Christiana regna præcipui, communísque Christianorum exulum perfugii, ex illo longè maximo certissimóque periculo liberationem. Hoc autem beneficium quum ad te priuatim quoque pertineat, vt pote quem inter cæteros nominatim perditissimi isti homines appetierint, Id tibi quoque propriè gratulor, Deum precatus vt istius tanti muneris fructum omnes Christi Ecclesiæ quàm diutissimè perfruantur. Quum autem paulò pòst auditum esset Anglici regni status, quos vocant, solenni more illic coactos, in quibus de religione quoque semel constituenda quæreretur, ecce rursum facere non potui quin ea de re nonnihil ad te scriberẽ, partim quidem eius zeli certus quo vniuersam Ecclesiã Dei prosequeris, partim verò etiã cõfidẽs fore vt etiã nõ desint qui me hoc agentẽ audaciæ alicuius vel etiã πολυπραγμοσύνης accusent, tu tamẽ pro bonitate & æquitate singulari tua, meũ hoc desideriũ non improbes, hoc vnũ nimirũ expetentis vt omnes vbique Ecclesias quã optimè ex Dei verbo compositas & constitutas cernamus. Itaque quod ad fidem ipsam siue doctrinam istic publico consensu receptam Regiáque auctoritate confirmatam attinet, nullum esse arbitror eorum qui satis rectè de his rebus sentiunt, qui non eam vt veram ac certam amplectatur. Sed quod ad Ecclesiasticam εὐταξίαν attinet, sine qua tamen diutius non magis videntur stare posse particulares Ecclesiæ, quàm resp. vel familia etiam aliqua nullis bonis certísque legibus administrata, minimè velim apud te dissimulare, vir amplissime, non paucos esse qui in iis quæ istic aguntur, plurima non modò vtilia, verum etiam necessaria desiderent. Neque quum hoc dico, vel morosos illos intelligo quibus nihil nisi penitus perfectum & numeris omnibus absolutũ allubescit, vel superbos, & importunos illos homines, qui nihil nisi quod ipsi fecerint aut consuluerint rectum putãt, sed pios, eruditos, neque istarum rerum ignaros, & quàm optimè in Ecclesiam Dei affectos nonnullos intelligo, imò etiam vestræ gentis priuatim, ac meritò quidem, studiosos. Quòd si roges quænam illa sint quæ isti vel adiicienda vel immutanda censeant, habeo quidem quod respondeã, & ita faciam si voles, & quum voles: tacere nũc tamen satius putaui, minimè id quidem astutè, ita me bene Deus amet, sed quoniam præterquàm quòd hæc omnia tu ipse omnium optimè perspicere potes, nolim ego vel rerum alienarum (si quicquam huiusmodi à nobis prorsus alienum esse potest) curiosus percontator, vel nimiùm credulus haberi, neque sanè is sum ego qui de tantis rebus facilè possim iudicare. Illud profectò negari non potest, Sathanam in corrumpenda Ecclesiastica disciplina quam vocant, non minùs quàm in doctrina peruertenda laborasse, vt de illius instauratione non minùs quàm de huius emendatione fuerit cogitandũ: quod quum satis constet ab initio fuisse plerisque locis non ita diligenter curatum vt oportuit, mirum non est eò iam res deuenisse, vt puriorẽ quidẽ doctrinã, nihilò verò meliores Ecclesias habeamus, idq; adeò videatur nobis quod olim Iudæis euenisse, nempe vt deteriora sint etiam posteriora primis. Hoc si nondũ experta est Anglia, est de quo maximas Deo gratias agat. Sin autem eò vsque malum istud euasit, tanto futurum deterius quanto tardius erit remedium, nihil est profectò de quo perficiendo potiùs cogitare Regiam maiestatem & fidos eiusdem consiliarios oporteat, vt de illa quoque vaticinatus sit Esaias, reginas appellans Ecclesiæ nutrices. Est autem hoc opus quantum licet ingens & arduum eo certiore spe & maiore alacritate à vobis suscipiendum, quòd eos ipsos qui plerisque locis hoc impediunt, estis adiutores habituri, adeò vt tota hæc res in deliberando potius quàm in exequendo posita videatur. Præterquàm enim quòd de ipsorum episcoporum eruditione & voluntate ad instaurandam Ecclesiam propensa nolim dubitare, habet Anglia, Dei beneficio, non paucos iis omnibus Dei donis abundè præditos, quibus ad hanc rem sanctè simul & prudenter peragendam opus est. Ii si vnà cum Episcopis, ad quos præcipuè quidem, at non solos tamen ea cura spectat, de istis deliberarint, confido certè, & non immeritò quidẽ vt arbitror, ea consequutura ea quibus exteræ quoque gentes exemplum deinceps mutuentur. Hæc verò tibi, vir amplissime, quum multò meliùs nota perspectáque sint, quàm ipse vel cogitatione complecti possim, neque tibi vel egregia voluntas vel eorum quicquam desit quæ ad hoc conficiendum

negotium requiruntur, magnoperè sanè fuerim reprehendendus, si pluribus hæc apud te persequar, à quo non modo susceptum, verùm etiam aliquatenus iam perfectum hoc opus esse mihi persuasi. Itaque Deum mihi potiùs precandum existimo vt te in hoc negotio exterisque omnibus sancti Spiritus sui virtute fulciat, nouísque subinde donis magis ac magis cumulet, ad sui nominis gloriam, totiúsque Anglicani regni ornamentum. Bene vale. Geneuæ, Nonis Iulii, anno temporis nouissimi 1572.

EPISTOLA LXX.

N.



VALDE me certè commouerunt literæ tuæ, Clarissime vir. Ecclesiam enim totam iudico, amisso Clarissimo viro parente tuo, maximam iacturam fecisse: homine videlicet rarissimi exempli, siue doctrinam, siue pietatem, siue denique cæteras quibus excelluit virtutes spectemus. Quòd si rectè existimamus Dominum quoties hæc lumina hominibus accēdit, toties peculiari quodam modo suam in suos beneuolentiam testari, quidni etiam eorundem extinctionem pro ipsius iræ testimonio accipiamus? Extant enim plurimæ variorum populorum historiæ ex quibus apparet Dominum sæpe imminentibus grauissimis tempestatibus seruos suos in portum subduxisse: nec aliud sanè meretur indomita totius mūdi peruicacia, quàm vt Deus hoc ipsum iudicium in vniuersam terram exerceat, quod regno Iuda euenturum prædixit Esaias cap. 3. neque id temere, sicut euentus ipse tandem probauit. Istud verò quod commemoras de insigni contumelia tum viuo tum mortuo tanto viro illata, cuiusmodi tandem est? Vt enim errorem esse demus ab ista Cyclopica, id est, orali, vt ipsi loquuntur, siue reali carnis Christi manducatione abhorrere, an idcirco membrum Christi non est qui tamen sese spiritualiter per fidem credit ipsius Christi participem fieri, & in ea participatione acquiescit, quam isti inficiari nō audēt ad salutem iis saltem sufficere qui vel per ætatem, vel ob aliud iustum impedimentum Cœna Domini prohibentur? Iustum autem impedimentum esse ignorantiam veritatis non existimo istos negaturos, quamuis sese omnium hominum scientissimos esse sibi persuasisse videātur. Demus igitur illis magnum illum virum parentem tuum (cuius ego quidem certè pluris facio duas quas ad me misisti pagellas, quàm omnes istorum κακωφίας) ignoratione quadam istius Omnipræsentialis theologiæ à vero aberrasse, ac proinde indignū meritò visum esse qui Cœnæ Domini interesset: num idcirco ad inferos ablegandus erat, ac non potiùs cōmiseratione dignus? Quòd si eum excipiant improbitate potiùs quàm simplici ignorantia peccasse, an non totidem spiculis fodietur eorum conscientia quantumlibet ἀναίσθητος, quot habuit ille tum ciues tum exteros suæ probitatis & integritatis testes? Et cuiusmodi sunt isti Pastores qui ouiculam tanto studio ipsos requirentem adeò pertinaciter repellant, nedum vt aberrantem per ipsa deserta & auia sequuti, tandem in gregem reducant? Nempe hic est istorum religiosissimorum hominum zelus. quibus religio non est scortatores, ebriosos, fœneratores, quosuis denique quantumuis dissolutæ vitæ homines ad Cœnam admittere, sui nimirum sæpissime similes, summa verò Christianitas est eos detrudere ad inferos, & in eos tum viuos tum mortuos debacchari, qui corpus Christi realiter in pane & eiusdem sanguinem in cantharo includere recusarint. Et hæc hominum monstra diutius fetet Germania? Nam hæc quidem vna istis nunc deliciis fruitur, adeò etiam auidè vt pro Papistici cleri tyrannide, qui tamen aliquam saltem antiquitatis & dignitatis speciem habuit, istorum indignissimorum hominum iugum vltrò subire non recuset: quorum dogma tam sanè est absurdum, ineptum, ἄτοπον, vt verè possim illud vocare Sathanæ excrementum, quo ipsis etiam iuratissimis suis hominibus atque adeò sibimetipsi quodammodo illudat. Sed de his plus satis, quæ ipsa facti indignitas à me extorsit. Tu interim, vir Clarissime, istiusmodi peruersissimis iudiciis ne tantillum commouetor. Vera enim, pia, & orthodoxa est optimi viri parentis tui confessio, cuius nunc fructu cum Domino & seruatore nostro Iesu Christo perfruitur, tantisper dum appareat iustus ille suæ veritatis vindex, quam istos nunc suis iniquissimis iudiciis damnare nihil pudet. Sequere potiùs constanter paterna vestigia, sicut facere cœpisti, téque verorum ipsius bonorum hæredē ac successorem præbe. Quòd si eosdem hostes experiaris, habes domesticum insignis patientiæ exemplum quo teipsum confirmes. Et assiduè tibi Dauidicum illud meditandum erit, Ipsi quidē maledicebant, at tu benedicebas: & illud Pauli, Pro minimo duco à vobis aut humano die iudicari. Bene vale, Clarissime vir. D. Iesus Sathanæ rabiem compescat, mitiget pœnas peccatis nostris debitas, téque ac bonos omnes sancto suo Spiritu sustinendis improborum iniuriis, & tuendis aduersus illos bonis confirmet. Geneuæ, 27. Augusti. 1572.

EPISTOLA LXXI.

FR. BERALDO, VIRO DOCTISSIMO, & fratri amicissimo.



RVPELLANIS sanè gratulor tuum ad eos aduentum, mi Beralde, tibi quoque gratulaturus vbi quod te expetere præcipuè scio, nempe vt quàm amplissimum ex tuis laboribus fructum percipiant, id fueris apud illos consequutus. In primis autem Deo Opt. Max. gratias ago, quòd te tot potiùs mortibus quàm periculis ereptum in istum vsque portum perduxerit. Sic enim malo, ominis causa, quàm stationem appellare. Quod ad nos

ad nos attinet, magnam hîc quoque rerum vicissitudinẽ sensimus, plerisque vel dilapsis, vel etiã morbo absumptis, qui nos hoc præsertim anno durissimè vexauit. Veratiũ philosophiæ professorem, maximæ spei hominem si diuturuior vita ei contigisset, febris continua nobis eripuit. Portum insigne illud scholæ nostræ ornamentum, imò euersæ à Barbaris Græciæ reliquias, quartana iam aliquot mensibus exercuit. Aliis etiam tempestatibus vexati sumus, sed optimo per Dei gratiã exitu. Mihi vero quæ priuatim sustinenda fuerint, si plenè tibi explicarem, tum sanè mirareris inueniri quenquam posse qui mihi pontificatum istum quem vocant, inuideat. Vtcunque sit, toti nunc sumus in schola instauranda occupati, & quod ad me quidem attinet, pergere, fauente Deo, repugnantibus omnibus & exteris & intestinis hostibus, Ipsisque adeò dæmonibus, per bonam & malam famam ad metam constitui. Ibi certè inueniam qui mei misereatur, & mendaces iudicet. Hoc vt mihi obtingat, peto à te, mi frater, vt tanti ponderis onus infirmis admodum humeris sustinentem, assiduis precibus tuis iuues, sicut eum vicissim precor, vt tibi collegisque tuis in exercendo tam sancto docendæ iuuentutis munere, magis ac magis benedicat. Bene vale cum tuis omnibus. v. Cal. Feb. 1572.

EPISTOLA LXXII.

N.

MI frater, gratulor tibi ex animo non tam reditum quàm vitam, eámque penè restitutam potiùs quàm conseruatam. Vtinam eadem omnium fratrum sors fuisset. Multos enim amisimus: multi adhuc in ipsius mortis faucibus versantur, inter quos Acanthiũ nostrum & Sperandium assiduis precibus ac votis à Domino requiro. Veniunt tamen ad nos subinde non pauci, sed egentes, vel potiùs omnibus rebus destituti, imò penitus nudi & inopes, quos tamen refocillare sicuti volumus non possumus. Et quid præterea tot miserrimis fiet qui vitæ huius calamitosissimæ miserias saluti suæ & Christi nostri gloriæ anteposuerunt? quid etiam illis qui multis iam locis vim vi repellunt? Hæc & alia, tum præterita tum præsentia, & nisi Deus auertat, certò futura cogitans, vix ac ne vix quidem, mi frater, possum eluctari, præsertim quum plurimorum in tam certo ac communi periculo stuporem, aut veternum potiùs considero. Ista verò quorundam durities & immanitas qui tam miseris ne hospitium quidem concedunt, ista denique nostrorum Cyclopum rabies, non priùs, vt apparet, desitura, quàm nostras quoque carnes vorarint, & sanguine nostro sese inebriarint, tum demum suam illam manducationem re ipsa probaturi, quid aliud quàm tristissima quæque prænuntiant? Sed agè, tamen vincet veritas, vincet sanctorum patientia, & nihil non in suis potest παντοκράτωρ ille Dominus Deus noster. Præstemus ergo culpam, & bona quidem conscientia comite, illo verò duce nobis præeunte stadium nostrum, mi frater, per hæc etiam inuia decurramus. Ergo ne tu mihi nunc de otio vel de inanibus gemitibus, sed de nouis potiùs laboribus subeundis cogitato. Turpe siquidem nobis fuerit otiosis esse in opere Domini, quum isti scelerati tam strenuam operam nauent huius mundi tenebrarum principi. Significo igitur tibi requiri quodam loco hominem valentem, cui præcipua illarum Ecclesiarum cura tum in doctrina aduersus pullulantes Arrianorum, Samosatenianorũ, Eutychianorum hæreses asserenda, tum in stabilienda & exercenda disciplina committatur. Hoc onus etsi grauissimum est, iudico tamen te Dei misericordia fretum non posse recusare, si ad te deferatur. Quæritur enim qui disciplinæ vsum norit, & illorum linguæ non sit ignarus, quod vtrunque tibi penè vni ex nostris Gallis abundè datum est. Iudico etiam cætera concurrere, vt si fortè ab illis accersitus fueris, penè ipsius Dei voce mihi videaris delectus, qui istuc mittaris, & spero te mihi assensurum, vbi Dominum consulueris. Vide igitur vt quid tibi sit animi, quum primùm licebit, ad me perscribas, & istud interim apud te contineto. Opinor etiam te descripsisse illa Vbiquitarii apostoli apud vos acta, quæ velim certis de causis, cognoscere mihi per te liceat. Quid rursum non ita pridem Lutetiæ sit actum aduersus nostrum illum heroem totámque ipsius familiam, & innocentissimos aliquot homines: consilium quoque illorum Lestrygonum de reliquis siue vlla exceptione penitus extirpandis, adcóque exteris ipsis inuadendis, idcirco non scribo quòd istic satis esse perspecta existimem. Rupellani, Montalbanenses, Nemausenses, & totus vicinus ille tractus vim vi repellunt, edictis literísque prioribus regiis freti. Tu Domine Iesu appareto è cælis tuorum assertor, & hostium desperatorum vltor. Amen. Bene vale, mi frater, vnà cum optimo sene, patre tuo, cæterísque amicis. Geneuæ, 21. Nouemb. 1572.

EPISTOLA LXXIII.

N.

MI frater, dura, tristia, horrenda sunt quę narras. Sed considerare te velim quę fuerit sub plerisque Prophetis Ecclesiæ facies, qui tamẽ propterea, non dico vocationem, sed ne stationem quidem suam deseruerũt, & tamen ex iis nonnulli fuerũt etiam sacerdotes. Quantam fuisse existimas & in doctrina, & in moribus perturbationem, Zacharia nihilominus suam vicem obeunte? Sic igitur statuo, donec vel aliò quasi Dei ipsius manu traducamur, aut vi sedibus nobis attributis extrudamur, nobis constanter in statione permanendum. Vis autẽ ista duplex est. Aut enim apertè infertur, sicuti nunc fit in Gallia: aut eæ conditiones imponuntur quæ sint bonis conscientiis intolerabiles. Eiusmodi est quod postremis tuis literis innuis potiùs

quàm exprimis, si hæreticos aut apertè flagitiosos cogamur ad Cœnam admittere. qua de re nostri Ambrosii & Chrysostomi verè Christianas voces. Et tamen in hoc etiam curando malo tentanda priùs quæuis arbitror, quàm vt ministerio renuntietur. Videtur autem hoc mihi aptissimum remedium, si communis & perspicua quæpiam tum ipsius doctrinæ Christianæ, tum disciplinæ Ecclesiasticæ formula vnà cum expressa repullulātium præsertim hæreseωn abiuratione, ex Magistratus auctoritate, pluribus locis, adstanti populo prælegeretur, cui qui non assentiretur, is non haberetur in ouium numero, ac proinde ad Cœnam non admitteretur. Sic initio factum est in hac ciuitate maximo cum fructu. & ob hanc ipsam causam vniuerso populo tributim collecto, præsente Magistratu, omnia edicta Ecclesiastica solenni promulgatione in templo maiore, tertio quoque anno sanciuntur. Ita si istic fieret, hoc saltem consequereris, vt qui se perditos voluot, saltem pietatem simularent. Hypocritas autem nondum detectos solius Dei est, vt tu nosti, iudicare, neque nos aliud quàm culpam in istis præstare tenemur aut etiam possumus. Erit autem sedulò commonefaciendus N. quandoquidem ista iurisdictionū varietas facit vt multi impunè quiduis audeant, det operam vt vnusquisque suos diligētius coerceat: ac nominatim edicat vt quisquis eorum qui eandem atque ipse religionem amplexi fuerint, Cœnæ interesse neglexerit, causam eius rei dicere in Consistorio teneatur. Priuatas ϲυνάξεις malim initio à vobis exerceri, ex earum familiarum voluntate, quæ vos vltrò admittent, & eò amicè conuocari ex aliis nonnullos, qui postea cæteris renuntient quid illic agi & dici spectarint. Sic enim fortasse fiet vt qui propter rei nouitatem aut alias ob causas omnino inuiti accederent ex Magistratus imperio, re cognita vltrò id expetāt, præsertim si quàm blandissimè fieri poterit omnia ibi dicātur & gerantur. De non vindicatis in Filiō Dei blasphemiis iure profectò expostulas, neque hic tibi prius quiescēdum arbitror, quàm aliquid saltē mediocre impetraris: & opto vt boni omnes sese tecum, sicuti par est, aduersus molles istos in tanto scelere quaotum admitti à quoquam in hac causa potest, coniungant. Quid si verò nihilominus conculcata iaceat Filii Dei gloria? Ipse nimirum seuerus erit suo tempore illius vindex, vos autem animas vestras liberaueritis: neque propterea censeo cuiquam de discessione cogitandum, ne paucorum culpam innocentes luant. Hæc habui, mi frater, quæ de his ad te scriberem, vehementer etiam atque etiam te rogans vt teipsum erigas, & aduersus omnia impedimenta, etiam istis maiora magis ac magis confirmes. Nam aut ego prorsus fallor, aut hæc sunt dunta at maiorum calamitatum initia. Sed inuictus est ille Spiritus qui datus est nobis adeo vt nostra etiā opera cæteris illum suppeditari oporteat. Quid plura? Fortis esto, corroborare, & tuum ministerium hac etiam constantiæ perpetuæ virtute cohonesta. Afflictam Ecclesiam, si vnquam aliàs, fulciamur quantum licet, & ista miserorum hospitia quæ tam rara esse vides, foueamus quantum possumus, minimè id quidem vt ad ea quæ coarguenda & reprehendenda sunt conniueamus, sed ne remediis vtamur quæ sint ipso malo cui mederi volumus, deteriora. Si tecum esse possem ad horas aliquot, pleniùs hæc tibi explicarem, & sperarem te mihi assensurum. Continget hoc nobis quum Dominus volet. Notus est mihi animus tuus. Spero etiam tibi perspectum esse quid quæram & optem, Vota congruunt. Da hoc mihi, vt quum in cæteris tibi concedam quacunque voles vehementia vti, in iis arguendis quæ Deum pene ad nos omnes sacrosanctum eius Euangelium turpissimè profanantes semel exterminandos cogant, teipsum tamen reprimas, quotjes de tuo illo voto, quod sanè probare non possum, cogitabis. Cæterùm mi frater, vestram illam ἱκεσίαν quam ad nos misisti, accepimus bona fide nobis redditam per hunc ipsum qui has tibi literas reddidit. Quàm opportunè aduenerit vestiendis multis nudis fratribus, non possum tibi explicare. Certè futurum scio vt vltimo illo die Dominus ac Deus ille noster hoc officiū iis rependat qui hoc beneficio hanc ecclesiam affecerunt, quam tibi affirmare possum plurimùm egere, multū velle, parum posse. Mihi religio est vrgere quæ superesse scribis, quum minimè dubitem quin Septentrio in vos inundet, sicut in nos Occidens & Meridies. Scitote tamē quicquid illud erit quod mittetur, præsertim si tempestiuè mittatur valde opportunum fore, siquidem fuga fratrum etiam hyeme contigit. Bene vale, mi optime & charissime frater, D. Iesus exerat suum illud potens brachium. Et sanè faciet, quoniam facto opus est. Geneuæ, 2. Decembris, 1572. Multi in Gallia respirāt, & multis iam locis acerrimè certatur: ac mihi quidem insignis quædam mutatio videtur toti illi regno imminere, quod ipsam Sodomam & Gomorrham iustificat. Sed quàm mallem ego nos ad arma resipiscentiæ confugere! Omnia sunt in manu Domini. Vigilemus tantùm, & alios ad vigilandum excitemus, ne nos imparatos opprimat dies Domini. Si quos istic habetis Astrologos, monebis nobis hîc apparere stellam inusitatæ prorsus magnitudinis & splendidissimi luminis qua parte via lactea proximè polum accedit circa Cassiopæam quam vocant, vt opinor, qua de re cupio quid ipsi censeant intelligere, quamuis ab vno syderum opifice pendere didicerim.

EPISTOLA LXXIIII.

IO. CNOXO, EVANGELII DEI APVD SCOTOS *Instauratori, fratri & symmystæ obseruando.*



RATIAM & pacem tibi, mi frater, omnibúsque vestris sanctis Ecclesiis opto à Deo & Patre Domini nostri Iesu Christi, cui etiam gratias ago assiduè, tum de tāta ipsius in vos beneficentia, tum de vestra singulari in asserendo ipsius cultu constantia & animi fortitudine. Cæterùm quum honorificum illud & verè Christianum Academiæ vestræ

vestræ testimonium, quo nostrarum Ecclesiarum confessionem amplexi estis, mihi redditum esset, aliquot pòst mensibus & tibi priuatim & aliis fratribus per literas significaui quàm grata & quàm iucunda nobis omnibus ipsisque in primis Tigurinis fratribus fuerit vestra hæc in omnibus nobiscum in Domino coniunctio, quam & confidimus fore sempiternam, & aduersus ipsas inferorum portas firmam permansuram. Quòd autem ab eo tempore nullas à me acceperis, nolim te, mi frater, vel contemptui, vel negligentiæ, vel etiam occupationibus tribuere, sed partim tabellariorum penuriæ, quos sanè nullos satis idoneos habui, partim etiam perpetuis horum temporum tempestatibus, à quibus etsi singulari quodam Dei Opt. Max. beneficio, adhuc tuta fuit hæc ciuitas, tamen quum & nobis valde sint, vt tu nosti, propinquæ, & eos potissimùm exerceant quibuscum nobis necessariò communia sunt penè omnia. fieri non potest quin grauissimè nos quoque interturbent. De rebus verò nostris non est, opinor, necesse me ad te pluribus scribere, quum ex hoc vestrate, homine sanè optimo, singula possis multò meliùs quàm ex me ipso cognoscere. Tantùm igitur hæc habeto, valete adhuc nos omnes per Dei gratiam, & in eo ipso statu cõcordibus prorsus animis perstare, in quo tu nos olim reliquisti. Imò etiam ita nunc nostra hæc Academiola excreuit, vt paucas esse frequentiores existimem. Colladonius & ego Theologiam alternis hebdomadibus profitemur. Iam etiam accessit tertius Galasius noster, quem Gallicæ istæ tempestates in hunc portum, vt alios penè innumerabiles expulerũt. Sed quominus solidum hoc gaudium gaudeamus duo nos impediunt, vnum quòd nostra hæc Ecclesia crescat quidem mirabiliter, sed ex aliarum ruinis: alterum quòd pestis quæ nos anno superiore satis acriter vexauit, ab hinc mensem plus minus cœperit reuiuiscere. Itaque vehementer à te cæterisque fratribus peto, vt hoc quoque nobiscum à Deo & Patre nostro clementissimo flagitetis, vt tot nostrorum peccatorum oblitus castiget nos quidem, at non in furore suo corripiat, sed hoc potiùs quod vnicum ferè tot miseris perfugium superest, pro bonitate singulari sua, ab omni malo conseruet. De rebus Gallicis, quo tempore hęc ad te scribebam, omnia fausta nobis nuntiabantur, sicut ex hoc ipso cognosces à quo istas accepisti. Etsi enim nostri amisso illo præstantissimo heroe, Principe Condensi, maximum vulnus acceperunt, tamen ab eo tempore Dominus ita illos subinde recreauit, vt luctuosior etiam hostibus quàm nostris mors ista iam fuisse, ac deinceps etiam futura videatur. Paucissimos quidem præter illum cæsos fuisse certum est, sed in iis duos meritò luxit exercitus, Castellicrũ Gallũ, & Stuardum vestratem, virum, quantum ego iudicare possum, & animi & corporis dotibus excellentem. Rependat etiam Dominus hanc cædem indignissimè factam hostibus suis. Vterque siquidem, sicut & Condensis, post deditionem contra belli iura crudelissimè fuit interemptus. Sed hæc sors est bonorum, hoc præsertim ingrato seculo. Neque ego dubito (quod enim istinc audimus, rumoribus potiùs quàm certis nuntiis accipimus) quin similia apud vos exempla annus vnus & alter suppeditare possit. Eheu verò, mi frater, quæ hæc est rerum facies? Etsi enim minimè nouum est sic vexari spiritu discordiæ qui doctrinam pacis repudiant vsque adeò pertinaciter, tamen triste illud est & luctuosum quòd gladio sese cogantur tueri, qui sola patientia tot annos & Sathanam & mundum adeò feliciter oppugnarunt. Agè tamen, præeat modò suis Dominus. experientur sanè hunc vnum esse & armorum, & pacis arbitrum. Sed quàm difficile, imò penè sit ἀδύνατον sic ferreos gladios istos contrectare vt ipse te non lædas, vtinam ne experiamur. Vnus huic malo, vt & cæteris aliis, mederi potest Deus, cui [illegible], vt Paulino verbo vtar. Illi gratias ago ingentes, quòd vobis toties tam miris modis affulsit, & Galliæ nostræ eadem, vobis, vt spero, minimè dissentientibus precor. Sed de his adeò tristibus nimiùm multa. Faxit Deus vt breui possim & plura & lætiora. Editæ sunt superioribus nundinis meæ quædam prælectiones de Polygamia, repudiis & diuortiis, quas velim te legere, & à vobis istic quoque expendi. Itaque nonnulla earum exemplaria libenter ad te misissem, nisi essem veritus hunc nostrum grauare, qui tamen promisit se cum vno saltem exemplari istuc, Deo fauente, peruenturum. Coegit me præterea quorundam importunissimorum hominum maledicentia, nescio quid nugarum edere, quarum exempla duo ad te mitto: vnum tibi, vt quum nugari etiam voles, Bezæ tui seriò recorderis: alterum D. Buchanano, quem istic esse & valere opto, ac etiam ex me, vt vetere amico, salutet. Vniuersus noster cœtus iubet te omnésque adeò collegas plurimum saluere in Domino, communi huius nostræ coniunctionis autore ac vindice. Ego nominatim, mi frater, te precor vt mei miserrimi peccatoris. & inutilis homunculi cui tantum oneris Deus imposuit, assiduè in tuis precibus memineris, vt culpam saltem præstare aliquo modo possim aliquando coram ipsius tribunali, quem vicissim rogo vt te sancto & potente Spirito suo fulciat, vnà cum insigni illo vestro toties mirabiliter vobis conseruato liberatore, quem ego quàm humilimè saluto. Neque id à te vno peto, mi frater, sed etiam à toto optimorum & doctissimorum hominum cœtu flagito, quos omnes D. Iesus seruet, tueatur, custodiat quàm efficacissimè ad nominis sui gloriam, & omnium Ecclesiarum, quibus sanè singulari exemplo estis, firmam solidámque ædificationem. Bene vale, Geneuæ, 3. Iunii, 1569.

Euge mi frater, quàm rectè illud quod disciplinam simul cum doctrina coniungitis? obsecro & obtestor vt ita pergatis, ne vobis idem quod tam multis eueniat, vt quia in limine impegerunt, progredi non possint, imò etiam interdum ne velint quidem, quod longè miserrimum est.

EPISTOLA LXXV.

N.

TERNIS tuis literis,his vnis respondeo,vt homines plus satis occupati solent. De tua fide absit vt vnquam dubitarim,absit,inquam,vt de te aliter quàm de me ipso senserim,& porrò sentiam. Coniicio etiam ex iis quæ sæpius sum expertus,quum eandem molam versarem,qua prudentia,& qua patientia tibi sit opus. Sed vt ingenuè loquar,optima mihi hæc ratio videtur multa mala si non tollendi,saltẽ mitigandi,si in ipso statim initio quàm acerrimè cũ arrogantibus illis ingeniis agatur,quibus semper sum postea expertus nihil esse seruilius & demissius:& adhuc sum in ea sententia vt existimẽ vtrunq; illum tua moderatione abutentẽ,eò iam eusisse vnde solus Dominus illos nunc potest deturbare,siquidẽ vestri misereri constitui. Serò tamen id tentandum arbitror,quia fieri non potest quin prodatur Ecclesia,si vera sunt quæ de illo præsertim audiui. Leges,si placet,quæ ad eum rescripsi,& postea obsignabis. De altero quid dicam?Conqueritur de me quasi sibi mecum vllum fuerit negotium. Admonitus à quibusdam qualis esset,quum resciuissem illum esse Lugduni,nescio quid illic ambientem,admonui vnum ex Ministris quàm modestissimè,vt si veram esse accusationem deprehenderent,re cognita statuerent quod disciplina iubebat in istiusmodi homines decerni. Mitto ad te mearum literarum exemplum fideliter & ad verbum descriptum,vt omnes iudicent quo iure ille me vt ambitiosum & inuidũ accuset,quasi verò quicquam illi possim,etiam si velim,inuidere:aut quasi mea propriè intersit,siue placeat quibusdam siue non placeat. Quomodo deinceps illic cum eo sit actum,fratres ipsi testentur. Quod illi suaserunt vt se nobis apud quos delatus fuerat,literis saltẽ purgaret,mihi significatum nunquam fuit. Cur autem id recusarit facere quod Christiana charitas,etiamsi monitus non fuisset,omnino flagitabat,ipse videris. Vidi aliquot fratrum testimonia,quorũ oportuit valde me pudere. Inde deprehendebatur vno & altero anno octo & amplius Ecclesiis inseruiuisse. Testabantur bene illic versatum. Erant etiam ex fratribus qui eum vocarent integræ prouinciæ ministrum. Interea à quo missus esset,& cur discessisset,mirum silentium. Oportuisset enim eos effutire quod ipse minimè volebat,quem etiam arbitror fortassis suum testimonium plerisque dictasse,qui quorsum hæc tendant non intelligunt. Si hoc est bona fide agere,agè inter diem & noctem non distinguamus. Et vos ista prostibula diutius feretis vobis illudere? nunquámne vidisti post magnam siccitatem oriri tonitrua,vt postea,mediocris temperies sequatur? Ita facto opus est,quoniam in tempore non occurristis. Mea quidem nihil propriè interesse nosti quo loco illi sint,& omnes eorum similes. Vos autem & quicunque ad hæc cõniuetis rationem coram Deo reddituros scio vestræ indulgentiæ & omnium quæ inde consequuta sunt & cõsequẽtur offendiculorum. Illud me valde pudet,quum tot aliis restiteritis ad sanguinem vsque,vos iam nescio quibus quisquiliis perterrefieri,quoniam vestra conniuentia passi estis vobis istos illudere,& eos fallere,quos tamen,vt spero,reperietis semper vitiorum hostes & veritatis amicos fuisse. Quum hæc scribo,classicum non cano,sed animum aperio. Si pecco,nemo hominum est quantum in me erit,qui libentiùs ferat se reprehendi,quod re ipsa experiemini. Si dico quod res est,memineritis vos esse Dei seruos,cui estis rationem reddituri. Mitto etiam ad te tillum ministrorum testimonia,quæ quum antea intellexissem,nihil de his rebus cogitans (habeo enim plus satis aliud quod agam) curaui postea vt sua manu scriberent quæ mihi renuntiarant. Illis si opus est,& apud quos opus erit,velim vtaris,& ad me postea illa remittas. Si pauló acerbius scribo,facilè,vt spero,veniam dabis. Nosti enim quid quæram,& tamen adeò hîc mihi videor non peccare,vt etiam rogem vt quicquid istud est,si iudicabis expedire,nostris heroibus & ostendas & inculces,vt desinant isti tandem aliquãdo illos obtundere,& per eos ipsos nos oppugnare,quos esse cõstat singularia ipsius Ecclesiæ organa. De illo insano Democratico quid dicam? Aut vidisti,aut vides,aut mox videbis qui vir fiet,& quàm non fuerint decepti qui hominem penitus norunt. Siue autem suo more aliquid amplius culpæ agnouerit quàm antea,siue perrexerit esse sui similis,quis admittat quod ab eo non veritas,non conscientia,non Ecclesiæ auctoritas,sed sola φιλαυτία extorserit,& qui cum eo coniurarunt,suaserint? Durum hoc verbum est,& vtinam falsum. Me verò quantumuis ob hoc ipsum in multorum calumnias incurram,puduisset mei muneris,nisi Nauarrenam ipsam suæ hac in re imprudentiæ seriò & acriter commonefecissem. Dominus autem & huic malo & aliis certè prouidebit,præsertim si vobis non defueritis.

EPISTOLA LXXVI.

N.

MACTE esto hac fide & virtute,frater. Confessionẽ quam ad me misisti non modò vt Christianè,verùm etiam vt planè & perspicuè scriptam valde probo,in qua etiam veritate viuere & mori mihi certum est,Deo fauente,ipsius veritatis auctore & vindice. Tantùm,meo iudicio,vbi dicis hanc præsentiam esse incomprehensibilem,pro Præsentia substituendum est communicationis nomen. Nam quæ sit ista corporis presentia manifestè intelligimus & percipimus ex Dei verbo,sicut videlicet res cogitata est præsens cogitationi,res credita est præsens fidei. Nam alioqui si præsens id dicitur quod est præsenti loco situm,tũ corpus verè dicimus à nobis,id est,ab eo loco in quo versamur,tanto interuallo abesse,quanto abest cælũ à terra,quũ illud quidẽ sit in cælo,nos verò in terra. Et hoc ipsum est

à quo diſſentimus à conſubſtantiatoribus, quòd illi velint corpus ibi eſſe, id eſt, eo loco vbi ſunt & dantur Symbola, modo quodam hyperphyſico, quem antiphyſicum eſſe dico, & corporis veritati ac aſcenſioni repugnare ex diametro. Ac communicatio & coniūctio corporis nobiſcum, qua ſimus illius corporis membra, etſi ſpiritualis eſt, id eſt, ſpirituali virtute efficitur, ex Dei parte, & fidei inſtrumento quod ad nos attinet: tamen reuera eſt humanæ rationi imperſcrutabilis, quod myſterium magnum vocat Apoſtolus in epiſtola ad Epheſios. Itaque omnino pro Præſentia oportet reponas communicationis, ſiue perceptionis nomen ne tibi ipſi repugnare videaris, & cum aduerſariis ſentire, qui adducto argumento inexpugnabili ſumpto à corporis veri definitione, in latibulum illud incomprehenſibilis præſentiæ & omnipotentiæ Dei refugiunt. Cæterùm, mi frater, tandiu tibi & cæteris bonis perſtandum puto dum extrudaris: quod ſi fiat, non erit tamen tibi cauſa deſerenda, ſed iis te aggregabis qui hanc alibi agere conſtituerunt. Si vis aſferatur, aut ſeditionis periculum ingruat, memineris eius quod Theodoſio in ſimili caſu teſtificatus eſt Ambroſius: nec quicquam committe ex quo malè audiat Dei verbum. Spero engēdam Synodum vniuerſalem proximo Martio, idque fortaſsis in Charitatis oppido aut alio quopiam eius regionis loco. Si quid interea tibi inciderit, cuius me certiorem facere placuerit, fratres tempeſtiuè commonefaciam, vt tui ratio habeatur. Intereà, mi frater, fortis eſto, & alios etiam verbis & re ipſa confirmato. Nos non deſinemus Deum precari vt ſuis adſit, etiamſi quum in homines reſpicio, multò plura metuo quàm ſperare audeam. Clergerum & cæteros bonos tecum ſaluto. D. Ieſus vos confirmet in opere ſuo & cuſtodiat ab omni malo. Geneuæ. 11. Ian. 1572.

EPISTOLA LXXVII.

REVERENDO VIRO, P. TVSSANO, MONTPELGARdenſis Eccleſiæ Paſtori, fratri obſeruando.

EXIMIE vir, & frater plurimùm obſeruande, gratulor tibi in hac ſenecta tantum hunc animi vigorem, vt non modo perſtare ipſe fortiter, verùm etiam alios confirmare poſsis. Hoc, inquam tibi gratulor, & Deum Opt. Max. tantæ iſtius virtutis auctorem precor vt te ſaltem ſaluum adhuc & ſuperſtitem iſtic ſeruet, tantiſper dum iſtos videas ab ouibus tuis abactos, tuúmque gregem in priſtinam ſuam quietem reſtitutum. Cæterùm quicquid hac in re conſilii fratribus & mihi Dominus ſuppeditauit, id omne partim ex iis quæ ſcribo, partim etiam ex ipſo N. noſtro cognoſces. De rebus noſtris, quanuis hic nos quorundam αὐθαδία vexarit, tamen Dei beneficio pacati & tranquilli ſumus. Peſtis nos quoque deſeruit, ſed ita vt ſubinde neſcio quid minetur. Pergimus in his difficultatibus, & inſtaurandæ ſcholæ noſtræ nunc toti incumbimus. Tu precibus tuis nos iuua. Ex Gallia quicunque ſcribunt, affirmant magis ac magis optimam eſſe Regis voluntatem in conſeruanda pace, ſed ſuſpicionem eſſe de bello aduerſus Hiſpanum, quod tamen ego vix crediderim, niſi fortaſſe vis fuerit vi repellenda. Lutetiæ tumultuatum eſt circiter natalia Domini, & aliquot ædes à furente plebe direptæ & incenſæ. Audio tamen ſumpto de nonnullis ſupplicio facilè ſedata omnia. Aureliæ adhuc inſaniunt. Nuptias affirmant inter Nauarrenum & Regis ſororem futuras. In Anglia ſcis detectam horribilem Papiſtarum coniurationem auctoribus Norfolciæ duce & captiua Scotiæ regina. Multi in carcerem coniecti. De quibuſdam etiam ac præſertim de illo ſcribitur ſumptum ſupplicium, ſed ex rumoribus adhuc incertis. Italia tota, veluti debellato iam Turca, triumphum canit vtinam ne ante plenam victoriam. Bene vale, mi obſeruande frater. Dominus det nobis in tantis tempeſtatibus rectum curſum tenere, dum in portum appellamus. Is verò te ſeruet, tibíque magis ac magis benedicat. Geneuæ, 11. Jan. 1572.

EPISTOLA LXXVIII.

GEORGIO BVCHANANO, VIRO præſtantiſsimo.

NOLVI certum hunc nuntium abſque meis ad te literis prætermittere, partim vt me noris tui memoriam abſentis diligentiſsimè retinuiſſe & coluiſſe ſemper, partim vt tibi, vel toti potiùs veſtro regno idipſum gratuler quod Scringero noſtro ſignificas, obtigiſſe nimirum vobis regem in cuius pueritia pietatis virtutúmque omnium ea iam ſigna eluceant quæ in maximi cuiuſque boni expectationem veſtræ gentis animos omnes erexerint. Faxit verò Deus Opt. Max. ne idem vobis quod vicinis populis eueniat, ſed vt potiùs regem omnibus & corporis & animi dotibus florentem nacta Scotia, tot iam annos domeſticis bellis ac cædibus vexata, conquieſcat. Liberet vos idem ille clementiſsimus Pater à Medæa ſiue Athalia veſtra. Nullum enim illius ſceleribus ſatis idoneum nomen inuenio. De rebus noſtris ex Iunio noſtro penitus omnia cognoſces. Ego Pſalmorum tuorum lectione incrèdibiliter delector, qui etſi tales ſunt quales à te vno proficiſci potuerunt, opto tamen vt, quod tibi minimè difficile fuerit, ex bonis etiam optimos reddas. Bene vale vir eximie cum bonis piiſque omnibus. D. Ieſus te ſaluum & incolumem tueatur.

EPISTOLA LXXIX.

IOAN. CNOXO, FRATRI AC SYMMYstæ charissimo.



EST tanto terrarum & maris ipsius interuallo disiuncti corporibus sumus, mi Cnoxe, tamen minimè dubito quin inter nos semper viguerit & ad extremum vigeat summa illa animorum coniunctio, vnius eiusdémque spiritus fideique vinculo sancita. Et vos certè existimo de hac præsertim Geneuēsi Ecclesia sæpissime cogitare, vt nos vicissim vestri memoriam coram Domino perpetuā custodimus, quę mutua sanctissima συμπνοία penè me sola, & vos quoque istic, vt arbitror, in tanta rerum humanarum perturbatione sustentat. Etsi enim quorum in cælis est πολίτευμα, eos totos decet à cælis pendere, vtpote qui vt corpore à Domino peregrinentur, animo tamen in cælestibus consideant: nihil tamen obstat quominus quantumuis infirma & imbecilla sint ea ipsa quæ speciem habent roboris & firmitatis alicuius, cælum veluti in ipsis terris situm, Dei videlicet in suis virtutem, contemplemur. Huiusmodi esse Scoticas Ecclesias certissimis argumentis colligo, in quibus neque doctrinæ puritatem corrumpere, neque rectæ disciplinæ à tam multis gentibus neglectæ [illegible] inflectere potuere tot tantíque & tam diuturni Satanæ insultus, quantos nullam adhuc gentem tam paucis annis sustinuisse existimo. Benedictus sit Dominus Deus noster, qui te, mi frater, veluti gubernaculis admotum, cæterósq; remiges ac subremiges hac cōstantia & animi fortitudine donauit. Magnū est hoc Dei munus, quòd vnà & religionē puram & εὐταξίαν, doctrinæ videlicet retinendæ vinculum, in Scotiam intulistis. Sic, obsecro & obtestor, hæc duo simul retinete, vt vno amisso alterum diu permanere non posse semper memineritis. Hoc certè nobis & ipsa rerum natura (quis enim leges satis rectè seruari, nisi constitutis earum custodibus ac vindicibus, posse sperarit?) & ipsa saltem stultorum quoque magistra experientia earum gentium exemplo docet quibus certum est hodie, ob hoc potissimum erratum quod corrigi populi non sustinent, Euangelium ad iudicium potius quam ad misericordiā (electos Dei pauculos excipio) promulgari. Sed & istud, mi Cnoxe, te cęterósq; fratres velim meminisse quod iam oculis penè ipsis obuersatur, sicut Episcopi Papatum pepererunt, ita pseudepiscopos (Papatus reliquias) Epicureismum terris inuecturos. Hanc pestem caueant qui saluam Ecclesiam cupiunt, & quum illam in Scotia in tempore profligaris: ne, quæso, illam vnquam admittas, quantumuis vnitatis retinendæ specie quæ veteres etiam optimos multos fefellit, blandiatur. De rebus nostris. Dum vos istic exerceent tragœdiæ quantas ne Græcia quidem tota suis theatris celebrauit, nos interea totum hoc sexennium cum peste sumus luctari, neque dum hoc certamine sumus penitus defuncti, quæ certè nō pauciores duodecim hominum millibus in hoc quod tu nosti oppidulo absumpsit. Etsi autem vtrumque malum à Domino peccatis nostris vleiscendis immittitur, nouimus tamen quantum inter hoc & illud vestrum interesse sapientissimus ille & exercitatissimus propheta Dauid deligere castigationis speciem iussus, iudicarit. Vestra igitur lucta difficilior etiam fuit quàm nostra. Sed benedictus Dominus qui sic vtrosque in hac fornace explorauit, vt neutros consumpserit, faxitque vt his ferulis castigari tandem meliùs sapiamus. Vrbs quidem nostra non ea est quam vidisti. Subsellia scholæ non ita pridem frequentissima, iam vacua sunt. Intus etiam vnus & alter nos duriter exercuit. Sed adhuc subsistimus per Dei gratiam, & quum integer sit vitalis ille calor, eadem illa videlicet tum doctrina tum εὐταξία, tum ordinum inter se consensio quam quum hîc esses animaduertisti, non dubitamus quin suo vigore rursum membris omnibus tandem restituto, corpus vniuersum erigatur. Adiuuate nos igitur vestris apud Deum precibus, vt & vos vicissim pectore circunferimus, & assiduè pro Scotici regni statu bonorúmq; omnium salute precari dies ac noctes consueuimus. Gratum autem nobis erit si quàm sæpissimè fieri poterit, de rebus vestris certiores nos feceritis. Idē vicissim apud vos faciemus multò quàm vnquam antea diligentius, quum Gallica pax nobis quantumuis longo interuallo dissitis aditum ad eam rem patefecisse videatur. Bene vale, vir eximie & frater plurimùm obseruande. Salueant vnà tecum omnes charissimi ac plurimùm colendi fratres ac symmystæ, tum meo tum nostri totiùs collegii nomine, adeóque omnes qui Christum nostrum ex animo diligunt. Geneuæ. 12. Aprilis, 1572.

EPISTOLA LXXX.

N.



ABSIT à me, mi frater, vt de quoquam pio, nedum de tanto principe quantum ego quidem hodie viuere vix vllum arbitror, iudicium feram. Adhuc tamen maneo in sententia, moram istam vel potiùs cunctationem, in crimine non hæreseos duntaxat, quod isti tantopere eleuant, sed horrendæ blasphemiæ & intolerabilis in Deum & homines perfidiæ excusari coram Deo non posse. Et quàm metuo ne quòd ille perditissimus est hac occasione elapsus, certum sit iræ diuinæ argumentum! Illud verò quàm miserum est, metui quos metuere oportuerat? Atqui iure reprehenditur Dauid filiorum Saruiæ audaciam prætexens, quod ipsemet moriens videtur agnouisse: & Zedechiam nihil iuuit quòd in Ieremiam inuitus esset asperior. Ergo quinam hæc stabit familia, in qua metuit qui terrere debuit, metuuntur

quos

quos reuereri Dominum & principem suum oportuit? Interea quid fiet Dei gloria? quid tot Ecclesiarum offendiculo? Sed confide omnino fore, vt Spiritus Domini quo circundatum hunc heroem manifestè video, vim suam in tempore exerat. Quod suasisti de percontandis Ecclesiarum sententiis, rectè suasisti. Sed quàm pauci hodie etiam alibi cordati sunt? quàm multi imperiti? Et hunc sanè oportuerat aliis potiùs Ecclesiis exemplum præbere quod sequerentur, quum vix vllum esse putem illius ordinis in quem potiùs conuersi sint omnium oculi. Dominus igitur illum tueatur, confirmet, corroboret magis ac magis, & ab inani isto eorum metu liberet, quibus ipse secundum Dominum imperare non obtemperare tenetur. Sed de his plus satis. De rebus Gallicis, audio quidem læta plurima, sed siue rectè iudico, siue nimiùm sum suspiciosus, adhuc hæreo. quid enim tuti ab iis speres quos certissimum est nihil minùs quàm Dei gloriã quærere? Victoria hæc confœderatorum aduersus Turcam, tanti mihi videtur momenti, vt si illa rectè vti norint, iste ne terra quidẽ metuẽdus videatur, nisi omnes suas regiones, id est omnia Græciæ, Asiæ, Ægypti, totiúsque adeò Africæ litora velit hostiũ direptioni exponere. Quid nos interea? Certè excubandum est, & eorum saltem exemplum in coniungendis viribus sedulò imitandum. Ipsi verò quò superbiores fuerint, eò magis iudicium Domini accelerabunt, vt qui superbis præcipuè resistat. De rebus nostris, speramus Dominum nos respexisse quod ad pestem attinet. Sed grauis est annonæ caritas, grauis ille propinquus noster nullam nobis nocendi occasionem prætermittens. Pergimus tamen, & scholam incipimus instaurare. Vos quod facitis, porrò quæso facite, id est assiduis nos precibus iuuate. Domi cribrauit nos Satan, sed Ecclesiæ potiùs bono quàm malo. Si Latinè excudatur vestra cum Anabaptistis disputatio, velim vt ad me mittendam cures. Peto itidem quicquid D. Zanchus noster aduersus nostros Antitrinitarios ediderit, & velim etiã rescire num excudantur nostri Tremellii biblia Latinè, vt audio, conuersa. Gallicã enim versionem Cornelius noster & ego succisiuis horis cum Hebræa veritate comparamus: quem laborem spero meis Gallis non inutilem fore. Legi Dresdensis colloquii definitionem de qua nihil ad te scribam priusquàm tuum iudicium audierim. Nostræ illius in Selneccerum scriptiunculæ exemplaria ægrè fero vobis istic reddita non fuisse, quanquam totum istud est à me perfunctoriè scriptum. Ait tamen Eustathius Crispini nostri gener se apud quendam deposuisse, sicut ex ipsius literis cognosces. Bene vale, vir eximie & charissime frater cũ omnibus collegis, Dominis ac fratribus mihi plurimùm obseruandis. D. Iesus vos custodiat ab omni malo. Geneuæ, Natali Domini, 1571.

EPISTOLA LXXXI.

CHRISTIANIS ET ORTHODOXIS OMNIBUS N. *Ecclesiis in Domino nostro Iesu Christo, æterno æterni Patris Filio coessentiali.*



QVIS fieri posse credidisset, vt in iis ipsis qui se profitentur, abiecta omni idololatria, Christum adorare, comperirentur qui Deitate illum spoliarent, & θεάνθρωπον in θεὸν ἄνθρωπον transformarent? Nam certe amentis est hominis & prorsus ἀναισθήτου, idololatram se negare, & tamen eum verum ac natura Deum esse inficiari, quem inuocandum, omnibúsque diuinis honoribus afficiendum prædices? Reperta sunt tamen iam olim eiusmodi hominum monstra quæ propterea Antichristos Orthodoxi vocant, vt Cherinthus & Hebion, ipsis etiam Apostolorum temporibus: quorum blasphemiam interpolarunt postea Theodotus Byzantinus & execrandus ille Samosatenus, eius Ecclesiæ conspurcator, in qua primi sunt Christiani nominati. Istis porrò debellatis monstris, ecce tãdem Arius, rabida illa furia, ex abysso prodiit, minimè quidem ille Christum ψιλὸν ἄνθρωπον statuens illorum exemplo: sed qui τὸν λόγον assereret creatum quiddam esse, ídque in tempore, ac proinde illum vera Deitate priuaret, quum vera Deitas nullo modo posit inter res creatas censeri, sed Diuinitas potiùs, id est, qualitas quædam seu præstantia ex Deitatis virtute & efficacia promanãs, quo modo dixit Petrus nos fieri θείας φύσεως κοινωνούς. Sic enim nos docet hæreticorum vafrities Deitatem à Diuinitate distinguere, sicut & ipse Paulus non θειότητος, sed θεότητος plenitudinem Christo attribuit. Sed & Græci ipsi prophani scriptores, quanuis τὸ θεῖον appellent quod Latini Numen, tamen suos illos siue maiorum siue minorum Gentium Deos, θεοὺς potiùs quàm θείους vocant, vnde & istos dicuntur ἀποθεῶσαι, id est, ex Diuinis, quales eos antea habebant, Deos effecisse, vt idololatriam excusare nullo modo possint: quoniam (vt aduersus illos à nostris copiosè disputatum est) nec religiosè quicquam præter verum Deum adorari, nec quicquam creatum verus Deus haberi, sine maximo flagitio, potest. Rectè igitur aduersus Arium vniuersalis illa celeberrima Synodus Nicæna, quam omnes postea tum vniuersales tum prouinciales Orthodoxæ Synodi perpetuo consensu confirmarunt: rectè, inquam, illa, quum & ex ipso communi sensu quantumuis corrupto, & multò magis ex manifestissimo Dei verbo refelli omnem πολυθείαν videret, & tamen in Scripturis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, extra quos nullus est verus Deus, manifestè inter se distingui, animaduerso inter οὐσίαν (id est, communem essentiam siue naturam) & ὑπόστασιν, quam postea πρόσωπον, id est, personam vocarunt, discrimine: declarauit τὸν λόγον esse Filium Patri ὁμοούσιον, id est coessentialem. Hoc autem nomine commodissimè ac planè necessariò ad refellẽdas illas blasphemias vsurpato, duo significauit: nẽpe sic vnam esse Patris & Filii essentiã ac naturam,

id est Deitatem, vt sint etiam ἐνυπόστατοι, id est, in vnica illa ac singularissima Deitate subsistentes; distincti videlicet suis proprietatibus, non autem in duas numeru essentias separati: quoniam & vnica (vt dixi) & simplicissima, ac proinde insecabilis, eadémque in ipsis singulis tota est Deitas, in qua subsistunt. Ipsi verò Arionianitæ peruicaces, qui & ἑτερούσιοι dicti sunt, quòd τὸν λόγον facerēt natura & essentia diuersum à Patre, & ἐξουκόντιοι, quòd illum ἐξ οὐκ ὄντων creatum dicerent, postea in duas minimùm factiones diuisi sunt, nempe in ὁμοιουσίους (quasi æquiessentiales dicas) & ἀνομοίους, id est dissimiles. Nec enim decrant versuti simul & stolidi homines, qui, quum vnicam tantum literulam interponerent, id est, ὁμοούσιον in ὁμοιούσιον transformarent, latere posse suum Arianismũ sperarent: quum tamen crassius etiam quàm ipse Arius manifestè ἑτερούσιον, hallucinarentur, nisi vox illa ὁμοιούσιον (sicut de Dionysio Corinthio Basilius ad fratrem scribit) commoda quadam interpretatione, sed planè, vt mihi videtur, violenta leniatur. Nam certè in vna eadémque prorsus essentia nullus est neque æqualitati neq; inæqualitati locus, vt pote quæ minimùm in duobus cernantur: ac proinde in hypostasibus, non in essentia, spectari æqualitatem necesse est. Ἀνόμοιοι verò, quamuis & ipsi dogma suum quibus possent coloribus fucarent, tamen vel manifestè se Arianos prodebant, vt qui Filium Patri facerent dissimilem: vel omnino stolidos se præbebant, quũ in simplicissima & singularissima natura, nempe Deitate, maius & minus quiddam imaginarentur. Cum his igitur monstris vbi diu multúmque luctata est Ecclesia, & quidem eò sæpe redactis rebus, vt nulla re magis quàm precibus & innumerabilium Martyrum sanguine restinctum illud incendium videretur: ecce mox ex eiusdem abyssi puteo emergit Nestorius, qui nouo quodam artificio idem quod Arius moliretur, vt qui Filium Mariæ secundùm carnem, negaret secundùm diuinam naturam esse Dei Filium, vt vna eadémque persona sit verus Deus & verus homo. Affirmabat enim τὸν λόγον illi carni ex Maria prognatæ, nõnisi ἐνεργητικῇ παρουσίᾳ adfuisse. quod certè nihil aliud erat, quàm diuisa Christi Mediatoris persona, illum, ex homine Deo diuinissimum quendam hominem statuere. Inde verò quum illud ipsum consequatur, quod per illos priores diuersis cuniculis tentauit Diabolus, nempe vt vnicum illum nostrum Seruatorem adorantes, idololatræ deprehenderemur: quis ita cæcus est, vt non animaduertat qua rabie Satan aduersus humanum genus feratur, & qua vafritie mutatis subinde coloribus, caligantibus nostris oculis illudat? Detectum igitur tandem & profligatum Cyrilli potissimùm opera & virtute fuit monstrum illud in Ephesina Synodo, non illa λῃστρικῇ sed vera & Orthodoxa: quum illic ex verbo Dei decretum esset, Christum vnicam esse personam ex duabus diuersis prorsus naturis in vnum tamen ὑφισταμένων incomprehensibili quadam ratione vnitis, vna videlicet diuina assumente, altera verò nempe humana assumpta constantem: quod nisi firmum & inconcussum maneat, ruere sit necesse nostræ salutis basin & fundamentum. Ecce verò statim alterum huic oppositum monstrum parit Satan, nempe Eutychen illum infelicissimum hominem, qui sic assentiri veritati contra Nestorium videretur, vt tamen reipsa & Arium & Nestorium supergressus, Deum vtraque natura spoliatum prorsus in vanissimum phantasma transformaret, vt in eo verissimum esse deprehenderetur, quod inquit Flaccus,

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Aiebat enim monachus ille delirus, naturã à persona non distinguens, nec vnionem ab vnitate, Christum esse ex Diuinitate & humanitate permixtis conflatum. Quasi verò vel diuina natura transformari, vel humana in diuinam mutari possit, siue substantias ipsas, siue ἰδιώματα illarum proprietates consideres. Itaque quum hoc genus vnionis, quod permixtione fit, hoc proprium habeat, vt quod ex vtroque est compositum, neutrum sit per se: sicut videre est in mulso, quod quum ex melle & aqua constet, tamen nec aqua est nec mel, sed ex vtrisque confusis vnum: cõsequebatur Christum, stante Eutychis dogmate, nec Deum esse nec hominẽ, nedum vt Deus sit & homo, qualem esse tamen necesse est, vt verè sit Immanuel. Hæc porrò qui non intelligũt à quibus initiis profecta sint, nec quorsum tendant Satanæ conatus, alii quidem per imperitiam, alii verò morositate, & quodam non cognitarum cõtrouersiarum tædio, quidã denique audacissima temeritate vsi, veteres illos & doctrina & pietate prestantissimos Patres, quorum inexhaustis laboribus detectas hæreticorum fraudes & conseruatam in Ecclesia secundum Deum veritatem debemus, ausi sunt (proh indignum facinus!) quasi extra Dei verbum vagantes, & verum Christianismum partim nouis quibusdã vocabulis & formulis, partim spinosis & superuacaneis quæstionibus abolentes, accusare. Nec sanè existimo optimos & integerrimos illos homines duriora cum quoquam certamina sustinuisse, quàm cum iis qui in ipso Ecclesiæ sinu versantes, nec regere alios norãt, in istis præsertim tempestatibus, nec regi sese à peritioribus patiebãtur: quæ indignitas proculdubio vocem illam, qua Synodi semel omnes damnari videntur, Nanzianzeno extorsit. Sed de his aliás. Nunc ad rem redeo. Exercuit Ecclesiam crassissimũ illud Eutychis delirium annos plus minùs trecentos subinde interpolatis & nouo quodam fuco oblitis erroribus renascens. Quid plura? toties depulsus Satan, resumptis viribus, quosdã in Peripateticorũ schola eruditos excitauit, qui ὁμοούσιον, toties tantóque consensu explosum monstrum, rursus in theatrum orbis terrarum producerent: sed noua quadam arte transformatũ, vt statim à quibusuis dignosci non posset. Ii, quantum ex Nicephoro licet colligere, Deitatis essentiam vt creatas species considerantes, in tria indiuidua sic illam non distinguebant, sed dissecabant, vt sicut homo hominem, sic Deus Deum propagasse diceretur. Quod quidẽ dogma, quamuis omniũ sit crassissimũ, tamẽ suos astipulatores inuenit, donec ista Tritheitarum factio in totidẽ partes dissecta, in quot ipsi priùs Deitatẽ lacerarãt, sua spõte cõcidit. Postea externis potissimùm bellis, & fatalibus

Regnorum

Regnorũ mutationibus, vastato Orientis & Occidẽtis imperio, barbaries potiùs maxima quàm hęresis Ecclesiã inuasit, minimè tamẽ desinẽte Satana intus illã affligere, sed diuersa prorsus arte ac ratione. Visum enim illi est omisso, quod toties malè successerat aduersus Christi personam certamine, controuersiã potiùs de Christi officio in qua iam olim fuerat à Paulo potissimùm profligatus, rursum tot seculis intermissam mouere: cuius etiam belli semina paulatim, non sentientibus ipsis quoq; optimis Episcopis, desumpto ex Philosophorũ scholis αὐτεξούσιον, & excitato in Occidente Pelagio, iecerat. Multa hic verò sceleratos ipsius conatus adiuuerunt. Primùm duorum Episcoporum, Constantinopolitani nimirum & Romani dissidia, non de regundis Christianæ religionis finibus, sed de diuidenda Romani imperii præda: reliquis Episcopis plerisque partim ignorantia, partim stultitia, partim etiam malitia suum quibusq; Tyrannum defendentibus. Nulla tum erat linguarum peritia, vt ex fontibus diiudicari possent controuersiæ. Optimarum artium studia, quamuis à Carolo magno multis locis excitata, tamen paulatim magis ac magis elanguescebant, vt artificiosæ potius cuiusdam inscitiæ, quàm vllius veræ scientiæ scholæ extarent. Mutatis linguis, manebant nihilominus Latine scriptæ Liturgiæ, nec alia quàm vulgata illa vtriusque Testamenti versio extabat. & quamuis non adessent interpretes, tamen contra Pauli commonefactionem peregrina lingua, auctoritate potissimum Romani Episcopi Tyrannidem suam, quoquo modo posset, stabilientis, retinebatur, adeo vt ne nunc quidem ex Christianorum templis extrudi possit. Hinc factum est, vt paulatim obsolesceret quotidiana Diuini verbi prædicatio: de quo etiam Gregorius conqueritur: &, quum in hominum manibus nec Apostolorum nec Prophetarum scripta versarentur, Pseudoprophetis impunè quiduis credendum vel faciendum obtrudere liceret. Hinc necessario sequuta est fœdissima Sacramentorum prophanatio, quum nemo, quid illic ageretur, intelligeret. Ita etiam factum, vt totus Dei cultus in varias [illegible], ac tandem etiam planè blasphemas cæremonias degeneraret, deprauatis veteribus [illegible] gratia (quamuis interdum non satis prudenter) institutæ fuerant, & nouis certatim introductis ritibus, quorum nullus neque numerus neque modus fuit, quum nullis æquè rebus ac externo illo cultu superstitiosi capiantur, & his potissimum artibus nunquam non consueuerint Satan & hypocritæ simplicium animis insidiari. Manebat tantum in quibusdam scholis inanissima Theologiæ species, in qua digladiantes sophistæ vel de suis insomniis [illegible]tissimè debacchabantur, vel si quod verum dogma tractarent, vanissimis plerunque ac futilissimis suis speculationibus veram Theologiam, qualis ex verbo Dei tradita, & doctissimorum Patrum scriptis explicata fuerat, in ματαιολογίαν inanissimam transformarent. Denique eò res deuenit, vt illo perditionis filio in templo Dei sedente, & regibus etiam ipsis pro suo arbitrio dominante, succedere [illegible] lucis, obscurissima ignorantiæ caligo: & doctrina ipsa Christiana, partim sepulta delitesceret, partim placitis ex diametro repugnantibus corrupta iaceret: & quod ad Ecclesiasticũ ipsum ordinẽ attinet, manẽtibus tantum inanibus nominibus, veluti Episcoporum, presbyterorum, diaconorum, clericorum quasi ruderibus quibusdam, ab ipsis fundamentis totus conuelleretur. Quid interim misera Dei Ecclesia? nempe hæc tũ erat ipsius conditio, quæ olim in Israel [illegible], delitescentibus in spelunca fidelibus Dei Prophetis: & qualis tum erat, quum euerso Dei templo, & iugi cessante sacrificio, captiua in Babylone teneretur. Seruabat tamen Dominus renasciturum suo tempore populi semen. Manebat saluus in Papatu Baptismus in Patris, Filii & Spiritus sancti nomen, quamuis peregrinæ linguæ vsu & multis aliis modis conspurcatus. Manebat frustra toties, sicuti diximus, oppugnatum vnitatis essentiæ, & Trinitatis personarum fundamentum. Manebat doctrina de duabus Christi naturis, quamuis realis in Cœna Domini præsentiæ carnis & sanguinis Christi dogma ex necessario consequẽti tum Marcionis tum Eutychis delirium ex inferis reuocaret. Denique nullo seculo defuerunt, qui vel in ipsis [illegible] antris, sese tenebrarũ regno tum voce tũ scriptis opponerent: cuius rei monimẽta Deus Opt. Max. ab iis ipsis conseruari voluit, in quorum perniciem quotidie in lucem prodeũt. Quid, quod pictores etiam qui scribere non norant, fecerunt vt parietes ipsi (quod [illegible] prædixerat Dominus) loquerentur, & illum perditionis filium spectatoribus omnibus proderent? Ecquod enim templum est, cuius picturæ & scripturæ non sint ipsius Papatus opprobriis refertæ? Quædam tantum ex infinitis commemorabo, quæ nunc fortè in mentem veniunt. Extat in angustissimo patriæ meæ templo, quod monasterium fuit ipsa penè vrbe maius, vitrea fenestra vetustissima, quod ipsa etiam pictura admodum rudi & Gothicis, quas vocant, literis insignis demonstrat. Ibi variis anfractibus depicta est historia Monachi in adulterio deprehensi: obscœna quidem plus satis, sed tamen non temere depicta, & omnium oculis exposita. In Argentoratensis turris primis ferè sculptis lapidibus lupus ministrante vulpe, si bene memini, missam canit. Ibidem in summa templi testudine, nisi me valdè fallit memoria, pictus est, qui digito Canonicorum subiecta subsellia demonstrans, his Esaiæ verbis illos incessat, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè abest a me. Tubingæ in aula Cœnobii quod nunc Illustrissimus Princeps VVirtembergensis otiosis asinis ademptum studiis [illegible]endis hominibus consecrauit, vetusta extat pictura ponè ipsas fores, totum Monachismum accuratissimè ob oculos proponens. Monstrum est cucullatum, per gradus veluti sese præcipitans, altero pede ceruino, si satis memini, vt veloces esse illius pedes ad malè agendum intelligamus. Alterius pedis vicem gerit inuersa lucerna, vt Monachismi ortum & progressum mera [illegible] niti scirent spectatores. Manus habet aduncas & rapaces: quarum vna impositum humeris saccum retinet, orphanorum nimirum & viduarum facultates: altera circulum gestat ex precatoriis illis

globulis mirabiliter cōſertum: ſiquidē pro minoribus illis quos AVE MARIA vocāt, ſunt abaci, tabulæ orbiculatæ: & pro denis illis maioribus, quos PATER NOSTER appellant boni iſti patres, ſinguli ſunt taxilli, pulchre cum tabulis illis cohærentes. Sinū habet oppletum luſoriis chartarum foliis: cucullam à tergo, plenam illis nouem metis pyramidalibus, vnà cum globo, quo ad illas deiiciendas vulgò vtuntur, vt qua in re vitam illi conſumere ſolerent lōgarum precum prætextu, domos etiam regum exhaurientes, nullus ignoraret. Collum eſt oblongum & aſininum, vt beſtiarum more ventri deditos eſſe nemo neſciat. Menti vicem præbet quædam cyathi forma ſatis conueniens. Naſum facit canis caudam attollentis ſpecies, cuius caput latranti ſimile præſtat etiam ipſi monacho capitis vicem, optime ſanè monachorum latratus ſimul & ingluuiem inexplebilem referens. Denique à tergo deſinit dorſi ſpina in contortum lituum, ex quo cum fumo quodam extruſus alius monachus, rapacibus pedum & manuū vnguibus, ad menſam quandam aſsidens, numerata pecunia indulgentias vna manu, altera verò κιβώριον, quod barbare cyboriuoi appellant, in quo illorum ſatale cruſtum continetur, porrigit. Bi[illegible]rigibus, in tabella quadam vetuſtiſsima, quo loco vænibant indulgentiæ, reperti ſunt noſtra memoria multi verſiculi in totam illam fœdiſsimam nundinationem ſcripti, in quibus & iſtos fuiſſe memini,

Hic datur expoui Paradiſus venditioni.
Hic pro mercede Chriſto dices, Mihi cede.

In hac Geneuenſi ciuitate pictura inerat, in ipſo penè Auguſtinianorū veſtibulo palàm omnibus apparens, addito etiam Iaphredi cuiuſdam Taurinenſis pi[illegible]oris nomine, hydram [illegible] tem ſuſpenſo in aere throno inſidentem referens, ſubſtrata nudi PapæRomani [illegible]plici diade[illegible]te exornati ſpecie, ex pube inſulas, peda Epiſcopalia, bullas, Pontifices denique ipſos, fœdi ſima ſanè ſtercora, quibus iam plus ſatis exaturatum eſſe mundum oportuit, egerentem, ſubiecta ſornace, quæ vtrinque à dæmonibus eundem illum thronum circunſtantibus accenſa, m[illegible]eros [illegible]os decidentes excipiebat. Hi tum erant igitur Dei Opt. Max. hom[illegible]nū perfidi[illegible] iuſtis pœnis vle[illegible]ntis concionatores, donec noſtra memoria idem pro incredibili ſua bonitate [illegible] poſt præmiſſos aliquos, qui mundi veternum vtcunq; excuterent, magnos illos heroas Spiritu ſancto circundatos prodire iuberet, quales inter cæteros fuerunt in Saxonia D. Martinus Lutherus, exce[illegible] Dei organum: i[illegible] Heluetia verò, D. Huldrychus Zuinglius, vterq; eodem tēpore, idem opus ſumma vi moliens: & quidē, quod mirum eſt, alter alteri ignotus. Quos præſtantiſsimos homines niſi mundi peccata diſiunxiſſent, aut ego vehementer fallor, aut iampridem Antichri[illegible]us Romanus proſtratus iaceret. Quid tum igitur Satan? Primum ſophiſtarum agmina ex ſuis luſtris excitauit, ſed fruſtrà: quum illorum plerique vel in ſutiliſsimis tantum nugis tractandis ſeſe exercuiſſent, ac proinde paucos admodū haberet in tanto numero, ad hoc adminiſtrandū bellum ſatis idoneos. Placuit igitur ei cum illo plumbeo ſophiſtarum gladio, edicta Cæſarum, Regum, principū, Magiſtratuū, deniq; ipſorum quoque populorum rabiē coniungere. Sed quum neque omnes principes ſatis ad hanc laniena paratos inueniret, & reipſa expertus eſſet Martyrū ſanguine rigatam Eccleſiam fœcundiorem reddi: placuit etiam illi veteres illas artes tentare, id eſt domeſticis hoſtibus Eccleſiam laceſſere. Hinc illa Anabaptiſtarum & Catabaptiſtarum agmina, quos ſuo enthuſiaſmo inflatos nihil prorſus puderet, Hinc quoque Sebuenckfeldius auctoritatem diuini v[illegible]bi pro viribus eleuans, & Eutychis ſimul errores pro viribus interpolans. Excitauit altera ex parte Memnonem, in quo renatus eſt Hebion: Dauidem Georgiū, qui monſtra ipſis Valentini Æonibus portentoſiora, & ipſis Carpocratianis obſcœniora in medium proponeret. Omitto Poſtellum, monſtrum ex omnibus omnium ſeculorum hæreſibus conflatum, quo nūc etiam quantumuis recutito, bona Sorbona delectatur. Omitto etiam Antinomos à D. Luthero præſertim refutatos. Omitto quoque Libertinorum agmina, quoniam infinitus eſt penè iſtiuſmodi monſtrorum numerus. Nec enim hæc omnia mihi propoſitum nunc eſt recenſere: ſed hoc demum [illegible]gere, de quo nunc propriè laboramus. Dico igitur Satanam, vt Eccleſiæ inſtaurat[illegible]em noſtro ſeculo cœptam impediret, ſeipſum planè ſuperaſſe: ita tamen vt nemo niſi volens decipi potuerit, aut nunc etiam poſsit. Primùm enim ecce in vnico Serueto reuocati ſunt ab inferis Samoſatenus, Arius, & Eutyches. Quinam hoc tandem, dicet aliquis? Attendat igitur. Negabat Samoſatenus æternam τ[illegible] λόγου hypoſtaſin, quem duntaxat in mente & decreto Patris ante conceptionem carnis in vtero Mariæ extitiſſe volebat: docebat Seruetus Filium ex Deo fuiſſe, non reipſa ſed figuratiue: quia in eo Deus futurum hominem geniturie bat, mulierem expectans ex qua eum gigneret. Sentiebat Arius τὸν λόγον eſſe creatum quiddam, ordine & tempore res cæteras creatas antecedens: ſentiebat Seruetus τὸν λόγον tum cœpiſſe exiſtere, quum mundus creatus eſt, ac etiam ideam quandam fuiſſe ex tribus increatis elementis compoſitam. Negabat Eutyches Chriſtum ex duabus diſtinctis naturis conſtare, quòd diceret τὸν λόγον transformatum eſſe in carnem, quæ poſtea glorificata, in Deum conuerſa fui: affirmabat Seruetus conceptum fuiſſe Filium in vtero virginis ex ipſa Verbi eſſentia in carnem tranſeunte, quę poſtea in Deitat[illegible] fuerit [illegible]bſorpta. Addere autem etiam iſtis licet Marcionis & Apollinaris deliriū, inſaniæ proximū, adeo portentum illud fuit errorum omnium fœcūdum. Aiebat enim Marcion Filium δοκήσει, id [illegible] opinione tantum, non autem reipſa carnem induiſſe. Apollinaris autem Diuinitatem volebat carni aſſumptæ loco animæ fuiſſe. Quid autem Seruetus? Certe non verum, ſed imaginarium corpus Chriſt[illegible] tribuebat, quum illud negaret ex ſemine Abrahæ ſimpliciter fuiſſe genitū, ſed partim etiam ex tribus illis elementis conflatum, & ſubſtantiali quadam Dei facie, quæ ab ini[illegible]o ſanctis Patribus viſa fuiſſet: animā verò Chriſti ſanè re ipſa eximaniebat, quum illam diceret partim ex humano,

partim

partim ex Diuino spiritu fuisse compositam. Hæ sunt igitur Serueti blasphemiæ, quem & initio à D. Ioanne OEcolampadio, & à D. Philippo Melanchthone postea grauissimè refutatum: ac nouissimè tandem à magno illo Ioanne Caluino quàm potentissimè gladio Dei verbi prostratum: denique ob triginta annorum blasphemias execrabiles & indomitam peruicaciam ex Senatus Geneuensis sententia iustissimo supplicio affectum, quis non tandem, nisi planè furiosus & excors, abominetur? Prodierunt tamen ex illo, tanquam ex ludo quopiam, discipuli non pauci, sui etiam ducis insaniam & impietatem penè superantes. Hi initio fuerunt apud nos, Paulus quidā Alciatus Mediolanensis, homo iam antea planè phreneticus & vertiginosus: Valētinus Gentilis, cuius qui mores, quæ dogmata, quis denique fuerit exitus ex ipsius scriptis & eorum refutatione liquido cognosci potest. Istis adiungendus est Georgius quidam Blandrata, professione medicus, Gentili quidem indoctior, sed multò etiam impudentior & sceleratior. Fuit quoque in hac cohorte penè veteranus Gribaldus Iurisconsultus, homo sane improbus, vt cui nulla religio fuerit, dogma quod corde retineret, manifesto periurio abnegare. Fauit etiam illis, sed nimium sero detectus, Bernardinus ille Ochinus, impurissimus hypocrita. Fauit quoque Lælius Sozinus Senensis, incredibiliter ad contradicendum & varios nectendos nodos comparatus, nec nisi post mortem cognitus huiusmodi perniciosissimis hæresibus laborare. Isti igitur quū neque Serueti blasphemias, neque veritatis mysterium, neque adeò seipsos nossent, prurirent autem incredibili nouitatis studio, cœperunt & ipsi in receptam Trinitatis opinionem inquirere: quibus id statim contigit, quod temere in mari scopuloso nauigātibus solet, nempe vt nauem alius ad alium scopulum impingens, naufragium faceret. Facti sunt autem illorum plerique initio Tritheitæ, de quibus paulò ante diximus, non quidem verbo, sed reipsa, vt qui tres personas in totidem οὐσίας transforment: hæc interea cum Ario habentes communia, quod Patrem volunt ante Filium extitisse, quod vnius veri Dei appellationem ad Patrem restringunt, quòd in Deitate imparitatem imaginantur: sed in eo certe ipso quoque Ario impudentiores, quod malebat iste τὸν λόγον, [illegible] atque adeo ἐξ οὐκ ὄντων creatū docere, quam eò vsque insanire, vt simplicissimam & singularissimam essentiam numero multiplicaret. Isti contrà, ne videantur Christum sua dignitate spoliare, illud quàm illud affirmare malunt. De duarum autem naturarum vnione, idem prorsus, quod post Eutychem Seruetus, sublata ἰδιωμάτων κοινωνίᾳ, docent. Ochinus callidior dubitare de singulis, Academicorum more, videtur maluisse, quam quicquam definire. Lælius in Samosateni partes iam transiit, verbo Dei, vt ex quodā eius scripto nunc liquet, adeò veteratorie & planè versute deprauato, ac præsertim primo Euangelii Ioannis capite, vt mihi quidem videatur omnes eius corruptores longe superasse. Cæterum ex illis tribus quos primos nominaui, quique in hac Ecclesia tum versabantur, primus Valentinus Gentilis in iudicium à Senatu Geneuensi vocatus, simulata pœnitentia, non sine insigni periurio profugit. Sequutus est Paulus Alciatus, aut etiam præcessit, solo malæ conscientiæ vulnere adactus. Blandrata aliquanto pòst, quum sibi à D. Caluino satisfactum diu simulasset, tandem vanissimo timore à semetipso expauefactus, quasi à Magistratu quæreretur, repente & ipse ex vrbe in vicinam ditionem refugit. Quid plura? post varias deliberationes, ita fors tulit, vt Blādrata, qui Medicinā diu in Polonia primum, deinde in Transsyluania apud Reginam fecerat, eo reuerteretur. vbi nimiùm facile illi aditus ad nostros patuit, quamuis a D. Ioanne Caluino diligenter præmonitos: illum præsertim in illustriss. & præstātiss. [illegible] Principis cuiusdam gratiam insinuante Lismanino quodam Corcyrensi, magnæ tum apud Polonicas omnes Ecclesias auctoritatis viro. Tum autem forte Francisci Stanchari Mantuani, petulantissimi hominis, importunitate (vt sanè fatalis esse videtur Polonis Italia) scissæ sunt Polonicæ Ecclesiæ recens admodum ex Papismo emergentes, quum ille Christum esse Mediatorem secundum humanam naturam: alii verò pro quibus Germanicæ & Heluetiæ Ecclesiæ postea iudicarunt, Mediatoris officium totius esse personæ, & quidem diuerso vtriusque naturę respectu, affirmarent. Obiiciebat autem hoc in primis Stancharus, Mediatorem non posse dici Christum secundum Diuinam naturam, quin Patre minor cum Arianis statuatur. In hoc nodo explicando, quamuis non ita difficili, quum nutare quodammodo nostros videret Caluinus, non modo argumentum ipse dissoluit, verumetiam fratres sedulo monuit, ne, dum vitare Nestorii præcipitium volunt, in Arii vel Tritheitarum abyssum ruerent. Sed vana apud plerosque admonitio fuit, animis eorum à Blandrata, qui Gentilem etiam ad se euocarat, ita iam fascinatis, vt soli Deo medicabilis esset morbus. Hinc illud incendium, quod iam tota vastata Polonia, in Transsyluaniam quoque vnà cum Blandrata, peruasit Gregorio quodam Paulo impurissimis libellis suis infinitas blasphemias spargente, & Petro quodā Statorio, iuuene alioqui bono ingenio nec contemnenda doctrina prædito, operam omnem suam fucandis barbarissimi scriptoris Blandratæ commentis nauante: nihil denique prætermittentibus Tritheitis, vt paulo ante cœptum Ecclesiæ ædificium non tantùm impedirent, sed etiam prorsus euerterent. Nostri interea nō cessare, & tum ex Dei verbo, tum ex perpetuo Catholicæ Ecclesiæ consensu, & certæ apud omnes fidei synodos, blasphemias illas refellere: quin etiam à remotissimis quoque Ecclesiis opē & subsidium flagitare, feliciter id quidem, non tamen eo, qui sperari potuerat successu. Quid interea bonus ille Hosius Cardinalis cum suis Catholicis? nēpe ridere suauiter, & quasi ista nihil ad ipsos pertinerent, aliud quiduis agere: imo etiam nostros vndique ad extinguendum hoc incendiū accurrētes probrosis libellis lacessere: Regiam denique Maiestatem de coercendis istis blasphemiis cogitantem, a rectis consiliis pro viribus auocare. ac merito quidem. Quorsum enim Sathā aduersus seipsum depugnaret? Itaque iam illic res Christiana in extremo discrimine versari vide-

batur,nisi repente Dominus remedium laborantibus attulisset. quod quidem duplex vno eodémque tempore adhibuit. Prꝑterquam enim quod Regiæ Maiestati suggeſsit, vt solenni edicto omnes aduenas regni sui turbatores semel proscriberet, illorum etiam hæreticorum linguas diuisit. Statim ergo non tantùm alius alio diffugere, sed etiam nescio quid priori sententiæ vel detrahere vel adiicere cœpit. Ac Gentilis quidem Deo omnem illi mentem adimente, in has regiones, id est in Bernensem ditionem, ad iustum supplicium infaniæ & horroris plenum vltro recurrit: qui quum de Paulo Alciato sodali suo rogaretur, Factus est, inquit, Mahumetanus, nec mihi cum illo iampridem vllum commercium fuit. Idem de Blandrata rogatus, Perit etiam, inquit, vt qui in Sabellii & Samosateni delirium inciderit. Quid commemorem animosi illius Gregorii Pauli, insalutato suo grege, fugam? Quid ab eodem excitata contra Pædobaptismum certamina cum ipso etiam Statorio suscepta? Quid Ochini senis infelicisſimi cum illis concertationes? Quid obiurgatum à Blandrata Gregorium, quòd minime opportuno tempore controuersiam de Pædobaptismo mouerit? Extat enim apud me ipsius Blandratæ Epi[illegible]la (non tamen scripta sine Theseo, si Blandratam bene noui) in qua Gregorium suo quodam iure non tantùm de illa Pædobaptismi controuersia non satis opportune mota increpat, ver[illegible]me iam apertè illum à Tritheismo ad Samosateni dogma reuocare nititur. Incidit enim Blandrata in Transsyluaniam rediens, in quendam Franciscum Dauidis paulò magis quàm superiore[illegible] illi, vt aiunt, prouidum: qui quum nimium crassam esse illam Tritheitarum blasphemiam simpliciter propositam animaduertisset, maluit omnia inuoluere permixtis omnium pene hac in [illegible] hæreseôn commentis, quàm simpliciter suam sententiam profiteri. Certè in illi[illegible] quas in [illegible] thesibus, quæ illi tribuuntur, ausim dicere & profiteri omnium hæreseon, quibus [illegible]nquam Christi personam Satan opp[illegible]gnauit, semina contineri. Quæ vero po[illegible]ea euomuit ade[illegible] impuden[illegible]r, vt aperte & sine ambagibus non pro hæreticis sed pro veritatis assertoribus Origenem, [illegible]chem, Nestorium, Samosatenum, Arrium, Donatum, Heluidium, Nepotem, Eunomi[illegible], Praxe[illegible], Photinum, C[illegible]rdonem, Sabellium, Acephaios, habeat & nominet, hæc, inquam, eiusm[illegible] vnum hoc [illegible]perisse iam videatur, vt Sathanā ipsum in Dei & veritatis solio col[illegible] Qu[illegible]tum Dei ben[illegible]ficio pura sit adhuc hæc Ecclesia ab istis sordibus, quanuis eam imprimi[illegible] sit a[illegible]tus Sathan posterioribus istis gigantibus oppugnare, quorsum hæc ad t[illegible] dicet aliquis, & quæ tibi in alienas Ecclesias authoritas? Nulla prof[illegible], fratres. & si forte aliter cogitarem, omni[illegible]m hominum maximè insanirem. Sed quicunque sunt Christiani, & per Dei misericordiam ad v[illegible]ritatem illius asserendam, & oppugnanda mendacia vocati, minime, ni fallor, voc[illegible] suæ [illegible]es transiliunt, si, salua manente vnicuique sua [illegible], alii alios solentur, doceant, arguant, ac et[illegible], si sit opus, increpent, modò id scienter & rite faciant. Vos igitur Transsyluanos, frat[illegible]r fratr[illegible]s compello, vos Domini seruos vester [illegible] per eius nomen obtestor, cuius gloriæ inseruimus, an quis sit Blandrata, quos in Polonia motus excitarit, quot Ecclesi[illegible]s nascentes euerterit, q[illegible]ot animas pessundederit, quas illic in Filium Dei blasphemias sit eiaculatus, quid n[illegible]p[illegible]r ad Gregorium suum de ænigmatica, vt ipse vult, [illegible] generatione scripserit ignorare p[illegible]? At enim, dicet aliquis, iam apud nos agnouit Vnius Dei appellatione Filium qu[illegible]qu[illegible] significari. Rectius hoc quidem quàm antea, vt qui Gregoriū & cæteros Tritheitas mi[illegible]ime inficiari p[illegible] nihil in contrariam sententiam, nisi ipso auctore, fautore, auditore scripsi[illegible], vel dixisse. S[illegible]d, [illegible]secro, an putatis lubricam angu[illegible]lam t[illegible]m facile teneri? an creditis dealba[illegible], t[illegible] posse Æthiopem? an ignoratis quibus olim artibus, Arius, Apolinaris, Eunom[illegible], P[illegible], [illegible]tiam conuicti & damnati, Orthodoxis illuserint? an istos ad impediendum opus Dei m[illegible]stisſimè, vt tot iam ruinæ testantur, ab ipso Satana subornatos, credere potestis alio sp[illegible]? Imo liceat etiam mihi aliquid amplius, fratres, bona cum vestra pace loqui. Quanti [illegible]ob[illegible]a Blandratæ vocula constiterit, an nondum animaduertistis? an non, inquam, senti[illegible]s quum ho[illegible] vobis in vestro catechismo sit extortum, vt non modo symbola reliqua præte[illegible] ill[illegible]d quod A[illegible]stolicum vocant, superuacanea nisi ad contradicendum scriberetis, sed [illegible]tiam Essen[illegible]æ, hypostaseos, homoousii, cæteráque id genus vocabula, vt sophistica repudiar[illegible], [illegible] illos [illegible] vestra simplicitate abusos, vt vos cum tota vetere ortho[illegible]oxa Ecclesia, atque adeo cum omnibus Ecclesiis, quæ vnquam veræ a temporibus Apostolorum fuerunt, commiserit. An non vero dum ista nonnulli à vobis peterent, in ment[illegible] vobis veniebat amplissimu[illegible] ill[illegible] Nicænæ, [illegible], Chalcedonensis Syno[illegible] cō[illegible]essus, quo nihil vnquā sanctius, nihil augustius ab Apo[illegible]olorū exc[illegible]su Sol vnquā aspexit? non adfuit vnus saltem ex multis, qui tam indigno decreto int[illegible]ns, maximos illos & præstantisſimos angelos Dei, Sophi[illegible]tas fuisse negaret? Na[illegible], vt in ipsis ne[illegible]a[illegible]qui fuerint, qui putat fundamentū om[illegible]i[illegible] religionis, id est, verā veri Dei cognitionē [illegible]ō te nuisse, sanè indignus est qui in Ecle[illegible] Dei c[illegible]nseatur. Hoccine est, quæso, [illegible] prof[illegible] tot sanctisſimorū & eruditisſimorū virorū me[illegible] hausto[illegible] pro h[illegible]d [illegible]a & ad no[illegible] transmittenda veritate labores, vigilias, lachrymas, gemitus, exilia, mort[illegible] N[illegible] quiunt nonnulli, a Patribus, sed a De[illegible] verbo. Quosdā vero etiā non p[illegible], v[illegible]r, Dialectica, potius quàm Theologica aspernari. Atqui miror an vnquā il[illegible] s[illegible]ipta [illegible]g[illegible]t. quibus vt Sophistis cōuitiantur. Nā si legerūt, qua fronte tandē audent [illegible]pp[illegible] Dei verbo, quos constat vno Dei verbo (ipsis etiam Synodis omisſis, quoties i[illegible]a p[illegible] id est, veritatis aduersarii) nixos fuisse? Sin vero vel non legerūt prorsus, v[illegible]s hic pudor est discipulos sedere suorum magistrorum, etiā nō au[illegible]itorū iud[illegible]s. Illi vero putida obiectio, voces illas in Scripturis nō inueniri, quoties obiecta, audita, repulsa, danata est omniū

bonorum

bonorum & doctorum iudicio? Certè si nullis aliis vocabulis vtendum est, nisi quæ totidem literis io sacris libris reperiuntur, & qui verbi diuini διανοίας explicandæ graria, proprias & xccommodatas aliquas voces adhibent, sophistæ censendi sunt, in quas tandem angustias redigemur? imò quid tandem agent illi ipsi quum ad sua defendenda venerint, qui nunc verbi Dei prætextu hoc vnū moliuntur, vt vos exarmatos opprimant? Nam ego quidem sic statuo, etsi oon pendet aliunde rerum sacrxrum veritas, quàm ab vnico Dei verbo, & sedulò vitanda nobis est omnix καινοφωνία: tamen sublatò essentiæ, & hypostaseôn discrimine (quibuscunque tandem verbix vtaris) & xbrogato ὁμουσίου, vix ac oc vix quidem istorum blasphemorum fraudes detegi, & errorex satis perspicuè coargui posse. Nego quoque sublatis vocabulis, Naturæ, proprietatis, hypostaticæ vnionis, ἰδιωμάτων κοινωνίας, posse Nestorii & Eutychis blasphemias cōmodè à quoquam refelli: qox in re si fortè hallucinor, hoc xgè nobis demonstret qui potest, & nos illum coronabimus. Illud tamen minimè inficior, quàm simplicissimè proponendam esse Christianæ religionis doctrinam, in Catechismis præsertim: vitandas apud populum abstrusas controuersixs: τὸ ὅτι explicandum semper, τὸ διότι nunquā nisi sobriè & prudeoter attingēdum: denique hac ætate nobis de hominibus ad emendationem vitæ adducendis potiùs laborandum videri, quàm de difficillimix istis quæstionibus subtiliter & enucleatè explicandis. Hæc, inquam, omnia minimè inficior. Sed an simplicitatis prætextu dānari vt sophistica oportuit, quæ ab ipso sancto Spiritu dictatx fuisse, veritas ipsa clamat, & rerum exitus ostendit? an abstrusas controuersias mouet, qui rudi etiam populo, sed iam ab hæreticis fascinato, errores in quibus versatur patefacit, pseudoprophetarum fraudes & mendacia firmis & solidis rxtionibus, nusquam tamen à verbo Dei deflectens, refutat? an τὸ ὅτι simpliciter tractat Paulus ad Galatas scribens? an idem frustrà requirit in Episcopo, vt sit non tantum διδακτικὸν, sed etiam ἐλεγκτικόν? an quia virandx est omnis curiositas, idcirco nulla est habenda necessitatis ratio? Isti verò qui per summxm imperitiā somniant dialectica Theologicis opponi, commiseratione sanè potius digni sunt, quàm vllo responso. Primùm enim putare posse quemquā absque ratiocinando ratiocinari, siue id ex arte, siue ex sola natura facias, hominis est prorsus amentis, & qui se hominem esse planè sit oblitus. Deinde videntur isti ignorare Dialecticen non esse ex earum disciplinarum genere, quæ materiam ipsam, de qua agitur, suppeditent: sed id demum ostendere, quomodo materia à quibusuis sumpta, ita sit vtendū, vt quid cui sit consentaneum vel minùs, quid ex quo consequatur vel non consequatur ostendat, ne falsis ratiocinationibus decepti, pro veritate mendacium sequamur. Quod quum ita se habeat, necesse est profectò vt isti de rebus sacris vel nullo prorsus modo, vel sine vlla ratiocinatione queri ac disceptari velint: quod vtrunque vel ex eo prorsus absurdum & ineptum esse conuincitur, quòd ne ipsi quidem huius diuinissimæ artis hostes illam possunt nisi ratiociuando oppugnare. Illud autem homines imperitos fallit, quòd rationibus agere nullum putent, nisi qui ex suo cerebro rationes petat. ac proinde quū humana ratione Theologia minimè nitxtur, excludi quoque Dialecticen arbitrentur: quod figmentum rursus nullam refutationem meretur. Quis enim non videt aliud esse rationem, aliud ratiocinxtionem? Illam ceu materiam sua cuique ars subministrat: hanc natura docet, ars expolit, quæ Dialectice vocata est, quoniam homines de quouis aliunde subministrato, aptè & ad veritatem appositè loqui docet. Hoc donum, quod est manifestum imaginis Dei in hominibus vestigium, qui aspernantur, necesse est, vel damnent quod non iotelligunt (quod non est certè sapientis:) vel ex eorum sint genere, qui videri volunt cum ratione insanire. Nunc superest vt oblatx ista occasione, studiosos omnes veritatis in re omnium lōgè maxima, id est, in religione retinenda cohorter, vt quo loco res sint, & quid sui sit muoeris diligentissimè circunspiciant. Constat de iuris nostri tabulis. Si de interpretatione quæritur, liquet etiam quibus & quot modis illas corrumpere ab initio conatus sit capitalis ille noster hostis: quibus item rationibus à summis ducibus malæ illius artes (uam de vi manifesta nunc non ago) detectæ fuerint, & veritas fortiter defensa. Hoc autem non ita fuerit difficile nunc quoque intelligere, & in vsum nostrum transferre, quum eò sit redactus Sathan, vt veluti exhausto illo mendaciorum omnium fœcundissimo pectore, planè cogatur μεγαλύνεσθαι, & vetera illa interpolata, sicut paulò antè ostendimus, reponere. Nititur, fateor, Veritas Dei verbo, & cum iudicio legendi sunt Patres. Sed quis nullam adhuc Ecclesiam fuisse (vt certè nulla fuit, si isti vera dicunt) concesserit? nisi fortè Ecclesia est, quæ quis sit verus Deus ignorat. Deinde si aliunde quoque libet quinam isti φρενιτικοὶ sint æstimare, nempe ex manifestis Dei iudiciis, quibus blasphemias in Filium suum eiaculatas in oculis omnium vindicauit, quid est isto quoque iudicio apertius? Seruetus vstulara blasphema lingua æternitatē, id est, Deitâtem Christi negans mortuus est, in mediis ignibus illas æternas flammas velut oculis spectatorum non sine maguo omnium horrore subiiciens. Gribaldus peste correptus, fugientibus illum omnihus, vix à quo sepeliretur inuenit. Lismaninus à quo introductus fuit Blandrata, seipsum in puteum abiecit. Magnus ille Vir apud Poloоos, Christi primùm, deinde Antichristianorum hospes, quod taudem mortis spectaculum præbuit? Ochinus apostata quàm miserabiliter obierit cum suis, tota Polonia nouit. Illum Franciscum Dauidis qui non ita pridem in Transsyluania Christo postridie maledicturus erat, quid ab extremo corporis & animæ exitio, ruente repentè domo, præter longam illam Dei μακροθυμίαν eripuit? Gentilis qua tandem morte anno superiore infelicem vitam finiit? Etsi autem ista non sunt prorsus ἀποδεικτικά: tamen qui priora cum posterioribus compararit, & propiùs omnia inspexerit, inueniet profectò in istis tam manifesta diuini furoris testimonia, vt mihi quidem, vel sola sufficere meritò posse videantur, tum istis quos adhuc expectat Dei patientia ad mentē me-

liorem reuocandis, tum etiam cæteris expergefaciendis, ne vltrò sese cum istis perditos velint. Tuum autem est in primis, Augustissime Rex fortissimæ Polooorum gentis in eo quod tam feliciter cœpisti, constātissimè pergere, neque pati vt qui Filio Dei maledicit (quis autem apertiùs ei maledicit, quàm qui siue vnum siue verū Dei nomen (nec enim plures veri oaturâ dii esse possunt) ad solum Patrem restringuot, vel illum in creaturam traosformant?) regnum tibi à Filio Dei commissum eiusmodi blasphemiis reddat iræ Dei omoipotentis obooxium. Tuum quoque est, Serenissime Transsyluaniæ Rex, quem penè in sinu imprudens foueas circunspicere, oe ex eo regno quod tibi mirabiliter Dominus tot iam annos conseruat, & nuper etiam sibi incepit consecrare, quispiam ipso Mahumete nihilo melior authoritate regii tui oominis abutēs, in vniuersum Christianum orbem impetū faciat, magis certè nociturus animis, quàm si vel Moschus vel Tartarus, vel Turca insigni aliqua victoria potiretur. Neque verò difficile vobis fuerit, Augustissimi reges, istorum malorum architectos dignoscere, si in hanc rem seriò incubueritis, quum istæ controuersiæ tam sæpe támque multipliciter ab ipsis Apostolorum tēporibus agitatæ támque feliciter expositæ perpetuo doctorum bonorúmque omnium cōsensu fuerint, vt de istis oe ambigere quidem nunc bona conscientia quisquam, vel mediocriter io verbo Dei & Ecclesiasticis libris versatus, posse videatur. Vos autem, Illustres & generosi Domini, quos Dominus ille Dominorum vera sui cognitione in vtroque illo regno dignatus est, osculamini Filium, nec cōmittite vt qui sua illum Deitate spoliant, apud eos consistant, quos io primis oportet ipsius gloriæ ac dignitatis vindices & assertores se præbere. Vos verò fratres obseruandi, quibus pasceodos suos greges Dominus commisit, an obsecro vel vnicam ouiculam patiemini vestro sileotio vobis ab immanibus istis lupis eripi? Te Meli, te Seghedine, te Threci, te Lasici, te Sarnici (quos ego in tanto doctorum & piorum numero, vt mihi de nomine notos compello) vos deoique reliqui Ecclesiarum pastores, ac doctores, obsecro, & obtestor in Domino, vt totis animis istum toties victum, toties prostratum hostem aggrediamini, nec priùs conquiescatis, quàm exerto illo verbi Dei gladio ἀμφιδεξίῳ freti, vel istos nuoc perditos rursum Domino lucrifaciatis, vel saltem ab illorum luporū incursibus tutos vestros greges præstetis. En autē vobis συναγωνιστὰς summittimus hominum scripta ex præcipuis Christianarum academiarum doctoribus selectorum, quorum vel solo nomine vos recreatum iri speramus. Nos verò corporibus quidem absentes, spiritu verò præsentes, vobiscum scitote in summi illius nostri agonothetæ oculis decertare, cōmunis victoriæ fructum breui, fauente Deo, vobiscū percepturos. Geneuæ, Nonis Augusti. 1567.

EPISTOLA LXXXII.

RHVTENORVM ET LEMOVICVM Ecclesiis.



VRBATOR iste, fratres, cuius & axiomata & libellū à vobis missum legimus, vtioam & sibi & vobis meliùs saperet. Notus est ipse nobis iampridē, vt qui & in hac vrbe & in vicinia aliquot annos vixerit. Compescendū vobis est hominis ambitiosum ingenium, nec istius duntaxat, sed aliorum quoque nonnullorum, ne temere scribendis multis & sese & alios fatigent. Cæterùm vt ad rem ipsam veniamus, quæsitum illud, Recipiātúrne fidelium animæ in cælos, vbi æterna illa vita iam nunc perfruantur, monemus in primis sic agitandum vt à curiosis, vanísque multis coniunctis quæstionibus prorsus abstineatur. Hoc posito, scitote oos hac de re sic credere & docere:

Credimus & docemus eorum qui in fide Christi moriuntur animas statim cum Iesu Christo capite suo colligi in paradiso, id est, in cælis, quo nomine locum illum in quem prior Christus ascendit, & hoc vniuerso mundo superiorem intelligimus, nihil amplius de illo scrutati: ibíque iam nunc reipsa frui æterna illa ineffabili beatitate, sed pro suo modulo, tantisper dū rursus corporibus suis adiunctæ, perfectissimè glorificentur. Cōtrà verò credimus & docemus eorum animas qui extra Christum moriuntur, iam tum in locum æternis illis ignibus destinatū mitti, vbi quantum & quomodo Deus nouit crucientur, tantisper dum vltimus ille dies plenæ ipsorū cōdemnationis adueniat.

Veram & Christianam esse hanc doctrinam liquidò probatur certis Scripturæ testimoniis, quorum nonnulla duntaxat subiiciemus. Quod postulat Dominus apud Ioannem, vt vbi futurus erat, ibi & nos simus, totum hominem respicit, ideóque vltimo demum illo die implebitur. Nihil tameo obstat quominus hoc ipsum in animabus piorum inchoetur, nisi fortasse existimamus exauditas nō fuisse Stephani preces, id est, eius spiritum neque ab eo quem moriens cernebat, neque in eum locum vbi eum cernebat fuisse receptū, vt eius pro quo moriebatur gloriam, ac proinde vitam illam æternam iam tum participaret. Certè quod ait Paulus, cupere se dissolui & esse cum Christo, de vita illa merè spirituali quam spe possidemus, intelligi non potest, quum iam tum Apostolus illam vitam viueret, quum diceret, Viuo iam non amplius ego, sed viuit in me Christus. Idem alibi, Malumus, inquit, migrare è corpore & ad Dominum ire habitatum. Imò ipse Christus illi pendenti latroni non tantùm dixit, Hodie mecum eris, sed addidit, In paradiso: quibus paucissimis verbis tria perspicuè nobis declarauit, nempe quando, vbi, & qua conditione

ditione piorum animæ cum capite suo colligantur, tantisper dum plenæ felicitatis cumulum expectat. Idem Christus ipsorum etiam hostium suorum testimonio veracissimus doctor, his verbis nititur apud Lucam, Facite vobis amicos ex mammona iniusto, vt quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quo loco tria nobis obseruanda sunt. Primùm enim non dixit Dominus, Postquàm resurrexeritis, sed, quum defeceritis. Deinde recipiendi verbo significatur aliquos eò præiuisse, à quibus isti sint recipiendi: quamobrem etiam in Epistola ad Hebræos vnà coniungitur Christus, Angeli, & spiritus antea cõsecrati. Tertio loco, nullum sanè alium locum possimus intelligere tabernaculorum æternorum nomine quàm illum ipsum æternæ felicitati destinatum.

Istis sacrarum literarũ apertis testimoniis liceat etiam nobis adiicere duo Augustini testimonia. Sic enim scribit tractatu in Ioan. 49. *Habent omnes animæ quum de seculo exierunt diuersas receptiones suas, habent gaudium boni, habent mali tormenta. Sed quum facta fuerit resurrectio & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. Recepti sunt in pace sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, martyres, boni fideles: omnes tamen adhuc in fine recepturi sunt quod promisit Deus: promissa enim est resurrectio etiam carnis, mortis consumptio, vita æterna cum Angelis. hoc omnes simul accepturi sumus. Nam requiem quæ continuò post mortem datur, si ea dignus est, tunc accepit quisque quum moritur. Priores acceperunt Patriarchæ, Videte ex quo requiescunt. Posteriores Prophetæ, recentius Apostoli, multò recentiores sancti martyres, quotidie boni fideles: & alij in ista requie tam diu sunt, alij non tam diu, alij paucioribus annis, alij recentis tempore. Quum verò ab hoc somno euigilabunt, simul omnes quod promissum est accepturi sunt.* His igitur Augustini verbis primum omnium liquere existimo somnium corporibus, requiem animabus sanctorum tribui. Et ne quis gaudii & requietis nominibus existimet spem futuræ felicitatis, non autem ipsius iam reipsa præsentis boni fruitionem significari, audiamus quomodo idem Augustinus hæc verba, Esse cum Christo, interpretetur, Tractatu in eundem Ioannem centesimo vndecimo, *Christo* (inquit) *non satis fuit dicere, Volo vt vbi ego sum, & illi sint, sed addidit, Mecum. Esse enim cum illo magnum bonum est. Nam & miseri possunt esse vbi est ille, quoniam quocunque vbicunque fuerint, est & ille: sed beati soli sunt cum illo, quia beati esse non poterunt nisi ex illo.* Quòd si ne hæc quidem nostro illi disputatori sufficiunt, quoniam huius promissionis consummatio in vltimum illum diem differtur, audiamus etiam clarius hac de re scriptoris eiusdem testimonium, Leuit. 20. cap. 9.

Fideles (inquit) *etiam defuncti, membra Christi sunt. Quamuis ergo cum suis corporibus nondum sint, iam tamen eorum animæ regnant cum illo.* At vbi iam est Christus secundùm carnem? certè in cælestibus, vbi iam & nos per spem considemus, & vbi cum illo Paulus dissoluto corpore accipi se optabat. Erat enim sanè cum illo secundùm spiritum, in hoc etiam corpore constitutus.

Ex his autem colligitur quid sit nobis è contrario de infidelium animabus è corpore migrantibus statuendum, eos videlicet iam tũ in tenebras exteriores abiici, vbi non tantùm horrore futuri illius iudicii, sed etiam reipsa terribilibus pœnis torquentur tantisper dum vnà cum corporibus plenè in æternum damnati excrucientur.

Nunc istum contrà audiamus. Quod igitur in præfatione hunc à se libellum editum testatur, vt triplicem grauissimum errorem, nempe inuocationem Sanctorum, Purgatorium, dogma denique de animarum dormitione refellat, in eo consilium hominis valde laudamus. Sed veritate certè non falsitate destruitur mẽdacium. Itaque nostra memoria solidis firmisque rationibus errores illi sunt à doctis piisque Theologis expugnati, quòd videlicet nullũ in Christiana religione dogma sit extra Dei verbum recipiendum: quòd Sanctos vbique esse & cordis cogitationes nosse, id est, deos esse consequeretur, si inuocantes exaudirent: quòd stare cum Christi vnici Mediatoris munere non possit eorum inuocatio: quòd positis Sãctorum meritis aboleatur Dei gratia, positóque Purgatorio beneficium mortis Christi tollatur: quòd animã priuare motu & sensu, idem sit atque animam perimere: quòd denique illa essentiæ resurrectio in Scripturis nusquã animæ, corpori semper vni tribuatur. At iste contrà, hoc vno argumento pugnat, iustorum animas quiescere expectantes summum illum iudicii diem, ac proinde sese huius vitæ negotiis non immiscere. Verùm quis paratum esse non videt responsum? Nam certè quod ad intercessionem sanctorum attinet, si hæc duo, Quiete cælesti frui, &, Humana curare, inter se repugnant, neque Deus, neque Angeli, neque Christus ipse censendi sunt humana curare. Purgatorium autẽ si quis illa vna ratione destruere conetur, an non excipere licebit, Purgatorio non tolli quietem, quum hæc potiùs illud consequatur? Notum enim est illud in scholis vsitatum, Non pugnare inter se subordinata. Qui denique animas dicunt dormire, quid aliud per hanc dormitionem, quàm hoc ipsum quod iste Quietem appellat, seiũctam videlicet quietẽ ab omni reali felicitatis illius fruitione intelligant?

2 *Quicquid,* (inquit) *verbo Dei continetur, commodè potest diuidi tum in ea quæ Deus ab homine flagitat in hac vita, tum in ea quæ idem homo promissis Dei fretus in futura vita expectat. Prius illud positum est in fide per charitatem operante, posterius autem in sola æterna vitæ spe versatur.* Atqui nobis hæc diuisio tum manca tum etiam falsa videtur. manca, quòd alias plurimas Christianas virtutes prætereat, quas & ipsas præter fidem, spem & charitatem creat in credentium cordibus: falsa, in eo quòd charitatem quidem ad solam vitam præsentem referat, quæ tamen in illa futura maximè vigebit: Spei verò obiectum duntaxat statuat vitam æternam, quum tamen res huic etiam vitæ necessarias à Domino promissas speremus & petamus.

3 *Facere:*inquit,*præsens seculum spectat,cuius duo extrema sunt,creatio huius mundi, & vltimū illud iudicium:pati verò (siquidem æterna vita potiùs in patiendo quam faciendo sita est)inde ad infinitam æternitatem progreditur.* Hæc verò speculatio,vt ψυχοπαννυχίαν non attingamus, friuola & futilis nobis videtur, quam si admittas,efficietur certè animas corporibus suis spoliatas adhuc in præsente seçulo versari,ac proinde à morte ad vitam nondum esse progressas. Deinde consequetur triplicem esse animarum vitam,vnam in hoc corpore,alteram extra corpus in nescio quo certo loco: alteram æternam à resurrectione demùm inchoatam. At nos duplicem tantùm animæ vitam ex Dei verbo didicimus,vnam in hoc seculo animæ & corpori communem, donec interueniente morte dissocientur:alteram , animæ quidem vsque ad vltimum diem illum resurrectionis propriam,ab eo verò die vtrique in æternum communem futuram. Pręterea si istud Pati quod iste vocat,id est,ipsius gratiæ Dei & felicitatis beatæ sensum aliquem reipsa percipere ab vltimo demum illo die incipit,quid fiet illis primitiis Spiritus quas iam nunc habemus, vt cum Paulo dicamus,iam nos non viuere,sed Christum viuere in nobis? Denique quo nos istiusmodi speculationes abducant videre vos arbitramur.

4 *Comminiscuntur aduersarij Christum ascendentem in cælos secum abduxisse patrum animas, & in vitam æternam introduxisse,vnde sanè mirum fuerit egressuras vt corpora sua recipiant.*

Nos verò etsi existimamus impleto salutis nostrę mysterio auctam beatarum animarum cum suo capite regnantiū felicitatem,minimè tamen in illa Limbi quem vulgò vocant,fabula,patribus assentimur,cui confirmandæ nōnulla Scripturę loca manifestissimè detorquēt.Sed istius sanè ratio valde futilis est & inepta.Reuerti enim posse aoimas è cœlis vt suis corporibus rursum adiungantur,quandoquidem sic decreuit Dominus , nemo negauerit nisi qui de omnipotentia Dei dubitarit.Quod si quæritur an hoc volituræ sint , primùm illud in dubium vocatur quod tamen verissimum est,beatas videlicet animas Dei voluntati penitus assentiri. deinde cui dubium esse potest quin & socio illi suo, adhuc in puluere iacenti,immortali & incorruptibili futuro rursum adiungi,& illud quod perficiendæ felicitati suæ deest cōseqni,auidissimè quodammodo desiderent? Quod si meritò credimus Christi Domini nostri animā statim à morte non apud inferos,sed in paradisum receptam(nisi fortè paradisum apud inferos cōstituere velimus) triduo pòst in suum corpus reuersam,quî fit vt isti incredibile videatur nostras, id est, fidelium seruorum animas,Domini sui exemplo,in sua corpora è paradiso reuersuras? Denique si venturus est è summa illa gloria Christus viuos & mortuos iudicaturus, cur absurdum iste iudicat quod credimus in sua corpora ex illa cælesti gloria reuersuras animas , non vt illam suam gloriam deserant,sed vt ea potiùs in ipsis perficiatur?

5 *Si pauper ego cupiam ad persoluendam certam pecuniam adstrictus , amicum idoneum nactus fuero qui meo nomine solutionem spondeat , nonne simulatque fuerit à meo creditore loco meo admissus , liberatus dicar,minimè solicitus quo tempore sit creditori pecuniam numeraturus?*

Si noster iste hactenus ista similitudine vteretur , vt iustorum ante Christum mortuorum animas,etiam si nondum persolutum erat redemptionis nostræ pretium , tamen ab æterna morte fuisse iam tum per moriturum Christum redemptas doceret,transiremus certè in eius sententiam.Sed quum aliò respiciat,eò videlicet vt illas doceat certo nescio quo loco receptas in quo etiam nostras includit , æternam illam gloriam reipsa non degustasse,ac ne nunc quidem degustare,& tamen in spe venturi Christi acquieuisse,quæ spes fuerit earum beatitudo : nos quidem huic dogmati nequaquā assentimur.Nam certè si diues ille epulo apud inferos æternis illis pœnis reipsa iam tum torquebatur , Lazarus contrà in sinu Abrahæ iam tum aliquid æternæ illius beatitatis reipsa percipiebat.Sed & illud nobis fatendum est , summum illud desiderium gloriæ Dei quod patribus tribuitur Mat.13.17, & 1.Pet.1.11, minimè fuisse ipsorum morte extinctum. quò etiam proculdubio respicit illud Mosis & Heliæ cum Christo colloquium , cuius fit mentio, Luc.9.31.

6 *Mihi videtur*(inquit)*orthodoxa eorum opinio,qui per Christi ad inferos descensum intelligunt animam Christi à corpore separatam,priorum ante defunctorum spiritibus fuisse adiunctam , qui spiritus non in tenebris,sed in luce felices & læti versabantur.*

Animam Christi tunc fuisse iustorum spiritibus aggregatam sanè concedimus, sed in paradiso,vt ipsemet latronem compellans testatur.Durum autem est admodum paradisi nomine inferos intelligere,neque in paridisū descendere,sed ascendere ex vsu Scripturæ dicimur,sursum videlicet,vbi etiam disertè paradisus ab Apostolo collocatur.2.Cor.12.2,& 4. Itaque istum necesse est plures paradisos cōstituere , quod dogma nihilo videtur absurdius eorum delirio qui plures inferos statuunt. Denique quum iste hoc loco fateatur Patrum animas fuisse in gaudio & felicitate constitutas,& mox tamen neget fuisse æternæ beatitatis participes,non videmus quomodo secum ipse non dissideat,nisi fortè felicitatem animarum à beata vita discernit.

7 *Certum est ex altera Petri & Iudæ epistola , dæmonas post lapsum esse maleficorum instar, qui in carcere afflicti horribiliter torquentur certi futuri supplicij metu,interea verò quasi compedibus vincti tenentur suspensione supplicij vsque ad diem exequendæ pœnæ destinatum.*

Desumpta hæc sunt ex D.Caluini commentariis in 2.Pet.2,4.sed nōn sine fœda deprauatione. Nam pro eo quod iste scribit dæmonas in carcere affligi certi futuri supplcii metu , Caluinus,inanes istarum rerum speculationes detestatus,scribit *illos carceris atrocitate dimidium pœnæ sustinere*,quod longè aliud est quàm *futura pœna metu duntaxat torqueri.* Et quod addit Caluinus, *donec ad vltimum supplicium trahantur*, non efficit quod iste vult,nempe realem omnē pœnam in illum vltimum diem differri.

8 *Py*

8 *Pyin spe recta beatitudinis placidè acquiescunt, quanuis ea nondum fruantur, impy verò horribilia ex vindicta sibi parata tormentum sustinent.*

Agnoscimus ipsa D.Caluini verba in eundem Petri locum, quibus penitus consentanea sunt quæ scribit in Luc.16,25.Sed quod iste ex iis colligit, sensisse Caluinum piorũ animas nulla iam ex parte frui æternæ vitæ felicitate, siue in hoc vno positam nunc esse ipsarum felicitatem, quòd spe percipiant venturam ipsius gloriam, immeritò prorsus illi tribuitur, vt qui aliis innumerabilibus locis cõtrarium testetur. Ne longiùs abeamus, in eum ipsum Lucæ locum sic scribit, explicans quid per Sinum Abrahæ intelligatur, *Nec verè certum locum imaginari necesse est: sed tantum collectio illa notatur, vt videlicet reipsa agnoscant fideles se non frustrà sub fidei Abrahæ auspiciis militasse, quia eodem* IN CÆLIS *domicilio fruantur.* Et mox: *Sicuti luculentior Dei gratia per Euangelium nobis affulsit, & Christus ipse Sol iustitiæ suo aduentu salutem nobis attulit, quam eminus sub vmbris obscuris intueri Patribus olim datum est, ita minimè dubium est quin mortui propius ad cælestis vitæ fruitionem accesserint.* Ergo etiam antea cælesti vita pro suo modulo fruebantur. *Interea tenendum est immortalitatis gloriam* (id est eam quæ corpore quoque iam glorificato toti homini continget) *vsque ad diem vltimum redemptionis differri.* Idem in Luc.24.45. *De loco paradisi curiosè & argutè disputandũ nõ est. nobis sufficiat, quicunque fide insiti sunt in Christi corpus, esse eius vitæ participes, atque ita post mortem beata & recta quiete frui, donec in solidum patefiat Christi aduentu, perfecta cælestis vitæ gloria.* Ergo ex Caluini sententia in vltimo illo die non inchoabitur, sed perficietur sanctorum gloria: Neque omnis disputatio de loco paradisi, qui sursum & in cœlis disertè & perspicuè in Scripturis collocatur, sed arguta & curiosa omnis speculatio optimo iure reprehenditur: nec aliter idẽ in Psychopannychia & Institut.Christ. de his rebus scribit. Cæterùm hæc à nobis non proferuntur quasi religionis nostræ dogmata ad D. Caluini vel cuiusquam alterius hominis normã exigenda censeamus, verùm vt iste desinat tanti viri auctoritate stabiliẽdis suis deliriis abuti. Comparãda sunt enim inter se sæpenumero vnius eiusdémque scriptoris loca, vt quæ fuerit eius sententia liquidò perspiciatur, quum omnia omnibus locis etiam de re vna quapiam dici nec possint nec debeant. Hoc qui non faciunt, dici non potest quam iniuriã sæpe bonis doctísque scriptoribus faciant, quam ne ipsi quidem Prophetæ & Apostoli effugerunt. Docet Paulus panẽ quẽ frangimus esse corporis Domini communicationem, nempe non quòd tunc primum Christo incorporemur (vt ex aliis locis liquet) sed quoniam hæc incorporatio Cœnâ Domini sancitur. Quotidie dicimus Deum precantes, Adueniat regnum tuum, id est perficiatur. Iam enim intra nos est. Nondum, inquit ille, quod sumus apparuit, plenè nimirum & perfectè. Nam alioqui magnum iam nunc apparet inter filios Dei & filios huius seculi discrimen. Vita nostra, inquit ille, abscondita est in Christo. nempe quod ad complementum attinet. Nam alioqui iam viuimus in illo, & ille in nobis. Sic etiam intelligatur quod Caluinus eo loco scripsit fideles beatitudine nondum frui.

9 *Si quis me roget vbi sint interea dæmones, respondebo in aere, sicuti docet Apostolus.*

Excipiuntur saltẽ qui humana corpora obsident, & si qui sunt iam in abyssum proiecti, quod illa dæmonum legio non temerè à Christo deprecata est. At nos vanissimas istas speculationes otiosis & nugacibus ingeniis relinquamus, ac potiùs intra diuini verbi metas nos ipsos contineamus. Locus autem ille Apostoli Ephe.2,2, & 6.12, quemadmodum idem Caluinus pulchrè docet, nihil eos iuuat qui mediam aeris regionem à Diabolo creatam esse, & possideri somniarunt. Neque enim certos illis fines Paulus assignat quos sua ditione obtineant, sed tantùm indicat illos in conflictu, etiam loco esse superiores.

10 Disputat iste postea de Angelis, quærítque an perfecta beatitudine sua iam nunc perfruãtur. quod si fortè legerint aduersarii, in quos cachinnos soluentur? Imò licebit hoc quoque in illum retorquere. Si Angeli quanuis illa sua felicitate nondũ plenè perfruantur, nihilominus sunt nostræ salutis administri, nihil etiam obstare quominus Sancti quoque, licet nondum perfectè beati, nostram etiam salutem procurent. Deinde qui fit vt huic sit absurdum quod dicimus animas è cælis in sua corpora reuersuras, qui tamen ex Scripturis cogitur fateri Angelos quotidie ad nos descendere & à nobis ascendere? En quò necesse sit abduci qui suis speculationibus indulgent.

11 *Christus caput nostrum, solus non fruitur gloria æterna cuius vltimo illo demum die suos faciet participes.*

Christum caput nostrum esse, & solum supra omnia exaltatum extra controuersiam est. Constat & illud, gloriam illam corporum & animarum communem in vltimum illum diem differri. Quòd si interea piorum animæ manent istius beatitudinis expertes, súntque sola spe venturæ beatæ vitæ felices, quantulum illud est quod optat Paulus dissolui, & esse cum Christo: & quod pendenti latroni dixit Christus, Hodie mecum eris in paradiso?

12 *Ex eo quòd sancti Spiritus in sinum Abrahæ recipi dicuntur, non est concipiendus certus aliquis locus. Sic enim duntaxat significatur certa fidelium cum Abrahamo patre collectio.*

Rursum iste abutitur D.Caluini verbis in Luc.16.22. quæ paulò antè, nempe annotatione 8. citauimus. Nunc autem totum locum adscribemus. *De sinu Abrahæ quàm variè philosophati sunt multi Scripturæ interpretes, referre nihil opus, ac ne meo quidem iudicio, expedit. Sufficiat tenere quod lectores probè in Scriptura exercitati genuinum esse agnoscunt. Sicut Abraham ideo pater fidelium dictus est quia penes ipsum fuit depositum æternæ vitæ fœdus, quod fideli custodia seruatum filiys ipsius primùm,*

deinde cunctis gentibus per manus traderetur, & filij eius vocantur quicunque sunt eiusdem promissionis heredes ita post mortem dicuntur in eius sinum colligi, quia deinde cum eo fidei fructum percipiunt: metaphora à patre sumpta, in cuius sinum filij conueniunt, dum vespere domi ab operis diurnis colliguntur. Quum ergo filij Dei in hoc mundo dispersi peregrinantur, sicut in præsenti curriculo fidem Abrahæ patris sui sequuntur, ita defuncti in beatam quietem in qua nos expectat, sese recipiunt. Hæc ille, quæ idcirco exscripsimus, vt omnes intelligant quorsum & quatenus hæc à nobis mysteria tractari consueuerint. Sequitur apud Caluinum postea, *Nec verò certum locum imaginari necesse est, sed tantum collectio ista quam dixi sic notatur, vt videlicet reipsa agnoscant fideles se non frustrà sub fidei Abrahæ auspiciis militasse, quia eodem* IN CÆLIS *domicilio fruantur.* Hæc ille. ex quibus nemo non videt quæ de certo loco non inquirendo tradit, referri ad ipsam sinus Abrahæ explicationem: neque hoc prohibere quominus piorum animabus certum locum in Scripturis assignatum, cælos videlicet credamus & doceamus, quo domicilio qui fruitur æterna etiam gloria pro suo modulo fruatur necesse est.

13 *Vsus apud Græcos inualuit vt Paradisus gloriam cælestem significet, quo sensu dixit Christus latroni, Hodie mecum eris in paradiso, id est, frueris Dei præsentia, in conditione beatorum.*

Agnoscimus D. Caluini verba in 2. Cor. 12, 4, quæ si verè dicuntur, ostendat iste nobis, *Frui Dei præsentia in cælis* (illic enim paradisus à Paulo disertè collocatur) idẽ valere atque, Alicubi in spe futuræ vitæ beatæ acquiescere.

14 *Scribit Ioannes Apoc. 6. se vidisse sub altari animas sanctorum qui mactati fuerunt propter Dei verbum. Sed quoniam totus hic liber allegoricus est, difficile est ex eo certum quidpiam constituere.*

Imo hunc locũ idcirco iste refugit, quoniam ex eo manifestè redargui potest. Sic enim Caluinus eum locum explicans in Psychopannychia, *Haud dubiè,* inquit, *stolæ albæ principium gloriæ designant, quod diuina liberalitate martyribus impertit, donec expectatur dies iudicij.*

15 *Auctor quarti libri Esdræ inducit Angelum Vrielem his verbis vtentem, Animæ impiorum an non quæsierunt de his rebus latentes in suis receptaculis? quò respiciunt quæ Augustinus de fide ad Petrũ scripsit de animarum receptaculis.*

Imò in Enchiridio ad Laurentium & alibi aliquoties ista receptacula Augustinus commemorat, quæ vt concedamus, an non tamen in cælis & quidem cum beatitate collocari possunt? Sic enim alibi idem Augustinus, sicut antea quoque citauimus, *Fideles etiam defuncti, membra Christi sunt. Quamuis ergo, cum suis corporibus nondum sint, iam tamen eorum animæ* REGNANT *cum illo.* Num verò Regnare nihil aliud est quàm in spe regni futuri acquiescere? libri autem illius qui Esdræ tribuitur authoritatem nihil prorsus moramur.

16 *Quod de tenebris exterioribus metaphoricè dicitur, declarat miserabilem illum statum damnatorũ, facinorosis similium qui tenebricosis & horroris plenis locis impendentis iudicij formidine torquentur.*

Hoc quoque ex pluribus eiusdẽ D. Caluini locis, sed deprauatis contextũ agnoscimus: prætermittitur enim quod ille in Luc. 16, scribit, istos, videlicet maleficos carceris atrocitate dimidium pœnæ sustinere, donec ad vltimum supplicium trahantur. Item Insti. lib. 3. cap. 25. sect. 6. *Animæ reproborum,* inquit, *quæ ex hoc mundo excesserunt, cruciatus quales merita sunt perpetiuntur*

17 *Inferorum nomine quo Galli vulgò vtuntur, Latini locum infra siue deorsum situm declarant.*

Sic verterunt Latini Hebraicam vocem Scheol, quo sepulchrum significatur. Hinc factum vt pro morte accipiatur, sicut nomen ipsum mortis de damnatione æterna dicitur, & inferos vocemus locum torquendis damnatis destinatũ, vtpote quos Scriptura in abysso constituat. Quinetiam ad inferos descendere metaphoricè dicuntur qui in aliqua maxima miseria versantur. Inferos autem pro paradiso quis tandem præter istum accipit? Imò res ipsa clamat, si infrà torquẽtur impiorum animæ, superiùs collocandum esse paradisum vbi piorum animæ iam nunc ęternam vitam reipsa degustent.

18 *Obseruandum est Scripturam quoties de præmio vel pœna loquitur, reuocare nos ad vltimum illum diem. Sic enim Apostolus 2. Cor. 5. 10, Omnes nos,* inquit, *comparere oportet coram tribunali Christi, vt vnusquisque reportet quæ in corpore fecerit, congruenter ad id quod fecerit, siue bonum, siue malum.*

Hoc ineptissimum argumentum mutuatus est iste ab iis qui dormire animas censent. Etsi enim iste in eo ab his dissentiat, quòd à corpore separatis motum & sensum ac gaudium etiam aliquod tribuat, quod illi nolunt, cum illis tamen facit in eo quòd nullam animabus beatitatem nisi in sola spe positam relinquat. Est autem, vt pluribus docet D. Caluinus in Psychopãnychia, perinepta hæc consequutio, nullum nunc esse regnum, quoniam non sit perfectum, quum è contrario dicamus regnum quod nunc inchoatur, tum demum esse perficiendum. Quorsum autem illum Apostoli locum, in quo de corporum siue integri hominis post resurrectionem statu disseritur, quum de animarum ante resurrectionem conditione à nobis quæratur?

19 *Apostolus Timotheo scribens, 2. Timoth. 1, 18, Deum precatur vt Onesimus misericordiam apud Dominum inueniat vltimo illo die.*

Quid rursus dici potuit ineptius? Constat enim Apostolum non omnis simpliciter misericordiæ, sed complementi illius eo loco meminisse, nisi fortè dicendum nobis est Onesimum piósque omnes ne in hac quidẽ vita misericordiã vllam à Deo percepisse. Docet Petrus fidei nostræ explorationẽ cessurã nobis laudi, gloriæ & honori, quũ patefiet Iesus Christus. An ideo colligẽdum est nullam nunc esse piorum laudem, gloriam & honorem? Imò an iste dicere ausit animas resurrectionem expectantes omnis interea laudis & honoris esse expertes?

20 *Apo-*

20 *Apostolus 2. Tim. 4,8, coronam sibi repositam esse dicit, quam Dominus iustus iudex sit illo die non ipsi modò redditurus, verum etiam omnibus qui apparitionem eius expetunt.*

Apostolum constat & hoc loco & altero non dissimili, nempe 1. Thess. 2,19, Coronę nomine, perfectam illam gloriæ consummationem intelligere. Quòd si valeret ista illius consequutio, an non & illud efficeretur, ne nunc quidem piorum animabus Christum apparere? Quorsum igitur illud eiusdem Pauli, Cupio dissolui, & esse cum Christo?

21 *Dicit quidem Christus discipulis se discedere vt eis locum præparet, sed addit, oportere se ad eos reuerti, quos ad se recipiat, vt vbi est, & ipsi sint. quibus verbis non illam sancti Spiritus missionem, sed alterum suum aduentum designat, Io. 14,3.*

Intelligatur sane locus iste de altero quem adhuc expectamus aduentu, quum toti cum Christo colligemur. Num verò propterea efficitur quod iste contendit, iam nunc cũ Christo non esse piorum animas, & quidem aliquatenus ipsius gloriæ participes? Scilicet nõ verè vel frustrà dixerit Christus, Hodie mecum eris in paradiso, nec Stephani sui spiritum Christus ex corpore migrantem exceperit.

22 *Ait Paulus tunc fideles liberandos quum Dominus è cælis apparebit.*

Complementum gloriæ in toto homine post resurrectionem secuturum opponit Apostolus præsentis vitæ miseriis. Interea verò nullam dari piis relaxationem ne iste quidem dicere audebit, à quo etiam corrumpitur hic locus quum pro ἄνεν substituit ἄχρι.

23 *Excipiet fortasse quispiam ista scriptura testimonia nihil obstare quominus reproborum animæ iam nunc non minùs quàm post iudicium crucientur, & vicissim piorum animæ iam nunc pari beatitate fruantur. Sed hoc sanè falsum est. Quorsum enim alioqui iudicium?*

Absit vt tam ineptis argumentis aduersarios veritatis oppugnemus. Primùm enim nemo est qui vel piorum pariter nunc glorificatas, vel impiorum pariter nunc excruciatas animas atque post peractum iudicium censeat, nisi fortè recipimus quod de Maria cum corpore in gloriam assumpta nonnullis affirmare libet, & Franciscanorũ de suo idolo blasphemias admittimus. Deinde quis non videt etiam si ita esset, non tamen superuacaneum fore iudicium in quo de corporũ quoque gloria vel ignominia statuetur? Nam certè ipsa quoque resurrectio propria est corporum, vt quæ sola ceciderint. Ergo, inquies, corporum tantum causa iudex Christus apparebit? Minimè veró. Præterquàm enim quòd piarum animarum gloria tunc demum complebitur, hoc etiam bonum consequentur animæ, quòd cum suis rursum corporibus copulabuntur.

24 *Si iam nunc impiorum animæ torquentur, deterior est illorum quàm dæmonum conditio.*

En quò nos istæ speculationes abducant. Quis enim istum docuit dæmones nullo iam modo torqueri, quanuis in vltimum illum diem differatur plena eorundem damnatio?

25 *Animas sic damnatas esse dico, vt Io. 3,18, & 36, dicit Dominus eum qui non credit, iam esse condemnatum: & contrà, eum qui manducat ipsius carnem, æternam vitam habere. Item, Qui credit in eum qui misit me, habet vitam æternam, neque in condemnationem veniet, sed transiuit à morte ad vitam, Io. 5,24.*

En istius dogma, Omne videlicet tum piarum tum impiarum animarum quæ ex corporibus demigrant, iudicium penitus in vltimum illum diem differri, & illas interim in spe venturæ gloriæ lætas acquiescere: istas vero futuri sui iudicii metu torqueri. At nos etsi neque illam futuræ gloriæ certitudinem inenarrabilis lætitiæ plenam, neque horrorem illum futuri iudicii inficiamur, tamen ex Scripturis edocti, docemus reipsa iam & animas piorum æternam illam felicitatem degustare, & impiorum animas reipsa inenarrabiliter iam nunc æterna supplicia sentire.

26 *Certè quum Petrus testatur iniustos in diem iudicij puniendos reseruari, non de corporibus, sed de animabus agit. 2. Pet. 2,9.*

Petrus eo loco postquam ostendit pios sæpissime in hac vita duriter explorari, contrà verò impios delitiis frui, erigit nos hac consolatione, quòd nouerit Dominus suos à quibus colitur è tentationibus eripere, sicut è contrario sceleratos reseruat diei iudicii, eos puniendo. Nec enim κολασθησομένους, id est puniendos, sed κολαζομένους tempore præsenti in omnibus exemplaribus scriptum lego, vt significetur hoc ipsum quod affirmamus, sic videlicet iudicium malorum differri, vt interea nihilominus pœnas scelerum suorum non prorsus effugiant. Sed agè demus ista de futuro illo vltimo supplicio intelligi. Si de animabus duntaxat illud accipiatur, postulat ratio cõtrariorum vt quod in opposito membro dicitur, de solis piorum animabus dicatur, quæ ante vltimum illum diem non sint ex tentatione liberandæ, quod tamen falsissimum est. Quid ergo? nẽpe vltimi illius diei meminit idcirco Petrus quòd tunc demum sicut toti & corpore & animo peccarunt, sic etiam toti sint æternis pœnis afficiendi. quanuis illis interea Dominus ad tẽpus pareat, quod Reseruandi vocabulo declaratur, siue ad præsentem vitam hoc referas, siue ad illud spatium quod inter mortem & futurum iudicium intercedit. Num verò si quem priùs candẽtis ferri pœnam sustinere, deinde aliquot post diebus viuum cremari iudex decreuerit, idcirco dolorem nullum sentire sub candente ferro dicetur? Denique si vltimo illo die punietur quod in vltimum illum diem seruatum est, fateri istum oportet vel tum corpus tum animam, vel animam solã tunc supplicio afficiendam, quod posterius ei non displicere, colligi fortasse potest ex iis quæ subiicit. Ait enim,

27 *Qui namque possit dici reseruatum quod nusquam est, id est corpora tunc reseruata, quum in puluerem redacta, corporum appellationem non merentur?*

Etiam si corpora in puluerem conuersa sint, tamen quum hæc eorum corruptio ad resurrectionem spectet, absit vt ea nusquam esse dicamus. Aliud enim est non esse quod erant, quàm

non esse: & vt ad tempus non sint quod erant, rursum tamen erunt quod erant, etiamsi aliquatenus, id est quod ad accidentia quædam attinet, talia nunquam erunt qualia antea fuerunt. Qui hæc negat, Christiani nomen non meretur. Subiicit postea.

28 *Vomendum est igitur ad vltimum suppliciũ animæ, quod dicitur in Apocalypsi mors secunda, quum mors & inferi in stagnum igneum proyciontur.*

Si mortem secundam iste arbitratur solius animæ esse, ne prima quidem elemẽta tenet Christianæ religionis.

29 *Nimium crassi sunt qui nullum aliud tormentum quàm ignis aut glaciei, caloris aut frigoris possunt animo concipere.*

Ita est perfectò. Neque nos verò illa quæ de impiorum cruciatu in verbo Dei ac præsertim in illa epulonis siue historia siue parabola referũtur, ita crassè interpretari didicimus. Negamus tamen hæc ita subtiliter esse accipienda, vt flammarum & cruciatuum nomine sola futuri iudicii formido intelligatur.

30 *Abutuntur aduersary nomine Sancti, quum hanc appellationem qua significatur quicquid à cõmuni & promiscuo vsu segregatum Deo peculiariter consecratur ad solos sanctos mortuos restringunt, quum è contrario Scriptura quoties de hominibus loquitur, de sanctis viuis hanc intelligat.*

Meritò quidem iste aduersarios Sancti nomine multis modis abutentes reprehendit. Sed præterquàm quòd possunt ipsi negare se ad solos mortuos hanc vocem restringere, vt qui Papam suum vocitare Sanctum patrem, & nescio quos alios dicere sanctos homines consueuerint, falsum etiam est quod ait ex vsu verbi diuini solos superstites sanctos vocari. Num enim obsecro nomen hoc amittunt qui quum hic nobiscum viuerent ita sunt vocitati? Petrus sane Prophetas tot antè seculis mortuos, sanctos appellat, quos etiam proculdubio innuit Paulus, quum ait nos esse factos sanctorum conciues, & Dei domesticos.

31 *Aberrarunt à vero qui Sanctos paradisi cognominant quasi paradisi possessores, qua voce non consolationis, quietis, & refrigery locum, sed gloriam & beatitudinem summam designant ad quam adyci nil possit.*

Hoc verò partim falsò partim calumniosè dicitur. Verum enim est sanctorũ animas cum capite suo Iesu Christo in paradisum, id est locum illum æternæ gloriæ destinatum colligi, ac proinde posse paradisi possessores dici: neque incommode qui iam in illam gloriam recepti sunt, illa cognominatione à viuis & in hoc mundo superstitibus distinguũtur. Etsi verò magnopere sunt aduersarii nostri in eo reprehendendi quòd suos sanctos Christi spoliis sæpenumero exornent, tamen calumniosè perstringũtur quasi sanctorum gloriam iam esse omni ex parte consummatam doceant. Nam hoc saltem non inficiantur, sanctorum corpora quæ venerantur, resurrectionis gloriam adhuc expectare. Audiamus tamen quid iste subiiciat.

32 *Nam*, inquit, *tum demum introducentur in regni Dei possessionem, quum hanc vocem audient, Venite benedicti, &c.*

Huic argumẽto sic respõdet D. Caluinus in Psychopannychia, Frustrà nitũtur nostri ὑπνόλογοι conuincere sanctos Dei seruos hac vita defunctos, nondum esse ingressos in regnum Dei, ex eo quòd illis dicetur, Venite, possidete, &c. Promptum enim nobis est respondere non ideò nunc nullum esse regnum quia nondum perfectum est: sed contrà dicimus tunc perficiendum esse quod iam inchoatum est.

33 *Dico igitur solum Christum primogenitum mortuorum nunc ingressum esse in gloriam Patris.*

Hoc verissimum est, si de summo illo gloriæ gradu hoc intelligas in quem vnus Christus ascendit, & vnus perpetuò stabit. Negamus verò sic esse propriam vnius Christi hanc hæreditatẽ, quin Sanctos quos & filiorum Dei & membrorum & cohæredum fratrum nomine iam nunc dignatur, apud se receptos, iam nunc cælesti felicitate donet tantisper dum sit Deus omnia in omnibus. Itaque falsissimum est quod iste mox subiungit.

34 *Realem fruitionem istius gloriæ in eum vsque diem differri quo transformata nostra corpori suo glorioso conformabit. Philip. 3. 21.*

Hæc enim gloria vt perfecta non sit, reale tamẽ quiddam est, nec in sola spe positum. Et quod in illo Pauli loco manifestè dicitur de corporum glorificatione, calumniosè ad illam animarum beatitatem acommodatur.

35 *Quum excitabuntur eorum corpora quæ dormierunt in puluere (inquit Daniel cap. 12, 2.) tum aly vitam perpetuam, aly ignominiam æternam nanciscentur.*

Ita sanè futurum est. Abutitur autem iste hoc quoque Danielis loco, quum id quod de vitæ & ignominiæ complemento resurrectionem corporum consequuturo dicitur, ad alterum tempus trahit quo corpus quidem dormit in puluere, anima verò pro suo modulo vel cum Christo regnare, vel torqueri cœpit. Alioqui si vitam piarum animarum iste à die resurrectionis inchoat, cur non apertè transit in eorum castra qui dormire animas somniant?

36 *Idem perspicuè apparebit, si quid sit beatitas expendamus, status nimirum numeris partibúsque suis omnibus vsque adeò perfectus, vt qui est eum adeptus, nihil omnino præterea desideret.*

Rectè hæc omnia dicuntur de perfecta felicitate. quo etiam respectu Bernardus hac ipsa de re disserens, gloriam à quiete distinxit. Sed agè, quãquam is demũ satiatus dici posit qui famem penitus expleuit, an non tamen verè & propriè dicetur quispiam aliquatenus satiatus, qui fami aliqua ex parte satisfecerit? Neque incommoda videri debet ista similitudo, quum Dominus regnum illud suum epulo comparet. At iste neque ad mensam nos accũbere, neque cibo vllo frui

ante

ante vltimum illum diem patitur. Deinde quum passim Scriptura credentibus in hac etiam vita cum carne luctantibus beatitatem tribuat quo tandem iure beatitatis nomen piorum animabus adimemus, cum Christo in paradisum receptis, eiusque præsentia, finito carnis & spiritus certamine fruentibus, quanuis aliquid etiam amplius expectent? Itaque cum Christo esse in paradiso, non est stare ad fores certa cum ingrediendi spe, sed iam ingressum esse saltem in atrium, ibique æternæ vitæ cibo refici, & inenarrabiliter reipsa recreari. Sic itaque responsum est ad illud quod iste mox subiicit.

37 *Non sunt igitur*, inquit, *piorum animæ ex corporibus excedentes, penitus beatæ, quum alias res cupidissimè expetant, nempe corporum resurrectionem, & vt fratrum suorũ numerus expleatur. Ad quæ etiam accedit vehemens illud desiderium vltimi diei, & fruitionis gloriæ æternæ.* Hæc nos concedimus, vltimo excepto. Neque enim fruitionem æternæ gloriæ desiderant qui iam illã obtinent, sed perfici cupiũt quod est inchoatum. Est autem admodum sobriè de animarum corpore spoliatarum affectibus disserendum, ne Christiana religio in varias, curiosas, ac etiam tandem impias speculationes euadat, quod iis omnibus eueniat oportet qui extra Dei verbum in istis arcanis sapere se posse somniant.

38 *Chrysostomus scribens in locum illum Heb.11.30, Deus melius quiddam de nobis prouiderat, ne absque nobis consummarentur, Deus, inquit, omnium coronarum vnum tempus ordinauit.*

Nempe coronæ oomine intelligit ille cum Paulo perfectam illam beatitudinẽ totius hominis quæ vltimo demum illo die patefiet. Neque negligendum est quod est à nonnullis obseruatum, Apostolum videlicet non scripsisse στεφανωθῶσιν sed τελειωθῶσιν. Cæterùm Apostolus illo loco nõ confert inter se gloriam illam qua nunc fruũtur piorum aoimæ, cum ea quæ vltimo die toti homini cootinget, sed Patres in fide veoturi Christi mortuos comparat nobiscum, quoniam & eorum & nostra felicitas ab eo pendet qui nobis est exhibitus, & tandem communis vtrorunque glorificator apparebit.

39 *Petrus, 1.Pet.1.5. dicit nos custodiri virtute Dei per fidem ad salutem quæ parata est patefieri tempore vltimo. Et ne quis hoc referat ad resurrectionem corporum, addit vers.9, eam salutem esse animarum. Ergo tunc demum salute sua fruentur animæ:* nempe plena illa salute & liberatiooe, cuius primitias iam nunc reipsa degustant. Illud verò crassam ignorantiam prodit, quòd mentione animarum facta putat corpora non comprehendi, quum tam sæpe Animæ voce toti homines significentur, nisi fortè existimandum est non septuaginta homines sed septuaginta hominum aoimas cum Iacobo in AEgyptum descendisse. Quid plura? quum idem Paulus postea subiicit animas nostras per Spiritum purificari, an excluduntur corpora quæ Spiritus sancti templa alibi vocantur? & num solas animas pascit Christus, quia Pastor animarum ibidem dicitur? Sed & illud notandum est, Petrum non scripsisse κομιούμενοι reportaturos, sed κομιζόμενοι reportantes, quod penitus contra istum facit.

40 *Idem Petrus addit Angelos desiderare in hanc salutem intueri, quibus verbis declarat thesaurum sapientiæ in Euangelio comprehensum adhuc ipsis Angelis occultum esse.* Iam sæpe diximus hæc esse ad plenam illam nostræ gloriæ exhibitionẽ referẽda, quam Domious ex parte testibus ipsis Angelis, mundo iam patefecit per Euangelii prædicationem.

41 *Deinde quam ineptè vocaret Dominus pios ad regni sui possessionem, si iam antea illorum animæ essent regno potitæ?* De isto loco antea quoque diximus. Cæterùm refellitur iste communi loquendi vsu. Nam, obsecro, an non dicimur resurrecturi, quum tamen resurrectio non nisi ad corpus pertineat? Quid igitur prohibet quominus simili ratione dicantur ad possessiooem regni cælestis vocari, quorum tameo sola corpora ad nouam istam conditionem vocentur? Sed tamen ne animæ quidem istius missionis in possessionem sunt expertes, quoniam tunc demum plena gloria perfruentur.

42 *Denique admodum impropriè diceretur de iis quidem qui sunt ad sinistram, Ibunt ad supplicium æternum: de iis verò qui ad dexteram, Ibunt ad vitam æternam, quum potiùs dicendum esset, Reuertentur.*

Inanis est hæc argutia, sicut ex iis quæ modò diximus intelligi potest. Sed præterea nihil obstat quominus etiamsi alicubi fueris & quidem diutius ibi fueris versatus, tamen si eò regrediaris, eò quoque ire seu abire ooo aliter dicaris quàm si nunquam antea locum illum esses ingressus.

43 *Non dubito quin hæc fuerit veteris Ecclesiæ sententia, vnde factum sit vt quidam non satis intelligentes quid per quietis nomen significetur, Purgatorium tandem extruxerint.*

Vetustum esse hunc errorem fatemur, vnde & alii multi exoriri potuerint. Imò quid etiã tradat Irenæus de dormitione animarum non ignoramus. Negamus tamen huiusmodi dogmata fuisse vniuersaliter ab Ecclesiis recepta. Irenæo certè antiquior fuit Polycarpus, qui quũ ad mortem duceretur, testatus est se esse eo ipso die Domino repræsentandum. Meminerat enim illius vocis Domini, Hodie mecum eris in paradiso, non certè dormiturus, sed reipsa iam tum cohæres Christi futurus.

44 *Sed & in Apostolico symbolo non priùs fit mentio vitæ æternæ quàm resurrectionis carnis.* Nempe quia tunc demum homines toti glorificabuntur. Sed quid obstat quominus certis gradibus ad complementum illud perueniatur? En, fratres, qood vobis de hoc libello sententiam nostrã percontantibus, putauimus respondendum. Faxit Domious vt iste ad sobrietatẽ sapere malit quàm istis cõmẽtis indulgere: & nos omnes quæ sunt ædificationis quæramus. Geneuæ, VIII. Decembris, 1566.

EPISTOLA LXXXIII.

N.

NON possum, frater, sententiam tuam probare, & rogo vt me abs te dissentire non inuitus patiaris. Statum Ecclesiasticæ gubernationis in terris nusquã lego esse Democraticum, sed verè Monarchicum, quamuis & suos optimates Ecclesia, & cœtus ipse in communi suum quoque ius quoddam habeat, sub vno videlicet capite nostro Iesu Christo, qui tum positis à se legibus, tum suo Spiritu per eos quos administratores constituit, Ecclesiam suam gubernat. Legum autem istarum duo sunt genera. Nã aliæ ad dogmata siue placita Christianæ religionis spectant, quarum promulgandarum, explicãdarum, & ad vsum vel totius Ecclesiæ communẽ vel singulorum priuatim applicandarum, prout Prophetarum & Apostolorum libris comprehenduntur, cura Pastoribus, & Doctoribus est mandata. Aliæ verò ad ipsum ordinem & εὐταξίαν referuntur, cuius substantialis, vt ita loquar, forma eodem verbo Dei perscripta est, à qua recedere non magisquàm à religionis ipsius placitis licet. Accidentales autem circunstantiæ necessariò, salua semper substantia, variantur: éstque istius ordinis tum exercendi tum pro illa circunstantiarum varietate instituendi onus Presbyterio cõmissum, quod est partim ex pastoribus, partim ex Presbyteris propriè sic apellatis, quos Paulus gubernationes vocat, compositum. Diaconorũ enim qui propriè sic appellantur, diuersum est munus, & ipsi Presbyterio obnoxium, nisi fortè visum sit vni eidémque homini tum Presbyteratus tum etiam diaconatus (id est tractandi ecclesiastici ærarii munus) mandare.

Huius collegii functio in his potissimùm videtur versari, nempe in idoneis personis, quoties iis opus erit, deligendis, vel indignis abdicandis: in remedio offendiculis occurrentibus siue de doctrina siue de moribus agatur, adhibendo: ac denique in Ecclesiasticis illis vel ponẽdis vel abrogandis statutis quæ necessariò interdum variari oportere diximus: quæ omnia ex præscripto Dei verbo diiudicanda exercendáque sunt.

Iam verò quoniã hæc Aristocratiæ species facilè in Oligarchiam, & hæc rursus tãdẽ in tyrannidẽ degenerare posset, sicut in Papatu videmus vsu venisse: idcirco frenari quoque ex Dei verbo Presbyterii potestatem necesse est.

Docet nos igitur Dei verbũ Magistratus esse ordinis istius Ecclesiastici vel præcipuos custodes. Itaque illorum munus est diligenter prospicere vt Presbyterium rite constitutũ ex Dei verbo, legitimè agat omnia: adeóque suam quum opus erit, authoritatem interponere, vt bene iudicata & constituta obtineant, & turbatores pro meritis coerceantur. Vicissim autem Presbyterii officium est opem Magistratus, quum opus fuerit, implorare, eíque recta monenti obtemperare.

Docet nos præterea Dei verbum, cogendas esse Synodos in quibus de cõtrouersiis in doctrina exortis, itẽ de negotiis maioris momenti, quæ à priuatis Presbyteriis decidi nõ potuerint, ex Dei verbo circunspectè & quàm optimè fieri poterit, decernatur.

Sed & illud constat neque statuta illa quæ interdũ variari diximus, neque eos qui ritè fuerint electi, obtrudi mero quodam imperio cœtui Domini oportere, quoniam regnũ cælorum, fidei Spiritu ac proinde voluntaria obedientia regitur. Itaque illa quidem statui, illos verò in muneris sui functionem mitti non decet priusquã cœtus Ecclesiæ fuerit ea de re solenni & legitima nuntiatione admonitus, facta cuique potestate admonendi Presbyterii Christianíque Magistratus eorum quæ tanti esse momenti existimauerit, vt de iis cognosci oporteat priusquàm rata sint Presbyterii & Magistratus (sicubi Christianus fuerit) præiudicia, nẽpe vt nemo inuito gregi obtrudatur. De his autem quæ referentur cognoscere illos æquum est penes quos Dominus esse voluit domus suæ procurationem. Et ne quis conqueratur eosdẽ cõstitui iudices de quibus quæratur recténe an secus aliquid fecerint, præter quàm quòd vbi rite constitutum fuerit Presbyterium, & populus verè religiosus extiterit, & suorum præpositorum amans, vix id euenire poterit, interueniens aut Synodorum aut Christiani Magistratus, aut viciniarum ecclesiarum autoritas facilè tumultus omnes impedierit. Sin minus, certum est nunquam ita rectè posse quicquam inter homines ne in Ecclesia quidem, componi, quin turbis sit obnoxium, quum hæc perpetua fuerit Ecclesiæ totius conditio. Nec propterea nouus aliquis ordo concipiendus nobis est, vel desperandum de Ecclesiæ gubernatione, imò certò statuendum est, si modò in ordine à Filio Dei posito acquiescamus, fore vt vltimo isto seculo quemadmodum & cæteris Filii Dei aduentum præcedentibus & subsequentibus ætatibus agitetur quidẽ Ecclesia Dei mirum in modum, pessundetur autem nunquam, quoniam excidere verbum Dei non potest.

Hîc quæritur, quid per istum totius alicuius gregis consensum intelligamus. Sunt enim qui non putent consensisse videri gregem, nisi sigillatim oues suffragium ferant rogatæ. Sunt qui promulgationes illas tantùm eò respicere censeant, vt nouerit grex suos præpositos, & quibus legibus parere teneatur, nulla cuique facta contradicendi potestate. Istud minimè probandum est in iis rebus de quibus agimus. Esset enim certè Oligarchicum, ac paulatim etiam tyrannicum euaderet. Illud verò etsi in numerosioribus Ecclesiis maximè timendum est, tamen in genere probare non possum, imò etiam in Ecclesiis iã cõstitutis (id est in quibus Presbyterium aliquod iam sedet satis idoneum) vt incommodum ac etiam iniquum vitupero.

Primùm enim illud certum est (si humano iudicio res ista æstimetur) nullum statum aut pa-

gi, aut

gi, aut vici, aut vrbis, aut regionis alicuius magis obnoxium esse turbis quàm Democraticum, ita comparatis rebus humanis vt rari semper sint sapientes cum stultis collati.

Deinde multitudinem seu frequentem seu non ita magnam constituere in hac auctoritate, vt quæ à certis hominibus ob summam fidem ac prudentiam antea ex ipsius multitudinis consensu delectis diligenter expensa & diiudicata fuerint, liceat ex suffragiorum numero vel probare vel repudiare quid aliud fuerit quàm Satanæ aditum ad turbandas quantumuis bene constitutas Ecclesias aperire? Etsi enim non est conferenda Ecclesia Dei, cui Spiritum suum non frustrà pollicetur Dominus, cum incóposita reipubl. alicuius multitudine, tamen & Christus ipse regnum cælorum comparãs reti quasque res conuerrenti, & perpetua experientia satis superque demonstrat nulli æquè cœtui Satanam quàm Ecclesiæ insidiari, & suorum potiùs contentionibus quàm extraneorum insultibus oppressas fuisse Ecclesias.

Sed vt ista non ita magni sunt momenti, hîc pedem figamus. Si roganda sunt capita in vlla iam constituta seu frequente seu non ita numerosa Ecclesia, ita vt ex suffragiorum numero res decernatur, illud certè consequetur vt oues de pastoribus & gubernatoribus suis statuant, adeóque Pastores & πρεσβύτεροι à suis ouibus pendeant. Velim igitur proferri locum aliquem ex Dei verbo, ex quo vel leuissima aliqua suspicio sit, tale quidpiam vnquam fuisse in Ecclesia Dei constitutum, quod sanè nunquam comperietur, sed illud potiùs, vt oues suorum Pastorum & πρεσβυτέρων vocem audiant.

Quod enim ex historia electionis Matthiæ & diaconorum profertur, nihil ad rem facit, quum ibi non de constituta sed de constituenda ἀταξίᾳ agatur, neque multitudinis suffragiis omnia permittantur, sicut aduersus Morellium & alios deinceps eius sectatores, in Synodis Gallicis est abundè probatum.

Historia quoque Synodi Hierosolymitanæ nihilo est accõmodatior probandæ auctoritati multitudinis ad Presbyteris vel probãda vel repudianda ex suffragiorum numero decreta, quod, si opus erit, pleniùs demonstrabitur.

Quid verò fuerit multis locis in vetere Ecclesia vsurpatum in Episcoporum electionibus, non tam spectandum arbitror, quàm quo iure & quo successu fuerit factitatum, vt inde saltem quid verbo Dei sit consentaneum, & quid ex vsu Ecclesiæ faciendum sit ex aliorum exemplis discamus.

Summa horum est, Vnum esse Ecclesiæ caput Christum & Legislatorem vnicum, ac proinde Ecclesiam, non Remp. non aristocratiam, sed regnum, & quidem cælorum regnum esse & vocari. Christum tamen dedisse Pastores, Doctores, gubernatores, diaconos, quasi σατράπας, qui suo nomine præscriptis legibus regni sui prouincias administrent. His legitime vocatis & officio suo fungentibus parere gregem tanquam Domino ipsi oportere. Ouibus tamen singulis diligenter cauendum esse ne à falsis Pastoribus decipiantur, & petendum discretionis spiritum. Officium præterea Magistratus vel hoc præcipuum esse, vt qui Domino ministrant, legitimè vocentur & rite officio suo fungantur. Denique quoniam voluntariam obedientiam à suis gregibus magnus ille Pastor requirit, æquum esse vt inuito gregi nihil obtrudatur, ac proinde fas sit vnicuique corãm suis præpositis in timore Domini quod æquum videbitur aperire. Vbi verò iam constituta est Ecclesia, non tantum periculosum, sed etiam iniquũ esse nec verbo Dei consentaneum, totum cœtum in suffragia mitti, vt Pastorum & Presbyterorum iudicia multitudinis arbitrio subiiciantur.

Nihilo magis probare possum vt Pastoribus & Presbyteris vlli alii ex Ecclesiæ cœtu accenseantur, quod mihi quidem videtur neque verbi Dei, neque vllius idonei exempli auctoritate probari posse.

Theodorus Beza, sententiam hac de re meam rogatus breuiter nec adeò meditatè hæc descripsi, vt argumenti pondus & rei magnitudo requirebat, paratus id copiosiùs explicare & certis ex Dei verbo testimoniis, si opus erit, confirmare.

EPISTOLA LXXXIIII.

SERENISSIMO NAVARRORVM *Regi Henrico.*

SERENISSIME Rex, generosi est animi, non modò aduersis rebus non cedere, verùm etiam iis resistere, atque ad laudem excitari, nitíque & ad victoriam contendere. Quapropter quum Deus non modò vim illam animi generosi tibi largitus sit, téque à puero ad omnem virtutem informarit, verùm etiam religionis suæ doctrina te instituerit, cui religioni plerunque spiritum fortitudinis attribuit, quo imbecillima quæque robusta & inuicta redduntur, magna nos spes tenet fore vt illa calamitas quæ te nuper & vniuersam Ecclesiam grauiter oppugnauit, nequaquam tamen expugnatura sit, sed contrà demonstratura animi tui robur & constantiã quam tibi Deus largitus est. Veruntamẽ quum hæc mihi per-

ſonam Deus impoſuerit, & Eccleſiæ miniſterium mandarit, deeſſe officio meo non potui (præſertim à ſereniſsima Regina matre tua in ſuorum, vt ſcis, clientum numero iam olim habitus) quin te in Chriſti nomine obſecrem atque obteſter, qui te ab ineunte ætate ſibi conſecrauit, vt fortiter, animoſè & conſtanter in iſto ſanctiſsimo inſtituto pergas, & curriculum quod iampridem iniſti conficias: cuius in meta immortalis tibi gloria, tum apud Deum, tum apud homines propoſita eſt. Primùm opera tibi danda eſt, vt cautionem & prudentiam hic adhibeas, neque dubites quin præter cæteros omnes Reges & Principes qui nunc in terris dominantur, tibi potiſsimùm Satan inſidias paret. Videt enim quanti ſua interſit, ſi te ab inſtitutò curſu & approbata religione abduxerit. Simul illud cogitare debes quod iam aliquoties, vt opinor, expertus es, quàm plurimos eiuſdem hoſtis emiſſarios & adminiſtros fore, quorum opera in te abalienando & ſenſim deprauando vtatur. Quinetiam erit prudentiæ tuæ videre, ne tuam ipſius operam in iſtis conſiliis ſuis adhibeat. Nam cùm ætas, tum etiam ſplendor, potentia, Maieſtas denique tua ſunt eiuſmodi, vt omnia ſuſpecta tibi eſſe debeant: ne idem tibi fortaſſe quod compluribus aliis accidit, vſuueniat. Quam calamitatem Deus pro ſua benignitate à te nobiſque omnibus auertat. Huius quidem ſeculi dies ita mali ſunt, vt iam nemo ferè abiecta vera religione, cogitet de ſuperſtitionibus reuocandis. nam ſuperſtitiones iam iis relinquuntur qui imperiti & idiotæ appellantur: tametſi ad ſpeciem & ſimulationem retineantur. Impietas autem & religionis omnis contemptus (quod crimen ita nefarium eſt, vt etiam Diaboli ſint eius futuri iudices) peſtiferum illud venenum eſt, à quo te potiſsimùm cauere oportet: vtpote quod in eam voraginem homines præcipitet, vbi ſalutis ſpes nulla eſt. Neque tamen vllus frequentior morbus in iis locis graſſatur, quò iam iter ſuſcepiſti: vbi non modo nefariæ & impiæ blaſphemiæ pro communi ſermone vſitatæ ſunt: verùm etiam vitia & flagitia omnia tolerantur, non ſicuti quondam tempus fuit, quum homines peccare & delinquere pudebat: ſed quaſi vitium virtute ſit præſtantius. Itaque dies ac noctes de tua profectione cogitans, incredibili timore afficior, ne qua te tanti incendii cui iam propinquas flamma contingat. Sed agè, in Dei manu ſita ſunt omnia, qui ſuam in te conſeruando vim ac potentiam proculdubiò oſtendet, tibíque ſumendorum remediorum conſilium impertiet. Primum autem ac potiſsimum illud eſt, ne vnquam concionum Eccleſiaſticarum tædium te aut faſtidium capiat: vt non modò Paſtoribus purè docentibus aures præbeas, quibus prædicandi verbi diuini munus à Deo aſsignatum eſt, & de quibus Chriſtus dixit, Qui vos audit, me audit: qui vos repudiat, me repudiat: verum etiam eos omnes libenter audias qui te piis ſermonibus ad pietatem cohortari, & à flagitiis abducere conabũtur. Certè audire verbum Domini, non eſt aurẽ illi præbere, ſed neceſſe eſt in arcanum pectoris tui penetret, ibiq; inſideat: vt oculos auréſque tuas moderetur: atque adeò cogitationes omnes tuas, ſermones actionéſque regat. quod ſi feceris, & quamuis ſint tibi impetus ſuſtinendi, veſtigia ſereniſsimæ matris tuæ, æterna memoria dignæ fueris perſecutus, noli dubitare quin veriſsimum illud Dei verbum experiaris, Honorabo eos à quibus honorabor: contrà ſi vel minimum abduci te ab hac via patiare (quod non futurum ſperamus) noli dubitare quin ii qui te à Deo abalienarint, eóque nomine coràm tibi blandientur, te in occulto vituperaturi ſint. Prætetea quò commodiùs ab omnibus periculis tibi caueas, neceſſe eſt vt Deum toto pectore & animo inuoces: Dauidiſque Regis optimi exemplum ea in re imiteris, cuius ſi Pſalm. 101. pro Regiæ tuæ diſciplina & regula ſumas, potiùs quàm cuiuſquam mortalis conſilium, confide hanc certiſsimam rationem fore conſeruandæ Dei erga te beneuolentiæ, tanquam fundi hæreditarii: quinetiam multò maiorem & in te, & in tuam poſteritatem Dei beneuolentiam ſic allicies. Deum oro, ſereniſsime Rex, qui Rex regum & Dominus dominantium eſt, vt te in tutelam ſuam recipiat, Spiritúque ſuo verè ſancto & regio cumulet: quo fretus teipſum in omni pietate, virtute & ſanctimonia vincas: denique vt maieſtatem tuam omnibus rebus beatam & florentem eſſe velit, ad ſanctiſsimi nominis ſui gloriam, Eccleſiæ ſuæ ſolatium, & totius Gallici regni vtilitatem. Vale. Geneuæ, 10. Iul. 1572.

FINIS.

ADVER-

1582.

ADVERSVS SACRAMENTARIORVM ERROREM PRO VERA CHRISTI PRÆSENTIA IN COENA DOMINI,

Homiliæ duæ.

HOMILIA PRIMA, HABITA VII. Aprilis, 1574.

DICTVRVS de Cœna Domini initium faciam à Domini verbis ex capite Ioan. 17. Hæc est, inquit Dominus, vita æterna, vt te cognoscant solum verum Deum, & eum quem misisti Iesum Christum. Ex his igitur verbis duo intelligimus. Primùm, à Dei veri, qui etiam vnicus est, notitia pendere salutem nostram. Alterum, hanc notitiam ad salutem nobis demum patefactam esse in Filii persona, ita vt qui de Deo extra Christum sapiat, nihil ad salutem sapiat. Ex eo etiam illud efficitur, perspecta nobis persona & officio Christi (hæc enim duo simul coniungenda sunt) intelligi simul à nobis vitæ æternæ veram vnicámque rationem. Et quum controuersia de Cœna Domini ad hunc scopum referenda sit, illud quoque fatendum est, non posse dirimi controuersias de his rebus exortas, neque intelligi quid verè sit nobis constituendum de Cœna Domini, nisi initium faciamus ab iis quæ cognoscenda sunt de Iesu Christo. Itaque antequam ad rem ipsam accedamus, quid sit de Christo nobis ex Dei verbo credendum explicabimus. Res ipsa certe indicabit posito illo fundamento futurum vt multi errores sua sponte corruant & euanescant. Certum enim est multas agitatas quæstiones inde natas esse, quòd qui vsque adeò pertinaciter illa sua dogmata defendunt, aut non intellexerunt aut dissimularunt quid de Christo sit nobis sentiendum. Positis igitur aliquibus, ad hanc amussim deinde exigemus varias ac etiam repugnantes de Cœna Domini opiniones, & quæ principiis illis immotis respondent, veras, quæ discrepabunt falsas affirmabimus. In Christo igitur dico duo esse potissimùm nobis consideranda, Personam & officium. Personæ nomine intelligimus ipsummet Christum. Officium vocamus munus illi impositum à Patre nobis seruandis, quod ipse perfectissimè & cumulatissimè obiit. Ac primo quidem loco dicendum de ipsa Persona Christi, vtpote quam necesse sit eiusmodi statui, vt illud munus sustinere & implere prorsus potuerit. Nisi enim constet talem esse Christum, vt omnia necessaria & congruentia suo muneri implere potuerit, frustra de eius officio differemus. Sunt igitur in Christo duo consideranda, naturæ videlicet ex quibus constat, & ipsa Persona ex iis veluti conflata. Per naturas non intelligimus vim naturalem, vt cùm dicimus hanc esse naturam hominis, belluæ, stirpis, huius vel illius rei, neque vim formalem, essent enim duæ personæ ex quibus Christus constitueretur, sed illas duas οὐσίας ex quibus persona Christi constituitur. vt, verbi gratia, si dicamus hominem compositum ex duabus naturis, vna spirituali, quæ est animæ natura, altera corporea, quæ est corporis. Sic etiam dicimus Christum constare ex duabus naturis, quarum vna est Deitas, altera Humanitas. Obiter autem hoc dicam, cogi nos nouo sermone vti ad vitandos nouos errores, aut interpolatos quibus multi hodie sese implicant. Vt enim suo loco dicemus, exorti sunt nostra memoria qui renouato partim Eutychetis, partim Nestorii errore, pro Deitate inuehunt diuinitatem. ideo cogimur nunc Deitatem à Diuinitate distinguere. Et sanè non temere Paulus vbi dicit plenitudinem Deitatis habitare in Christo, vsus est non θειότητος sed θεότητος nomine. Hæc enim, vt alia multa, Græci nescio quo modo multò meliùs exprimunt quàm Latini, quemadmodum etiam in hoc argumento multò libentiùs ἀνθρωπότητα, id est, si loqui Latinè sic liceat, hominitatē quàm humanitatem perspicuitatis caussa dixerim. Itaque in persona Christi intelligimus duas esse οὐσίας, nempe Deitatem & Humanitatem, sed Deitatem intellige in persona τοῦ λόγου consideratam. Sic loquitur Athanasius in suo illo celebri symbolo, ὁμοούσιος Patri, id est, θεὸς ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, ἄνθρωπος ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρὸς, id est, ὁμοούσιος nobis. Postea vsa est Ecclesia nomine φύσεως, id est, Naturæ, Ὁμολογοῦμεν, inquit Synodus Chalcedonensis, Filium constare ἐκ δύο φύσεων. Nec sanè temere vsurpatum est φύσεως nomen. quanquam si vocabuli proprietatem spectemus, vox φύσεως non competit Deitati. Venit enim παρὰ τὸ φύω, id est, nasci, quod rei creatæ, non ipsi Deo creanti competit. Ratio igitur quæ mouit patres vt hac voce vterentur, hæc videtur fuisse, quòd aduersus Eutychetem disceptarent, à quo non tantùm istæ naturæ, sed etiam naturarum proprietates confunde-

bantur. Quoniam ergo Eutyches vtrunque errorum illum tuebatur, & nomen τῆς φύσεως præter οὐσίαν ipsas quoque proprietates declarat quibus natura illa definitur & secernitur à reliquis, idcirco nomen φύσεως videtur à Patribus vsurpatum. Statuamus in summa quum Christum dicimus ex duabus naturis constare, intelligere nos deitatem & humanitatem, θεότητα καὶ ἀνθρωπότητα. Iam veniamus ad vocem Personæ. Personam dixerunt tandem quod priores appellabant ὑπόστασιν, & Latini nomen hoc Personæ retinuerunt. Cæterùm in diuinis distinguuntur οὐσία & ὑποστάσεις, hoc modo: Per ὑποστάσεις significantur quæ subsistunt in communi essentia, adiuncta proprietate qua vna hypostasis ab altera secernitur. Nomine igitur οὐσίας Deus siue Deitas ipsa sigoificatur: ὑποστάσεις autem dicuntur, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Nō est autē temere factum vt Ecclesia vsurparit nomen Personæ, quod Boetius sic definiuit, vt diceret esse proprietatem communicabilem rationalis substantiæ, quoniam nimirum multi duabus his vocibus ὑποστάσεως & οὐσίας promiscuè vtebantur, maximo errore. Sic Latini pro subsistentia siue persona dixerunt substantiam, id est, vt Dialectici loquuntur, οὐσίαν substantiam appellant. Ergo vt hæc ambiguitas vitaretur, cœpit vsurpari vox προσώπου. Iam dicamus planiùs, vbi agitur de Christo, quid vocemus Personam, An illud quod veluti copositum est ex Deitate assumēte & carne assumpta, ita vt, si liceat nobis Christum in partes secare, pars illius persōnæ sit Deitas, & pars altera humanitas? Nequaquam. Nec enim Christus vocatur Persona propriè humanitatis respectu, sed diuinæ τοῦ λόγου, quanquam non ab humanitate separatæ, sed vt eius in qua humanitas illa subsistat. Causa hæc est, Si substitisset natura humana antequam assumeretur à diuina, id est à Verbo, iam esset vnio duarum personarum non naturarum, ac proinde Christus esset persona conflata ex duabus personis. Hinc multa absurda, incommoda ac planè etiam impia consequerentur, de quibus nunc nō est dicendi locus. Itaque sic statuendum est. Naturam diuinam assumpsisse humanam formando illam, id est humanam naturam Christi nunquam extitisse nisi in Deitate. Idcirco humana natura in Christo non est persona, sed natura subsistens in persona Verbi. Itaq; Christus non est persona duplex, siue cogitatione siue reipsa, sed duarum est naturarum vnica persona. Nam Verbum est simul natura & persona, humanitas autem non est aliud per se quàm natura, quæ (vt loquūtur in scholis) personatur & sustentatur in deitate assumente, vt iam non sint duo filii, vnus videlicet æternus & naturalis siue ex essentia Dei patris, alter verò creatus & adoptatus, sed vnicus ille æternus Dei filius, vnitam sibi naturam sustentans, vt non duo sint Christi, sed vnicus, Deus simul & homo, ex quo sibi naturam assumptam vniuit. Iam habemus quid vocemus Christi personā, nempe filium Dei manifestatum in carne. Veniamus iam ad vocē vnionis. Est enim vnitio illud quo copulantur istæ duæ naturæ, Deitas seu Verbi hypostasis, & humanitas. Græci ἕνωσιν appellant: copulationem videlicet duorum vel pluriū, talem vt ex iis pluribus vnum aliquid euadat. Sunt autē multæ species ἑνώσεως. Nam interdum natura cum forma, accidens cum subiecto, partes cum partibus ad constituendū totum vniuntur. Aliud ergo est vnitio, aliud vnitas. Nam vnitas non est numerus, nec necessariò præsupponit numerum, nisi in compositis, sed est initium numeri. Ideò vnitatem quidem personæ, vnitionem autem naturarū ponimus in Christo. Ista vocabula sunt obseruanda quorum neglectio magnas in his disputationibus cōfusiones parit. Certè res sunt prorsus diuersæ ἕνωσις & ἑνότης. Siquidem in mysterio Trinitatis vnitas est essentiæ, Trinitas in personis. Contrà in Christo vnio est naturarum, & vnitas personæ. Rectè ergo Patres dixerunt, in diuinis nō esse Aliud & Aliud (nam in diuinis est vnica simplicissima essentia:) sed esse Alium & Alium. nam alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Causa est, quia quū dicimus Alius, personam intelligimus: cùm Aliud, naturam. Nō est itaq; Aliud in diuinis. esset enim multiplicatio Deorum. In Christo contrà est Aliud & Aliud (quia deitas aliud est quàm humanitas:) non Alius & Alius, quia vnicum est ὑφιστάμενον Christus, constans non ex duabus personis, sed ex natura assumpta, quæ subsistit in diuina assumente. Iam veniamus ad pleniorem vnionis explicationē. Vnionis hæc species hypostatica vocatur: ex cuius vera definitione pendet refutatio maximorum errorum de quibus hodie nimiùm multi laborant, sicut intelligemus quando ventum erit ad rem ipsam. Vnio igitur hypostatica describenda nobis est ex ipso Dei verbo. Primùm dicit Esaias hūc nostrum seruatorem esse Emanuelem, id est nobiscum Deum. Ioannes autem explicans impletionem huius prophetiæ, inquit, Verbum caro factum est. Quia verò quippiam potest dici fieri multis modis, explicatur ille modus ab Apostolo in epistola ad Galatas, cùm ait Filiū assumpsisse semen Abrahæ. Nomen ergo assumptionis declarat illud Ioannis, Et Verbum caro factum est, & hoc vtrunque rursum explicat quomodo Christus sit nobiscum Deus: & hæc omnia coniuncta vnionem hypostaticam definiunt. Cæterùm qui locum illum Ioannis ex epistola ad Hebræos non sunt interpretati, inciderunt in varios errores. Nam alii interpretati sunt Verbū esse factum carnem, quòd Verbum fuerit assumpto corpori instar animæ, nēpe vt sicut anima coniuncta cum corpore hominem informat, ita Filii hypostasis assumpserit corpus illud, vt sic Christus euaderet. Priuarunt igitur illi Christum anima humana, cuius loco Deitatem substituerūt. Atqui præterquàm quòd hoc Apollinarii dogma perspicuis Scripturæ testimoniis refellitur penè infinitis, nisi anima quoque assumpta est à Verbo, perire animas nostras necesse fuerit, quum id demum seruetur quod Christus in sese instaurauit: neq; propriè passus fuerit Christus, quū propriè afficiatur anima, vt alia absurdissima prætermittā. Alii commenti sunt pro vera carne spectrū quoddā, eóque detorserunt ὁμοιώματος nomen in his Pauli verbis, Factus in similitudine carnis peccati, quos δοκήτας appellarunt. Horum si vera esset sententia, non esset Christus reipsa Iesus siue Seruator, vt qui reipsa neque natus neque passus fuisset pro nobis. Sunt qui repudiatis istis erroribus

incidant

incidant in alios,non minùs absurdos & detestandos,quia vt ille inquit,Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.Nestorius enim sic interpretatus est, Verbum caro factum est, id est, Deitas Filii Dei plenissimè effudit suum ἐνέργειαν in illam assumptam carnem.quæ interpretatio si vera est,Christus non est Deus sed diuinus: & quamuis inter sanctos excellentissimus, non tamen adorandus, neque seruator habendus, quum tamen Paulus Christo non tribuat θειότητα sed θεότητος πλήρωμα, & longè sit aliud θεάνθρωπον esse, quàm θεοφόρον. Itaq; Nestorius Christum facit non vnione ipsiusmet hypostaseos Verbi Deum,sed παρουσίᾳ tantùm & ἐνεργείᾳ siue donorum effusione diuinissimum: & præterquam quòd Christi personam dissoluens, purum hominem eum facit, personam etiam ponit in carne,quum cõtrà caro assumpta in deitate assumente sustentetur. Eutyches in contrarium errorem lapsus existimauit his verbis,Verbum caro factum est, id significari, Verbi hypostasin mutatam esse in carnem, & pro vnione naturarũ substituit Deitatis abolitionem,id est pro luce tenebras: qua in re turpissime hallucinatus est. Nam præterquàm quòd Deitas est immutabilis,si verum est quod Eutyches dicit, desierit Verbum esse Deus, simulatq; factum est caro,quia quod mutatum est,desiit esse quod erat: veluti quum virga Mosis mutata esset in draconẽ, desiit esse virga,& cœpit esse draco:sicut docet Aristoteles priuatione siue abolitione vnius formæ induci alteram. Quòd si negetur abolitio vt statuatur permixtio,siue ipsarum naturarum,id est deitatis & humanitatis,siue proprietatũ alterutrius, efficietur quod etiam est illo absurdius,Christum videlicet nec Deum esse nec hominem, sed quiddam tertiũ ex vtroque conflatum,sicuti mulsum nec vinum est nec mel,sed quiddam ex vtroq; cõpositum. Et quid istis erroribus portentosius fingi potest? Refutantur autẽ breuissimè simul & solidissimè omnes isti errores vnico Assumendi verbo rectè explicato, id est ex aliis Scripturæ collatis locis. Cedò igitur tandem quid est vnio hypostatica in Christo? Est assumptio humanæ naturæ sustentatæ à diuina,id est talis vt ex illa vnione prodeat vnicum ὑφιστάμενον,in quo natura illa diuina, id est hypostasis Verbi donatur.Iterum repeto. Vnio hypostatica ea est ex qua resultat vnica hypostasis, cui declarandæ Patres vsi sunt similitudine corporis & animæ,auctore præsertim Athanasio illo istius veritatis constantissimo & fortissimo vindice. Anima igitur quædam iuncta cuipiam corpori constituit vnum quoddam suppositum, vt Petrum,Paulum,Ioannem. Sic Verbum æternũ Patris assumpsit carnem illam virginis, id est eam ita sibi propriam effecit, vt hinc euadat illud suppositum quod vocatur Christus.Hoc mysterium ita nobis considerãdum esse, liquidò apparet ex istis verbis Ioãnis 10.cap.Potestatem habeo ponendi animam meam, & rursum assumendi eam.Necesse est enim Christum sic locutum esse vel seorsim secundum corpus aut secundum animam, vel secundum corpus & animam simul, vel distinctè secundum deitatem. Secundum corpus seorsim consideratum non potuit sic loqui Christus,quia non dicitur corpus ponere vel accipere animam, quum tribui non possit actio tam præstans instrumento quod animæ potius subiicitur. An verò seorsim habita animæ ipsius ratione? nequaquam.Nam dicendũ potius fuisset Christo,Potestatem habeo deponendi meipsam,& rursum meipsam assumendi.Deinde in resurrectione non iterum assumitur anima sed corpus.ergo illa non possunt tribui Christo siue secundum corpus,siue secundum animam. Num ergo secundum illud vtrunque? Imò necesse est hoc referre ad tertium aliquid quod dicatur ponere & assumere animam suã. Christus igitur secundum deitatem suam sic locutus est,& quum dicat se potestatem habere deponẽdæ animę suæ & rursum sumendæ,rursum patefit illud quod tractamus mysterium.Sic enim significantur ipsæ naturæ reipsa sic coniunctæ,vt non duo sed vnum,& quidẽ absque confusione constituatur, altera tamen dominante. Et obseruandum est Christum dicere, Potestatem habeo deponendi animam, non quamuis sed meam. Non potest igitur hoc eò referri, quòd Deus sit omnium extantium rerum dominus: sed declarat hanc animam quam depositurus est, & rursum assumpturus, aliter suam esse quàm reliquorum animas.Quomodo ergo Christi est?nempe vnione hypostatica. Dicit Scriptura Deum habitare in nobis.Idem tamen nõ habitat in sanctis vnitione ista. Nostra enim corpora sic sunt templa Spiritus sancti,vt tamen non constituant vnum ὑφιστάμενον cum Spiritu sancto,quum homo sanctificatus, seorsim sit vnum quiddam, & Spiritus sanctus itidem nempe Deus æternus.Sic Dæmon & quispiam dæmoniacus coniunguntur.sed spiritus impurus non est in homine vt anima in corpore.Manet enim seorsim Dæmon vnum quiddam, quale est hospes in hospitio:& vicissim dæmoniacus sic est Dæmoni hospitium, vt alius sit hospes. Nos autem sic dicimus habitare Verbi hypostasin in illa humanitate assumpta, vt ei se vnierit vnione hypostatica,sic nimirum vt assumpta illa natura sustẽtata in assumente constituat vnum suppositum,quod est verbum æternum Dei.Ex eo consequitur non esse duos Filios Dei,multò minùs duos Christos,vnum Mariæ,alterum Dei filium,sed vnicum Emanuelem ac Seruatorẽ. Hęc est vera descriptio vnionis hypostaticæ,sicut multò etiam magis liquebit,si cum hac veritate cõparemus istius vnionis descriptiones partim ex veteribus hæresibus repetitas,partim recèns illis interpolatis excogitatas. Primùm sunt qui apertè dicant habitationem Dei in Christo non esse aliter considerandam in Christo quàm in reliquis hominibus, imò etiam in reliquis rebus creatis. Scripsit hoc totidem verbis in suis illis quibus classicum cecinit thesibus Iacobus Andreas, nempe habitationem Filii Dei in Christo non aliter considerari quàm in rebus omnibus creatis, quod attinet ad habitationem essentialem, quoniam Deus est vbique. Si quæras, quæ ergo erit differentia Hypostaticę vnionis?In eo(inquit)posita est,quòd in reliqua omnia Deitas effudit proprietates aliquas,in Christi verò humanitatem omnes. Mirum post istas tam diu iampridem agitatas & tam solennibus Ecclesiæ Christianæ iustissimis iudiciis damnatas, tótque ex

ipſo cælo in iſtarum impiarum blaſphemiarum auctores aut fautores exortis telis confoſſas opiniones, exoriri potuiſſe qui & ore & ſcriptis illas tueri, & quidẽ tanto cum imperitiſsimorum hominum applauſu, audeant. Quis enim, niſi planè cæcus, non videt, ſi non aliter eſt Verbum in Chriſto præſens quàm in rebus multis, nempe eſſenter, præſenter, potenter, vt in ſcholis loquuti ſunt illi, diſſolui Chriſti perſonam ex Neſtorii dogmate: poſita autem omnium deitatis proprietatum reali in carnem aſſumptam effuſione, alteram Eutychianæ impietatis partem inſtaurari? mirum ſanè portentum, ex tam diuerſis, nempe ſeparatione naturarum, & proprietatum alterius in alteram effuſione, noſtra primùm memoria impudentiſsimè conflatum, & inſcientiſsimè ab illis Vbiquitariis defenſum. Sed hoc quid ſit, propius age diſpiciamus. Hoc dico, Si hypoſtatica vnio definienda eſt ex omnium proprietatum effuſione, conſequi quod omnium maximè falſum & impium eſt, Aliquatenus Deum eſſe rebus omnibus creatis hypoſtaticè vnitum. Quamobrẽ? quia omnium & aliquorũ tantùm proprietatum effuſio, non differunt genere, ſed tantùm ſecundum plus & minus. Ergo vel non aliter Chriſtus fuerit Deus quàm quiduis aliud, quamuis perfectior cæteris fuerit: vel diuinæ fuerint res cæteræ, diuiniſsima vero Chriſti caro. Item ſi vera eſſet illa hypoſtaticæ vnionis definitio, conſequeretur tres perſonas vnitas eſſe illi carni aſſumptæ: ſiquidem eſſentiales proprietates ipſius Deitatis ſunt tribus perſonis in vna eadémque eſſentia communes. Itaque infinitum, omnipotentem, omniſcium, omnipræſentem (vt nunc loquuntur) eſſe, non ſunt aut Patris, aut Filii, aut Spiritus ſancti proprietates, ſed ipſius vnicæ ac planè ſingularis Deitatis: ex quo conſequitur poſitata illa hypoſtaticæ vnionis definitione, tres perſonas eſſe incarnatas, vt amplius etiam quàm Patropaſsiani euadamus. Præterea ſic ſpoliaretur Deitas ſuis proprietatibus, iis inquam, quæ ſunt ei maximè (vt loquuntur Dialectici) quarto modo propriæ. Nam certè ſi reipſa humanæ naturæ aſſumptæ communicantur, iam deſinunt eſſe Deitatis propriæ, niſi proprium & commune idem eſſe ſtatuamus. At contrà, Dominus apud Prophetam, Gloriam meam (inquit) alteri non dabo. Quid amplius? quem iſti priore dogmatis ſui Neſtoriani parte ex ἀνθρώπῳ θεόφορον faciunt, eiuſdem carnem omnibus ſine exceptione in eam effuſis reipſa Deitatis proprietatibus, in Deitatem altera Eutychiana dogmatis ſui parte transformant. Iam verò ſi Deo nihil accidit, quînam reipſa effuſæ fuerunt in aſſumptam carnem proprietates quibus à creatis rebus diſtinguitur, quin fuerit humana natura in factitiam quandam θεότητα commutata? Quod ſi negent iſti, vt aliquando negare video veritatis ipſius vi coactos, portentoſam illam ſuam omnipræſentiam, cuius vnius cauſa (quidquid ſimulent) monſtrum iſtud vbiquitarium nobis adorandum proponunt, non hærere carni tanquam ſubiecto, neque eſſe accidens, ſed duntaxat quaſi accidens, quænã hæc ſunt portenta, carni tribuere realem in ſeſe omnipræſentiam, quamuis non ex ſeſe, cuius tamẽ ſubiectũ non ſit caro ipſa, ſed Deitas: nõ aliter tamẽ carni quàm cæteris quibuſuis præſens? Et tamẽ audent iſti nobis obiicere quòd Theologica exigamus ad philoſophiæ normã. Profectò velint, nolint, ſi hypoſtatica vnio definitur nõ ex ipſiuſmet hypoſtaſeos Verbi cum aſſumpta carne in vnum idémque ὑφιστάμενον abſq; vlla tamẽ reali vel ipſarum naturarum vel eſſentialium quibus præditæ ſunt proprietatum vnione, ſed ex vniuerſali ἐνεργειῶν aſſumentis naturæ in alteram aſſumptam effuſione (quod monſtrum tum ex Neſtorii tum ex Eutychetis fœtidis lacunis hauſtum & recoctum Brentius, Smidelinus, Illyricus & alii aliquot Eccleſiis Chriſti propinant) neque Deus neque homo eſt Chriſtus, nedum vt ſit θεάνθρωπος, ſed Chimæra ex craſsiſsima συγχύσει conflata. Quid quòd excipere quædam neceſſariò coguntur, poſtquàm omnia dixerunt effundi? Nam ipſum certè, Abſque principio, ſiue A ſeipſo eſſe, tribui rei creatæ non poteſt, ſed vniri hypoſtaticè poteſt ac re vera vnitum eſt, quia verum illud eſſe oportet, Antequàm Abraham exiſteret ego ſum. nempe quia qui filius eſt Mariæ factus poſt tot euoluta ab origine mundi ſecula, idem ille eſt λόγος qui erat in principio: non ob ἐνεργειῶν plenam effuſionem, ſed ob ipſiuſmet θεότητος in verbi hypoſtaſi σωματικὴν, vnionem. Itaque ſi iſtis creditur, æternus non erit iſte filius Mariæ, quoniam in aſſumptam carnem effuſum non fuerit τὸ ἄναρχον, cuius (vel ipſis confitentibus omnium alioqui proprietatum effuſoribus, vel potius euerſoribus) particeps eſſe non poſsit. Hinc itaque veluti ex ſuo quodam propugnaculo depulſi eò tandem refugiunt, vt dicant in eo poſitam hypoſtaticam vnionem, quòd Verbum nihil agat niſi cum humanitate & per humanitatem, ſicut anima nihil agit niſi cum corpore & per corpus. Hic relinquo diſputandum Peripateticis, ſitne verum animam corpori adiunctam nihil per ſe agere. Non deſunt enim qui fortiter hoc negent. Sed dico, non poſſe ſtare illam hypoſtaticæ vnionis definitionem. Concedo igitur ex quo verbum æternum aſſumpſit carnem, nihil vnquam illud effeciſſe ſine carne (id eſt ſeparatum à carne, quia perpetua eſt hæc vnio:) ſed hinc tamen non conſequitur, quicquid fecit Verbum, id feciſſe per carnem. Etiamſi (inquam) nihil egit ſeparatũ à carne, quia quam ſemel aſſumpſit, nunquàm dimiſit: non ſequitur tamen quicquid egit, egiſſe per carnem. id quod oſtenditur exemplis certiſsimis & manifeſtiſsimis. Chriſtus excitauit ſeſe diuina ſuiipſius virtute, vt qui dixerit, Poteſtatem habeo deponendi animam meam, & eam rurſum aſſumendi. Num idcircò Deitas, ſeu Verbum, pèr ipſam carnem id fecit? Quum Chriſtus cerneret Nathanaelem abſentem, an eum videbat corporis oculis? & quum abſque alterius patefactione cogitationes aduerſariorum perſpiciebat, num hoc faciebat vlla humanæ mentis acie? vidit hæc igitur vt ὁ λόγος, neque mente vel corpore, & non tamen ſine homine (id eſt ſeparatus ab homine) quia ille

ille Deus eſt homo. Quum ſanaret puerum centurionis abſentem, an id fecit vt quũ ſanauit præſentem cæcum illum admota manu & facto luto? nequaquam. hoc enim admota manu per carnẽ, id eſt adhibito carnis aſſumptæ inſtrumento effecit, quia ſic voluit: hunc autem ſanauit vnica ſuæ Deitatis virtute. Non tamen exutus erat carne, fateor. Sanauit igitur cum carne, non per carnem. Non eſt igitur in iſta συνεργείᾳ Deitatis & aſſumptæ naturæ poſita hypoſtatica vnio. Præterea etiãſi concederem Antecedens, nihilominus illud non conſequeretur. quoniam vt nihil niſi per inſtrumentum agat artifex, tamen propterea non vniuntur in vnum ὑφιστάμενον artifex & inſtrumentum: non eſt, inquam, ideo vnitum id quod agit cum eo per quod agit. Sunt enim duo ſeparata agens & inſtrumentum. Sic faber non eſt vnitus cum malleo. Pater creauit omnia per Filium, ſicut teſtatur Scriptura. Num verò quia creauit Pater omnia per Filium, conſequitur Patrem & Filium vnitos hypoſtaticè? Minimè. ſunt enim diſtinctæ hypoſtaſes, & quidem reipſa. Ergo neque in ἐνεργειῶν effuſione, neque ex συνεργειῶν communicatione rectè deſcribitur vnio hypoſtatica. Maneat autem illud potiùs quod dixi, Vnionem eam eſſe hypoſtaticam qua fit vt, ſaluis naturis & earum eſſentialibus proprietatibus, vnica hypoſtaſis ex duabus naturis euadit in vnum ὑφιστάμενον, quarum naturarum vna (aſſumpta videlicet) in altera aſſumente ſubſiſtit. quia ſi vna quæque per ſe ſubſiſteret, eſſent duæ perſonæ. Præterea verò antequam rem ipſam aggrediamur, dicendum etiam nobis eſt quomodo ex iſta hypoſtatica vnione conſequatur id quod veteres vocant κοινωνίαν ἰδιωμάτων. Nam ſi ſaluæ manent tum ipſæ naturæ tum proprietates earum, vnicuique etiam naturæ ſua manent attributa, ac proinde videtur quod vnius naturæ eſt, nôn eſſe attribuendum alteri: Et tamen Ita loquitur Scriptura, quum dicitur Deus paſſus eſſe: & nos ita loqui docemur in Symbolo, quũ dicimus, Credo in Ieſum Chriſtum Filium Dei vnicum, conceptum, natum, paſſum, crucifixum, ſepultum. Vt hoc norimus, oportet nos diſtinguere attributa. Dicimus propriè & verè loquendo, vniuſcuiuſque naturæ attributa, illi propriè & reipſa eſſe attribuẽda. Hæc eſt prima regula, Dicemus ergo Chriſtum ſecundum deitatem eſſe æternum filium Dei, eſſe infinitum, vbique eſſe, æternum eſſe, creatorem rerum omnium, expertem mortis, inuiſibilem, &c. quæ omnia tribuẽtur verè & propriè naturæ Filii Dei vnitæ carni. Hæc autem propria ſunt humanæ naturæ, quòd initium habuit, quòd concepta ſit ex Spiritu ſancto, & paſſa, tandẽ reſurrexerit. Vnde verò hoc diſcrimen? nempe ex eo quòd ſaluæ manent naturæ & inconfuſæ, ne, ſi confunderentur in vnione hypoſtatica, attributum vnius naturæ tribueretur alteri. Secunda autem hæc eſt regula: Quædam tribuuntur Chriſto ſecundum perſonam, non ſecundum naturas: nempe quæ ſunt perſonalia, id eſt perſonæ ipſius attributa, quæ tamen non tribuuntur ſigillatim naturis. vt ſi dicã, Chriſtus eſt mediator. Attributum illud mediatoris, nec Deitati, nec humanitati ſeorſim tribuitur, ſed toti illi perſonæ Chriſti. Eſt enim mediator ſecundum vtranque naturam: & συμπλέγματι iſta ſunt perſonalia. quod ni fateamur, incidemus in Neſtorianorum hæreſim. Interea tamen ſic iſta ſunt opera totius perſonæ, vt nihilominus ſuum opus ad hoc commune ἀποτέλεσμα quæque natura diſtinctè conferat, vt docet Leo epiſtola illa celebri, ne in alteram Monothelitarum ſiue Monophyſitarum hæreſim incidamus. Nondum tamen expeditus eſt nodus. Idcirco notanda eſt in primis alia quædam ratio enuntiationum de Chriſto, quæ vt vera eſt reſpectu totius perſonæ à cõcreto vtrouis denominatæ, ita ſine impietate tribui neutri naturæ poteſt per ſe ſiue in abſtracto conſideratæ: vt quum dicitur, Deus (Verbum videlicet) redemiſſe Eccleſiam ſanguine ſuo. Sic rectè credimus & dicimus Deum paſſum & mortuum quod impius Neſtorius negabat. Niſi enim Deus is eſt qui paſſus eſt pro nobis, non eſt nobis ſaluifica ipſius paſsio. Dicimus ergo Deum natum, paſſum, mortuum, reſurrexiſſe. Et cõtrà rurſum dicimus, Filium hominis fuiſſe in cœlis quum loqueretur in terris cũ Nicodemo, ex hac regula: Quæcunque attributo propria ſunt alterutrius naturæ, nempe deitatis vel humanitatis, permutari poſſunt in concreto, nõ in abſtracto. Quid igitur vocamus abſtractũ? Abſtractum vocamus formam ipſam cogitatione ſeiunctã à materia: vt ſi iuſtitiam alicuius nõ autem iuſtum quempiã hominem mente complectar. quod in aliis etiam prædicatis locum habet. Iuſtitia igitur fuerit abſtracta quædam, id eſt per ſe & non in ſubiecto conſiderata res: Concretum autem fuerit, Iuſtus homo, illa videlicet iuſtitia præditus. Ita in Chriſto cõſideramus abſtractè naturas duas, humanitatem & deitatem: concretè autem Deũ hominem complectimur. Sint igitur abſtracta, Deitas, humanitas: concreta verò Deus & Homo: dico attributa humanitatis poſſe tribui Deo, at non Deitati: & contrà quæ deitatis propria ſunt, tribui homini, non humanitati. Ergo vera eſt hæc enuntiatio, Homo iſte eſt Deus, Verbũ æternũ Patris eſt homo. Sed iſtæ impiæ ſunt, Deitas eſt humanitas, vel humanitas eſt Deitas. Sic dicendum & ſentiendum eſt, Deum (Filium videlicet) natum eſſe ex virgine, paſſum, mortuum, at nõ Deitatem. Nam is quidem qui Deus eſt paſſus eſt, at non ipſius Deitas. Ideò quum Petrus diceret Chriſtum paſſum eſſe, addidit in carne: ſic Paulus 1. cap. Rom. Declaratus eſt (inquit) Filius Dei potenter κατὰ πνεῦμα, id eſt ſecundum ſpiritum. Cauſſa huiuſmodi attributionis in abſtracto, eſt ipſa hypoſtatica vnio, nempe quia illud ὑφιστάμενον ſiue illa perſona Chriſt[us] denominatur συνεκδοχικῶς ab alterutra natura. Siue ergo dicatur homo, intelligitur etiam Deus: ſiue Deus, intelligitur etiam homo. Sed quum ipſas naturas, humanitatem videlicet vel Deitatem nominamus, nihil aliud iſtis abſtractis nominibus quàm ſingulæ ipſæ naturæ per ſe ſignificantur. Et ne cui videri poſsint iſtæ loquendi formæ obſcuræ & peregrinæ, quaſi Chriſtiana religio quibuſdam arcanis contineatur à communi vſu remotis, quum è contrario Spiritus ſanctus de rebus iſtis abſtruſiſsimis Eccleſiam docens craſsiſsimam & maximè vulgarem docendi rationem ſit ſequutus, docet nos rectè Theodoretus, vix aliter loqui ipſum vulgus conſueuiſſe. Quis enim Petro loquente non dicat potiùs loqui Petrum, quàm Petri corpus vel linguam? & tamen neque mens, neque ipſius Petri pes aut aliud quidpiam

quàm lingua vel os loquitur. Sed quoniam ista hypostaticè, id est in vnum ὑφιστάμενον coaluerunt, toti tribuitur verè in concreto, quod de totius partibus per se consideratis falsò diceretur. Quid amplius? propter hypostaticam hanc ipsam vnionem, quanuis ea morte dissoluta sit, dicetur Petrus Romæ mortuus & situs, cuius tamen anima neque mortua est, neque in terris vsquam sita. Sic quum dico, Filius æternus Dei mortuus est, cōsidero totum Christum, quanuis eum denominem ab altera, nempe mortali ipsius natura. Sic dico, Hic homo remittit peccata, non tamen quatenus per se est homo (quia proprium est solius Dei remittere peccata:) sed quoniam est θεάνθρωπος. Hoc illud est dicendi genus quod κοινωνίαν ἰδιωμάτων dixerūt Theologi, quam perperam nōnulli à κοινωνίᾳ non distinguunt, alii verò an sit realis disputantes crassissimam inscitiam produnt. Id autem ex immotis superioribus fundamentis positis, si contentionis spiritus absit, decidi nullo negotio potest, derisuris nos alioquin ipsis sophistis, si hodie reuiniscerent. Nihil falsum admittit Theologia. Verus est igitur tropus κοινωνίας ἰδιωμάτων in concreto, id est in Christi persona vt toto quodam simul ac complexim considerato: nec aliter vsurpari vnquam in Ecclesia cōsueuit: in abstracto verò, id est de singulis naturis appellatiuo nomine, nunquam sine impietate vsurpari potest, nedum vt verum sit Deitatis proprietates de humanitate, vel humanitatis de Deitate prædicari posse. Hæc necessariò nobis de Cœna dicturis præponenda fuerunt, vt meliùs reliqua intelligantur, de quibus fauente Deo proxima lectione differemus.

HOMILIA ALTERA, HABITA VIII. Aprilis, 1574.

ORVM quæ superiore concione diximus summa hæc est, pendere vniuersam salutis nostræ cognitionem à Christi notitia: in Christo duo nobis esse in primis consideranda, nempe quæ tum ad personæ ipsius, tum ad ipsius officii cognitionem referuntur. Personæ nomine intelligi ipsummet Christum: Eam personam constitui ex duabus naturis, deitate videlicet & humanitate sic vnitis, vt saluis & incōfusis ipsis naturis, & earūdē proprietatibus, Christus, vnicum ὑφιστάμενον, sic constituatur. Deitatem enim sic assumpsisse Humanitatē, vt iam non extent duæ personæ, sed naturæ: quarum vna, assumpta videlicet, sustentetur siue, vt ita loquar, personetur ab assumente. Hinc descendimus ad attributa quæ vel de singulis naturis, vel de tota persona dicuntur: eáque diximus sic esse vsurpanda, vt vnio seruetur personæ, naturarum autem confusio vitetur. Cùm enim naturæ istæ duæ in hypostatica vnione copulatæ sint, vt loquitur Chalcedonensis synodus, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, καὶ ἀσυγχύτως, necesse est vnamquanque istarū naturarum habere sua propria, ac proinde non communicabilia attributa. Quædam ergo attributa Deitati, quædam humanitati vsque adeò propria sunt, vt quæ vni tribuuntur, de altera dici sine impietate non possint. Nihilominus tamen propter illam vnionem hypostaticam, præterquam quòd tribuitur toti personæ quod est vtriusque naturæ, vt quum Christus mediator dicitur: quæ propria sunt Deitati, ac propterea, sicuti diximus, de humanitate dici nunquam possunt, tamen attribuuntur homini: & vicissim quæ propria sunt homini, dicuntur de Deo, at de Deitate nequaquam. Ratio est, quia τὸ ὑφιστάμενον denominatur etiam in concreto ab altera duntaxat natura. Sic per Filium Dei nonnunquam intelligimus non tantùm deitatem Filii per se, sed Christum manifestatum in carne: & per Deum gloriæ significamus Deum factum hominem: ac vicissim per Filiū hominis, declaramus hominem ab æterno Filio Dei assumptum: ex quo fit vt propter illam vnionem in concreto dicantur de persona tota, quæ alteri tamen naturæ dūtaxat in abstracto conueniunt. Sic dicit Paulus Deum gloriæ crucifixum fuisse, quæ propositio verissima est de toto Christo, id est si Christum vt totum quiddam complexum spectes: non autem de toto Christi, id est si singulas naturas distinctè spectes, quum Dei gloriæ appellatio vni deitati in abstracto conueniat. Hæc igitur propositio vera est, sed impium fuerit dicere, deitatem esse crucifixam. Sic dicimus in Symbolo apostolico, Credimus in Iesum Christum vnicum Dei Filium, conceptum, natū, passum, quæ verè & Christianè dicuntur. Quamobrē? quoniā nomine Filii Dei in concreto nō intelligimus Deum Verbū per se, sed Deū manifestatū in carne. Sic Filius hominis loquēs cū Nicodemo in terris, erat in cælis, nēpe quis idem qui homo est, etiam Deus est: non erat tamen humanitas illo tempore alibi quàm in terris. quomodo nūc etiam recepta in cælum carne Christi, ac proinde à nobis absente, præsens tamen est nobiscū Filius ille hominis, quia idē est verus Deus quē neq; cæli neq; terra capiunt. Sicut igitur falsæ sunt istæ propositiones, deitas est humanitas, vel humanitas est deitas: ita istæ veræ sunt, homo iste est Deus, & Deus Verbū est homo. quòd si homo verè dicitur Deus propter vnionē hypostaticā, efficitur, quæ tribuūtur humanitati, meritò tribui Deo: & cōtrà, quæ tribuūtur deitati, meritò tribui homini. Nūc veniamus ad alterā notitiæ salutis partem, id est ad Christi officium. Hoc officium declaratur ipsius nomine. Iesus enim est, id est seruator, quoniā ideò datus est nobis à Patre, vt nos seruet. Seruat autem nos iustificando, quoniā vita æterna necessariò cohæret cum iustitia. Tribuit ergo nobis vitā, tribuēdo iustitiā, idq; ex mera sua gratia, per vim & efficaciam sancti sui Spiritus. Eadem enim illa vis Dei quæ sese exeruit in creando homine, sese exerat necesse est in homine restaurando. quemadmodum, inquam, Deus Pater gratis per Filium eum sua virtute quæ Spiritus sanctus est, creauit hominem: ita hominem lapsum iustificat eū seruando refictum per Filium in Spiritu sancto, & iustificando seruat. Spiritus enim sanctus efficit in nobis illud instrumentum quod vocamus fidem, quo vno Christum cognitum apprehēdimus: neque hæc fides est simpliciter aliquod accidens, sed habitus

verè

verè insitus non à natura,sed à mera Dei gratia. Memineritis autem me per apprehensionē Christi,intelligere apprehensionē ipsiusmet Christi. Oportet enim duo à nobis considerari in Christo, nēpe ipsummet Deū & hominē,& ea quæ ipsi insunt. vt exempli gratia (quanuis non respondeat per omnia similitudo) si in theca proponam thesaurū,oportet accipi thecam, vt obtineatur thesaurus in theca repositus. Sic in Christo omnes illi thesauri sapientiæ & intelligentiæ insunt, &,vt paucis dicā,omnia illa quæ ad salutē nostrā requiruntur. Oportet igitur illū haberi à nobis,vt ea quæ ipsi insunt obtineamus,ac per illa vitā æternam. Cedò verò quo instrumēto illū veluti manu quadā apprehēdimus,vt totus noster sit,& nos illius? Fide. Spiritus autē sanctus is est qui effecturus in nobis istud fidei instrumētū,vtitur externi verbi prædicatione, per quod ipse solus propriè operatur inuisibiliter in nobis. Hoc verò vt melius intelligatur, age naturale instrumētū cū isto ὑπερφυσικῷ cōparemus. Doctor loquendo docet suos discipulos id quod loquitur. Sermo enim est organum & instrumētū quo aliū aliis animi sensa patefacimus,ea quorum perceptione ii quos alloquimur euadāt scientes eorum quæ loquimur. Sic etiam Deo placet vti verbo suo scripto & prædicato,vt nos scientiam salutis doceat. ratio tamen in eo plurimùm est diuersa, quòd animus noster aptus est naturali quadā & ingenita vi ad intelligendas res humanas: & quamuis alii magis διδακτοὶ sint aliis,tamen in genere omnes homines facultate illarū rerum ex libris vel doctoris ore intelligēdarum sunt prædit. Sed quū ad veram Dei & diuini illius nostræ salutis arcani cognitionē ventū est,Deum necesse est longè alia vi formādis & disponandis animis nostris vti, vt & res illas intelligentia complecti,& comprehēsas comprobare,iisque assentiri & acquiescere possint auribus purgatis: quæ est inuisibilis illa Spiritus sancti ἐνέργεια,cordibus insculpēs quod percipit animus. Alioqui pastores loquerentur surdis gregibus,sicut nimiùm frequentibus exemplis apparet. Idcircò ait Apostolus Euangeliū esse scandalo Iudæis,videri stultitiam Gentibus,& alibi,esse aliis odorem vitæ ad vitā,odorē mortis aliis ad mortem. Quibus autem est odor vitæ ad vitam? nempe sic percipientibus,vt id admittant. Atqui non potest percipi nisi gratia Spiritus sancti nos immutāte. Iis est igitur odor mortis in mortē,à quibus repudiatur. Neque istius neglectus causa est vel Deus,vel Euangeliū,sed ipsa natura hominis corrupta. Animalis enim homo nō est capax eorū quæ sunt Spiritus Dei. Vt ad rē redeamus, Verbum Dei insonās auribus instrumentum est ordinatum à Spiritu sancto nobis docendis,vt intelligamus quæ ad salutē intelligenda sunt, & quæ intelleximus & quibus assensi sumus,vera fide nobis applicemus. Est autē iste Dei nobiscū loquentis sermo interdū nuda & simplex allocutio,interdū quibusdam aliis adiectis sic exornatus, vt res ipsa propter adhibitos sermoni ritus non dici sed geri videatur. Nudi sermonis exēpla sunt infinitæ Euangelicæ promissiones,vt quū hoc audimus,Deus sic amauit mūdum, vt dederit Filium suū,vt quisquis crediderit in eū nō pereat,sed habeat vitā æternā. Sic legimus & audimus quotidie in Ecclesia prophetica & Apostolica scripta, adhibitis exhortationibus, reprehensionibus,& cōsolationibus,prout boni pastores munere suo publicè & priuatim funguntur. Interdū autē adhibentur huic verbo signa cum certis ritibus,vt non tantum sermo feriat aures,sed etiā quæ spectātur incurrant in oculos,& hæc sūt quæ Sacramēta Latini vocant: & quæ idcircò Augustinus Verba visibilia vocauit. Illud quidem cōstat, Græcā vocē μυστήριον Latinos Theologos etiā vetustissimos Latina Sacramenti voce fuisse interpretatos,non modò vbi agitur de sacramentorū Ecclesiæ ritibus,veluti de Baptismo & de Cœna domini: sed in genere quoties agitur de re arcana per se,& ab vsu communi procul remota. Sic vocatio gentium quam appellat Paulus μυστήριον, veteri Latino interpreti sacramentum est: & tota nostra salus est pietatis sacramentum: & Christi & ecclesiæ vnitio spiritualis (non autem,vt vulgò per imperitiam creditum est, mariti & vxoris coniunctio) sacramentum est. Imò & illius impuræ meretricis sacramentum in Apocalypsi commemoratur. Denique apud veteres Latinos Theologos nihil frequentiùs occurrit hoc nomine. Sed hāc Sacramenti vocē Ecclesia Latina angustiore significatione accepit pro iis signis ac ritibus quæ Deus adiunxit promissionibus suis,vt nobis patefactam salutē plenius obsignaret in cordibus nostris. Nusquam tamē,quod scio,in ipsis scriptis Apostolicis nomē μυστήριον hac significatione vsurpatur: & certè nomen Sacramenti valde πολύσημον est apud Latinos,cuius ambiguitatis pœnas magnas ac multas nos posteri luimus. Apostolus σημεῖον & σφραγῖδα vocat Circuncisionē, &, vt ingenuè fatear quod res est,etsi ab vsitatis vocabulis non libenter recedo,ne malum malo cumuletur, maluissem tamen Latinos autores vocem Pauli retinuisse. Sit ergo,vt ad rē tandem accedamus,ritus ille Cœnæ Domini est signum à Deo adhibitū quo nobis testatā vult & obsignatā corporis & sanguinis Christi communicationē. Sed quoniā non vnius est rationis ac modi quicquid in isto sacro conuiuio vsurpatur,idcirco obseruandum est nomen Sacramenti in hac etiam angustiore significatione à veteribus Theologis Latinis triplici modo accipi. Interdū enim per Sacramenta intelligunt totā ipsam actionē,qua ratione tum Baptismus tum Cœna ipsa Domini vocantur Sacramēta, id est actiones mysticæ,siue ritus externi qui aliud quiddā intellectui repræsentant. Interdum autem sic vocatur non tota actio, sed id quod adhibetur in ista actione: vt in Baptismo,aqua,& eiusdē aspersio: in Cœna Domini, panis & vinū,cū ritibus à Christo institutis: idque duplici rursum loquendi formula. Nam interdū hoc nomine significantur tantùm externa signa sensibus externis perceptibilia,veluti quum dicit Augustinus impios manducare Christum Sacramento tenus. Interdū verò pro signis cum ipsa re significata coniunctis,veluti quū Irænęus dicit Sacramētū constare ex duabus rebus,vna cœlesti,altera terrena. Cœlestem enim vocat corpus & sanguinem Christi,terrenā panem & vinum: totúmque illud dicit Sacramentum. Et de voce quidem ipsa hactenus. Nunc tādem ad rē veniamus. Quū igitur Sacramentū omne sit signū,necesse est Sacramentū ponere in ra-

lationis prædicamento. Et quum relatio necessariò inter plura mutuò relata statuatur, in Sacramentis necesse est signum & rem significatam fateri. Neq; quum has duas partes pono Sacramēta constituentes, verbum excludo. Accedat verbum, inquit Augustinus, ad elementum, & fiet Sacramentum. Non igitur excludo verbum, quod est velut vtriusque partis anima, & cui tanquam sigilla diximus Sacramenta adiungi. Et hactenus cōsentiunt nobiscum ii quoque qui alioqui maximè dissident. Videamus ergo quæ sint illa signa, & quæ res illæ significatæ: hic enim minimè inter omnes conuenit. Signum in Baptismo vocamus aquam, rem significatam sanguinem Christi, cuius ablutione remissionem peccatorum adepti & carne mortificati seruemur. Sed de Baptismo nunc non agam pluribus. In Cœna verò duplicia sunt signa. quædā enim signa sunt materiata, nō pe vinum & panis: quædam verò sunt actiones & ritus sacramentales: qui tamē ritus minimè sunt inanes, sed habent suam quandam rationem sacramentalem, ex Domini institutione, qua de re po stea dicemus. Dico ergo in Cœna Domini signa externa, materiata, visibilia & manu palpabilia quæ Deus adiunxit verbo suo, esse panem & vinum. Hoc negant Pontificii. vt qui postquam con fessi sunt Sacramenta constare signo & re significata, posteà pro signis accipiunt nuda accidentia panis & vini. Tuentur enim in Cœna Domini substantiam panis & vini non superesse, sed euanescere, & eius loco succedere substantiam corporis & sanguinis Domini. Signa igitur secundum illos erunt accidentia. & quænam, obsecro? Albedo, rotunditas & rubedo, si vinum rubrum consecrarint, quæ accidentia nouo quodam nomine appellant Species. Atqui, vt docet Augustinus, nisi quædam esset analogia & conuenientia rerum significatarum & signorum, non haberentur Sacramenta. Inter accidentia verò & substantias non est conuenientia. ergo Sacramenta quæ vocāt, non erunt Sacramenta. oportet enim signa ita conuenire rei significatæ, vt repræsentent animo id quod significant. Dicam apertiùs. Si velim te oculis admonitum animo concipere hominem, non proponam tibi imaginem equi aut bouis spectādam, quoniam species illa externa equi vel bouis, non potest gignere in animo tuo conceptionem siue imaginem hominis: quamuis hæc omnia ad vnum animalis genus referantur. Multò minus ergo herbæ vel domus species formam hominis menti meæ suggesserit. minimè autem omnium accidentia illa, omnis substantiæ expertia, veluti albedo seu rubedo & rotunditas, res subsistentes, putà corpus & sanguinem Christi, mihi in mentem reuocarint. Atqui Domini propositum est in Cœna cogitationi nostræ præbere pabulum animarum nostrarum, nempe Christi corpus traditum pro nobis, & effusum sanguinem pro nobis. quibus nulla est cum illis accidentibus analogia: sed panis & vinum, esca videlicet corporis, commodissimè spiritualem alimoniam oculis penè ipsis subiicit. Et quum accidentibus nemo pascatur, quînam accidentia æternum illud pabulum repræsentarint? Præterea quamuis accidentibus interuenientibus res materiatæ oculis signentur, non omnia tamen accidentia cuiuis materiei cōueniunt. Possunt enim multa alba cerni & rotunda, quæ tamen non repræsentarint hominis corpus. & quis istos docuit panem quem fractum Christus præbuit discipulis, fuisse album vel rotundum, quomodo illum ipsi pinsunt? Vera ergo signa sunt verus panis & verum vinum. quod declarat Apostolus quum dicit, Panis quem frangimus est communicatio corporis Christi: & poculum cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi: & illa μετουσία seu transsubstantiatio putidum est Satanæ commētum. Iam veniamus ad rem significatam, & primùm dicamus quod sit istud significationis genus. nam hoc nobis obiicitur partim ab iis qui ignorant quid doceatur in nostris ecclesiis, partim à quibusdam malitiosè nos calumniantibus, quasi inanem picturam siue mortuam quandam imaginem nobis in Sacramentis dicamus spectandam proponi, quæ Christi memoriam in nobis excitet: quum tamen hoc vbique inculcare consueuerimus, Sacramētis nobis Christū nō significari, sicuti conspecta Cæsaris statua, venire solet in mentem Cæsar, ac præterea nihil. Propositis enim & verbo adiunctis symbolis, sic nobis & Christum & ipsius beneficia docemus nostræ menti repræsentari, vt etiam fruendus & reipsa (spirituali tamen modo & per fidē) participandus cum omnibus ipsius donis præbeatur. Non est ergo hæc actio inanis, neque signa ipsa & ritus ipsi sunt res nudæ & vacuæ, quum id quod significatur, tum à Deo nobis verissimè præbeatur, tum à credentibus efficacissimè percipiatur. Hoc significationis genus Bernardus explicat similitudine annuli, quem sponsus pactæ sponsæ tradit, non tantùm vt tradentis sponsi meminerit, sed vt seipsum hac promissionis arra quodammodo tradat. Ideo non tantùm dixit Christus, Hoc est corpus meum, sed etiam addidit, Accipite, Comedite. Videtis fratres quid de istis mysteriis sentiamus, & quæ fiat nobis iniuria, quum dicimur euacuare Sacramenta, & in vana quædā absentis Christi spectacula transformare. Dicamus tamen quàm apertissimè quidnam illud sit quod sic externis symbolis menti contemplandum sistatur, vt etiam fide participandum verè mēti fideli præbeatur. Quidnam ergo illud est? Corpus & sanguis Domini. Quis hoc nos docet? Ipse Dei Filius. Dicit enim, Hoc (id est hic panis) est corpus meum: &, Hoc (id est hoc vinum isto poculo contentum) est sanguis meus. Obiter autem monebo, nequis offendatur, cur non dicam, Hic est sanguis meus, sed, Hoc est sanguis meus. Etsi enim de verbis non contendo, tamen hoc dignum est obseruatione. Certè qui dicit, Hic est sanguis meus, nihil aliud demonstrat quàm suū sanguinē. Atqui certū est Christū cùm hoc diceret, sicut priùs non absque pane corpus suū præbebat, sic etiā in hac altera parte non absque vino voluisse sanguinē suū discipulis propinare. Itaque τὸ necessè est ad symbolum referri, ποτήριον videlicet quod apud Paulū idcirco exprimitur, de quo sanguis ipse prædicetur: ex quo illud efficitur, τὸ non aliud declarare quàm Hoc, id est ista res quam manibus teneo, vinum videlicet hoc poculo contentum, quod sanè non exprimitur masculo pronomine Hic. Cæterùm, vt ad rem redeam, ex his apparet quid rei ipsius siue veritatis sacramētaliter significatæ nomine intelligamus, nempe corpus & sanguinem Domini. Dissentimus

ergo primũ ab Anabaptiſtis, qui pro re ſignificata ſacramẽti ponunt duntaxat neſcio quid vmbratile, quaſi ſit militaris quædã teſſera, qua Chriſtiani à nõ Chriſtianis diſcernantur. Itẽ ab iis diſſentimus, qui pro re Sacramẽti cõſtituunt Chriſti ἐνεργείαν, & merita ab ipſomet Chriſto ſeiuncta. Nõ enim dixit Chriſtus, Hoc eſt meritũ corporis mei traditi pro vobis: ſed, Hoc eſt corpus meum, & Hoc eſt ſanguis meus. nec temere additur προσδιορισμὸς, Quod traditur pro vobis, &, Qui funditur pro vobis. Ita vt apertiùs dici nõ potuerit ipſummet Chriſtũ cuius & corpus pro nobis traditum eſt, & ſanguis pro nobis fuſus, verè nobis in Cœna tradi ad æternæ vitæ alimentũ: ac proinde rem illius Sacramẽti eſſe illud ipſum corpus quod pro nobis obtulit in cruce, & illũ ipſum ſanguinem quẽ effudit pro peccatis noſtris. tantũ abeſt vt ſymbolicum aliquod ſeu typicũ corpus vel allegoricum ſanguinẽ ſomniemus, vt ineptiſsimos homines ne ſuam quidẽ ſententiam ſatis intelligentes de nobis loqui & ſcribere nõ pudet. Iã accedo ad tertium huius tractationis caput. Primùm enim de ſignis, deinde de re ſignificata diximus. Nũc tertio loco quæremus quæ ſit ſignorũ & rei ſignificatæ colligatio. qua in re ferè poſita eſt omnis iſtius controuerſiæ de Sacramentis deciſio. Pontificii coniunctionẽ in tranſmutationẽ cõmutarunt. Nam certè ſi panis & vinũ in corpus & ſanguinem reipſa tranſmutãtur, hoc non eſt ſigna cum rebus coniungere, ſed ſigna in res ipſas commutare, ſiue deperditis ſignis res ipſas eorũ loco ſtatuere. Illos igitur, vt qui ne refutationẽ quidem mereantur, miſſos faciamus. Sũt alii nõ minùs hodie iniqui & acres in nos quàm ipſi Pontificii, qui ſic volũt coniũgi rẽ ſignificatam, ipſum Chriſti corpus videlicet, cũ vel ſub vel in pane, vt eo ipſo loco vbi panis ille eſt, adſit etiam corpus reipſa præſens, quod itidẽ de vino & ſanguine Chriſti intelligi volũt. Itaq; ſi roges vbi ſit ipſum corpus, & ſanguis Domini in actione Cœnæ, reſpõderimus ea eorũ ſententia, eſſe verè ac reipſa in manibus noſtris, & ore, ac proinde etiam ſanè, niſi mox euanuerit, intra hoc ipſum noſtrum corpus, cum, in vel ſub ipſis panis & vini ſignis manducatis & hauſtis. Hanc verò conſubſtantiationem non minus quàm Tranſſubſtantiationẽ rationibus, nõ ex humana philoſophia, ſicuti nos facere calũniãtur, ſed ex Dei verbo petitis, adeóque illam κοινωνίαν quam ex Dei verbo docemus maximè eſſe arcanam & diuinã oſtẽdemus. Noſtra igitur hæc ſententia eſt vtrique illi ſuperiori oppoſita. Quæ de Sacramẽtis dicuntur, Sacramẽtaliter intelligenda ſunt. Quid enim æquius eſt quàm vt quæcunque dicuntur, intelligãtur prout fert eius ſubiecti natura de quo agitur? Certè quæ à Iuriſperitis de iure dicũtur, intelligenda ſunt prout in ipſa iuris ſcientia vſurpantur: idẽq; de rebus diſciplinisque omnibus ſtatuendũ eſt. Sic ergo quæ de Sacramẽtis docẽtur, ſacramẽtaliter intelligẽda ſunt. Quænã eſt igitur ſigni & rei ſacramẽtaliter ſignificatæ coniunctio? Sacramentalis. Per relationẽ ergo quæ eſt inter ſigna & res ſignificatas cõiunguntur ſignũ & res. quod ſic rurſum planiſsimè explico. Vbi audimus quempiam noto nobis idiomate loquentẽ, vocabula in aures noſtras incidentia repræſentant animis id cui ſignificando adhibentur. Audito Romæ nomine ſtatim de vrbe illa cogitamus. Cæſarem ſi nominarit quiſpiã, Cæſar ſtatim in mentem venit, quoniã videlicet, vt rectè in ſcholis docetur, τὰ ἐν τῇ φωνῇ ſunt σημεῖα τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων. Eadem eſt prorſus ratio Sacramentorũ. Nihil enim aliud ſunt Sacramẽta, quàm viſibilia verba. id eſt res ſignificatas repræſentantia noſtris animis per oculos, quemadmodũ audita verba per aures. Faciunt ergo viſibilia hæc panis & vini Sacramenta, vt cùm illum panẽ & vinũ illud verbo Dei adiuncta video & accipio, ſimul corpus pro me traditum, & ſanguinẽ pro me effuſum animo concipiam, quaſi in rem ipſam præſentẽ adductus. Et quoniam ſigna illa non tantùm oculis ſpectare iubeor, ſed etiã accipere, manducare, bibere, idcirco animus fidelis res illas ſic ſignificatas vt etiam tradantur, etiã apprehendit, ſibíque applicat. qua de re quarto loco pluribus diſſeremus: quando videlicet quæretur quomodo tũ ſigna tũ res ſignificatæ à nobis percipiantur. Nunc autem diſputamus duntaxat de ipſorum ſignorum cum re ſignificata coniunctione ſacramentali. Iſtis non contenti qui pro ſacramentali coniunctione realem vnionem, magno certè & craſſo errore, ſtatuunt: hoc præterea requirũt, vt eo ipſo loco vbi tunc ſymbola accedentibus præbentur, præſentẽ adeſſe carnẽ & ſanguinẽ Chriſti, id eſt ipſius quoq; humanitatẽ reipſa ibi eſſe & corporeis inſtrumentis accipi fateamur. Nos verò Chriſtũ quod ad humanitatẽ attinet, ſicut quũ in terris erat, non erat alibi quàm eo ipſo loco vbi verſabatur, ita nunc non alibi eſſe quàm ſuprà omnes cælos in quos aſcendit affirmamus: ac proinde non corpori cum ſignis, ſed fideli menti, ſicut verbo audimus & ſigno videmus, verè præberi. Supereſt vt illi an nos à veritate aberremus, rationibus ex verbo Dei petitis expendatur. Teſtatur Scriptura verum corpus fuiſſe à Filio Dei hypoſtaticè aſſumptũ. Eadẽ Scriptura & ante & poſt glorificationẽ, aſſumptæ carni tribuit quæ veritatem corporis naturalis demonſtrant, nempe quòd venerit, abierit, modò præſens modò abſens fuerit. Ergo iſta neceſſariò corporis Chriſti veritatem conſequuntur, quæ ſi illi adimas, veritatem quoque humanitatis Chriſti tollas oportet: vt ad Marcionitarum ſiue δοκητῶν hæreſin tranſeas. Tolluntur autem manifeſtè eorum dogmate qui Chriſti carnẽ nunc quoque reipſa ſimul & in cælis in quos aſcendit, & in terris adeſſe dicunt, & quidẽ quibuſcunque locis panis ille & vinũ illud præbentur. vt eos omittã quos nõ pudet dicere Chriſti carnẽ ab ipſo vnionis hypoſtaticæ momẽto, ſimul & in præſepi & in cælo, vbique denique reipſa præſẽtẽ adfuiſſe. Ad hoc primùm reſpõdẽt, nõ ſine magno ſcelere ſubiici corpus Chriſti naturæ legibus. corpus enim hoc quod in vnitatẽ perſonæ aſſumptum eſt, longè alia dona immenſa accepiſſe. Hîc, obſecro, attendatis quid reſpondeamus. Dicimus habendam eſſe rationem gratiæ vnionis, qua factũ eſt vt homo iſte ſit Deus non in ſeſe (eſſet enim factitius Deus) ſed quatenus in vnum ὑφιστάμενον cum vnico illo æterno patris filio vero Deo coaluit. Deinde & hoc agnoſcimus humanitatem ſic aſſumptam hoc eſſe in ſeſe conſequutam, & eò vſque euectam, vt ſola deitate excepta (ſecundum quam Chriſtus ſeipſo homine etiam maior eſt) adepta ſit nomen quod eſt ſupra omne

nomen,id est,omnia creata ipsi subiiciantur. Sed ex eo minimè tamen efficitur quod isti putant. Quũ enim quæritur,An humanitas Christi vbique vel pluribus simul locis eodẽ tẽpore sese reipsa sistat manibus & ore sumendam : non illud quæritur, quid sit adepta κατ' ἄλλο siue alterius naturæ respectu cui hypostaticè vnita est,sed an hæc proprietas ipsimet insit, vt (quod vnius deitatis proprium est) sit vbique vel pluribus eodem momento locis.Et hoc est quod scholastici barbaro quidem,sed si rem non verba spectes,non incommodo vocabulo Gratiam habitualem vocarunt. Hoc discrimine posito quod vix vlli nisi planè φιλονεικότατοι negarint, dicimus eos demum Christũ diuidere qui Christum quatenus homo est,negent κατ' ἄλλο,id est non in sese,sed secundum aliud, nempe quatenus cum Verbi hypostasi hypostaticè vnitus est,verè ac re ipsa vbique esse, nedum vt inficiemur eo ipso loco adesse vbicunq; Cœna Ipsius in terris celebratur.Cur enim id de Christo quatenus homo est inficiemur,quod pro suo modulo in quibusuis corporibus locũ habet,etiã vbi totũ quippiã alio quàm hypostaticæ vnionis genere vnũ est?vt exẽpli gratia:Dicitur arbor aut domus esse in fluuio,cuius tamen pars superior suprà fluuiũ eminens in sese cõsiderata sit in aere nõ in aquis.Sic nunc ego dicor loqui in hac sede,quum tamẽ vnica tantùm corporis parte sedeam: dicor etiam loqui,quum tamen sola lingua in sese considerata loquatur. Ratio & veritas harum loquutionum ex eo pendet,quòd arbor,domus,homo, sit totum & vnum quiddam ex suis partibus compactum.Nam alioqui verè id dici de duobus reipsa separatis non posset. Sic totum Christum vbique,nedum in Cœna cum pane, verè adesse dixeris, nempe quatenus Christus vt totum & vnũ quiddam consideratur:neque naturarum proprietates sic confunduntur.At totum Christi, id est, quicquid Christi est,non idcircò dici potest alibi quàm vno loco versari eodem tempore. Hoc enim de humanitate in sese siue in abstracto citra Eutychianam siue Brentianam proprietatum cõfusionem dici nõ magis potest,quàm manus hæc mea,aut isti mei pedes sedere aut loqui. Hæc si qui non intelligunt,obsecro,vt discant, & maiorem tum suiipsius tum eorum habeant rationem, per quorum latus veritatem confodiunt. Vt ad rem redeam, hunc hominem assumptum neque sua illa infinita maiestate spoliant, qui eum docent esse hypostatica vnione verum Deum,sed ii potiùs qui θεάνθρωπον in θεόφορον transformant: neque ad cæterorum hominum conditionem redigunt, qui secundũ gratiã quã habitualem,id est carni ipsi tanquam subiecto inhærentem, vocãt, agnoscunt eam cunctis sine exceptione rebus (sola excepta Deitate Verbi, secundum quam ipse seipso maior est) inenarrabiliter sublimiorem:sed ii demum in nihilum siue in spectrum eam redigunt,qui dum ei non ὑπερφυῶς,sed prorsus ἀντιφυῶς tribuunt, naturam etiam ipsam humanam necessariò perimũt, siquidem humana esse desinit,quæ essentialibus suis proprietatibus amissis, id esse desinat oportet quod fuerat.Sed & alia ratione ipsis occurremus.Etenim si pluribus locis vno tempore adesse reipsa non posse,est Christi gloriæ detrahere: quantò magis mortalem esse, imò etiam reipsa mortuum esse? Atqui hoc ipsum est quod summam Filii Dei charitatem teste Apostolo commendat,tanto videlicet maiorem quanto magis sese exinaniuit. Quòd si infirmitatum omnium,excepto peccato,in sese realis receptio,nihil prorsus eius gloriæ detraxit, quanto minùs quòd proprietates ipsas carnis ἀδιαιρέτως,& ἀσυγχύτως cum ipsa carne in æternum recepit? Excipiunt eas quoque à se non aboleri.Ergo necesse est repugnantia vni eidémque subiecto, eodem prorsus respectu tribuant,nempe circunscriptum esse vno loco, quæ est naturalis proprietas organici corporis,& tamen vno eodémque tempore tum in cælis esse, tum innumerabilibus locis, vel etiam vbique in terris.Itaque vna eadémque caro simul fuerit quantitate sic definita,& quantitatis expers,id est simul corpus & non corpus.Et quid hoc aliud est quàm quiduis ex quouis facere? Audiamus tandem rursum quid excipiant. Volunt tempus quod glorificationem carnis Christi præcessit,ab eo distingui quo in gloriam suam est recepta. Esto.Ergo si à glorificatione pendet ista realis coniunctio carnis cum pane,in prima illa Cœnæ institutione locum non habuerit, quia tunc glorificata non erat hæc caro,imò suæ exinanitioni proxima,neque sanè etiamnum hodie nobis vt gloriosa,sed quasi,vt ita loquar, adhuc in cruce pendens nobis datur participanda.Huic exceptioni opponunt transfigurationis miraculum. Sed quid habent ista duo inter se simile?Nihil enim certè in illa transfiguratione euenit ἀντιφυσικὸν, siue quod carnis illius proprietates essentiales perimeret,sicuti idcirco veri homines esse iusti non desinent, quum instar solis fulgebunt : at vbique vel pluribus simul locis esse,est proprietas vsque adeò rebus omnibus creatis vtpote finitis repugnans,vt soli Deitati,quia sola infinita est,conueniat. Denique vno verbo sic respondemus, Glorificatio non ademit corpori Christi naturam corpoream (id est quantitatem & circunscriptionem) sed infirmitatem eius aboleuit, quam ad tempus susceperat. Infirmitatis autem nomine, In carne Christi nulla essentialis proprietas intelligitur, sed id duntaxat, quod excepta ipsius peccati labe,peccatum in naturam hominis inuexit. Quòd, inquam,Christi caro ante glorificationem dicitur fuisse infirma,neque deitatis respectu dicitur, qua semper ipsa fuit, est & erit inferior,sed habita eius gloriæ in quam postea euecta est,ratione, saluis tamen manentibus,vti dixi,iis proprietatibus,quibus ipsa corporis veritas constituitur, inter quas Quantitas, ac proinde circunscriptio vsque adeò præcipuũ locũ obtenet,vt dicat Cyrillus ne ipsum quidem Deũ vbique futurum,si quantitatis esset particeps.Aut igitur isti tũ Vbiquitarii tum Antiphysitæ apertè carnis Christi quantitate negata in Eutychetis castra concedant, aut si quantitatẽ non exuisse cõtendunt ex ipsius Christi verbis,qui se quum adhuc esset in terris videri & palpari post resurrectionem iussit, ostẽdant posse carnem Christi simul & quantam & vbique siue pluribus locis esse,quod tamẽ ne Deitatẽ quidẽ posse apertè & verè scribit Cyrillus,cui' alioqui auctoritate vel præcipuè pro ista reali præsentia abutũtur.Probẽt deniq; mẽtitos Angelos,quũ dicerẽt Christum

surre-

surrexit, nō est hîc. Etenim, quacūq; tādē distinctione vtātur, si dari potest vel vnicus locus vbi nō sit Christi caro, vbique esse non potest. quòd si non vbique, ergo ne pluribus quidē simul locis tota. Hinc etiam liquet quàm absurda sit Brentij & ipsius sectatorum sententia, qui formam Dei & formam serui vni in sese humanitati Christi tribuunt. Intelligunt enim per formam Dei, illud suū omnimaiestatis & omnipræsentiæ figmentum, quibus ceipsa in sese caro Christi fuerit ab ipso hypostaticæ vnionis momento prædita, quam tamē exerere ad tempus noluerit, quod exinanitionis nomine intelligunt: formam autem serui appellant eam conditionem in qua subsistere voluit, quoties illa Dei forma vti noluit. Enimuerò, si vni subiecto duas formas essentiales tribuas, quid aliud quàm Vnum & Duo confuderis? Id autem est planè insanire. Superest ergo vt formæ appellatione neque Deitatem ipsam neque humanitatem isti intelligant, sed diuersam istius humanitatis conditionem, vt quæ intrinsecus & in sese fuerit omnibus in eam effusis Deitatis ἐνεργείαις ornata, neque tamen eas semper exeruerit. Sed hoc certè si verum esset, definienda ipsis non erat hypostatica vnio effusione τῶν ἐνεργειῶν, sed potiùs δυνάμεων. Deinde quantameunque tandem effusionem donorum in carnem intelligas, quomodo aperta blasphemia non fuerit, dicere humanitatem Deitati vllo modo sine rapina exæquatam? Vbi igitur illa toties apud Patres repetita sententia, Filium secundum carnem esse Patre, ac proinde etiam seipso, vt qui sit Patri Deitate coæqualis, minorem? Illa igitur interpretatio vt falsa, imò etiam vt planè Eutychiana repudianda est. Afferūt autem istud quoque. Locum non esse ex corporis substantia: ac proinde nō aboleri corporis substantiam, etiamsi locus ei adimatur. Enimuerò quæ hæc impudētia est (ignoscite, auditores, iustissimo dolori meo) tam sophisticè agere in Ecclesia Dei, quæ schola est veritatis? Corporis vocem vix ignorare quispiam potest qui ratione vtitur, interdum ad Substantiam, interdum ad Quantitatem referri. Itaque Corpus interdum vocatur corporea substantia ex materia & forma substantiáque constans, interdum verò quod tribus dimensionibus constat, putà longitudine, latitudine & profunditate. Sic in hoc argumento interdum corpus Christi consideramus vt rem illam materiatam, substantialem, visibilem & palpabilem, quam nostri causa assumpsit. & hoc modo sanè quātitas quum sit accidens, non est pars illius substantiæ. Interdum verò ista eadem Corporis voce vtimur, vt quod quantitate illa triplici definitur, ab eo distinguatur quod est quantitatis expers. & hoc modo sanè vel isti probent oportet definitionem non declarare earum rerum substantiam quæ definiuntur: vel nobiscum fateantur nihil aliud esse corpus quàm illam ipsam triplicem continuam quantitatem. Hac autem sublata necesse fore verum corpus Christi perimi, siue glorificatum, siue adhuc in infirmitate positum negari non potest, quin Christo ipsi mendacium impingatur, vt qui carnis suæ veritatem etiam post resurrectionem probet ex accidentibus illis ἀχωρίστοις, quantitate videlicet corporea. Iam de loco videamus. Quid si ex Augustini perspicuis & sonoris verbis respondeamus? Tolle, inquit, spatia locorum corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Corporibus, inquient, cæteris, at Christi corpori non item. Imò Christi corpori, de cuius à terris absentia propriè Augustinus in ea epistola disserit. Et certè si Christi corpus esset verū corpus alia diuersa ratione quàm nostra, iam nō esset nobis ὁμοίως per omnia similis, excepto peccato. Addam tamen aliquid perspicuitatis gratia. Quū Locum à corpore, id est ab eo quod tribus dimensionibus constat, tolli non posse affirmamus, vt isti consubstantiatores faciunt in fictas omnipotentiæ latebras refugientes, quas postea illustrabimus, hoc nomine Loci nō peculiare spatium aliquod intelligimus quod subinde mutari potest, veluti quum Christus ex vno loco discedens in alium abiit (hoc enim modo locus hic vel ille sic accidit corpori, vt leuissimo motu, sublato vno alter succedat:) sed locum vocamus Localitatem, id est eam veri organici corporis conditionem, qua fit vt necessariò vbicunque sit, eo loco circunscribatur, nec dum ibi est, alibi esse póssit. Hoc accidens vt non sit ipsa corporis substantia, quatenus corpus substantia est: at certè corpus quatenus quantitas est informat, éstque corporis vt substantiæ accidens penitus ἀχώριστον. Itaque nemiem esse arbitror qui nō intelligat quàm vana & sophistica sit illa exceptio. Sed, inquiūt, ambulauit corpus Christi super aquas: ergo veritatem corporis Christi non statim tollunt, qui extraordinariam & inexplicabilem quandam conditionem ei tribuunt. Quis verò hoc negarit? Non in eo igitur quæstio vertitur, an Christus secundum carnem etiam infirmitatis tēpore præter ordinarias naturæ humanæ leges plurima potuerit. Sed hoc quæritur, an siue post, siue ante glorificationem cum veritate carnis Christi stare possit istud dogma de reali ipsius carnis pluribus vel omnibus locis præsentia, quod fortiter negamus, neque ex ista super aquas ambulatione, vel ex eo quòd ianuis clausis sit ingressus, & non reuoluto lapide sepulchri resurrexerit, colligi vlla idonea consecutione dicimus. Primùm enim hæc miracula in aquis ipsis non modò sub Christi, sed etiam sub Petri pedibus solidatis, & in parietis & sepulchri mole repentè opificis sui corpori cedente, potiùs quàm in ipso Christi corpore edita videntur. Deinde vt in ipso Christi corpore spectanda concedamus, ponderis corporei suspēsio vel etiam ablatio, itémque ista corporeæ molis subtiliatio, quum corporis quantitatem minimè tollat, corpus non abolet, neque, vt in scholis loquuntur, contradictionem implicat: sed neque Quantitate siue Circunscriptione carere verum corpus potest, quin corpus esse desinat: neque simul alicubi vt circunscriptum, alicubi vt non circunscriptū esse potest, quin simul corpus esse & non esse statuatur. Summa autem horum omnium hæc est, falsissimum esse istud realis cum pane & vino consubstantiationis dogma, vtpote quo carnis Christi veritas aboleatur. Iam verò hoc etiam argumento longè grauissimo idem commentum refutatur, quòd analogię fidei planè repugnet, nedum vt illius defensores meritò nos ad fidei vim reuocent. Ascendisse supra cœlos carnem Christi, ibíque nunc residere Scriptura testatur. Ergo quæri

in ipsis terris pręsens nec potest nec debet. Alioqui non ascensio, sed disparitio fuerit. Venire profectò siue ascendere quispiam eò dici non potest vbi iam erat, aut inde abire, descendere, abesse, vbi permaneat. Quot igitur locis ista de Christo secundum carnem nulla figurata locutione dicuntur, tot irrefragabilibus testimoniis vera corporis ipsius Christi à nobis ablatio confirmatur, & reale præsentiæ illius in terris delirium, id est τῶν Δοκητῶν siue Marcionitarum dogma refutatur. Illud autem quod in nos regerunt, quum Christi carnem nunc in cœlis esse nec vsquam alibi, cum Petro, imò cum ipsis Angelis dicimus, quàm absurdum est? Christum, inquiunt, carcere sic concluditis, quum tamen dextera Patris ad quam sedet, id est diuina potestas & imperium sit vbique. Quid ergo? quum in terris existens, cœlis abesset (nec enim eò ascendisset vbi iam erat) imò quum in vtero virginis, in præsepi fasciis inuolutus esset, & alibi nusquam, an erat carcere inclusus? Imò quum omne corpus suo loco, ipsæque etiam res incorporeæ proprietate naturæ suæ concludantur (sola enim deitas infinita est) quid aliud ex istorum absurdissimo argumento consequeretur, quàm carcerum & captiuorum plena esse omnia? Etiamsi verò sessionis ad dexteram appellatione illud ipsum significari dicamus, quod simpliciter & absque tropo dicit Apostolus, Christum accepisse (nempe quatenus homo est) nomen supra omne nomen, tamen non minùs ineptum fuerit omnipræsentiam carnis ex eo colligere, quàm si tam latè patere corpus alicuius regis dicamus, quàm latè patent ipsius imperij fines. Sed præsens, inquiunt, Christus omnia gubernat. nempe quatenus Deus est: nec propterea discerpitur Christi persona. Nam etiam homo Christus vbique Dominus præsens est, nedum in Cœna, quamuis non in sese, sed κατ' ἄλλο, nempe quatenus vna est persona, siue non in sese, sed in ea natura, Deitatis videlicet, à qua sic assumpta est, vt sit vnum cum ea ὑφιστάμενον, sicut paulò antè diximus. Ergo præsens quidem est homo Christus, quum idem ipse sit Deus Christus, nec tamen alibi nunc est humanitas Christi quàm in cœlis. Dicitur Christus ascendisse in cœlos vt impleret omnia. Concedo, & hinc colligo non impleuisse omnia priusquàm ascenderet, ac proinde falsam esse definitionem illam vnionis hypostaticæ à gratia habituali desumptam. Colligo & illud, si verè ascendit, nec priùs illam carnem fuisse in cœlis quàm eò ascenderet, & in terris esse desiisse ex quo inde in cœlos ascendit. Sed, inquiunt, ascendit vt impleret omnia. Ergo implet omnia. Imò perfecit illud cuius causa ascendit, id est impleuit vniuersum salutis nostræ mysterium quod prædixerant Prophetæ, & cuius periodus quod ad id attinet cuius exequendi causa Christus venit, ascensione terminatur, sicut ab aduentu in terras incipit. Sin verò malimus hoc referre ad fructum qui ascensionem ipsius consequutus est, ex quo videlicet nō vt seruus sed vt Filius regnum iniit, ideo ascendit vt Spiritum sanctum mittens, omnia Ecclesiæ suæ necessaria dona suggereret. Ascendit enim vt donis homines cumularet. Quod quum totidem verbis dicat Apostolus, quis sanæ mētis homo iis credat, qui quod de officio regni & efficacitate dictum est, ad ipsam personam trāsferunt? Ἄφαντος ἐγένετο ex discipulorū oculis. Fateor. quòd si inde colligitur ista omnipræsentis siue multipræsentia, siue omnimaiestas (Deus bone, quæ portenta tam breui tempore enata!) quidni de Philippo euangelista idem statuatur? Nam & ille subitò ex oculis Eunuchi sic euanuit, vt etiam Azoti fuerit repertus. Et quid Prophetis euenire interdum consueuisset, ex discipulorum Eliæ exemplo apparet. Vidit Christum Stephanus. Ergo erat in terris. Nego. Vidit enim è terris positum in cœlis, vt narrat historia. Et quorsum in cœlis videret, si ad latus aderat in terris? Itaque non in ipso Christi corpore, sed in oculis Stephani spectandum est hoc miraculum. Nec aliò respexit Ecclesiæ ritus ab omni vetustate vsurpatus, quo magna voce edicitur vt SVRSVM CORDA attollantur. Quorsum enim istud SVRSVM, si in ore & manibus habemus quod quærimus? Visus est Christus Paulo Damascum eunti. Respondet August. in Psal. 54. caput quod erat in cœlis clamasse pro corpore quod erat in terris. Vidit Paulus Dominum quum oraret in templo. Ergo fuit Dominus in ipso templo. Vidit, sed ἐν ἐκστάσει. Fuit ergo visio spiritualis, nec ad rem quicquam pertinet, quamuis falsum Paulus non viderit. quò etiā alia eiusdem Apostoli manifestè referuntur. Refugiunt denique ad Omnipotentiæ latibulum. Et quum opponimus aliquid Deum non posse, statim in nos clamores tanquam in planè blasphemos & impios eiaculantur. Ego verò saltem hoc ab illis poposcerim, vt æquo animo respondentes ferant, neque tam impotenter in eos ferantur quos vita saltem (Deo sit gloria) ab omni suspicione blasphemiæ liberat. Si omnipotentiam Dei negat quisquis aliquid esse dicit quod Deus non possit, blasphemi certè fuerint qui Deum dixerint falli, mentiri, mori non posse. Imo, inquient, quum ista non sint potestatis alicuius, sed imbecillitatis, idcirco hoc non est impotentem, sed potiùs potentissimum Deum facere. Et sanè ita est, quod iampridem inter cæteros Theodoretus Eutychianis idem prorsus dogma hac ipsa prorsus ratione defendentibus respondit. Hîc ergo pedem figamus. Quòd Deus qui ex nihilo fecit omnia, omnia penitus immutare atque adeò solo nutu abolere possit, extrà controuersiam est. At illud efficere, vt quod fuerit non fuerit, vel vt aliquid simul sit & non sit, vel simul tale sit & tale non sit, id verò non potest, quoniam ex duobus contradictoriis alterum sit falsum necesse est, ipse verò quum Deus sit, nec mentiri, ac proinde contradictoria sic velle aut facere non potest. Idcirco mendacij quidem Deum, stultitiæ verò seipsum arguit, quisquis Dei omnipotentiam isti commento prætexit, quo Christi corpus circunscriptum esse, & tamen (quod vnius infinitæ naturæ proprium est) pluribus simul locis simul reipsa adesse, id est finitum & infinitum, quantum & non quantum, corpus denique esse & non esse fingitur. Dico & illud, Quod esse immutabile Deus semel sine exceptione voluit, id ab ipso ne mutari quidem, nedum aboleri posse: quia deficere à semetipso non potest. Eiusmodi autem esse Christi corpus, vt perpetuò verum illud ac proinde circunscriptum esse oportuerit & oporteat, extra controuersiam

trouersiam pono. Dico & illud, Nec Deum à Deo creari, nec rem creatam in Deum conuerti posse. quia si plures essent Dij, nec Deus esset cui æqualis esset alius creatus, nec Deus iste creatus esset Deus, quia Deum esse & temporis initium habere contradictoria sunt. Caro igitur Christi euadere Deitas non potuit, nec proinde incommunicabilibus Deitatis proprietatibus donari, in quibus infinitum & vbique simul totum esse non postremo loco recensetur. Hoccine verò est Dei omnipotentiam negare, vel Plinij illius blasphemi impietatem sequi? Negat enim ille Deum posse mortales donare immortalitate, aut defunctos reuocare, quod non modò falsò sed etiam impiè dicitur. Idem negat ipsum sibi posse mortem consciscere, vel efficere vt qui vixerit non vixerit, aut vt bisdena non fiat viginti. Et rectè negat, sed in eo fœdissime labitur, quòd hæc esse velit imbecillitatis argumenta, quum è contrariò, idcirco hæc non possit, quoniam nec perire ipse, nec mentiri, nec mutari potest. Sed ecce tandem ad eos peruenimus, qui omnium æquissimi videntur, cæterisque veritatis cõmentis, vnis illis Christi verbis nituntur, HOC EST CORPVS MEVM, &, HOC POCVLVM EST SANGVIS MEVS. Credendum est, inquiunt, Christi verbis, quantumcunque noua atque adeò carni sensibúsque nostris incredibilia pronuntiantis. Concedimus. Sed quid si veritati & analogiæ fidei minùs consentanea videantur? nempe credenda quidem sunt, quum Filius Dei sit ipsa veritas: sed ita explicanda, vt per omnia consentiant ceteris Scripturæ locis, & Christianæ fidei capitibus: quia quicquid ab istis vel minimùm dissentit, falsum esse oportet. Talem autem esse eam interpretationem, quæ vel transsubstantiationem vel realem consubstantiationem signorum & rei significatæ statuit, pluribus est à nobis demonstratum. At si ponatur sacramentalis existentia rei significatæ, vt in cæteris sacramentis, ita etiam in hoc mysterio, seruatur carnis Christi veritas, & fidei analogia. Hæc demum igitur interpretatio est vt vera & orthodoxa recipienda. Sed, inquiunt, nullus est hic tropo locus, & τὸ ῥητὸν simpliciter seruandum. Quis verò nobis hanc regulam dictauit, quum illud satis constet, vsque adeò vsitatum esse, de sacramentis, quæ & ipsa figuræ sunt, figuratè loqui, vt vix proferri possit diuersæ locutionis exemplum? Ratio igitur fuit afferenda, cur quod in cæteris valet, in hoc vno non valeat. Sed agè propiùs hoc inspiciamus, & singula institutionis verba expendamus. Primùm quæro, quid velint demonstrante illo pronomine, Hoc, demonstrari. Respondent Pontificij merè identicam esse enuntiationem, ac proinde nihil aliud quàm ipsummet corpus ostendi, veluti si dicas, Res ista est meum corpus. Atqui necesse est id demonstratum esse quod acceptum & fractum porrigebat, panem videlicet, quod Paulus expressit quum diceret, Panis quem frangimus est corporis communicatio. & in altero membro adiectum τῇ κοινωνίᾳ nomen manifestè probat hominibus non prorsus contētiosis τοῦτο idem valere atque οὗτος ὁ ἄρτος. Et confiteor nullum hic esse tropum, quoniam signum propriè explicari necesse fuit, ne falleremur. At nostri antagonistæ, & quibus idem penè valet tropus quod hæresis, quid respondent rogati? nempe isto pronomine Hoc, tum panem tum corpus, idest, tum signum tum rem significatam reipsa & essentialiter vnita declarari. Atqui (vt modò dixi) Paulus vnam panis vocem vsurpat, & illud demum certum est ostendi quod acceperat & fregerat Christus. Num verò corpus quoque suum acceperat & fregerat? Sanè si hoc ita esse dixerint, non iam penderit hæc coniunctio realis à verbis institutionis, quum iam antea quod Christus acceperat & fregerat, non tantùm panis, sed etiam corpus esset. Necesse est igitur fateri, Hoc est corpus meum, & Hic panis est corpus meum, idem valere: quod non modò scribũt veteres omnes locis innumeris, ac etiam Lutherus passim, itémque Brentius tum in syntagmate tum in Catechismo, Selneccerus & Eberus totidem verbis testantur. Quòd si volunt nihilominus corpus etiam sic demonstrari pani vnitum, ergo synecdoches tropum admittant necesse est, ac proinde non sine tropo institutionem Christi intelligi. Sed & illud cui sano homini persuaserint, corpus Christi de pane simul & corpore absque altera synecdoche dici? Iam ergo duplicem tropum compeliuntur statuere, qui tamen horrendam hæresim esse clamitant Cœnæ verba per tropum intelligere. Iam veniamus ad verbum EST. Quum quicquid est non vno modo sit (siquidem Esse in omnibus prædicamentis locum habet) obsecro, quum isti sic colligunt, Hic panis est corpus Christi, ergo est essentialiter panis Christi: an non perinde loquuntur ac si dicerent, Iste est animal, ergo est homo? Et rursum, quum sic colligunt, Hic panis est corpus Christi, ergo Hic panis est corpus Christi, non absens sed præsens: an minùs ineptè ratiocinantur? Corpus autem quod substantia est, quum dicunt non posse aliter quàm substantialiter pronuntiari, debuerunt Pontificijs hoc relinquere, idcirco transsubstantiationem panis inuehere coactis, vt qui viderunt disparata non posse mutuò prædicari, ac proinde falsam esse enuntiationem, Panem esse corpus, nisi posita panis ipsius vel annihilatione, vel mutatione in corporis substantiam ἐπιγενῶν. Itaque soli isti τὸ ῥητὸν seruant, & quidem ineptissimè. Hi verò de quibus nũc ago, quamuis verbo tropum omnem repudient, re ipsa præter illos duos tropos nempe Synecdoches repetitæ, alium quendam eúmque prorsus admirabilem inuehunt, quum idem volunt significare, Hic panis est corpus meum, atque Corpus meum reipsa præsens adest cum, vel in, vel sub hoc pane. Certè qui hac posteriore formula vtitur, non quidnam sit corpus, sed vbi sit corpus declarat, ac proinde verbum Est, non in Substantiæ sed in prædicamento Situs vsurpat. Iam ad ipsum Corporis vocabulum accedo. Accusamur quòd pro vero Christi corpore tradito pro nobis, corpus nescio quod typicum siue symbolicum, siue etiam phantasticum substituimus, quum Corpus dicimus dici de pane, non quòd panis sit ipsummet corpus, sed quòd sit verum symbolum veri illius corporis pro nobis traditi. Hoccine verò est fictitiũ corpus Christo affingere, vt isti calumniantur, ac non potiùs ostẽdere quo sensu verum illud vnicum corpus de pane dicatur, nempe non quatenus panis est, sed quatenus est corporis illius sacra-

mentum? Itaque omnes istæ interpretationes quas ille putidus calumniator Illyricus vt repugnantes exagitat, Hic panis significat sacramentaliter, vel est sacramentaliter corpus Christi, & Hic panis est sacramentum corporis Christi, vnam eandémque per omnia sententiam exprimũt. Corpus autem pro ipso corporis signo passim à veteribus quibusuis orthodoxis vsurpari, velint nolint necesse est nostri aduersarij fateantur, quum ab illis corpus Christi fieri, confici, frangi, consumi dicitur. at cur non etiam, quum in os intrare dicitur? Denique quæ hæc est φιλονεικία? panem esse corporis Christi Sacramentum quum inficiari non ausint, cur hanc interpretationem non ferunt? nẽpe quoniam vellent dici præsentis corporis sacramentum. Non igitur fuerit controuersia de horum verborum interpretatione, in quibus nulla est neque præsentiæ neque absentiæ mentio: sed duntaxat de eo quæretur, Sítne præsens an verò absens illud corpus cuius ille panis sacramentum esse dicitur: quam controuersiam miror quánam tãdem ratione possint isti ex illis verbis, Hoc est corpus meũ, definire. Sed agè ad alteram institutionis Cœnæ partem trãseamus. cedò igitur quid poculi nomine intelligitur? nempe ipsorum confessione, id quod poculo continetur: vinum videlicet, ac præterea, vt ipsi volunt, sanguis ipse Christi. Illud concedo, istud nego iis ipsis quas ante dixi rationibus fretus. Siue tamen hoc solum vinum, siue vnà cum vino sanguis etiam ipse demonstretur, necesse est istos tam capitales troporum hostes metonymiam continentis pro contento agnoscere, & eundem illum eiusdem synecdoches tropum, quo fiat vt vinum & sanguis, sanguis esse dicantur. Iam verò quî tandem absque tropo fœdus ipsum id esse dicetur quo interueniente fœdus sancitur? Sed illud præterea ex eis libenter quæsierim, si seruato vsque adeo præcisè τῷ ῥητῷ realis illa consubstantiatio statuatur, quînam non sequatur non modò distinctis, sed etiam reipsa separatis signis, reipsa quoque corpus à sanguine separari? Sæpe verò cogitanti mihi cur tandem veluti totius nostræ religionis præcipuum caput ista realis consubstantiatio tantopere à nonnullis vrgeatur, nihil sanè nisi refutatu facillimum venire in mentem potuit. Nisi, inquiunt, præsens ipsum corpus & ipse sanguis adesse manibus etiam & ore accipiendum credatur, vacua & inania signa fuerint panis & vinum. Siccine verò? Ergo fuerint omnia Patrum ante reipsa creatã Christi carnem Sacramenta inania, signis, inquit Augustinus, diuersa, re paria. Re verò cuiusmodi? nempe Christo. Petra enim illa spiritualis, id est (vt idem scriptor explicat in psal. 77.) spirituale aliquid significans, erat Christus: & eandem atque nos escam illi ederunt, & eundẽ potum hauserunt, Christum videlicet nasciturum, vt nos iam natum. Quàm igitur falsum est euacuari signa, nisi reipsa præsens res significata cum signo copuletur? Imò num signum est inane aqua Baptismi? & tamen reipsa sanguinem Christi cum aqua consubstantiari neminem adhuc audiui qui diceret. Nempe, inquiunt, quouiam non dixit Dominus hanc aquam esse suum sanguinem. Esto. At illud interea efficitur, non exinaniri sacramentum, etiam si alibi signum, alibi res significata extiterit, modò verè vtrunque donetur. Et de hoc quidem tertio capite, id est de signi cum re significata coniunctione sacramentali hactenus dictum esto. Summa autem veræ & orthodoxæ sententiæ hæc est, Sacramentalem eam esse coniunctionem, qua fit vt ex diuina institutione, quod signis adhibitis significatur, quantumuis procul nunc absens, (nempe Christus ipse secundum carnem) tam verè tamen Spiritus sancti virtute & eo spirituali quem mox dicemus modo fruendum præbeatur, quàm verè signa ipsa oculis cernuntur, manibus tanguntur, & ore percipiuntur. Iam verò tandem ad quartam & vltimam quæstionem accedamus, Qualis sit nimirum & ipsorum signorum, & rei significatæ sumptio. De signorum igitur acceptione nulla est controuersia, quin sit naturalis & externa, vt quæ corporeis instrumẽtis manifestè à quibusuis accedentibus peragatur. Res autem significata, Christi videlicet vera illa caro & verus ille sanguis, sicuti adsunt & dantur, ita etiam sumũtur. Adsunt autem dantúrque menti & fidei, vtpote quæ nunc, vt diximus, non sint in terris sed in cælis, atque non nisi mente & fide vicissim sumuntur, rectè dicente Augustino, Quid paras os & ventrem? Cibus hic non est ventris sed mentis. Crede & manducasti. Hinc autem & illud efficitur, quosuis quidem accedentes (sicuti idem scriptor loquitur) corpus Domini, id est corporis Domini sacramentum, panem illum videlicet, sumere: at solus fideles Corpus Dominum, id est Christũ ipsum sacramento significatum percipere. Hic verò duplex nobis incidit cum illis antagonistis controuersia. Volunt enim illi ore quoque percipi rem ipsam significatam, id est carnẽ ipsam & sanguinem ipsum Christi, ideóque, (quod necessariò cõsequitur) tum à dignis tum ab indignis sumi. Nos hoc vtrunque pernegamus. ac prius quidem illud oralis, quam vocant, perceptionis commentum iis testimoniis Scripturæ oppugnamus, quibus præsentiam illam realem rei significatæ expunximus. De posteriore verò sic disserimus. Vt vniuersa Scriptura euoluatur, nusquam inuenietur alia quàm vnius fidei manu Christum in verbo siue nudo siue sacramentis veluti vestito apprehendi. Hîc quærunt, Quid igitur amplius in Cœna quàm in quotidiana prædicatione verbi accipitur, si vnica spiritualis perceptio sufficit: &, si nihil amplius in illa quàm in ista percipitur, quorsum Cœna fuerit instituta. Respondemus nihil sanè aliud in sacramentis quàm in simplici verbo præberi, & à credentibus percipi. Quid enim amplius quàm Christum ipsum cum omnibus ipsius donis vel nobis largiri Pater, vel accipere ipsi à Patre cœlesti possumus? Christo autem ipsi per fidem in simplici quoque verbo nos vniri non illa tantùm Christi verba ostendunt, Ioan. 6. Quisquis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, &c. quæ pati non possunt antagonistæ de alia quam de verè spirituali Christi perceptione in verbo intelligi: sed illa quoque expressa, Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et illa, Manete in me: quum tamen nondum esset instituta Cœna Domini: & illa, Vt vnum sint, sicut tu & ego vnum sumus. Et vt vno verbo absoluam, si sola Christi membra seruantur, necesse est fateri nos Christo

per fidem verè inseri, etiam antè quàm ad Cœnam accedamus. adeò vt ad Cœnam nemo ritè accedat, nisi qui iam per fidem tum in Baptismo tum in verbo factus sit Christi membrum, ac proinde cum Christo ipso sit iam vnitus. Nec propterea consequitur superuacaneam esse Cœnæ institutionem, qua minimè quidem primùm, sed tamen magis ac magis in Christo coalescimus. Quem enim iam possidemus, adhuc quotidie nobis quærendus est: & quo plura ac fortiora sunt obiecta, eò magis excitatam fidem par est tanto efficaciorem reddi. Alioqui quid isti concludunt, quod nõ liceat ea ipsa prima Cœnæ Domini celebratione aduersus eiusdem repetitionem colligere? Nam certè si superuacanea Cœna Domini statuitur, eò quòd nihil in ea percipiamus quod non antea in verbo & Baptismo sumpserimus, illud quoque efficitur inutile esse denuò ad Cœnam Domini accedere, quũ nihil amplius accipias secundò vel sæpius accedens, quàm idipsum quod iam apprehẽderas quũ primùm eò accederes. Sed, aiunt, datur quibusuis nõ solus panis, sed panis qui est sacramentũ, alioqui frustranea essent Christi verba. Hoc est corpus meũ. Cõcedo. Sed nego cõsecutionẽ, Datur quibusuis vtrunq;, ergo à quibusuis vtrũq; accipitur. Porrigũtur enim duo, vnũ corpori, alterũ menti: vnũ corporis instrumento vel ad vitam vel ad mortem: alterum fide nonnisi ad vitam apprehendendum. Quid mirum est igitur, duobus diuerso instrumento accipiendis, quantumuis eodem, vt loquuntur, actu præbitis, vnum à quibusuis corporis organum commune afferentibus accipi, alterum nonnisi ab iis qui alterum illud spirituale vnicúmque Christo ipsi apprehendendo aptum instrumentum afferant, percipi? Et hîc rursum videte, obsecrò, quanta sit vis veritatis. Qui pro indignis tam peruicaciter, & certè nullo Ecclesiæ fructu, contendunt (quorsum enim de illis tantopere laboramus?) tamen distinguunt inter indignos non satis Christianè viuentes, aut alioqui non satis ad Cœnæ sumptionem præparatos, qui tamen Christi quoque carnem accipiant, idque ad exitium nisi resipuerint: & eos qui planè sunt impij & infideles, qui nihil præter signa percipiant. Atqui si vera est illa realis consubstantiatio, quicunque signa sumunt, sine vlla prorsus exceptione, imò (sit honos auribus, neque hoc quisquam vt blasphemè dictum accipiat) ipsæ panem illum edentes, & vinum illud haurientes bestiæ, Christi quoque carnem & sanguinem sumpserint. Excipiunt indignos dici reos corporis & sanguis Domini. Concedimus. Num verò quòd indignè corpus & sanguinem sumpserint? nequaquàm: sed quòd indignè ex pane illo ederint, & ex illo poculo biberint, siue quòd corpus Domini non diiudicarint. Redundat enim in rei significatæ & oblatæ contemptum, illa indigna sacrorum symbolorum vsurpatio, quum reus etiã maiestatis Cæsaris censeatur qui Cæsaris statuam vel imaginem per contumeliam violarit. Itaque rei sunt corporis & sanguinis Domini, non quæ acceperint (nisi vt sæpe occurrit apud Patres, Corpus pro corporis signo acceperis:) sed quę incredulitate sua reiecerint. Etenim separari à viuifica illa sua virtute Christus ipse non potest. proinde à quocunque percipitur, (percipitur autem à solis fidelibus) eos necesse est, sicut ipsemet clarè testatur, ab æterna morte liberari. Et quum isti contrà excipiunt, ad iudicium quoque dari Christum, ipsa quidem audientium culpa, fatemur, id quidem, sed incredulitate repudiatum, non autem fide receptum. Quòd denique iidem existimant non posse verè Christum ipsum communicari, nisi manibus etiam & ore reipsa apprehensum, ac proinde non ipsiusmet Christi, sed tantùm ἐνεργείας κοινωνίαν à nobis poni, agè etiam expendamus. Primùm igitur sciendum, quum corporalem manducationem tollimus, vt spiritualem ac mysticam statuamus, non de re ipsa quæ communicatur, sed de communicationis modo vtrunque hoc intelligi. Neque enim dixit Christus, Hoc est mortis meæ meritum aut beneficium, sed Hoc est corpus illud meum traditum pro vobis. Nec arbitramur ipsummet Christum minùs inscitè separari à sua efficacia quum de spirituali alimonia quæritur, quàm si quis inficietur oportere à nobis ipsummet panem comedi, & ipsummet vinum bibi, vt postea corporale nutrimẽtum inde hauriamus. Sed hunc participationis modum dicimus non esse corporalem, neque corporeis instrumentis peragi, sed spiritualem & mysticum, vtpote qui sola fide peragatur, rem oblatam in verbo & Sacramentis amplectente. Quòd si fieri hoc posse negent propter tantum locorum interuallum, desinant nos tandem impietatis accusare, quasi Dei omnipotentiam negemus, aut ex humanæ philosophiæ regulis de isto mysterio iudicemus. Fatemur tamen locũ huic obiectioni fore, si per κοινωνίας intelligatur quædam corporis Christi cum nostro realis applicatio seu permixtio, siue totius cum toto, siue partium cum partibus, vt sit Ecclesia reipsa corpus ex innumerabilibus credẽtium corporibus cum Christi corpore reipsa conflatis veluti ferruminatum. Sed apagè à nobis istud portentum. Quis enim corpus hoc ex ista κοινωνίᾳ consurgens, & ad vitam spiritualem penitus pertinens, mysticum esse non intelligit? Verè igitur sed spirituali modo & mysticè vnum per fidem cum ipsomet Christo fimus, vt ex ipso vera in nos vita diffluat: & sicuti membra ista cum anima naturaliter iuncta inde sensum ac motum recipiunt, ita nos spirituali inexplicabilíque modo (magnum enim est, vt ipse Paulus exclamat, istud Christi & Ecclesiæ spiritualis connubij mysterium) in Christo viuamus ipsius Spiritu acti, & ipse in nobis suam ἐνέργειαν exerat. Hoccine verò est communicationem ipsius Christi tollere, ac non potiùs verè diuinam ac cælestem statuere? At si cum istis oralem illam statuas, non sanè fuerit stupendum aut insigne quippiam ista communicatio. Quid enim est magis naturale & consuetum, quàm vt quippiam reipsa præsens, si nobis edendum tradatur, manu accipiamus, & ore deglutiamus? Sed nos, licet nunc in terra & non alibi positos homunciones, nihilominus verè ac reipsa fieri carnis & sanguinis ipsiúsmet Christi in cælis ac non alibi nunc secundum carnem residentis membra, & inde æternæ vitæ succum reipsa haurire, non obstante, tanto locorum interuallo, id verò omnem humanum captum superat, éstque illustre tum veritatis tum omnipotentiæ Dei testimonium. Atque ita etiam eorum calumniæ respõ-

sum esto, qui sacrum hoc mysterium clamitant à nobis in imaginarium spectrum transformari, quum menti ac fidei totum hoc tribuimus. Nam si hoc verè concludunt, quid superest nisi vt Christianorum quoque Baptismum phantasma quoddam inane esse dicamus, & imaginariam eorum salutem qui priùs intereant quàm Cœnæ Domini interesse potuerint? Quòd si naturalis ipse intellectus & assensus vsqueadeò efficax est, vt his facultatibus adiuti tot rerum periti euadamus, non hoc effecerit in nobis fides, excellens illud Spiritus sancti donum, vt quod fide accipiendum offert Deus, hoc ipsum verè ac reipsa quantumuis longissimè positum apprehendamus? & quum Solis quantumuis procul positi calore orbis vniuersus vegetetur, nó poterit scilicet Christus, carne ipsius & sanguine in cœlo permanentibus, vsqueadeò verè nostrum esse mysticum caput, vt æternæ vitæ succum nobis instillet? Sed de istis hactenus dictum esto. Volui autē pluribus hæc vobis, Fratres, explicare, aduersus maleuolorum calumnias, vt cognita Ecclesiarum nostrarum orthodoxa doctrina, nemo eorum qui ad hanc ecclesiam accedunt, cœtus nostros ac præsertim sacram synaxin intra paucos dies celebrandam refugiat: sed vt potiùs religiosè omnes sacrum hoc epulum celebremus, Deum precati vt turbulentos spiritus compescat, rectè sentientes confirmet, det nobis omnibus denique vt in ipso vnanimes vitam in hoc seculo innocentem exigamus, ac tandem in æternam quietē recipiamur à Domino nostro Iesu Christo, cui laus sit & gloria cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum, Amen.



QVAESTIONVM ET RESPONSIONVM CHRISTIANARVM PARS ALTERA, QVÆ EST DE SACRAMENTIS.

CHRISTIANO LECTORI.

Ne quis eorum, quæ hîc scribuntur, lectione offendatur, testatur Beza sese de istis Christianè cum quibusuis paratum conferre, & certiora ex Dei verbo docentibus cedere.

INDEX QVÆSTIONVM IN hac altera parte expositarum, prout sunt ad marginem adscripta numerorum nota.

De Sacramentis in genere, ac primùm de voce Sacramenti.

1 QVOD Hebræi סוד vocant, Chaldæi רזא, Græci μυστήριον, Latini Sacramentum verterunt, nusquam de veteribus aut nouis illis ritibus in Sacris literis dicitur, quibus tamen propterea nihil est additum.

2 Cur hos ritus Græci μυστήρια dixerint.

3 Cur eosdem Latini Sacramenta vocarint.

Fundamenta definitionis Sacramentorum.

4 Sacramenta ideo simplici Verbo esse addita vt per oculos etiam erudiremur, auditum tamen visui ad res cognoscendas præstare.

5 Spiritualium rerum cognitioni quomodo seruiant oculi.

6 Dogmata omnia Christianæ religionis Deus quibusuis tradit, quanuis nō pari docēdi forma.

7 Sacramentis quanuis aliter, nihil tamen amplius docetur Ecclesia quàm simplici Verbo.

8 Docendi ratio per Sacramenta, propter adiectum Verbum, planior est quàm altera, neque temerè huic adiecta.

9 Typi, Cæremoniæ, imagines, parabolæ, cur & quatenus Sacramentis obscuriores.

10 Signa alia naturalia, alia prodigiosa, alia voluntaria.

11 Sacramenta neque naturalia neque prodigiosa, sed merè voluntaria sunt.

12 Signorum voluntariorum alia sunt duntaxat μνημονευτικὰ, alia simpliciter σημαντικὰ, aliis præterea & præteritum quidpiam significatur & præsens aliquid datur, & tum iam datum, tum etiam dandum obsignatur.

Definitio

Definitio Sacramenti pro signo.

Definitio Sacramenti pro tota mystica actione.

Particularis expositio definitionis Sacramentorum.

De copulatione signorum & rerum significatarum in Sacramentis.

De signorum & rerum significatarum perceptione.

Eee. ij.

FINIS.



1. QVÆSTIO.



Vid est Sacramentum?

RESPONSIO.

Sic Græcam vocem μυστήριον verterunt vetustissimi quique Theologi Latini, auctore fortassis illo vulgato Bibliorum Latino interprete, qui plurimis locis illud Græcum vocabulum sic expressit.

Q. Hoc quidem fateor, sed hoc sum miratus, neque Prophetas, neque Apostolos vtriusque fœderis scriptores, communi aliquo vocabulo appellasse vetera aut noua illa quæ vocamus Sacramenta. Locus enim Pauli Ephes. 5.32. ad ipsam actionem Cœnæ Domini non pertinet, sed potius ad eius effectum, nostram videlicet cum ipso capite coalitionem.

R. Ita est vt tu dicis: nec tamen propterea existimandum est quidpiam Dei verbo adiecisse patres Græcos quum μυστήρια, vel Latinos quum Sacramenta, sacros illos ritus vocarēt. Nihil enim prohibet quominus, docendi gratia, voces aliquas vsurpemus extra Dei verbum, modò ne temere id faciamus, aut in ipsa doctrina Prophetica & Apostolica vel tantillum innouemus.

2 QV. *Sed qua ratione sacri illi ritus ita sunt vocati?*

R. Græci quidem cur illos mysteria vocarint res ipsa indicat, cōparatos nimirum cum simplici verbi diuini prædicatione. Nam hæc quidē plana & aperta est: ritus autem isti arcanam habent significationem quum aliud sint, aliud autem doceant. Sicut ergo prophanæ gentes sua habebant mysteria & suas τελετάς quibus homines miris modis Satan fascinarat: ita Ecclesiæ Christianæ, in Græcia primum institutæ, vt sacros illos ritus (ad quos ne κατηχούμενοι quidem admittebantur) à simplici doctrina Christiana distinguerent, voces illas μυστηρίων & τελετῶν ex communi vsu quamuis ad turpissima sacra olim accommodatas, sanctissimis rebus significandis adhibuerunt.

3 QV. *Sed Latinæ vocis Sacramenti ratio non eadem esse videtur.*

R. Neque sanè eadem est. Mihi verò Latini videntur hanc vocem mutuati à militari sacramento siue iureiurando quo milites, Reip. primùm, deinde Cæsari, solenni quodam ritu, & præscriptis verbis adstringebantur: idque ex Tertulliano eruditissimo & vetustissimo scriptore liquidò apparet. Sic enim ille in libro de Corona militis. *Puto*, inquit, *conquirendum an in totū Christianis militia conueniat. Credimúsne humanum Sacramentum diuino superinduci licere, & in alium Dominum post Christum respondere, & eierare patrem ac matrem & omnem proximum quos & lex honorari & post Deum diligi præcipit?* Quibus ex verbis videtur & illud ostendi, solennes illas stipulationes, *Credis? Credo, Abrenuntias? abrenuntio*, à Catechumenis exigi consuetas, ex illa ipsa consuetudine iurisiurandi militaris desumptas quodammodo fuisse, & ad Baptismum traductas quibus Christiani in nomen Christi domini, ac Regis subiectionem iurarēt. Inde & illud eiusdem Tertulliani ad Martyres, *Vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tunc quum in Sacramenti verba respondimus.* Et illud quoque Hieronymi ad Heliodorum, *Recordare tyrocinij tui diem quo Christo in Baptismate consepultus, in Sacramenti verba iurasti.* Sed & ipsum Militandi verbum a Mose de toto Dei cultu vsurpatum est non semel. Cœnam autem Domini, quæ & ipsa cum Catechumenorū Baptismo coniungebatur vt ex Iustini altero Apologetico & Ritualibus veteribus libris liquet, & ipsius iuratæ in Baptismo consociationis pignus est, Sacramentum quoque dici cœptam mirum videri non debet.

QV. *Sed cur iusiurandum illud Sacramentum vocabatur?*

R. Nempe quòd sacris adhibitis ritibus sese milites deuouerēt, atque consecrarent. quas ceremonias impias multi Christiani milites recusantes, martyrium subierunt.

4 QV. *Mihi quidem hæc quod ad ipsam appellationem attinet satisfaciunt. Sed hoc nonnihil me perturbat, quòd animus qui mihi visus erat in priore nostra tractatione acquiescere, nescio quomodo perturbatur audita Sacramenti voce, quasi nescio quid noui præterea sit mihi cognoscendum, idque eò magis quòd nulla est controuersia quæ Christianas Ecclesias magis exerceat.*

R. Hæc est Satanæ astutia, qui nulla vnquam re magis quàm Dei externo cultu homines externis illis rebus addictos ludificatus est. Dupliciter autem hac in re peccatum videtur. Nam alii vsque adeo πνευματικοὶ videri voluerunt vt externa omnia tanquam crassa neglexerint: alii contrà nihil penè crediderunt nisi quod manibus ipsis palparent. Qui verò Deum ducem per prophetas primùm, deinde per Apostolos loquētem audierint, in neutram partem declinabunt, Sed de hoc postea videbimus, vt omnia suo loco explicentur. Paucis ergo tibi sic respondeo. Etsi nos docet Deus intus suo spiritu spiritualia & æterna, tamen hanc ipse sibi legem præscripsisse videtur vt nos per sensus nobis attributos illa ipsa doceat, nisi quum extra ordinem in suis aliquid peragere voluit. Sensus autem quinque sunt, veluti mentis internuntii nempe visus, auditus, gustus, olfactus, tactus. Ex his duos præcipuos, nempe visum & auditum selegit Deus, inter quos libenter ex te quæsierim quem cæteris excellere arbitreris.

5 QV. *Visum opinor, cuius inenarrabilis esse præ cæteris vis quædam videtur.*

R. Falleris tu quidem vehementer. Etsi enim proximè ad mentis ipsius naturam accedere cognitione quadam videtur visio, tum propter celeritatem, tum propter oculorū in perspiciendis rebus acrimoniam: tamen quum nihil nisi quod est aspectabile possis cernere, & in ipsis quæ aspiciuntur rebus præstātissima queq; cerni nisi animo nequeant, sint autē infinitis modis plura quę non spectari quàm quæ cerni oculis possint: quum deniq; sonitu verborū (est autem sonitus menti per aures docēdę institutus) quicquid mente cōcipitur explicari aliquo saltē modo possit: efficitur auditū quàm visum infinitis modis esse vtilius ad res mente cognoscēdas instrumētum.

QV. *Accesseram vt Theologum non vt Physicum audirem.*

R. Quorsum hæc tendant vbi audieris, cognosces me ne tantillum quidem à Theologi scopo aberrare. Quod si de rebus diuinis loquentibus nefas est quicquam Physicum attingere, vniuersum penè Dei verbum expungas necesse est. Negas igitur ad res cognoscendas maiorem esse aurium quàm oculorum vsum?

QV. *Minimè id quidem. quum quiduis audiendo discamus, res autem solas aspectabiles cernamus: nec eas quidem penitus, nisi quæ & quales illæ sint alij ab alijs audiendo doceamur. Sed quorsum hæc?*

R. Vt Deū noris quū de arcana illa sua volūtate (in cuius notitia sita est nostra omnis salus) hominē docere instituisset, cū sēsum ex omnib' delegisse qui ad id erat maximè accōmmodat',

auditum videlicet, ex quo etiam fidem, ac proinde iustitiam ac vitam esse, nos docet Apostolus. Hinc illa diuini verbi præstantia toties sacris literis testata.

QV. *Atqui surdis frustra occinitur. Natura verò nos ad Dei verbum audiendum prorsus ineptos esse in superiore tractatione docuisti.*

R. Audire certè potest quisquis est auditionis sensu præditus, ac etiam auditarum rerum sententiam intelligentia percipere quisquis commodè docetur, nec est rationis expers. Sed istis auditis & perceptis vt rectis ac veris seriò assentiri nemo nisi peculiari Spiritus sancti gratia potest, quæ tamen etiam reprobis multis ad iudicium tribuitur. Promissionem denique salutis in Christo sigillatim sibi applicare, quod est fidei proprium, solis electis datur, quod donum regenerantem gratiam vocamus. Hoc posito, surdis certè non prædicatur Verbum, aures nobis tribuente Deo ad audiendum: & vt ait Lucas, cor nobis aperiente vt auribus intellecta quæ Caro & sanguis non docet per fidem nobis applicemus.

5 QV. *Nondum video quorsum hæc ad Sacramenta pertineant.*

R. Imo iam antea dixi Deum vt nos de sua in nos seruandos voluntate certiores faceret, Visus quoque sensum delegisse, quæ fuit Sacramentorum instituendorum causa.

QV. *Atqui æterna illa & cœlestia bona quæ nobis in Sacris literis proponuntur per fidem in Christo apprehendenda, spiritualia quum sint, cerni nisi animo non possunt. Imò & ipse Christus nunc iam carnis oculis aspici potest.*

R. Verum dicis. Sed inuenit rationem Deus, qua nostris penè oculis videndas præberet eas etiam res quæ per se inuisibiles sunt, & planè etiam magna ex parte intellectiles. Hoc autem vt planius etiam perspicias, vti me non pigebit distinctione à Dionysio illo, quicunque tandem is fuerit, vsurpata. Ait igitur ille doctrinam qua nobis Deus diuina illa tradit partim esse ἐμφανῆ καὶ γνωριμωτέραν id est perspicuam & nostræ cognitioni accommodatam, veluti quum verbis vsitatis hoc vel illud nobis dicitur: partim ἀπόρρητον καὶ μυστικὴν quam etiam συμβολικὴν appellat, id est quæ modo quodã tradatur qui nõ statim res ipsas nudas intelligẽdas proponat, sed per interposita quædam & inuolucra nos circũ ducat. Id autẽ ita esse Scripturæ sacræ ostendũt vt mox dicemus.

6 QV. *Num igitur doctrina Christiana capita quædam planius, quædam obscurius à Deo sunt Ecclesiæ tradita?*

R. Est certè hac in re grauissimè à multis peccatum quòd quæ de docendi forma dicuntur, ad res ipsas transtulerunt: quasi videlicet nescio quam sapientiæ cœlestis ad salutem necessariæ partem vulgo proposuerit, alteram verò nescio quibus perfectioribus seruarit.

7 QV. *Ais igitur nihil aliud oculis siue Sacramentis, quàm auribus siue simplici verbo percipiendum à Deo tradi?*

R. Aio, neque hæc rebus ipsis quæ docentur, sed docendi ratione differre.

8 QV. *Sed quid attinebat obscuriorem istam συμβολικὴν docendi rationem illi simplici & apertæ adiicere, si nihil aliud illa quàm ista docetur?*

R. Imo planior & efficacior est quam tu difficiliorem putas. Dic enim obsecro, annon quod pluribus sensibus, auditu videlicet simul & visu percipis, tibi certius est quàm quod auditu solo intelligis?

QV. *Concedo, si res ipsæ de quibus mihi loquatur aliquis, oculis quoque meis subiiciãtur: sed quid si non res ipsæ oculis conspicuæ, sed signis duntaxat adumbratæ præbeantur?*

R. Respondeo tum quoque efficaciorem esse eam præbitionem si signi ipsius explicatio addatur, quàm si verbis duntaxat ageretur. Etenim, quæso: si Iudex possessionem aliquarum ædium tibi verbis addicens, clauem simul tibi in manum tradat eius possessionis symbolum, annon sis apud te eius rei certior, quàm si nudis verbis tibi ædes illas addixisset?

9 QV. *Ais igitur istam alteram docendæ nostræ salutis rationem (quam συμβολικὴν vocas, quoniam additis signis fiat in oculos incurrentibus) habere adiuncta verba quibus ipsa signorum significatio explicetur?*

R. Aio in hoc quidem de quo nunc agimus argumento, id est in Sacramentis Ecclesiæ sic propriè appellatis. Nam alioquin etiam typi, cæremoniæ, imagines in visionibus, parabolæ denique quibus non semper additæ sunt explicationes, ad istam μυστικὴν Theologiam referuntur. Deus enim obscuriùs docuit Ecclesiam ante exhibitum Christum quàm ipse postea Christus, & post Christum Apostoli: & familiarius etiam discipulos illos suos quàm turbas instituit, quum his quidem, sicuti merebantur, per parabolas loqueretur, illis verò mysteria regni cælorum aperiret. Hoc autem vt melius etiam perspicias, num placet vt ista symbola siue signa in suas species diuidamus?

10 QV. *Placet omnino. Quæ sunt igitur quæso illorum species?*

R. Augustini hac in re vestigia sequutus: dico alia esse naturalia, sicuti fumus est incendii signum: alia prodigiosa & cum miraculo coniuncta, cuiusmodi fore in Sole & Luna & stellis docet Dominus: alia denique ex voluntate & instituto, vel hominum, vt ramus appẽsus est vini venalis signum: vel Dei, vt Iris in cælo apparens est signum, mundum nunquã diluuio periturum.

11 QV. *Ad quam verò speciem refers Sacramenta?*

R. Nempe quum neque naturalia signa sint, neque miraculosa, ad postremam classem id est ad Voluntaria referuntur, instituto videlicet ac Voluntate Dei constituta.

QV. *Atqui naturales illæ res sunt, quæ præsertim in nostris Sacramentis adhibentur.*

R. Concedo: sed quòd Sacramenta sint, hoc certè non habent à natura.

QV. *Sunt ergo miraculosa. Nihil enim magis est præter naturam quàm quod Sacramẽtis præstatur &*

magnum

magnum mysterium esse dicit Apostolus, quod in Cœna Domini sancitur.

R. Non ago de miraculis quæ & ipsa dicta sunt signa quòd potentiam Dei & veritatē Propheticam & Apostolicam obsignarent Mar.16. neque de signis huic vel illi ad confirmandā eorum fidem, vel toti populo (non tamen in perpetuum vsum) exhibitis vt fuit Man & trāsitus per mare rubrum: sed de ordinariis Sacramentis in vsum continuum totius Ecclesiæ institutis, qua de re agens Augustinus, libro de Trinit. 3. cap. 10. & quidem panem sacrum expressè nominans, *Hæc* inquit, *honorem habere possunt vt religiosa, stuporem autem habere vt mira non possunt.* Quod verò ex Apostolo citasti, non de signis sed de effectis dicitur, quæ legitimum Sacramentorum vsum consequuntur, vt suo loco dicemus,

12 QV. *Sed ista quæ Voluntaria siue ex Dei instituto signa vocas, suntne eiusdem speciei?*

R. Nequaquam. Nam alia sunt duntaxat μνημονικὰ, id est in eum vsum instituta vt sint tantùm præteritarum rerum monimenta, vt duodecim lapides de Iordanis alueo sublati, qui essent exsiccati fluminis testimonium. Alia præterea σημαντικὰ, id est rem præsentem vel futuram designantia, vt est Iris in cælo, non modò fœderis illius cum Noacho initi signum: verùm etiā neque iam præsentis neque vnquam futuri diluuii quoddam veluti pignus. Alia denique ita instituta vt præterquam quòd aliquid præteritum nobis in memoriam reuocant, testentur etiam id cui significando adhibentur nobis verè & reipsa dari, eiúsque promissionem in nobis velut impresso sigillo obsignēt. Sic insufflando Christus discipulis suis sanctum spiritum impertitus est, intus inspirando quod exterius flando significabat simul & dabat.

QV. *Ad quam ergo speciem reuocas illa de quibus agimus?*

R. Ad postremam videlicet, quibus præteritum aliquid significatur, præsens aliquid datur, & iam datum ac dandum obsignatur.

QV. *Vis ergo Sacramenta de quibus acturi sumus, partim esse præteritorū μνημονικὰ, partim præsentium ac deinceps futurorum ἐνέχυρα?*

R. Omnino.

QV. *Tandem ergo velim hæc mihi quapiam commoda definitione explicari.*

R. Faciam quantum potero. Sed ita vt vetera illa hactenus attingam, quatenus hæc ex illorum comparatione possunt ac debent etiam intelligi.

QV. *Hoc non etiam quæro.*

R. Sed satisfacere tibi rursus non possum nisi cum præfatione.

QV. *Cúrnam, obsecro, quum iam simus tam multa præfati, ac etiam Sacramentis nihil aliud quàm externo verbo nos doceri dixeris?*

R. Sic opus est, vt Sophisticas calumnias vitemus quibus hîc præcipuè vsus est Satan, captata ex eo occasione quòd homines nullis certioribus decipulis capiantur quàm rebus corporeis, quæ ex Dei quidem instituto ad res spirituales adhibentur, vt eis subseruiant, euenit autem contrà vt res spirituales ex corporearum natura metiamur, quæ est perpetua Idololatriæ origo. Scitè igitur & verè hanc sententiam repetiit Augustinus, miserrimam esse seruitutem, signa pro rebus significatis accipere.

13 QV. *Vtamur ergo rursum vocis homonymæ explicatione.*

R. Sacramentum video in isto argumento modò vocari ipsa duntaxat signa, modò verò res etiam ipsas sacramentaliter, vti diximus, significatas. Prima igitur significatione sic definio. Sacramentum est signum visibile diuinitus Ecclesiæ institutū, cuius vsu Christus cum suis beneficiis ad vitam æternam spectantibus ita significatur conuenienti quadam analogia, vt etiam reipsa in credentium animis obsignetur.

QV. *Rogo vt hanc mihi definitionem explices.*

R. Signum appello, quod sic definit Augustinus lib. 2. cap. 1. De doctrina Christiana, vt rem esse dicat, quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciat in cogitationem venire, vt aqua in Baptismi vsu considerata, præter speciem aquæ quam oculis exhibet, animis repræsentat sanguinem quo sunt peccata nostra abluta. Addo *diuinitus institutum*, partim vt neque sui natura, neque miraculo, sed ex Dei instituto res illas naturales Sacramenta fieri ostendā: partim vt hanc mutationem doceam nō ipsis vocibus pronuntiatis, sed Dei ordinationi in solidum tribuendam: quæ quidem ordinatio verbis ipsius exprimitur.

14 QV. *Negas igitur verbum operatorium quod vocant?*

R. Si verbum operatorium vocas, quod testatur Deum aliquid efficere hanc vocem admitto. Sin verò sic apellas quasi Deus vim aliquam ipsis vocibus indiderit, hoc commentum vt planè magicum repudio.

QV. *Quam igitur vim habent ipsæ voces?*

R. Vt Dei volūtatem, de quaque re, nobis exprimant: siue promittat, siue minetur, siue præcipiat, siue denique hoc vel illud agat. Et aio nihil aliud tribuendum verbis à quoquam pronuntiatis, quàm vt sint eorum quæ dicuntur notæ. Addo *Ecclesiæ institutum*, vt particularia & momētanea Sacramenta ab iis distinguam quæ ad vniuersum fidelium cœtum, & quidem ad continuū vsum spectant. Subiicio, *In quorum vsu*, vt eorum crassum errorem refellam, qui nescio quid diuinæ qualitatis signis instillatum somniāt, quod extra vsum ipsum retineant, vnde sunt infinitæ superstitiones maximè ridiculæ (ne quid acerbius dicam) consequutæ.

15 QV. *An igitur (vt hoc exemplo vtar) panē illum consecratū Cœnæ Domini, extra ipsam actionem, esse communem panem, qui tamen fuerit in ipsa actione verum corporis Domini Sacramentum.*

R. Aio.

16 QV. *Videntur tamen veteres magni viri aliud existimasse.*

R. De hoc postea suo loco viderimus. Addo Christum & ipsius beneficia cōgruenti analogia signorum nobis significari: primùm vt ostendam rem omnibus illis de quibus agimus Sacramentis vt & simplici verbo Dei, significatam, esse non modò quæ in Christo cōsequimur beneficia, de quibus plenius in superiore tractatione disseruimus: sed imprimis ipsummet Christum, quem qui non possideat, nihil istorum ex ipso consequatur, Congruentem analogiam & conuenientiam voco, quæ facit vt signo oculis exhibito, simul intellectui repræsententur res significatæ. An enim obsecro, herbam pingas, vt hominem spectanti repræsentes? Rectè igitur Augustinus. *Nisi*, inquit, *Sacramenta similitudinem quandam haberent earum rerum quas significant, vtique Sacramenta non essent.* Sed de hoc postea viderimus. Postremò facio obsignationis mentionē, sequutus Apostoli vestigia, qui circuncisionem non modò *σημεῖον*, sed etiam *σφραγῖδα* vocat, vt sciamus reipsa præstari à Domino quod signis adiunctis pollicetur. Id verò quum, etsi quibúsuis offeratur, tamen à solis credētibus animo siue spiritualiter percipiatur, quoniā fidei non sensibus corporis offertur, ideo *in credentium animis* adieci.

17 QV. *Sacramentum autem altera ampliore significatione quomodo definis?*

R. Sic definio vt sit actio quædam sacra diuinitus Ecclesiæ ad finem vsque seculi demandata, in qua Deus congrua quadam signorum & rerum significatarum analogia, partim rerum præteritarum memoriam in nobis fouet: partim res cælestes in adiuncto institutionis verbo declaratas velútque oculis nostris repræsentatas nostris animis offert, per fidē spiritualiter obsignandas: qua denique filiorum Dei à mundo separatio, mutuáque eorundē inter se societas sancitur.

QV. *Velim vt hanc definitionem mihi particulatim explanes: ac primum quidem cur actionem appelles, quum neque signa, neque significatæ res actiones sint.*

R. Imò quædam actiones signa sunt, vt mox dicam. Sed vt actio non sit quicquid hîc interuenit, meritò tamen hoc genus in hac definitione statuitur, quoniam & signa ipsa, & res significatæ eò referuntur, vt agendo quod Deus præcepit, & illa sint nobis signa, & istæ res nobis conferantur. Est autem sacrificium quoque actio sacra diuinitus Ecclesiæ mandata, sed tātum ab ista dissidens, quantum interest inter Dare & Accipere. Nam in Sacrificiis offerimus, in Sacramentis recipimus. Sed de hoc postea viderimus.

QV. *Non quæro cur hæc sacra, cur diuinitus, cur denique Ecclesiæ demandata dicas. Illa enim ex superioribus intelligo. Sed percontor cur illud, Ad consummationem vsque seculi, adieceris.*

R. Quoniam credidi nobis propositum esse duntaxat de Christianæ Ecclesiæ Sacramentis disserere, quæ fine demum seculorum abolenda extra controuersiam positum est.

19 QV. *Ita esto. Sed quid signorum voce intelligis.*

R. Duo, nempe inprimis id quod elemētum vocare solent, terrenum videlicet illud & corporeum nempe aquam in Baptismo, & panem ac vinum in Cœna Domini: deinde ritus in ipsa actione vsurpatos, qui & ipsi sunt Sacramentales, neque mutari vel omitti sanè debent.

20 QV. *Analogiam quid vocas?*

R. Cōuenientiam signi cum re significata, vt ablutionis per aquam cum ablutione per sanguinem, & alimenti huius vitæ cum æternæ vitæ alimento.

21 QV *Quænam autem sunt res illa significata?*

R. Christus ipse, vt dixi antea, cum omnibus suis beneficiis ad singulorum Ecclesiæ mēbrorum vsum necessariis.

22 QV. *Cur illud spiritualiter adiicis?*

R. Vt à cælesti Spiritus sancti virtute mystica, miniméque corporea seu sensibus externis, aut etiam naturali intelligentia perceptibili, pendere istarum rerum obsignationem ostendam.

23 QV. *Cur addis Per fidem?*

R. Primùm vt doceam signa quidem externis sensibus obiici, & ab iisdem recipi, res autem ipsas menti offerri, nec tamen à quauis mente (quanuis quorumuis accedentium animo offerantur) sed ab ea demum mente recipi, quæ sit fide prædita quoniam fides vnicum est Christi recipiendi instrumentum.

24 QV. *Rerum autem præteritarum cur mentionem iniicis.*

R. Quoniam fides nostra partim in ea respicit quæ nostri causa Christus perfecit, partim autem promissiones nondum in nobis impletas intuetur.

25 QV. *Quid obsignationem appellas?*

R. Applicationem efficaciorem per fidei incrementum. siquidem quò fides maior est, eò præstātius est eius effectū, vt Christus cū suis donis magis ac magis nobis ipsis velut insculpatur, quò respiciens Apostolus, Christum ait in nobis, & nos vicissim in ipso adolescere.

26 QV. *Quænam autem est illa mutua nostra in Christo consociationis sanctio?*

R. Sic appello mutuum illum spiritualem charitatis nexum, cuius vinculum & membrorū eidē capiti adiunctorū, & eodem spiritu viuificatorū, tū externa professione, tum interioris affectus accessione, in recto Sacramentorum vsu fortiter adstringitur.

27 QV. *Cedò igitur quæ causa est nostrorum Sacramentorum efficiens?*

R. Christus Deus & homo pro bona sua voluntate ac potētia, quam præscriptis verbi per os ministri testificatur.

28 QV. *Quæ materia?*

R. Duplex: Vna terrena, altera cœlestis, teste Irenęo, quas etiā licebit partes essētiales vocare.

Nam certè quicquid est in Sacramento, aut in sensus externos incurrit, & signi rationem habet, aut est res spiritualis, siue cælestis, & per illam externam significata.

29 QV. *Quid signi nomine intelligas antea dixisti. Rem autem spiritualem & cælestem quid vocas?*

R. Christũ ipsum inprimis, deinde ipsius beneficia, postremò & illius & istorũ applicationẽ.

QV. *Age igitur de tribus istis seorsim dicamus. Non vis, opinor, Christi solam virtutem & efficaciam in nos promanantem, ac multo minus etiam solam ipsius iustitiam, quæ imputatione nostra fit, Christi nomine intelligere?*

R. Rectè sentis. Oportet enim ipsum Christum nostrum fieri, nobísque adiungi, cui omnia illa insunt, vt quæ ipsius sunt, ex eo hauriamus: idque ex ipsa analogia liquet. Nam ablui nisi applicata aqua, & ali nisi ipso sumpto cibo & potu nequeas.

QV. *Sed, vt opinor, totum Christi intelligis, non autem vel ipsius diuinitatem solam, vel solam animam, aut solum corpus?*

R. Totum Christum, & totum Christi intelligo, Diuisus enim Christus, Seruator non est.

QV. *Estne igitur aliquod in his discrimen?*

R. Est profectò: qua de re postea dicemus,

30 QV. *Hoc igitur nunc mittamus. Sed si res ita se habet, cur rei illius cælestis ac spiritualis nomine Christum intelligis? num duntaxat ob ipsius diuinitatem vel animam?*

R. Nequaquam. Vides enim in Sacramentis expressè fieri mẽtionem sanguinis & corporis, ac rursum etiam sanguinis: quæ sicut corporeæ sunt naturæ, ita etiam corporeis signis puta aqua, pane & vino repræsentantur.

31 QV. *Cur igitur spiritualem & cælestem rem illam vocas?*

R. Non quòd spiritualis siue incorporeæ sint naturæ, neque quòd cælesti gloria nunc sint præditæ, quo sensu dicit Apostolus, corpora nostra fore spiritualia & cælestia, gloria videlicet, nõ substantia: sed quòd in illis mysteriis proponantur, non nostris corporeis sensibus, & corporeo modo (nec enim aliter agere corporei sensus possunt) sed mente sicut verba monent contemplanda, & fidei manu apprehendenda.

32 QV. *Hæc igitur mysteria imaginaria sunt.*

R. Sic video nonnullos colligere: sed quàm immeritò sic concludant, tunc ostendam quum ad quæstionem ventum erit quomodo res illas significatas participemus.

QV. *Ergo ad alterum nempe ad Christi beneficia accedamus. Quænam illa sunt igitur?*

R. Sunt hæc à nobis superiore tractatione explicata: possunt autem ac etiam debent, in hac tractatione, seruata signorum ac rerum significatarum analogia, ad duo quædam reuocari, nempe ad ablutionem & alimoniam, quarum illa in Baptismi, ista in Cœnæ Domini mysteriis sancitur.

33 QV. *Ablutionem quid vocas?*

R. Remissionem peccatorum, quorum loco succedit cum persolutione pœnæ, obedientia Christi: & cœptam corruptionis naturæ abolitionem, cui opponitur sanctificatio tum nobis imputata, tum in nobis inchoata.

34 QV. *Alimoniam quid appellas?*

R. Horum ipsorum veluti fomentum & incrementum.

35 QV. *Superest tertium, quod vocabas istorum beneficiorum applicationem.*

R. Sic appello veluti insinuationem quãdam quæ fit sancti Spiritus virtute intra nos agente, significatur autem sacramentalibus minimè vanis ritibus: putà corporea ablutione per immersionem & emersionem, & corporeo tum panis esu, tum vini haustu.

36 QV. *At quænam est Sacramentorum forma?*

R. Illa ipsa actio externa legitimè obseruata, itémque actio Spiritus sancti interna.

37 QV. *Mutátne verò ista forma ipsam signorum substantiam?*

R. Nequaquam. Signa enim esse desinerent, si in aliam substantiam conuerterentur, quoniã periret analogia, in qua posita est omnis Sacramentorum ratio. Mutatio est igitur sacramentalis non essentialis, id est, non in rei ipsius mutatione, sed in eius vsu permutato posita, veluti quum aqua fit sanguinis Christi, & panis quidem corporis, vinum autem sanguinis eiusdem Sacramentũ.

38 QV. *Atqui tu ista paulò ante partes vocabas.*

R. Et meritò quidem. Nam hæ duæ per se causæ, sunt quoque rerum partes essentiales, vt rectè Dialectici monent.

39 QV. *Quis est autem ipsorum Sacramentorum finis?*

R. Alii præcipui, nempe vt (sicuti diximus) Christus cum omnibus suis donis in nobis magis ac magis obsignetur: alii minus præcipui, vt & ab aliis Christianam fidem non professis, hac quoque tessera distinguamur. & mutua charitate magis ac magis inter nos deuinciamur.

40 QV. *Nihílne amplius.*

R. Imò hoc quoque adiiciendum est: esse quoque Sacramenta μνημόσυνα rerum præteritarum: vt in Baptismi ritibus, aquæ effusio, Christi sanguinis effusionem, immersio & emersio eiusdem mortem, sepulturam ac resurrectionem, quasi res præsentes oculis nostris subiiciunt, itémque in Cœna fractio panis, passum pro nobis Christum nobis quodammodo repræsentat.

41 QV. *His expositis, libenter ex te quæsiero, quæ sit copulatio signorum cum rebus significatis. Nec enim ignoras, hanc præcipuè nunc agitari controuersiam. Sintne realiter præsentia corpus & sanguis Domini, id est eo ipso loco vbi est panis ille & vinum illud: siue maneant signa, vt existimant nonnulli, siue aboleantur, solis manentibus accidentibus, vt tradunt qui Pontifici Romano assentiuntur.*

R. Hanc cōtrouersiā,eò iā adductā vt ei decidēdæ cōsciētia potiùs quā sciētia sit op',vnus Dominus,aut admirabili quodam iudicio,aut insigni exēplo suæ misericordiæ decidet. Explicare tamē illā conabor,quū ad Cœnā Domini vētū erit. Nūc,vt ad quæsitum respondeā, dico quum res plenius & in verbo simplici & in Sacramētis significatæ sint per se nō subsistētes,vt remissio peccatorum,sanctificarionis donū,fidei incremētū,incorporatio in Christū,& similia: quæstionē de reali rerum significatarū præsentia necessariò ad aliquid ὑφιστάμενον restringi. Hoc autē opinor, non aliud quàm ipsummet Christū poni posse. Et quū ii quibuscū hac de re non sentimus, minimè, vt opinor,Christū diuidēdū censeant vt qui hoc ipsum à nobis fieri (immeritò tamē) conquerātur: quia realē illā corporis Christi præsentiam negamus: ptásne sic statum huius controuersiæ concipiendum esse? Sítne Christus Deus & homo iis ipsis locis præsens vbi Sacramenta administrātur?

QV. *Sic legi in nonnullis illorum scriptis, qui tamen non in genere de Sacramentis omnibus, sed de Cœna Domini hoc affirmabant.*

R. Ego & de Cœna Domini & de Baptismo,ac suo etiā modo,de ipsis ante aduētū Christi in terras,Sacramentis idē affirmare non dubitem: neque me Christianum arbitrarer si hoc negarem.

42 QV. *Gaudeo igitur inter nos conuenire.*

R. Vtinam verò aliquādo conueniat. Audi igitur,quæso. Quin Christus secūdū deitatē sit vbique,ambigi nō potest. Illud quoque extra cōtrouersiā est,quū natura humana sic à Verbo assumpta sit, vt Deus & homo sint vnicū ὑφιστάμενον, consequi si Christum consideres vt vnum & singulare quiddam,totū quoque Christū vbique adesse,non tamē vt in Sacramētis, in quibus profectò necesse est peculiarem quendam, vt ita loquar, παρουσίας modum constituere, vt à cæteris communibus rebus,quibus & ipse adest distinguantur.

Alterum quod à te velim expendi,istiusmodi est. Quod dicitur de toto,non tamen dicitur de singulis partibus,diuersi inter se generis. Vt,exempli gratia, Totum illud quod hominē vocamus, animal esse definimus rationis particeps,quod tamē de neutra essentiali parte hominis seorsim cōsiderata dixeris. Est tamē in hac definitione quidpiam,nempe ratio, quod alteri hominis parti nēpe animæ,tribuitur. Vides ergo aliud esse totum Christum, id est Christum vt totum quiddam consideratum,quàm totum Christi,id est Christum quem per suas sigillatim partes (liceat enim hîc mihi Deitati quoque partis nomen tribuere) expendas?

43 QV. *Video omnino. Sed numquid amplius?*

R. Imò velim & hoc abs te obseruari, quædam sic ad singulare quidpiam constituendum conuenire,vt quod vni per se nullo modo conuenit,tamē ei tribuatur,quatenus cum alio coaluit: id quod vsqueadeò verum est,vt de iis etiam dicatur quæ tamen per accidens duntaxat & ad tempus coniunguntur. Sic exempli gratia,quum Rex coronatus & purpuratus adoratur,corona quoque & purpura adoratur,sed κατ' ἄλλο,id est alterius rei,nempe regiæ ipsius dignitatis respectu,cuius sunt ornamenta: non καθ' ἑαυτά,siue sui ipsius habita ratione. Nam ad res illas non referri adorationē ex eo liquet,quòd eas Regi detractas nemo adorare sustineat. Sed & κατ' ἄλλον, i. propter aliū,propter Regē videlicet adorātur,à quo gestantur. Nec enim vnquā in vnū ὑφιστάμενον purpura vel corona cū Rege coalescit. Multo magis ergo κατ' ἄλλο, de eo quod hypostaticè cū alio iunctum est,dicetur quidpiam,quod tamen ei καθ' ἑαυτὸ tribui nullo modo potest. Sic Verbo assumenti tribuitur,quod est assumpti hominis, vt quum dicitur Deus passus, itémque assumpti hominis quod est Verbi assumentis, vt quum homo assumptus quo tempore loquebatur in terris cum Nicodomo,dicebat se in cælis esse.

QV. *Hac tu etiam in altero tractatu. Sed adiiciebas de concretis quidem vocibus,putà Dei & hominis, hæc dici: de abstractis verò,nempe Deitate & humanitate non item.*

R. Nisi hoc ita sit,necessariò sequetur confusio naturalium proprietatū cuiusque naturæ, quæ vocibus illis abstractis significantur. Itaque Deum crucifixum ac mortuum fuisse rectè & piè dicimus,Deitatem verò crucifixam vel mortuam dicere impium est.

44 QV. *Dic ergo tandem,sitne Christus ipse secundum humanā naturam reipsa & suiipsius substantia præsens vbicunque Christiana Ecclesia Sacramenta administrant.*

R. Dico igitur totum Christum,id est,si vt totum & vnum quiddam ex duabus naturis constitutum consideretur,non modò Sacramentis,sed etiam rebus omnibus verè & reipsa adesse. Nego tamen propterea consequi humanam ipsius naturam in sese consideratam alibi nunc quàm sursum esse,tantum abest vt vel simul multis locis, vel vbique sui substantia adesse possit. Cōcedo quoque hunc hominem si non in sese siue in abstracto,id est, καθ' ἑαυτὴν sed κατ' ἄλλο (id est,si eatenus duntaxat consideretur quatenus cum Verbo à quo assumptus est vnicum est ὑφιστάμενον) tam præsentem vbique esse quàm ipsum Verbum à quo diuelli non potest,nempe non quod ipsemet adsit,sed quia cum Verbo quod vbique adest, ἀχωρίστως vnitus est.

45 QV. *Qua de re igitur inter vos & illos controuertitur?*

R. De eo quòd illi tum qui μετουσίαν tum qui συνουσίαν tuentur, volunt humanam naturam ipsammet esse simul & sursum & deorsum, nos autem sursum nunc tantùm esse docemus: nec tamen propterea personam diuidimus.

46 QV. *Sed illam præsentiam simpliciterne in rebus omnibus, an in Sacramentis duntaxat constituunt?*

R. Vbiquitarii quidem in rebus omnibus,adeò vt Christum,quod ad οὐσίαν attinet,aliter esse nolint In,Sub,vel Cum pane,quàm in quibuscunque rebus: idque hypostaticæ vnionis virtute, quā definiunt omnium Deitatis ἐνεργειῶν reali in assumptam carnem effusione: quo sensu ascensionem quoq; Christi in cælos,& sessionem ad dextram Dei interpretantur. Alii verò quidam hanc realē

ipsius carnis Christi præsentiam sic docent, vt sentiant hoc cōsequutam carnem Christi à Deitate cui adiuncta est, non quidem vt vbique, sed duntaxat vt quotcunque voluerit locis simul esse reipsa possit salua manente ipsius veritate: constare autem ex disertis institutionis Cœnæ verbis, Christum velle carnem suam ibi reipsa adesse: vnde consequatur præsentiam hanc præcipuè in Cœnæ Sacramento statuendam. Alii de re quidem ipsa idem atque illi sentiunt, omissa hypostaticæ vnionis virtute, sed hanc præsentiam petunt ab vnis institutionis Cœnæ Domini verbis, adiūcta sessione ad dextram Patris. Pontificii denique Transsubstantiatores, damnata vbiquitate in solo altaris (vt loquuntur) Sacramento, præsentiam realem statuunt hærentes in operatoria certorum verborum virtute & Dei omnipotentia.

QV. *De istis verò quid tibi videtur?*

R. Peccare arbitror omnes istas sententias in eo quòd inter abstractum & concretum, inter ἁπλῶς, & κατὰ μέρος consideratum, denique inter καθ' ἄλλο, & καθ' ἑαυτὸ distinguere vel nolūt, vel nesciunt, quæ inscitia tot annos Ecclesiam per Nestorianos, Eutychianos, & Monothelitas exercuit. Deinde, in hoc quoque pudendum errorem admitti, quòd quæ ad præsentiam vniuersalem & rebus omnibus communem spectant, ad Sacramentalem præsentiam trahunt.

47 QV. *Sentis igitur quæ de præsentia carnis Christi καθ' ἄλλο dixisti ad omnia pertinere?*

R. Omnino. Nam alioqui Deitatem Verbi statueres alicunde abesse, ac proinde Deitatem non esse. Loquendum tamen est in concreto quoniam abstracta nomina Humanitatis & Deitatis naturas per se consideratas significant. Itaque si abstracto nomine (quæ locutio est ἄκυρος) vti voles, erit tamen addendum, intelligendum esse non in sese, sed alterius naturæ, nempe Verbi respectu, idque non quasi vel in sese, vel Verbi respectu sit Deitas: sed quoniam vnum cum Verbo ὑφιστάμενον est, adeóque licèt in sese absens, tamen in ipso Verbo vbique præsente subsistit.

48 QV. *Quænam est igitur Sacramentalis coniunctio signi & ipsius Christi?*

R. Ea quæ naturæ Sacramentorū & eorundē fini conuenit. Naturam autem Sacramentorū hanc esse docuimus, vt per signa in externos sensus incurrētia noster animus quadā analogia, primùm quidē ad considerandas res significatas, deinde ad eas per fidē sibiipsi magis ac magis virtute sancti Spiritus applicandas traducatur, quoniā idcirco offerūtur spectādæ vt etiā apprehēdantur.

49 QV. *In summa igitur qualis hæc præsentia est?*

R. Non certè quæ sitū loci respiciat, sed quæ sit tota σχετικὴ, siue habitudinis & relationis. Est enim Sacramentum in earum rerum categoria, quæ ad aliquid referuntur.

QV. *Velim hoc mihi facilius etiam exponi.*

R. Faciam si potero, ac nunc velim aliquantum mutatis personis, me quidem interrogandi, te verò respondendi partes sustinere. An non sunt voces earum rerum notæ, quas in quaque lingua certis sonis volumus audientium animis significatas?

QV. *Omnino.*

R. Quid si contenderem reipsa præsens esse oportere id omne de quo sermonem fecero?

QV. *Id mihi quidem valde ineptum videatur, quum de rebus etiam præteritis & futuris, imò quæ nunquam etiam extiterint, aut nondum extent, aut nunquam fortassis extitura sint, loqui possimus.*

R. Quæcunque tamen de re loquutus fuero, eam animo tuo verbis meis repræsentaro.

QV. *Ita est.*

R. Sunt igitur res significatæ iis vocibus per quas significantur, non situ naturali, non denique suamet substantia, sed σχέσει quadam & habitudine adiunctæ, quatenus eas auditorum intelligentiæ veluti sistunt?

50 QV. *Explica id mihi quæso planius.*

R. Similem prorsus Sacramentorum & rerum per Sacramēta significatarum copulationem, id est σχετικὴν esse scito. Nam, vt scitè dixit Augustinus, Sacramenta sunt veluti visibile aliquod verbum, vtpote quæ quod auribus verba, hoc ipsum oculis annuntient. Itaque ineptissimè de reali præsentia hic quæritur, quum realis (siue rei ipsius ac substantiæ præsentia in loco certo) & Sacramentalis præsentia non quidem sint perpetuò repugnantes, sed tamen vsqueadeò inter se differant, vt etiam quod reipsa nondum existit, Sacramentaliter tamen adesse possit: quò respiciens Paulus, Patres ait eandem escam comedisse, & eundem potum bibisse, Christum videlicet. Tantū autem abest vt hæc Sacramentalis connexio sit inanis, vt contrà, sicuti suo loco dicemus, quauis naturali copulatione sit efficacior.

51 QV. *Istam autem relatiuam siue σχετικὴν copulationem quis efficit?*

R. Dei voluntas, verbo institutionis declarata.

QV. *Vin' igitur vt de Consecratione differamus?*

R. Malo certis de causis, ad tractationem de Cœna Domini totum hoc differre.

52 QV. *Non igitur euacuant signa quicunque rem significatam sua substantia à signis abesse docent?*

R. Non euacuant certè, nisi vanas esse voces dicamus, quibus res etiam absentes non minus quàm præsentes insculpimus audientium animis.

QV. *Quinam igitur euacuant?*

R. Qui Sacramenta docent esse duntaxat rerum præteritarum μνημόσυνα aut mutuæ tantùm societatis Christianæ tesseras: aut quæ illis significantur, non etiam verè offerri, fidei instrumento veluti manu comprehendenda.

53 QV. *Iam autem mihi velim explicari qualis sit tum signi tum rei significatæ perceptio.*

R. De priore istius quæstionis parte ambigere te non posse arbitror. Quum enim res corporeæ sint signa, naturaliter quoque corporis organis à quibusuis accidentibus percipiuntur,

54 QV. *De altera igitur huius quæstionis parte, id est, de rei significata perceptione dicamus.*

R. Hanc rem significatam ostendimus Christum ipsum esse cum ipsius donis, quorum alia nostra fiunt per imputationẽ, alia verò in nobis ipsis efficiuntur & inhærent. Dico igitur ista, quum sint meræ qualitates sicut soli animo obiiciuntur, ita solo animi instrumento percipi, fide tamen præditi, quæ est vnica animi ad Dei promissiones amplectendas manus. Est itaque tota hæc perceptio modis omnibus spiritualis. Nam & spiritualia est naturæ quod percipitur, & spirituali organo perceptio hæc peragitur, & spiritualis est tota istius organi actio.

55 QV. *At idem de Christo ipso dicere nequis, vt qui secundum neutram naturam sit qualitas, aut aliud quidpiam eiusmodi.*

R. Atqui primum omnium, quod ad ipsam Verbi hypostasin attinet, impium opinor fuerit existimare ipsam aliter quàm energia siue efficacitate à nobis participari. Nam alioqui Dij & ipsi natura euaderemus: ac proinde sic explicandum esse Petri locum, 2. Pet. 1. 4. & cæteros eiusmodi omnes alios cuncti alicuius nominis interpretes consentiunt.

QV. *Assentior, & illud Manichæorũ deliriũ à Serueto renouatum detestor, existimante sic Deũ adesse rebus omnibus vt etiam earum pars esset. Verùm quid de humana Christi natura pronuntias?*

R. Ne Christi quidem animæ essentiam, vt arbitror, existimas cum anima nostra reipsa connecti. Quid enim ista animarum ferruminatione ineptius? Sed ne corporis quidem vllo organo apprehendi posse animæ substantiam dixeris.

56 QV. *Idémne verò de corpore ipso Christi existimabimus?*

R. Corporea cõcedo quidem ego corporeis sensibus percipi, sed corporis tamen Christi cũ nostris corporibus contactum, & cohærentiam realem, vt monstrum quo nihil neque magis falsum, neque minùs ad Sacramẽtorum finem accommodatum fingi potest, penitus repudio, quicquid tandem isti delirio prætexatur.

QV. *Cedò igitur cur falsum id vocas?*

R. Quoniam cum veritate nunc quoque circumscriptæ carnis Christi, nullo modo conciliari potest: & toti Euangelicæ historiæ repugnat.

QV. *Cur ad Sacramentorum finem minimè accommodatum?*

R. Quoniam tota Sacramentalis actio ad æternam vitam penitus fertur, ideóque perceptionẽ hanc animo & fide, non autem corporis instrumento fieri necesse est: quamobrem etiam sicut signa externa sensibus externis, sic intellectui & fidei, res significata, proponitur.

57 QV. *Atqui si substantiæ ipsius perceptionem tollis, efficitur pro corpore & anima Christi, seu pro ipso Christo solã eius energiam abs te substitui?*

R. Imò perceptionem ipsiusmet Christi, minimè tollo. Quemadmodum enim vt cibo alatur corpus in hac vita, reipsa priùs illum sumi oportet: ita etiam statuo (quod antea quoque dixi) oportere nos ipsummet Christum in primis participare, adeóque nos vnum cum ipso reipsa fieri, vt ex eo viuificus ille succus in nos deriuetur. Neque enim dixit, *Hoc est meum meritum*: vel, *Hic est fructus passionis meæ*: sed, *Hoc est corpus meum*: neque dixit Paulus duntaxat *nos baptizari in mortem Christi*, sed, *nos induere Christum*: vel, *panem quem frangimus, esse communicationem beneficiorum ipsius*, sed *communicationem corporis ipsius*. Ergo, vt ad rẽ redeam, non tollo ipsummet corpus vt energiã ipsius pro re significata substituam: (quod autem Sacramentis significatur, illud ipsum quoque reipsa percipiendum datur) neque reipsa percipi Christum ipsum nego: sed merè spiritualem & mysticam hanc perceptionem siue apprehensionem, siue applicationem, siue *κοινωνίας* esse affirmo.

58 QV. *Cur spiritualem vocas?*

R. Primùm vt omnem corporis Christi cum nostris corporibus contactum, omnem localẽ cohærentiam & coexistentiam, illud denique oralis manducationis monstrum vt merè Cyclopicum (quantumcunque aliis non minus fictitiis Inuisibilitatis, & Illocalitatis commentis excosetur) penitus excludam. Deinde quòd animi & fidei vnius ore ac manu, quod ad nos attinet, ista perceptio peragatur. Est enim hic cibus non ventris, sed mentis, vt rectè ait Augustinus.

59 QV. *Cur autem mysticam vocas?*

R. Vt doceam ab vnica omnipotentis Spiritus virtute planè arcana & nobis incomprehensibili quæ res etiam longissimè dissitas, arctissimè connectit, istam vnitionem qua simus caro ex carne Christi, & ossa ex ossibus Christi, spirituali videlicet quodam connubio, dependere: in eo Apostoli vestigia sequutus, qui magnum hoc esse mysterium exclamat.

60 QV. *Istam verò κοινωνίας cur vnitionem quoque appellas?*

R. Quoniã tota Scriptura testatur nos vnũ fieri oportere cũ Christo, Christóque incorporari, & veluti membra cũ eo ceu capite connecti, vt viuat ipse in nobis, & nos in eo. Hanc autẽ connexionẽ non esse tantùm consensionis cuiusdã, veluti quũ dicit Lucas credentiũ fuisse cor vnũ, & animã vnã, sed etiã naturalẽ, siue ipsiusmet Christi cõmunionẽ: sic intelligi rectè scripsit Cyrillus.

61 QV. *Mihine verò commoda quapiam similitudine mysterium istud alioqui incomprehensibile, possis vtcunque adumbrare?*

R. Possum profectò ex illa capitis & mẽbrorum similitudine, toties apud Apostolum occurrente. Quæso igitur, Hæc brachia vndénam sensum & motum naturalem habent? certè à capite, cui per artuum commissuras naturali modo annectuntur, sensus alioqui & motus omnis expertia futura. Iam verò finge apud te quemadmodum odores pixidis vnguenti valde odorati, res etiam longè dissitas vtcunque afficiunt: & magnetis vis occulta in ferrũ agit etiã procul remotũ, sic inesse tantam vim animalem huic meo capiti, vt etiam si Constãtinopoli esset collocatum, brachium autẽ meũ vnum in India, alterũ in Hispania esset, tamẽ illa posset animare: finge, inquã, tale

quiddam apud te,& istius in Christum nostræ concorporationis imaginem quandam adumbratam habebis.Christus enim ipse secundum carnem neque nunc alibi quàm supra istos cælos collocatus,in quo secundum carnem physico ac naturali motu ascendit,neque priùs inde quàm extremo illo die rediturus, credẽtes omnes in terris positos verissimè & efficacissimè sibi annectit, copulat,inserit,interueniente diuina illa virtute, quæ nulla locorum interualla moratur: vt postea es ipsius carne, in qua σωματικῶς habitat ipsa vita, & quæ Spiritum non accepit ad mensuram, viuificus ille succus in nos credentes promanet.

62 QV. *Nullo igitur neque locali motu,neque contactu,nulla denique humanæ Christi naturæ in terris collocatione ad hanc *[illegible]* opus est: neque hæc ipsius Christi communicatio eò tendit vt substantiarum commixtio fiat,sed vt ex Christo ipso spiritualiter sic nobis adiuncto,vis ipsius viuifica in nos promanet?*

R. Apage,inquam,omnes illas falsissimas & ineptissimas nugas.

63 QV. *At cur carnis potius quàm Deitatis mentionem in ista coadunatione facis?*

R. Hoc minimè facio, quasi Deitas nihil hîc agat, quum è contrario ne ipsa quidem caro Christi simpliciter & per se, quatenus caro est,sed quia caro Verbi est, nos viuificet, vt scitè loquuntur Patres.Sed in eo Christum magistrum sequor,carnis suæ & sanguinis sui nomina disertè in hoc mysterio nostræ cum ipso coniunctionis inculcantem,quia nimirum nonnisi humanæ ipsius naturæ interuentu, & quatenus frater noster est,connecti cum ipso possumus.

64 QV. *Sed quemadmodum solo animo fide prædito,dicis hunc cibum à nobis recipi,num etiam existimabimus ad animum duntaxat pertinere huius vnitionis fructum?*

R. Minimè.Nam etiam in hac vita Christus fide apprehensus nobis omnia non modò corporis,sed etiam animi bona suppeditat,quot & quantis nobis opus est, ac tandem quoque totis nobis vitam æternam largietur.

65 QV. *Sed hanc nostram cum Christo coalitionem ad vnicúnne Cœnæ Domini mysterium cum nonnullis restringis?*

R. Absit. Nam & in simplici Verbo,& in vtroque Sacramento,(quanuis dissimili analogia, nec pari, nisi incredulitas nostra obstiterit, effectu) totus Christus fide spiritualiter apprehendendus nobis offertur:tantum abest vt à Cœna Domini Christum excludamus, sicut nonnulli calumniantur.

66 QV. *Nihilne igitur inter quotidianam illam Christi per fidem perceptionem & eam quæ in Cœna Domini fit,interesse putas?*

R. Imò puto,nisi incredulitas obstiterit,multum inter illam quàm merè spiritualem voco, & eam quæ Sacramentalis dicitur, interesse:non tamen quod ad rem ipsam,neque quod ad fidei instrumentum, sed in eo quòd ibi solo verbo,hîc verò etiam visibilibus signis fides admonetur, & res significata efficaciùs obsignatur. Deinde in eo quoque ista alteri præstat quòd Verbum simplex plerunque vniuersaliter populo proponitur, Sacramẽta verò singularibus personis præbentur quasi ipsius Dei manu,quæ res ad particularem πληροφορίαν mirè conducit.

67 QV. *Num verò existimas veteribus eundem Christum,ante ipsius in carnem aduẽtum, omniáque eius beneficia tum in simplici Verbo, tum in adiunctis Verbo typis ac Sacramentis fuisse propositum, fide quoque apprehendendum?*

R. Omnino sic statuo.Christus enim ipse totus tum Verbo audibili,tum verbis visibilibus, id est Sacramentis in eundem finem & illis est olim propositus & nobis nunc proponitur.

68 QV. *Planè mihi exciderat quod ex te quæsitum volui. Quomodo videlicet scribat Augustinus (vt tu citasti) Sacramenta non posse stuporem habere vt mira,si tam est admirabile Christi & Ecclesiæ vnitionis mysterium?*

R. Iam ad id ego respondi,aliud esse de Sacramentis ipsis quærere,quàm de iis quæ ipsorum interuentu Deus efficit.Sacramentorum igitur naturam siue Sacramenta ipsa rectè vetat Augustinus inter miracula numerare, quoniam minimè nouum est, nec contra rerum etiam naturalium ordinem,vt quidpiam propter analogiam, & ex hominum etiam pacto alicui rei ab ipsius natura prorsus diuersæ significandæ adhibeatur.Obsecro enim,annulo sponsionem coniugii futuri, traditione clauis,missionem in possessionem ædium, non modò significari, sed etiam sanciri, quod tandem miraculum est? Eadem est prorsus,etsi non in specie, tamen in genere,Sacramentorum ratio, quanuis omnem ipsorum etiam Angelorum captum superent, quæ Deus in nobis, si rectè iis vtamur, efficit.

69 QV. *Num ergo(vt ad illud redeam) quod de nostris Sacramentis dixisti, idem de veteribus illis censes?*

R. Dico vtraque in iis quæ sunt,vt ita loquar, ex ipsius Sacramenti substantia, prorsus conuenire,in nonnullis verò circunstantiis differre.

70 QV. *Ostende igitur conuenientiam.*

R. Primùm conueniunt in causa efficiente. Nam Christus vnicus noster legislator,& hæc & illa constituit. Deinde in re ipsa interna. Idem enim Christus fuit arbor vitæ in paradiso, agnus occisus ab origine mundi, Patrum pascha tollens mundi peccata, Petra spiritualis, Patrum esca & potus,quod de typis quoque & figuris, omnibus denique Sacramentis veteribus constituendum est.Rectè enim ac verè Augustinus tractatu in Ioannem 26. *Verum Sacramẽta*(inquit)*quoad signa,fuerũt à nostris diuersa,quoad significationẽ verò,paria.*Cõueniunt quoq; in verbo,quod ad substantiam attinet,etiamsi voces eædem non sint. Vtrobique enim Christum & eius dona exhiberi, Verbo institutionis significatur:Patribus quidem venturum, nobis verò vt qui venerit. Sed

& vtrobique idem instrumentum applicationis,& eadem fides in signis diuersis inuenitur,vt ait idem Augustinus tractatu in Ioannem 45. Idem quoque est vtrobique finis & effectus, si quidem Circuncisio fuit σημεῖον & σφραγὶς iustitiæ ex fide, Rom. 4.11. & circuncisi fuerunt in Christo patres circuncisione cordis ἀχειροποιήτῳ Coloss.2.11.

71 QV. *Quibus autem rebus differunt?*

R. Signis primùm(quo nomine etiam ritus ipsos Sacramentales intelligo) quæ & spiritualiora & pauciora & minus operosa habemus. Deinde in Verbi perspicuitate, quæ est in nostris multò illustrior, vnde & aliud discrimen nascitur in ipsa efficacitatis mēsura. Quò enim est apertius Verbum,eò magis moueri,ac proinde eò efficaciorem fidem esse oportet. Huc pertinent illa eiusdem Augustini verba, Sacramenta nostra esse pauciora, faciliora, significantiora, & magis augusta,sed & illud istis adiici potest, eo quoque ista inter se differre, quòd illa fuerint ad Christi duntaxat aduentum vsque instituta:nostra verò non nisi cum seculo finem accipient.

72 QV. *Mihi verè, si ita est vt dicis, duabus maximis in rebus petior fuisse Patrum quàm nostra cōditio videtur. Primùm quòd plura, deinde quòd significantiora habuerint fidei adminicula.*

R. Obsecro verò vtrius putaris maiorem corporis imbecillitatem, eiúsne cui geminis adminiculis ad gressus firmandos sit opus, an eius qui vnico baculo innitens, facilè quóuis gradiatur?

QV. *Illum profectò duplò quàm istum indicarim imbecilliorem.*

R. Idem igitur de Patrum illorum conditione statuito. Nec enim Sacramentorum multitudo meliorem eorum statum, sed contrà deteriorem fuisse ostendit. Nam ne Sacramentis quidem fides nostra, si per se satis esset firma, indigeret.

73 QV. *Sed in illis profectò fuisse apertior analogia signorum cum re significata videtur. Nam certè caro & sanguis cæsarum victimarum, apertius quàm panis & vinum carnem & sanguinem crucifixi Christi repræsentabant: & Manna cælitus delabens, Verbi incarnationem, itémque aqua ex aperta rupe profluens, sanguinem Christi ex vulnerato ipsius latere exundantem, quodammodo ob oculos sistebat multò apertiùs, quàm panis fractio, & vini in poculum effusio.*

R. Oportuit quidem mysteria illa nondum peracta, sed peragenda, crassiore quadam analogia Patribus repræsentari, quàm nobis, quoniam rebus futuris longè difficilius est credere, quàm peractis,& certa narratione testatis. Crassiùs igitur illa signa & palpabiliùs, sicuti dixisti, rem futuram significabant. Sed primùm in eo falleris, quòd quo crassior est analogia, eò significantiorem esse arbitraris.

QV. *Quamobrem?*

R. Quoniam res Sacramentis significatæ sunt cælestes, quas caro & sanguis non docet, sed vnus ille veritatis Magister Spiritus sanctus: vnde dicuntur ab Esaia ipso, Christo omnes credentes θεοδίδακτοι. Itaque analogiæ efficacitas à Verbo pendet, quo quænam ea sit, & quorsum tendat explicatur.

QV. *Placétne aliquam adhibere similitudinem, ex qua quid hoc rei sit planius intelligam?*

R. Placet profectò, vt Sophistis etiam os occludatur. Demus locum adhuc esse circumcisioni. Si mysteriorum istorum prorsus ignarus videres aliquem circumcidi, quid tibi in mentem veniret?

QV. *Crudeles esse parentes in recens natum infantem, adeò quidem vt eos fuerim execraturus nisi aliud eorum consilium intelligerem.*

R. Intelligeres autem profectò, si hoc demonstrarem ex Dei mandato fieri. Quòd si etiam tibi per præputium sordes nostras natiuas, & earum fructus significari ex Dei instituto declaratum esset, quæ effuso sanguine suo sublaturus esset nasciturus ille Dei filius, multò etiam magis profectò acquiesceres. Optares tamen, iam hoc ipsum edoctus, idem commodiore quadam ratione,& minore cum infantis periculo posse administrari. Quid si igitur simplex ablutio, illius cruentæ amputationis loco institueretur? nempe istam conditionem illi anteponeres. Eadem est cæsarum victimarum ratio, quæ & operosa erat,& sumptuosa. Et quod ad illa extraordinaria attinet, Mannam videlicet cælitus delapsam, & aquam ex petra emanantem, sunt illa inter typos semel exhibitos, non inter Sacramenta perpetua recensenda, quibus opponi non debent nostra Sacramenta, sed veritas in ipso Christo exhibito præstita.

QV. *Intelligo quod dicis, nempe quò simplicior est analogia, & quò magis perspicuum verbum quo significatio ipsa explicatur, eò præstantiorem esse nostram quàm Patrum conditionem. Sed tamen videtur illa veterum Sacramentorum analogia expressior.*

R. Ne hîc quidem quid dicas, satis intelligis. Nam in Circuncisione quidem nihil præter amputationem vides: id est, alteram duntaxat beneficii Christi partem adumbratam. Nec enim duntaxat veterem hominem aboleri, sed etiam nouum hominem in nobis nasci: neque duntaxat tolli quod Deum offendebat, sed etiam tribui iustitiam, qua delectatur oportet. Aqua autem ipsa Baptismi,& ritus ipsi, ánnon multò expresiùs vtrumque nobis beneficium declarant? Idem ac multò etiam euidentius est epularum veterum,& nostrarum discrimen. Caro, inquis, expresiùs carnem repræsentat, quàm panis: & victimæ mactatio, Christi mactationem: Esto. Verum quorsum mihi Christum mactatū nisi fiam eius particeps? nihil profectò amplius quàm dapes appositæ, quibus tamē non vescar. Itaque nostra Sacramēta priore illa parte mactatione videlicet non quidē prætermissa, sed minùs tamē operosè significata, cuius plena fides nobis facta est in Euangelica historia, alteram potissimam partem id est, κοινωνίαν nobis velut ob oculos sistit. Panis

enim

enim est profectò ad huius vitę fomētum multò maior vsus, quàm carnis: & quum vita sit in sanguine, arcerentur autem ab omni sanguinis vsu Patres, quem nunc in vino Sacramentaliter bibere non minus quàm carnem in pane Sacramētaliter comedere iubemur: quis nō videt ipsis etiam signis & Sacramentalibus ritibus nostra Sacramenta veteribus præstare?

74 QV. *Alius mihi scrupulus superest. Quinam videlicet humana Christi natura nondum reipsa existens, fuerit tamen veterum Sacramentorum res significata, & ita quidem vt verè sit Patribus communicata.*

R. Quid igitur putas illa Sacramenta veterum significasse? Nec enim opinor te iis assentiri qui imagines quasdam fuisse volunt, terrenis duntaxat promissionibus adiunctas.

QV. *Isti certè impietati non assentior, quæ populum Dei in haram porcorum transformat. Sed quæro rectène satis sentiant, qui, quæ dona in Christo Ecclesiæ conferuntur, quibus si careat, æternæ vitæ particeps esse non possit, ea putant veterum quoque Sacramentis promissa & donata: sed ea tamen non exhibita quæ nondum existebant.*

R. Mirè tu quidem istorum opinionem durissimam emollis. Ego verò non dubito dicere cum Apostolo, eandem escam illos atque nos verè comedisse, & eundem potum bibisse, nempe Christum ipsum Deum & hominem.

QV. *Quinam?*

R. Primùm quia sic disertè loquitur Apostolus.

QV. *Atqui Apostolus non dicit totidem verbis Patres eandem atque nos escam edisse, aut potionem eandem bibisse, sed eandem potius inter se, quamuis dissimili euentu: sicut hodie tum pij tum impij eadem Sacramenta participant, alij quidem ad salutem, alij verò ad iudicium.*

R. Sophisticum hoc effugium quatuor rationibus refellitur. Primùm, quòd non esset satis firmum Pauli argumentum, si Sacramenta statuantur reipsa imparia. Deinde quoniā hanc ipsam escam & hunc potum disertis pronuntiat Apostolus, esse Christum. Tertiò, quoniam permutat ipsa Sacramentorum veterum & nouorum nomina, noua veteribus attribuens, vt illam in re significata & vsu ταυτότητα declaret. Quartò, id liquet ex disertis tum aliorum tum præsertim Augustini verbis, tractatu 45. in Ioannem, & de pœnitentiæ vtilitate, Epist. 102. & alibi. Id verò si conuenit istis typis, multo magis de Sacramentis perpetuis, & ad hoc vnum ipsum significādum institutis idem existimandum est: quo sensu dixit Ioan. Baptista, Ecce agnus qui tollit peccata mundi: & Paulus, Pascha nostrum immolatus est Christus.

75 QV. *Sed quid si excipiam hæc omnia nihil aliud significare quàm solam efficaciam Christi venturi?*

R. Atqui hæc efficacia tam pendet ab iis quæ nostri causa passurus erat Christus quàm ab ipsomet Christo. Cur igitur magis offenderis, quum dico ipsam Christi humanam naturam, quamuis nondum existeret, tamen fuisse Patribus in Sacramento verè datam, & in ipsis obsignatam, quàm quum Patres ipsius nondum existentis carnis iustitia iustificatos, & Spiritu re ipsa sanctificatos fuisse dico? Hæc enim est Christi beneficiorum summa. Deinde quum putas fuisse eorum fructuum qui ex carne Christi (siue qui ex Christo secundum carnem ad nos emanāt) participes factos Patres, exclusa ipsius Christi & eorum quæ nostri causa postea pertulit communicatione, perinde facis ac si de corporali hac vita disserens, velles cibo nutriri, qui tamen ciborum substantiam nullatenus sumerent.

76 QV. *In summa igitur quid hac de re statuendum dicis?*

R. Nempe & coram Deo ipso promittente, & coram fidei oculis fuisse perpetuò præsentem totum Iesum Christum, & omne salutis nostræ peragendæ mysterium: quæ ille quidem credentibus impertiretur: credentes autem tum in Verbo simplici, tum in adiunctis Verbo sacramētis, verè & efficaciter amplecterentur. Vidit enim diem Domini Abraham fidei oculis, quæ est rerum quæ nondum sunt substantia, id est, cui iam existunt quodāmodo quæ seipsa non sunt. Fateor tamen rem ipsam, id est, ipsum Christum actu non fuisse illis exhibitum secundum carnem, siue de facto, vt loquuntur, sed de iure tantum.

QV. *Quid autem istud rei est?*

R. Loquar igitur apertius, & dico, nunc quidem exhibitum totum Christum cum omnibus suis donis & in simplici verbo, & in Sacramentis noui fœderis significari simul & nobis præberi fide spiritualiter, sicuti diximus, apprehendendum ad iustitiam, sanctificationem & vitam æternam: Patribus verò ius in carnem Christi nascituram & in omnia eius dona fuisse & simplici Verbo & adiectis ei Verbo promissionibus tributum: ac proinde iam tum fuisse Patres eiusdem Spiritus virtute, & eadē fide, membra nascituri Christi verè habitos, & in eo venturo itidem verè iustificatos, & sanctificatos fuisse: differre denique illorum conditionē à nostra, non re, sed (vt loquuntur in scholis) secundū plus & minus. Christus enim vnicus est, & eadē sunt quæ nostri causa præstitit, eadem quæ ab ipso expectamus, & fides eadem est, siue in futura illa, siue in nondum existentia, siue iam præterita respiciat.

77 QV. *Quum loquutiones Sacramentales considero, videor mihi inuenire quod tibi obijciam, aduersus ista quæ de signorum & rei significatione, itémque de nostra cum Christo communicatione disseruisti.*

R. Formulæ loquendi non modo Sacramentales, sed etiam typicæ, partim sunt propriæ, partim figuratæ.

78 QV. *Quænam propria?*

R. Quibus quod signi est, signo, itidémque quod rei est, rei distinctè tribuitur: vt quum Circuncisio dicitur signū fœderis, Gen. 17. 11. itémq; σημεῖον & σφραγὶς iustitiæ fidei, Rom. 4. 11. & agni

ſanguis, ſignum. Exod. 12. 13. & Sabbatum ſignum reuocans in memoriam creationem mundi, & obſig. ans peculiarem populi Iſraelitici conſecrationem, Exodi 31. 13. & 17. & duæ illæ laminæ, ſignum in memoriam reuocans illam Datbanis & Abironis coniurationem, Numer. 16. 38. Sic miniſterium hominis exterius ſeorſim ab interno conſideratum, nihil eſſe dicitur, 1. Corinth. 3. 7. Sic Baptiſmus aquæ exterior, ab interiore Spiritus efficacia propriè diſtinguitur, 1. Pet. 3. 21.

QV. *At nuſquam inueuio Baptiſmo vel Cœna Domini attributam ſigni vocem.*

R. Ergo Sacramenta eſſe nega. Nam certe Sacramenta ſigna ſunt. Imò & ipſi Pontificii ſubſtantiam aquæ, & ritus Sacramentales Baptiſmi, fatentur eſſe ſigna: & iu ſuo illo Altaris Sacramento, ſaltem ſpecies pro ſignis ſtatuunt. Præterea res ipſa clamat verum eſſe quod teſtatur Irenæus, (vt cæteros Patres omittã) de re terrena & cæleſti, quarũ illa ſit iſtius ſignũ neceſſe eſt.

79 QV. *Quænam autem ſunt Sacramentales formæ figuratæ?*

R. Primùm, quibus elementi nomen ipſi rei ſignificatæ attribuitur, vt quum Peſach dicitur eſſe agnus, Exod. 12. 11.

QV. *Atqui non deſunt, qui hoc loco dicant Peſah propriè dici de ipſo tranſitu.*

R. Eſto. At certe tranſitus ipſe comedi non poteſt. Ergo ibi ſaltem fateantur agnum ipſum dici Peſah, vbi verbum Peſah dicitur apparari & comedi. Sic Chriſtus a Ioanne vocatur Agnus ille Dei, & à Paulo dicitur Peſah, 1. Corinth. 5. v. 7. Chriſtiani ſunt vnus panis, 1. Corinth. 10. 17.

80 QV. *Iſta mihi quidem ſufficiunt. perge, quæſo, alias ſpecies explicare.*

R. Altera ſpecies, eſt iſti ex aduerſo reſpondens qua rei ipſius appellatio tribuitur elemento. Sic lapis à Iacobo erectus, dicitur Bethel, Geneſ. 28, 22. Sic ſeptem vaccæ & ſeptem ſpicæ ſunt ſeptem anni, Geneſ. 41. 27. Sic Arcæ fœderis innumerabilibus locis tribuitur nomẽ Iehouæ. Imò & ipſi Moſis altari. Exodi. 17. 15. Sic linguæ Chanaanis nomine intelligitur puræ religionis profeſsio, Eſaiæ 19. 18. Sic columbæ tribuitur nomen Spiritus ſancti, Ioann. 1. 33. Sic denique petra erat Chriſtus.

QV. *Atqui non petra illa corporea, ſed illa demum petra ſpiritualis dicitur fuiſſe Chriſtus.*

R. Agnoſco Sophiſticum effugium, quaſi videlicet de re ipſa, non de ſigno iſtud dicatur. Sed quid iſti reſponderint, ſi quæſierim ánnon tamen Paulus ad illam petram reſpexerit, ex qua riuus defluxerit? nihil profectò ex quo non conuincatur ipſorum ſophiſtice. Nam eò deueniant neceſſe eſt, vt fateantur Chriſto, petræ corporeæ reſpectu tributum fuiſſe petræ ſpiritualis, id eſt, vt interpretantur ſpiritualiter, & quatenus typus erat, conſideratæ, nomen illud propter illam verè naturalem rupem. Itaque ſuis ſeſe laqueis induunt, vel fateri coguntur Chriſtum vocatum rupem, quoniam ſpirituali ſignificatione ab illa rupe adumbrabatur. Sed quid iſtis Auguſtini verbis facient, Tractatu in Ioannem 45. *Videte fide manente ſigna variata, ibi petra Chriſtus, nobis Chriſtus quod in altari ponitur: & ſi ſpeciem viſibilem intendas, aliud eſt: ſi intelligibilem ſignificationem, eandem potum ſpiritualem biberunt.* Et Epiſtola 102. *Aliquando res quæ ſignificat, nomen eius rei quam ſignificat, accipit. Sic enim & petra Chriſtus, quia Chriſtum ſignificat.* Idem denique, petram ſpirituale, Pſal. 77. nõ ipſum Chriſtũ (vt illi) ſed quæ ſpirituale aliquid ſignificaret interpretatur.

QV. *Perge igitur.*

R. Sic denique panis ille dicitur Corpus illud traditum pro nobis: & poculum illud, ſanguis ille fuſus pro nobis.

QV. *Quis verò ſic iſtud explicat?*

R. Theodoretus in Eraniſta inter cæteros expreſsis verbis, qua de re ſuo loco diſſeremus.

81 QV. *Nunquid amplius?*

R. Tertia ſpecies figuratarum Sacramentalium loquutionum ea eſt, qua ſignis vel inſtrumentis externis tribuitur effectum rei ſignificatæ. Sic in Paradiſo plantata dicitur arbor vitæ, & arbor ſcientiæ boni & mali. Nec enim vita aut ſcientia arboribus illis inerant, veluti ſi arborem febris nomines, quæ febrem efficiat vel expellat: ſed erant eæ arbores duntaxat efficacia illorum effectorum ſymbola. Eodem tropo Circunciſio vocatur fœdus, cuius tantùm erat ſignum, vt ipſemet Deus explicat, Gen. 17. 11. & 14. & poculum illud vocatur Nouum fœdus in ſanguine, Lucæ 22. 20. Sic Baptiſmus vocatur lauacrum regenerationis, Tit. 3. 5. Sic Eccleſia dicitur mundata aquæ lauacro, Epheſ. 5. 26. Simili tropo verbum externum, quũ ſit duntaxat virtutis diuinæ veluti vehiculum, paſsim verbum vitæ, & ſemen incorruptibile dicitur, eique mundatio & ſanctificatio tribuitur. Sic ſacrificia paſsim dicuntur expiationes, quum tamen ſanguis ipſe hircorum & taurorum neminem ſanctificarit. Sic & ipſi Sacerdotes dicuntur ſanctificare, & expiare peccata, Leuitici 16. 30. quum ſolius ſit Dei remittere peccata, & mundum facere. Sic dicuntur Euangelii miniſtri ligare & ſoluere, Matth. 18. 18. & remittere peccata, Ioann. 20. 25. Imò etiam ſemetipſos & alios ſeruare, 1. Timoth. 4. 16. qua de re, ſi libet, conſule Auguſtinum, Quæſt. in Leuitici cap. 84.

82 QV. *Supereſtne aliqua præterea Sacramentalium troporum ſpecies?*

R. Supereſt quarta, iſti tertiæ *ἀντικειμένη* qua fit videlicet, vt è contrario id quod proprium ſignorum eſt, ad rem ſignificatam trahatur. Hinc illa cordis, ſiue interior circunciſio. Sic dicitur caro ſiue corpus Filii hominis comedi, & ſanguis eius bibi, quæ quum ſint actiones corporeæ, non poſſunt aliter, quàm tranſlatitiè de re ſignificata, id eſt de Chriſto ipſo, ſiue in ſimplici verbo, ſiue in Sacramentis præbito intelligi, ne facinus (vt rectè inquit Auguſtinus) nẽpe Cyclopica manducatio, præcipi videatur. Hinc illæ Patribus vſurpatæ formulæ, quibus dicitur corpus Domini in altari iacêre, imò etiam videri, tangi, in os intrare, fieri, in terram cadere, conſumi.

83 QV.

83 QV. *Corpus igitur metaphoricum, & Cœnam metaphoricam statuis?*

R. Tales sunt illæ putidæ quorundam calumniæ, quas suo loco refellemus. Nunc enim ago in genere de Sacramentis. Interea hoc scito, nos neque Christo aliud corpus, quàm vnicum illud verum pro nobis traditum affingere: neque sacratissimam illã actionem in chimæras transformare, sed hoc tantùm dicere, analogia fidei fretos, illam ipsiusmet Christi perceptionem, quæ prorsus est mentis & fidei, (cibus enim hic est mentis, non ventris) non propriè sed translatitiè corporeis edendi & bibendi actionibus declarari.

84 QV. *Idem ergo tibi est credere atque Christum spiritualiter manducare?*

R. Rursum me cogis à scopo aberrare. Si credere accipis pro ipsius fidei actione, assentior. Sin pro ipso fidei habitu, tunc quemadmodum dentes comestionis instrumentum, ab ipsa comestione distinguis: ita necesse est, vt ipsam fidem à Christi per fidem apprehensione, quæ spiritualis est manducatio, discernas.

QV. *Perge igitur.*

R. Absolui quidem ego quæ ad loquendi formulas Sacramentales tum proprias, tum figuratas spectant.

85 QV. *Sed quum dixeris Sacramẽta simplici Verbo adiecta fuisse illustrandarum promissionum causa, mirantur multi tropos istos in Sacramentis adhiberi, in quibus potius oportuit quàm maximè propriè & perspicuè loqui, ne quis hallucinaretur.*

R. Hic, quæso, vide quæ sit spiritus erroris in calumniando audacia, & in persuadẽdo (quum Deo libuit) efficacia. Ponunt illi obscuriores esse figuratas loquutiones quàm proprias: at cõtrà nõ obscurãdæ sed illustrandæ orationi tropos rectè adhiberi oratores etiã ipsi docent & ea de re multa præcipiunt. Rectè autẽ adhibentur quũ id quod dictũ volumus, & dignitate quadam afficiunt, & melius infigunt audientium animis, quàm si quis simplici oratione vteretur. Sacramenta vero quum idcirco instituta sint vt ab eo quod natura sunt, ad aliud quidpiam, quod ex instituto Domini significant, intelligentiam nostram traducant, siue (vt Aug. verbis vtar, contra Maxim. lib. 3. cap. 18.) *vt nõ quid sint sed quid ostendant, attendatur:* quoniã signa sunt rerum aliud ostendentia, & aliud significantia: quis non videt multo melius naturam & vsum Sacramentorum infigi audientium animo, quum signa idipsum esse dicuntur quod significant? Ponamus exempli gratia, vt in superiore exemplo permaneamus, Iudicem à quo tibi addicatur domus possessio, clauem eo nomine tradentem sic te compellare, Hæc clauis est domus loco illo sita, quam tibi in manus vtendam fruendam trado. An non ea te oratio multo magis cõfirmabit, quàm si diceret: Hæc clauis esto tibi signum, quòd te mittam in illius domus possessionem? Hæc autem ratio à Theodoreto in Eranista his verbis explicata est. *Voluit* (inquit) *Christus eos qui diuina hæc mysteria* (loquitur autem de Cœna Domini) *participarent, non ad naturam rerum quas vident attendere: sed per hanc nominum mutationem* (qua fit videlicet vt signo tribuatur rei significatæ nomen) *credere ei mutationi quæ ex gratia facta est.* id est rem illam considerare non qualis est natura, sed cui rei significandæ ex Dei mandato adhibeatur. Et Augustinus Quæstione in Leuit. 57. *Solent* (inquit) *res quæ significant, eius rei, quam significant nomine significari. Hinc dictum, Petra erat Christus. Non enim dixit: petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod vtique per substantiam non erat, sed per significationem.* Sed de his aliàs plura, vbi ex professo de verborum institutionis Cœnę Domini genuina explicatione sic disseremus, vt contrarias etiam expositiones refellamus.

86 QV. *Velim ergo mihi explices quis sit istarum Sacramentalium formularum sic à te explicatarum vsus.*

R. Sic docemur Sacramentis neque plus tribuere quàm par sit. Minus autem illis tribuunt quàm par sit qui [illegible] quædam duntaxat esse volunt, exclusa rei ipsius præbitione & perceptione: quod dogma eo tollitur quod & rei significatæ vel effecti ipsius nomen ipsi signo, & vicissim ipsi rei significatæ, aut eius effecto, appellatio signi tribuatur, sicut prolatis exẽplis ostendimus. Multo minus etiam quàm isti tribuunt Sacramentis qui externæ duntaxat professionis tesseras esse volunt, quod dogma prorsus impium est, & eadẽ ratione tollitur. Rursus autem propriis loquutionibus docemur non plus tribuere Sacramentis quàm par sit, & miserrimam illam seruitutem (vt loquitur non semel Augustinus) vitare, qua fit vt signa pro rebus accipiantur, libro De doctrina Christiana 3. cap. 5. & 7.

87 QV. *Sed obsecro, quot esse putas Ecclesiæ vniuersæ Christianæ instituta Sacramenta?*

R. Duo, Baptismum, & Cœnam Domini.

QV. *Sunt qui multò plura recenseant, etiam inter eos qui ab Antichristiana Romana Ecclesia defecerunt.*

R. Concedo: sed nihil agunt Pontificii, qui hanc occasionem arripiunt nos calumniandi, quum ne inter ipsos quidem Papisticissimos Theologos de numero Sacramentorũ conueniat, inter nos autem nullum sit in re ipsa dissidium, vt suo loco ostendemus.

QV. *Conueniat igitur inter nos quousque me progredi in quærendo oporteat.*

R. Etsi quærenti potius id conuenit quàm respondenti, tamen quando ita libet, significo placere mihi vt contrariarũ sententiarum disceptatione dilata, quid mihi de quaque quæstione videatur audias: sic tamen vt contrariis rationibus breuiter, prout res tulerit respondeam, tantisper dum singula expendamus, quæ pro contrariis opinionibus dicuntur.

88 QV. *Sint ergo nobis duo tantùm eiusmodi Sacramenta. Quære autem priore loco quid sit Baptismus.*

R. Immersionem in aquam declarat ista vox propriè,& à consequenti, ablutionem: cuiusmodi multæ fuerunt institutæ in Lege, Hebr.9. 10. ad quas additæ sunt postea Pharisaicæ, quarum fit mentio Marc. 7. vers.4. Per *ἀντονομασίαν* verò accipitur pro Sacramento,quo palàm Christo auctoramur:translatitiè denique declarat piorum afflictiones, & grauissimas aliquas calamitates,ipsámque adeò crucem,vt accipitur Luc.12.50. sumpta fortassis inde trãslatione, quòd passim,in Psalmis præsertim, aquarum & gurgitum nomine intelliguntur miseriæ, quibus sit quispiam velut absorptus. Denique & pro donorum Spiritus sancti effusione accipitur,vt Act.1. 5. & pro doctrina Ioannis,qui primus baptizauit,vt Act.18.25.& 19.3.

89 QV. *Baptismum igitur pro priore Christianæ Ecclesiæ Sacramento acceptum quomodo definis?*

R. Definio sacram esse actionem à Christo mandatam Ecclesiæ, in qua congruente signorum analogia, Christum ipsum cum ipsius donis omnibus ad salutem necessariis, spiritualiter & per fidem quodammodo induimus,vt in eo abluamur, moriamur, sepeliamur,& resurgamus, mutuáque nostra in Christo consociatio sanciatur.

90 QV. *Quænam verò hæc signa sunt?*

R. Elementale signum est aqua. Ritus autem Sacramentales sunt tres:immersio in aquam, mora in aqua,& emersio ex aqua.

91 QV. *At multò plura elementa multóque plures ritus iam olim in Baptismo sunt adhibiti.*

R. Respondeo ex Cypriano,non attendendum quid aliquis ante nos fecerit,vel faciendum putauerit:sed quid Christus,(qui ante omnes est)prior fecerit ipse,& aliis faciendum tradiderit. Sed de his agemus postea, quum ad contrariarum opinionum refutationem ventum erit.

92 QV. *Quid repræsentat aqua.& quænam eius analogia cum re significata?*

R. Sanguinem ipsum Christi significat,& *συνεκδοχικῶς* totum ipsum Christum,qui effuso sanguine suo, & malitiam illam natiuam eluit in nobis, & pro peccatis nostris satisfecit. Analogia vero aquæ(elementi ad eluendas sordes facti)cum sanguine Christi(cuius vnius effusione sordes omnes peccati abluuntur)per se constat.

93 QV. *Quid ille triplex ritus?*

R. Oportere videlicet nos spirituali virtute ac modo,veluti in ipsum sanguinẽ Filii Dei immergi,cuius vi paulatim illa ablutio peragatur,vt sic tandẽ purificati emergamus: sicuti qui sordidati sunt, iis præsertim maculis,quæ facilè abstergi non possunt, aqua perluantur oportet eousque vt nitorem recipiant.

94 QV. *Quum id verò Legalibus etiam purificationibus significaretur, & in iis qui ritè & cum fide illis vtebantur, idem beneficium in Christo nascituro verè præstaretur, quid necesse fuit illas abrogari,vt Baptismus substitueretur?*

R. Primùm oportuit abrogari,vt is crederetur aduenisse, quem illæ venturum adumbrabãt. Deinde quum essent appendices sacrificiorum pro peccato, vnà aboleri debuerunt. Postremo illarum imperfectionem ostẽdebat repetitio,ideò succedere oportuit aliam non iterandam ablutionem,quæ esset alterius semel in æternum præstitæ Sacramentum.

95 QV. *De sanguinis verò antiqua aspersione quid sentis?*

R. Crassiùs quidem illam repræsentasse Christi venturi sanguinem, sed minùs tamen appositè,quum sanguis non tollat maculas,quin potiùs res aspersas inficiat.

96 QV. *Quid significas verbo induendi?*

R. Sic loquitur Apostolus, vt ostendat Baptismo adiunctam esse vim illam Spiritus, qua fit vt Christo ipsi velut insinuemur,adeóque cum ipso in vnum corpus coalescamus, quod est præcipuum Baptismi effectum. Gal.3.27. Et mihi quidem videtur hæc loquendi formula inde orta, quòd adulti baptizandi vestes exuerent,vt vel alias induerent, vel alii facti, easdem resumerent, ad quam analogiam respexit idem Apostolus,Coloss.3.6. & Ephesiorum 4.22.

97 QV. *Quid verbo Abluendi significatur?*

R. Effectum istius indutionis duplex, vnum quo natiua illa labes, quam Paulus Peccatum peccans appellat,aboletur in nobis: alterum quo illius fructus,id est peccata, nobis remittuntur, siue non imputantur,persoluta pro illis à Christo pœna quam merebamur: & in eorum locum substituta etiam ipsius obedientia,qua Legem pro nobis impleuit.

98 QV. *Quorsum verò dicimur mori, sepeliri, & resurgere in mortem, sepulturam, & resurrectionem Christi?*

R. Ita,auctore ipso Apostolo Rom. 6.4. & deinceps,declaratur rituum illorum Sacramentalium & analogia,& effectum. Sic enim docemur totam nostram fidem in vnum Christum ferri pro nobis mortuum,sepultum,& à mortuis in vitam æternam,excitatum. Immersio igitur in aquam sistit ob oculos illum gurgitem iudicii diuini, quo propter peccata nostra sibi imposita Christus est veluti absorptus. Mora sub aqua quantulacunque sit,veluti spectandum nobis præbet ipsum mortis vinculis in sepulchro detentum. Emersio verò ex aqua veluti viua est pictura ipsius victoriæ,qua factum est vt mortuus mortẽ, sepultus corruptionem superarit, vt ipsi quoque per fidem insiti(cuius insitionis pignus est Baptismus) fiamus eius virtutis participes qua omnia ista in sese & per se peregit.

99 QV. *Atqui in eo non extitit vetus ille homo, corruptio videlicet, neque eius fructus, id est peccata.*

R. Neutrum certè istorum fuit in ipso inhærens, vt qui fuerit omnis vitii expers, & ab ipso conceptionis momento sanctissimus. Venit enim vt peccatum aboleret. Vtrunque tamen

habuit

habuit super se mortalitate & infirmitatibus omnibus quæ per peccatum in nostram naturam sunt inuecta(ipsum peccatum excipio)assumptis,ac denique pœna qua reconciliati sumus, ipsi imposita.Hæc autem omnia nobis in hoc Sacramento cõmunicari ritus ipsi docent, nostra corruptione in nobis emoriente, quasi in ipsius Christi mortem implantatis, nostrísque peccatis cum ipso mortuis:cuius virtutis ac beneficii sensim sese in nobis exerentis progressum,mora illa quæ inter immersionem & emersionem intercedit, veluti nobis depingit,sepulturæ Christi respondẽs. Succedit denique emersio,nouam conditionem nostram,abolita priore, significans, & resurrectioni Christi respondens: qui sicut morte superata,& mortalitate in ipso sepulchro absorpta,in vitam æternam surrexit,ita in nobis tandem penitus eadem perficiet, quorum nunc arrhabonem habemus.

100 QV. *Iam intelligo cur vocetur Baptismus lauacrum regenerationis,cur baptizemur in remissionem peccatorum,cur dicatur Ecclesia lauacro aquæ mundata, cur denique Baptismus ab Augustino Sacramentum fidei,& à Tertulliano obsignatio fidei vocetur.Sed nondũ intelligo quod adiecisti de mutua in Christo consociatione.*

R. Est hoc quoque effectum baptismi excellens,sed tamen secundarium, ab altero videlicet priore dependens. Eadem enim in vnum eundémque Christum Baptismi formula, Christianos tum à reliquis hominibus seiungit,tum inter se quasi vnum sub eodem capite corpus consociat, vt loquitur Apostolus,1.Cor.12.13.

101 QV. *Velim etiam aliquid de Baptismi antitypis cognoscere,ac primum quidem quid ἀντίτυπα vocetur.*

R. Ἀντίτυποι seu ἀντίτυπα vocantur typi typis correspondentes,latè accepto typorum nomine, quo alioqui non Sacramentum aliquod propriè sic apellatum declaratur, (id est actio sacra toti Ecclesiæ,vt ordinarium quiddam mandata,quæ sit promissionis vitæ æternæ sigillum)sed quidpiam quod simpliciter Deus proposuit in hunc etiam vsum, vt aliud quidpiam sub Nouo fœdere implendum significaret.Sic quòd Noe seruatus est ex aquis,& per aquas ipsas in arca, typus fuit Baptismi quo Ecclesia in Christo veluti conclusa seruatur. Sic Israel transiens per medium mare, & inde saluus emergens, incumbente cælitus nube, repræsentauit eiusdem Baptismi mysterium.

102 QV. *Cur obsignandi verbo vteris?*

R. Vt eorum calumniis occurram,qui nos dicunt Baptismum accipere tantùm vt [illegible], vel duntaxat veluti discrimen quo Christiani à non Christianis distinguuntur: quum tamen Sacramentum successerit Circuncisioni,quæ non modò fuit σημεῖον,sed etiam σφραγὶς iustitiæ ex fide.

103 QV. *Velim igitur sigillatim causas,partes,& effecta Baptismi mihi recenseas?*

R. Causa efficiens,est Christus.Materia exterior & visibilis, est aqua cum ritibus Sacramentalibus:interior & inuisibilis,Christus ipse cũ suis donis.Forma exterior, est ipse administrationis modus à Christo institutus: interior, Baptismus Spiritus: partes essentiales,sunt signa & res significatæ.Partes integrales,elementum,Christus ipse cum suis donis. Actio,Verbum.

104 QV. *Quódnam autem est hoc verbum?*

R. Docere omnes,baptizantes eos in nomẽ Patris,Filii,& Spiritus sancti,Matth.28.19.Prędicate Euãgeliũ omni creaturæ,Qui crediderit, & baptizatus fuerit,saluus erit. Mar. 16.15.& 16.

105 QV. *Quid significat In nomen?*

R. Sic declaratur Baptismus esse solenne iusiurandum quo baptizandus sese totum addicit vni Deo & trino: itémque solennis actio in qua Deus testatur se recipere in manum suam, eum qui baptizatur,vt verè hæc formula sit totius fidei Christianæ velut ἐπιτομὴ cum solẽni illius obsignatione.

106 QV. *Videntur tamen Apostoli quidpiam in ea formula immutasse, vt qui dicantur in nomen Christi baptizasse.*

R. Imo his verbis non significatur qua formula baptizarint Apostoli. Quis enim probabiliter censuerit Apostolos in illa disertis præscriptisve verbis expressa magistri præceptione vel tantillum immutasse? Et ex tota Ecclesiastica historia formulam illam perpetuò obseruatã fuisse constat.

QV. *Quorsum igitur istud,In nomen Christi?*

R. Nempe vt ipse finis,ipse fructus,ipsa denique res Baptismi declaretur.

QV. *Qui sunt autem fines Baptismi?*

R. Hoc optimè intelligetur ex effectis.

107 QV. *Quænam autem sunt Baptismi effecta?*

R. Si Baptismum vocas id duntaxat quod agit minister,effectum Baptismi nihil est.

QV. *Durum hoc mihi videtur.*

R. Atqui sic loquitur Paulus,quum inquit eum qui plantat, & qui rigat,nihil esse. Res autem sic habet Ministerium hominum non est sanè nihil, imò est illud ipsum quod qui aspernatur,Deum ipsum aspernatur.Sed(vt ante dixi)sic vtitur Deus hominum ministerio,vt tota vis efficiens in Deo ipso resideat:neque idem hic eueniat atque in iis quibus Deus ad hanc mortalem hominũ vitã vtitur.Patres enim in generandis filiis talia sunt Dei organa, vt vis generatrix corporis,& animæ infundendæ susceptrix, sit patribus & matribus insita: & in alimonia & depellendis morbis idem Deus facultates suas cibis & medicamentis indidit. At in iis quæ ad salutem hominum in sese perditorum spectant, sic vtitur eorum opera quos ad Verbi salutis, &

Sacramentorum administrationem adhibet, vt præter declarationem voluntatis eius à quo mittitur, nihil prorsus ipsi efficiant. Effectum igitur ministri hoc est, vt aqua effusa madefaciat eum qui baptizatur: aquæ autem effusæ, seu communis, seu Sacramentalis (si in sese spectetur) hoc vnicum effectum est vt eius corpus qui ea perfusus est, madefiat & abluatur. At ille qui interius, Spiritu (id est diuina sua virtute) baptizat res prorsus alias diuinas nimirum, ac cælestes, solus perficit (quanuis interueniente ministerio) nempe peccatorum remissionem ex gratuita imputatione, & regeneratione, quæ est effectum Spiritus sancti in nobis inhærens, & sensim in nobis peccatum abolens.

108 QV. *Distinguis igitur inter Peccatum & Peccata?*

R. Omnino. Peccatum enim vocare solet Apostolus natiuam illam corruptionem totius hominis, siue carnem Spiritu oppositam, Ioan. 3. 6. & sæpe: quæ & per se peccatum est, quum à Lege Dei dissideat, & ad peccandum impellat, vnde peccatum peccans dicitur. Rom. 7. 13. Peccata verò dicuntur omnes mandatorum Dei transgressiones, quas in nobis videlicet parit illud Peccatum, sicuti maritus in sua coniuge liberos gignit. Rom. 7. v. 5.

109 QV. *Quid igitur vocas peccatorum remissionem?*

R. Beneficium illud maximum, quo fit vt imputata nobis satisfactione & obediētia Christi, non modò illæ transgressiones nobis non imputentur, sed etiam in earum locum impletio Legis à Christo præstita substituatur.

110 QV. *Regenerationem verò quid appellas?*

R. Aliud eiusdem Christi donum, quo fit vt illa quoque corruptio, tum, quòd ad reatum attinet, nobis non imputetur, tum in sese quoque sensim corrigatur.

111 QV. *Num verò vis illa Spiritus hunc veterem hominem sensim in nobis abolens, & nouum hominem creans, ab ipso Baptismi momento incipit?*

R Apage hunc quoque errorem operis operati. Incipit ergo Baptismi fructus ab eo momento quo fides incipit, quæ quidem interdum præcedit Baptismum, vt in Cornelio apparuit, Act. 10. 47. interdum verò subsequitur, vt in infantibus baptizatis in quibus modo tardiùs, modò serius euenit, siquidem adoleuerint, & sint ex electorum numero. Denique non est fructus Baptismi ad illud momentum coarctandus, quo cuipiam confertur, vt nec Verbi simplicis, latente tantisper semine in audientium animis, dum virtute fidei modò seriùs modò tardius collatæ, emergens fructificet.

112 QV. *Non abolet igitur Baptismus duntaxat peccata præterita.*

R. Imò per vniuersam credentium vitam eius fructus diffunditur. Crassus autem error ille in causa fuit multis Baptismi ad mortem vsque differendi: quod mirum est non fuisse vehemētiùs à veteribus doctis Episcopis exagitatum.

113 QV. *Non putas verò originis peccatum baptismo tolli?*

R. Imò credo sanè tolli quod ad reatum attinet, modo adsit fides. At ipsum vitium, quamuis paulatim emoriatur in credentibus, manet tamen reipsa, ac peccatum sit ac dicatur oportet, quia vitiosum sit necesse est, quicquid voluntati Dei & spiritui repugnat.

114 QV. *Estne verò Sacramentum istud Baptismi, prorsus & absolutè necessarium ad salutē in Christo consequendam instrumentum?*

R. Nequaquam?

QV. *At ius non modò recentiores, sed etiam vetusti multi Patres, eousque saltem necessarium senserunt, vt vita cælestis luce priuatos censuerint, qui non essent externo Baptismo Ecclesiæ accersi.*

R. De hoc dogmate, vnde etiam profluxit pudendus error Clinicorum & Baptismi obstetricum, postea viderimus. Nunc aio, hactenus necessarium esse Baptismi sacramentum, vt qui illud negligat, seipsum (quantum in se est) Christi quoque beneficio priuet, quod tamen peccatum (vt cætera omnia) potest vera pœnitentia deleri: eum verò contemptorem Baptismi videri non posse, qui nulla sua negligentia, nedum culpa, Baptismum, eo qui in Ecclesia constitutus est ordine, non obtinuerit.

115 QV. *Existimásne verò eundem fuisse Baptismum à Ioanne & ab Apostolis postea Christi iussu administratum?*

R. Quæstionem illam vt hodie inutilem velim prætermitti. Quia tamen ad quorundā sacræ Scripturæ locorum interpretationem facit: & inde Anabaptistæ quærunt quod suo dogmati pestilenti prætexant, non recuso de hac quoque aliquid disserere, vbi ad contrariarum sententiarum refutationes ventum erit. Aio interea reipsa eundem & vnicum fuisse Baptismum, à Ioanne primùm, deinde ex mandato Christi administratum, quanuis tanto vberius aliquid in Apostolico quàm in Ioannis Baptismo præbitum videatur, quanto magis perspicua est Apostolorum quàm Ioannis doctrina, re tamen eadem.

116 QV. *Nunc velim quasdam quæstiones huc spectantes mihi distinctè exponi. ac primùm quidē quos censeas baptizandos Sunt enim qui sine discrimine putent quoslibet baptizandos non repugnantes.*

R. Profluxit hic sordidus error ex duobus fontibus. Existimarunt enim nostræ salutis initium esse à Baptismo: ac præterea Baptismo nos seruari ex opere (vt loquuntur) operato.

117 QV. *Alij censent solos adultos, & quidem veræ fidei confessionem edentes baptizandos, exemplo Eunuchi. Actorum 8. 37.*

R. Horum error inde ortus est, quòd nisi fides præsens Baptismo præiret, frustra illum administrari censuerunt.

118 QV.

118 QV. *Quidnónne antea dixisti sola fides manu apprehendi res in Sacramentis significatas?*

R. Ita est. Sed superuenire fidem posse Sacramento, etiam multis ante annis administrato, non magis absurdum est, quàm si dixero quod experimur quotidie, nempe fieri sæpenumero vt quæ contempsimus, quum nobis dicerentur, plurimis post annis, & in ipso interdum vitæ exitu animaduersa prodesse nobis, quanuis reipsa non repetantur, incipiant.

QV. *Quos igitur baptizandos censes?*

R. Omnes qui mihi Fœderis tabulas ritè exhibuerint, quibus obsignandis Baptismus est institutus.

119 QV. *Quinam verò ritè ostendunt?*

R. Qui, (si quidem adulti sunt) assensum suum testantur.

QV. *Adultos igitur nullos admiseris, nisi fidem rectam disertè professos?*

R. Nullos. Quid enim in eis alioqui obsignare me posse, probabiliter crediderim?

120 QV. *Infantes igitur quorsum admiseris?*

R. Neque verò quosuis infantes admisero. Nam neque Mahumetanorum neque Iudęorum liberos infantes recepero.

QV. *Quamobrem?*

R. Quia Fœderis tabulis non comprehenduntur.

QV. *Sed erudiri possent in Christianismo.*

R. Erudiantur ergo, siue catechumeni fiant, ac tum demum baptizentur.

121 QV. *De Mahumetanorum, & eorum omnium liberis id tibi concessero, vt qui nunquam fuerunt in fœdere comprehensi. Sed istis-ne Iudæos accenses?*

R. Omnino, sed dissimili ratione. Nam illi quidem nunquam in Fœdere fuerunt comprehensi, Iudæorum autem gens nunc quidem, repudiato Mediatore, à Fœdere excidit Gentibus in eorum locum insitis.

122 QV. *At non tibi satis esse videtur, ex fidelibus natum esse, vt à Baptismo non sit quispiam repudiandus?*

R. Ita censeo. Nam manifesta sunt fœderis verba, *Ero Deus tuus & seminis tui.* Appellatione vero Seminis, omnes gentes fidem Abrahæ sequutas cõtineri docet Apostolus, Galat. 3. 8. Et idẽ manifestè dicit sanctos esse liberos ex altero etiam parente fideli natos: qua sanctificatione nihil aliud intelligi potest quàm comprehensio in fœdere: quo à prophanis sancti discernuntur.

123 QV. *Sed multos etiam ex sanctissimis prognatos ad Fœdus nihil pertinere declarat Esaui exemplum, & quotidiana experientia.*

R. Multi quoque ex adultis fidem ore profitentibus hypocritæ sunt. Sed occulta illa particularia iudicia, Deo relinquenda sunt. Bene autem sperare nos in genere de iis omnibus qui ex fidelibus nascuntur, & Fœderis formula indefinita iubet, & charitas monet.

124 QV. *Atqui sine fide impossibile est placere Deo.*

R. Aliud est quempiam placere Deo seipsa, aliud abscondito decreto Dei destinatum esse isti (vt ita loquar) complacentiæ. Nam illud quidem fit in adultis, interueniente ipsorum fide: fides verò ab illo complacentiæ decreto oritur. Cur enim credimus nisi quia sic ei placet? placemus ergo ei etiam credituri: & ne crederemus quidem, nisi prius (ordine caussarum & temporis) gratis ei placuissemus.

QV. *Sed cur addis in adultis.*

R. Quoniam infantium priùs moriturorum quàm doceantur, alia ratio est, quum fides sit, ordinario quidem modo, ex auditu: extra ordinem verò, ex solo intrinseco Spiritus Sancti motu, quorum vel alterum infantibus competere, ex nullo Scripturæ loco, neque vlla leuissima coniectura collegeris. Fides enim (siue ex auditu, siue extra ordinem oriatur) necessariò præsupponit notitiam gratuitæ in Christo promissionis, quam is qui credit sibi ipsi applicet, quod nullo modo in infantes cadit.

QV. *Quomodo igitur gratos esse Deo infantes existimabimus, vt ab eo in Ecclesia fœdere censeantur, ac proinde ipsum fœderis sigillum eis non denegetur?*

R. Primùm dico probabiliter censeri Deo gratos esse æterna in Christo electione, cuius illud satis idoneum testimonium est, quòd eos voluerit ex piis parentibus nasci. Huius autem testimonii idoneitas (relictis Deo particularibus occultis iudiciis) patet ex illis conceptis Fœderis verbis, *Ero Deus tuus & seminis tui*: vnde etiã colligit Apostolus, sanctos esse qui vel ex altero pio parente nascantur: Deinde placent quoque liberi in parentum piorum persona, in mille vsque generationes, vt Dominus in Lege testatur.

125 QV. *At ista promissio legalis est: nos verò de fœdere Euangelij agimus.*

R. Concedo. Sed memineris omnes promissiones Legales, in Christo, qui pro nobis illam conditionem legalem impleuit, Euangelicas & ratas credentibus euadere.

126 QV. *At tu infantes istos credentibus non accenses, vnde sequitur nullum isti Legali promissioni locum infantibus relinqui.*

R. Imò id non consequitur. Fides enim interuenit parentum ex quibus natus est.

QV. *Vis ergo aliena, id est parentum fide infantes seruari?*

R. Alienam fidem & sanctorũ preces constat multis quoque infidelibus ad mitigandas pœnas prodesse: imò etiam sic posse aliquibus fidei donum impetrari docet Saulis conuersio, si vera est eorum sententia, qui hoc datum esse scripserunt Stephani precibus. Nequaquam tamen facilè

dixerim quempiam aliena fide seruari, ne quis hoc perinde accipiat acsi dicerem parētum fidem infantibus imputari, quasi aliena fide credentibus. quod quidem non minùs falsum & absurdum fuerit quàm si dixerim quempiam posse aliena anima viuere, aut alterius sapiētia sapere. Sed hoc quidem verè dixerim, interueniente piorum parētum fide fieri vt nati vel nasciturі infantes sancti sint, id est in fœdere cēseantur, ac proinde seruētur. de quo vt nihil dubites, dic, obsecro, quid apprehendit fides? nónne id quod continet promissio, ipsius fidei obiectum?

QV. *Omnino.*

R. Ergo promissionem istam *Ero Deus tuus, & seminis tui*, apprehendit, & sibi & semini suo piorum parentum fides. Tantundem autē valet hæc promissio atque, *Ego tecum & cum semine tuo, salutis fœdus paciscor.*

127 QV. *Ergo seruarentur omnes ex pio parente oriundi.*

R. Certè meritò præsumuntur seruandi, vt qui in Fœdere comprehensi videantur probabili, neque imaginaria duntaxat coniectura. Sed hoc interea nihil præiudicat occultis & particularibus Dei iudiciis: & excipiendos esse liquet, qui quum adoleuerint, illam gratiam sua incredulitate excutiunt.

128 QV. *Verùm quum dixeris sola fide obsignari res in Baptismo significatas, quid dicemus obsignari in infantibus actualis fidei habitu non præditis quū baptizarentur, & prius mortuis quàm docere fidem possent?*

R. Nos quidem quasi superuicturos baptizamus. Quod autem dixi de fide, ad solos adultos spectat. Non fuerit autem vanus propterea moriturorum infantium Baptismus. Nam in iis sancitum id fuerit quod, interueniente (sicuti dixi) piorum fide, iam erat ipsis nascentibus collatum, nempe insitio in fœdus ac proinde Peccati peccantis remissio, totus denique Baptismi fructus. Denique inanis esse nequit ista solennis ex Christi mandato, Patris, ac Filii, & Spiritus Sācti inuocatio, nec vanæ sunt ab Ecclesia conceptæ super eum qui baptizatur preces. Hæc tamen sic à me dicta sunto vt Christianæ Ecclesiæ iudicio summittantur. Nec enim ignoro posse etiam dici sic eis dari fidē δυνάμει, vt δυνάμει quoque non ἐνεργείᾳ sunt anima ratiociuāte præditi. Quid tamen mihi probabilius videatur, ostendi: neque sententiarum hac in re diuersitas, fidem ipsam Christianam labefactat.

129 QV. *Quum & parentum & Ecclesiæ fidei veteres quidam Patres plurimum in hac cōtrouersia tribuerint. vnde quæso, ista stipulatio, Credis? Credo: Abrenuntias? abrenuntio.*

R. Non ignoro quàm studuerit Augustinus scribens ad Bonifacium, istam in Baptismo infantium iam tum vsurpatam sponsionē excusare. Sed quis non videt hoc inde cœpisse, quòd quæ in adultorum Baptismo dici & fieri solebant, negligentia Episcoporum, & quorundam fortassis superstitione, ad infantium Baptismum traducta sunt? qua de re (fauente Deo) tunc agemus quū ad contrariarum opinionum refutationes ventum erit.

130 QV. *Audiui quid de Mahumetanorum & Iudæorū infantibus censeas. Nū verò in hoc numero reposueris eorum liberos, qui Pontificis Romani partes sequuntur?*

R. Nequaquam.

QV. *Atqui Papam Antichristum alterum esse dicitis, ac proinde à Christo descíuisse illos oportet qui Papistæ dicuntur.*

R. Concedo. Sed vt Papatus non sit Christianismus, imò potius Antichristianismus: mansit tamen olim, & manet adhuc Christianismus quasi sepultus in Papatu.

131 QV. *Quid tibi velis nondum satis percipio.*

R. Dico Dominum nostrum Iesum Christum voluisse ac velle adhuc Ecclesiam suam latere inter Papatus ipsius viscera,

QV. *Vnde hoc colligis?*

R. A posteriore. Aio enim vbicunque est propria Ecclesiæ nota ibi esse Ecclesiam.

132 QV. *At quàm miserè nota illa fœdata, id est siue doctrinam ipsam, siue illius notæ Baptismi characterem spectes?*

R. Esto vt sit vsque adeò cōspurcata, vt non nisi à perditissimis internoscatur: extat tamen in illo suo charactere, *Baptizo te in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti.*

QV. *Quid inde colligis?*

R. Papismum minimè esse Christianismum, imò aberrationem tantam, vt qui illum amplectatur, & in eo permaneat, à Christianismo excidat. Idē dico de Græcismo qui & ipse est aberratio à Christianismo tanta, vt verè Christianus & Græcus hodie nemo sit. Aio tamē Gentes quę nunc duabus illis factionibus in genere comprehenduntur, & ad suam excisionē, quam prædixit Paulus, manifestè vergunt, non censendas tamen excisas, quādiu exterior Baptismi nota ibi perstabit: & colligi adhuc ex medio Papismo & in medio Papismo, Ecclesiam.

QV. *Probaréne istud possis commodo quopiam superiorum temporum exemplo?*

R. Maximè. Qualem enim putas Pharisaismum, Sadduceismum, Iudaismum denique fuisse Christi temporibus? talem certè vt nemo Iudæus esset (si corpus ipsum populi spectes) qui nō irritum faceret Domini fœdus. Fuit tamē ad tempus vera religio in medio Pharisaismo, & Sadduceismo, adeóque deprauatissimo Iudaismo, quandiu viguit in eo populo Circūcisio, fœderis tessera. Circuncisione verò abolita, & repudiata Christianismi nota, gens Iudæorū iam excisa meritò dicitur. Idem non de Papismo ipso, sed de Christianismo, intra Papismum veluti demerso, & sese paulatim exerente, statuendum dico.

133 QV.

133 QV. *Sed quum is qui Papista est, non sit verè Christianus, num eiusmodi hominem adultum, nec dum baptizatum, ad Baptismum admitteres?*

R. Nequaquam, nisi priùs Catechumenum factum, & Papismo renuntiantem.

134 QV. *Eiusmodi verò parentibus natum infantem admitteres?*

R. Ne id quidem temerè facerem.

QV. *Quibus ergo conditionibus?*

N. Nempe si vel ex parentibus aut cognatis aliquis, Papismum eiurans, & infantem habens in potestate, hoc à me postularet: vel alioqui idoneus sponsor adesset, qui piam & rectam infantis institutionem polliceretur.

QV. *Num idem faceres in Mahumetani aut Iudæi alicuius infante?*

R. Sanè, in priore quidem specie, id est si parentes aut cognati in quorum esset infans ille potestate, hoc peterent. Nec enim eiusmodi infans censeretur Mahumetanis aut Iudæis prognatus, siquidem ii falsam suam religionem eiurantes, & ipsimet iam Baptizati, aut Baptismum petentes soboli suæ Baptismum peterent. Sin minus, etiam si mille adessent sponsores, Baptismum tamen infanti recusarem.

QV. *Quamobrem potius quàm Papistarum filio?*

R. Quoniam neque Iudaismus aut Mahumetismus, est Christianismus, neque in Mahumetismo, aut nunc quidem, in Iudaismo est Christianismus: id est non habeo coniecturam vllam probabilem, ex qua possum coniicere aliquem nasci ex Iudæis vel Mahumetanis qui sit sanctus, id est, qui ad Dei fœdus pertineat. At verò etsi Papismus non est verus Christianismos, est tamen adhuc in Papismo Christianismus, vt ex eo apparet, quòd adhuc ibi remansit salua Baptismi formula essentialis, quam abolere Satan nondum potuit.

135 QV. *Idémne statuis de quorumuis hæreticorum liberis?*

R. Minimè verò. Excipio enim eos qui abolito Christi Baptismo (is est autem Christi Baptismus, qui sic administratur, vti Christus instituit) propriũ alium inuexerũt, mutata videlicet substantiali forma, etiam si Christi Baptismum esse mentiantur, quod de Eunomianis & Priscillianistis, & aliis nonnullis traditur.

QV. *Istos igitur rebaptizares?*

R. Imò Christi Baptismo nondum baptizatos, baptizarem.

136 QV. *Dictũ sit igitur hactenus de iis qui baptizandi sunt. Nunc quæro quorũ sit baptizãdi munus.*

R. Eorum nẽpe quibus administrandi Verbi cura mandata est. Sunt enim Sacramenta quasi Verbi tabulis appensa sigilla, & hæc duo coniunxit Christus Apostolos suos mittens, & Baptismi formam eis præscribens.

137 QV. *At inquit Paulus se non esse missum ad Baptizandum, 1. Cor. 1.16.*

R. Id non esse præcisè intelligendum, sed comparatè, apparet ex eo ipso quòd ibidem ait se baptizasse Stephanæ familiam, quod nunquam nisi ex vocatione fecisset. Ait igitur se missum vt præcipuè incumberet plantandis per Euangelii prædicationem Ecclesiis, in quibus pastores constituebat, à quibus potiùs (vt & ab asseclis Euangelistis) singuli credentes (prout res ferebat) baptizarentur. Sed & vetustam Ecclesiam apparet, quum iam præsertim operosior esset factus Baptismus, Diaconorum opera in nonnullis vsam fuisse. Sed in summa Baptismus, quum sit merè Ecclesiastici ministerii pars altera, à solis legitimè vocatis ministris ritè administratur.

138 QV. *Num verò Papisticos siue Episcopos siue presbyteros legitimè vocatos credis?*

R. Nihil minus, ne ex ipsórum quidem Canonibus, alioqui non admodum puris.

139 QV. *Imò impositionem manuum habent, siue ordinationem qua vos aiunt carere.*

R. Primùm illud tenendum est impositione manuum nunquam fuisse aliquos factos Ecclesiæ ministros: sed qui ritè vocati essent ad ministerium sic fuisse veluti in sui muneris possessionem immissos. Denique quæso quoties prohibent Canones pro legitimè ordinato censeri qui non fuerit legitimè electus? Legitimę verò electionis modus ex Apostolo nobis petendus est, saltem quod ad morum & doctrinæ examen attinet. Deest igitur illis ordinationis legitimæ fundamentum, ac proinde frustra impositionem manuum iactant, quam tamẽ difficile non fuerit ostendere puriorem nos quàm illos habere, sicuti fortasis aliâs plenissimè ostendam.

140 QV. *De Baptismo igitur à priuatis, vel ministerio Verbi non fungentibus personis administrato, quid censes?*

R. Non pluris faciendum quàm id quod Regis, vel reipublicæ nomine priuatus quispiam pro libito gereret: aut quàm sigillum ad publici imitationẽ à priuato quopiam effictum, & cuipiam instrumento appositum: aut quàm fabula.

QV. *Multo minus ergo Baptismum per ludum vel ab obstetricibus administratum probaris.*

R. Apage verò crassam & putidam hanc sacri ministerii profanationem.

141 QV. *Sed quid si vrgeat necessitas?*

R. Iam antea respondi salutis nostræ initium peti à Tabulis ipsius fœderis, non à sigillo iis appenso, quod tamen si quis aspernetur, illarũ beneficio meritò priuetur: non videri verò cõtempsisse qui illud obtinere seruato legitimo ordine, non potuerit.

142 QV. *Sed nonne pari loco & gradu censendæ sunt priuatæ personæ, & non legitimè vocatæ? quod si verum est, irritus sanè fuerit Baptismus à Papisticis sacrificulis administratus.*

R. Hic me non pigebit ex Iurisconsultis mutuari quod ad hanc rem maximè facit: Vitium aut est in persona, aut in re, aut in vtroque. In persona, vt quũ vitio creatus est magistratus, qui ve

men(authore Varrone li.De lingua Lat.5.)magistratus est.Iurisc\u014dsulti verò subtiliùs distinguũt inter eum qui magistratus est(legitimus videlicet)& eum qui est in magistratu: vt quum disputãt aliud esse Proconsulem esse quàm in Proconsulatu:aliud esse Prætorem quàm prætura fungi, vt de Barbario Philippo traditur:aliud tutorem esse quàm tutela fungi: adeò vt interdum qui magistratus est,putà si sit furiosus,sit quidem magistratus,magistratu verò fungi nõ possit. Vitium in actu est quum ritè gestus non fuit,nimirum prætermissis,quæ sunt de ipsius actus natura.Iam in Baptismo Papistico vitium non est in actu in quo præcipua illa formula obseruata est cui nõ præiudicãt aliena & supeluacanea. At in persona vitiũ est : sunt enim [illegible] & [illegible]. Sed illud vitium non potest actum lædere.Nam(vt ad nostros Theologos propiùs accedam) qui non sunt legitimè ad ministerium vocati, & tamen in cathedra ministerii sedent, aliquo hominum(quanuis deceptorum) consensu,etsi quòd ad personas ipsas attinet, veri pastores non sunt, tamen alio loco sunt habendi,quàm qui nullam neque legitimam, neque illegitimam vocationem habent.Sic Caiaphas non erat quidẽ legitimus Pontifex maximus,vt qui pecunia data pontificatum inuasisset,sed tamen in pontificatus cathedra sedens,quanuis inscius,prophetiam edit: & coram hoc sedente Pontifice,Dominus Templum adit;& diuinos nondum abolitos ritus obseruat.Sic Pharisæi quatenus in cathedra Mosis sedebant,audiri iubentur, quam tamen cathedrã illorum plerique,ambitione & malis artibus occuparant.Sic denique rata sunt quæ magistratus aliquis habitus decernit,etiamsi malis artibus eò fuerit prouectus : quod illi Barbario Philippo seruo,& tamen per errorem Prætori Romæ creato accidisse constat. Denique vitiosa vocatio conscientiam eius lædit,qui munus illud inuasit, sed ea non vitiat quæ ab eo perinde aguntur ac si legitimè esset vocatus.

143 QV. *Sed ille à sacrificulis administratus Baptismus,multis est maculis conspurcatus.*

R. Verum dicis.Sed singulari Dei beneficio,mãsit in eo essentialis illa Baptismi Christi formula:cuius veritas nullis addititiis commentis impediri potest.

144 QV. *Non esset igitur Baptismus verus,nisi purum institutionis verbum adhiberetur?*

R. Non esset profectò.Nam forma dat esse rei.

QV. *Quòd si vitium in forma,te authore,tantum est vt rem ipsam vitiet:annon id multè magis facit vitium in ipsa Baptismi doctrina explicatione,in qua non ignoras quàm grauiter à Papistis peccetur?*

R. Nequaquam.Etsi enim doctrinæ,quàm exterioris formæ corruptio maior ac grauior est coram Deo,ipsius tamen Baptismi actionem nõ perinde vitiat: quoniam vitium doctrinę hæret in docente,neque Sacramẽti alioqui ritè administrati,veritati nocet: vitium autem formæ in ipsa re inest,ideóque tale esse potest(puta si in ipso elemẽto aut verbo institutionis aut merè essentiali ritu peccaretur) vt actionẽ ipsam vitiet. Veluti si exempli gratia quispiã in Trinitatem non baptizaret,aut Filium inæqualem nominaret,aut in Virginem Mariam baptizaret, aut pro aqua (præsertim sciens prudens) nescio quid aliud vsurparet prorsus diuersum,aut siue aspersionem, siue immersionem negligeret,non esset hic certè Baptismus à Christo institutus.Contrà verò si fieri posset vt vel Satan ipse sederet in cathedra ministerii, & legitimum Christi Baptismum administraret,verus is esset Christi Baptismus : vt qui à ministri neque scientia, neque conscientia pendeat.

145 QV. *Rectè igitur censes eos facere qui purum Christianismum ejurato Papatu amplexi, baptizandos suos liberos sacrificulis offerunt?*

R. Nequaquam.

QV. *At tu tamen inquis verum hunc esse Baptismum.*

R. Illud tamen ex hoc non consequitur.Nam etiamsi valet quod datur,tamen non sequitur peccato carere eum qui id petierit.Quum enim multa sint in Baptismi ritibus Papisticis impura, non est expers peccati qui eorum exercendorum causam præbet : vt taceam,sic in adulterina sua vocatione foueri, quos potiùs ex Dei domo expelli ab iis oportuit quos id curare imprimis decebat,Christi exemplo.

QV. *Quid igitur patribus purã religionem amplexis faciendũ putas,qui inter medios Papistas degũt?*

R. Suadeo vt sumptui non parcant,& nihil intentatum relinquant, vt purè baptizãdos suos liberos curent,ac potius Baptismum differant,quàm illarum corruptionum rei fiant.

146 QV. *Quid si interea moriatur infans?*

R. Culpam ipse certè infans non luet:& iam sæpe diximus, non priuationem sed contemptum Baptismi per se,reddere hominem fœderis beneficio indignum.

QV. *At dominus testatur fore vt excidatur quicunque non fuerit circuncisus.Genes.17.14.*

R. Si hoc intelligas de exclusione tum à sacris tum à ciuili societate,quoniam additur, *è populis suis*,sensus hic erit,Incircuncisos non fuisse neque ad sacra neque ad ciuilia munera admissos.Sin id verò de exclusione ab ipso fœdere salutis æternæ accipias,istud quod subiicitur, *Nam fœdus meum subuertit*,ostendit hoc intelligendum esse de solis iis qui sciẽtes prudentes, aut negligentia Circuncisionem fuerint aspernati.Imò eos qui in deserto diu vixerunt incircuncisi,Iosuę 5.v.4.certum est tamen sacros cœtus adiisse,& ciues Iudæorum reipublicæ habitos:quoniam videlicet non cõtemptu Circuncisionis id eueniebat,sed quòd id cõmodè in deserto fieri nõ posset.Mosem enim & Aaronem hoc alioqui fuisse neglecturos probabile non est.

147 QV. *Sed nullámne ætatis baptizandorum habendam rationem putas?*

R. Quum ab adultis requiratur fidei professio, quò diligentiores fuerint in cognoscendis Christianæ religionis præcipuis & primariis capitibus,eò sibi melius cauerint. Infãtes autẽ quò

citius

citius baptizandos obtulerint pii parentes, eò rectius fecerint: ne hoc beneficio, si fieri possit, priuentur.

148 QV. *Atqui non ante diem octauum circuncidebantur Israelitarum mares, Gen. 17. 12.*

R. Nempe quoniam alia lex obstabat, immundos ad septimum vsque diem pronuntians quicunque puerperam attigissent. Leuit. 12. 2. & 15. 19.

149 QV. *Atqui constat multos diu distulisse Baptismum, adeò quidem vt Gregorius ipse Nanzianzenus Episcopi filius, non nisi plenè iam adultus, ad Baptismum accesserit.*

R. Arguit hoc quoque, vt alia multa, Episcoporum multorum negligentiam, minimè nobis imitandam. Cæterum hanc ipsam Baptismi dilationem grauiter ipse Nanzianzenus increpat, oratione in sanctum Baptisma, cui tamen (vt & in aliis quibusdam eadem oratione comprehensis) in eo non assentior, quod infantium Baptismum, nisi (inquit) periculum vrgeat, ad triennium vel breuius aut longius spatium differendum suadet, in quo mystici quidpiam discere & respondere possint. Hanc enim vanissimam esse rationem illa Circuncisionis lex ostendit, quæ perinde atque Baptismus, eiusdem in Christo fœderis obsignationi fuit adhibita.

150. QV. *Sed quod tempus administrando à ministris Baptismo idoneum censueris?*

R. Hic penè incredibile est dictu quanta sub ordinis specie inuecta sit in Ecclesias, præsertim Græcas, confusio. Certum enim est ex Actis Apostolicis Baptismum initiò prout res ferebant administratum fuisse iis qui ad Baptismum accedebant, miraculo potius quàm ordinario aliquo institutionis, plerunque fide in Christum donatis. Postea vt ex Iustini potissimùm altera apologetica oratione liquet, Spiritu sancto ordinariis mediis agere paulatim incipiente, vbi conuentus agebantur, Baptismus quoque exercebatur. Postea vt omnia ordine fierent, ordinariis catechistis duo dies consuetudine quadam primùm, deinde lege, ac tandem quadam veluti superstitione, baptizandis catechumenis constituti sunt. Tandem autem eò deuentum est, vt penè piaculum esset extra Pascha & Pentecosten baptizare. Cæterùm huius ordinis obtentu idcirco instituti vt catechumeni (quales initio erant baptizandi fere omnes, tum ex Iudæis, tum ex Gentibus) non quouis die, neque ante legitimam professionem accenserentur, incredibile penè est æstimare, quæ confusiones sint in Ecclesiam eam ob causam præsertim inuectæ; quòd quum Baptismus in illis adultis esset primus in cœtum Ecclesiæ aditus, expectari Paschæ & Pentecostes dies præcisè non poterat, quin sese quodammodo damnatos æstimarent qui in periculum mortis interea incidebant. Hinc illud sequebatur vt infinitos soluere legibus tenerentur, qui alia quoque prætexebant. Sic irrepsit error de Baptismi absoluta necessitate, quæ opinio quum omnes videretur in infernum detrudere, à nonnullis adhibitum est *πὰρ φάρμακον*, excogitato quodam loco in quo collocarentur qui nulla sua culpa mortui essent Baptismi expertes, neque pœnas illas æternas videlicet experturi, neque beatitatis cœlestis participes futuri: quod etiam Nanzianzenus tradidit. Omitto alia infinita quæ Christianis meliùs eruditis pudorem meritò iniiciant, ex iis ipsis inuecta, quæ ordinis causa fuerant initio instituta.

QV. *Quid autem ex istis colligis?*

R. Quum temporum conditio in eo saltem mutata sit, quòd vix nunc ulli adulti Baptizantur, & satis pateant illorum veterum Canonum incommoda, rectè facere Ecclesias quæ sic cauent Baptismi vsui, vt neque (quoad eius fieri potest) priuentur Baptismo infantes, neque eorum superstitioni indulgeatur qui salutem Baptismo alligant, neque à prædicatione Verbi quotidiana Baptismus, si fieri potest, seiungatur.

151 QV. *At de loco nihilne statuendum putas?*

R. Imò quum omnia decenter & ordine fieri in Ecclesia oporteat, sit autem Euangelici ministerii pars Baptismus, eundem locum & Verbi & Sacramentorum ministerio attribuendum censeo: vt in cœtu Ecclesiæ, & communibus precibus adiunctis, Baptismus administretur, neque istos nescio quos necessitatis casus temerè admisero.

152 QV. *At de ritibus ipsis quid tibi videtur?*

R. Standum esse Dei Verbo.

QV. *At Dei verbum immersionem videtur requirere.*

R. Fateor hoc declarare nomen ipsum Baptismi præcisa significatione acceptum: neque mirum est in adultis hoc fuisse obseruatum, præsertim in Iudæa, & calidis illis regionibus, in quibus id fieri nullo valetudinis periculo potuit. Sed spectandum ipsum Baptismi scopum arbitror, quē etiam simplici aspersione aqua perfusis infantibus retineri constat, quemadmodum in Legalibus purificationibus (quibus noster quoque Baptismus adumbratus est) aspersio sufficiebat: neque magnopere laborandum multáne an pauca aqua, totum corpus mergatur, an caput duntaxat aspergatur.

QV. *De trina verò immersione quid sentis?*

R. Apparet ex Tertulliano fuisse iam tum receptam aduersus Personarum vnitatem. Sed vtcunque sit, cur non æquè liceat dicere vnica vtendum mersione, vt significetur nos in tres quidem personas (sicut ex verbis ipsius Baptismi intelligitur) sed in vnum Deum tamen baptizari? Tam enim periculosum est essentiam multiplicare, quàm personam vnicam statuere. In genere verò de vnica vel trina mersione seu aspersione non arbitror contendendum: quod etiam visum est Gregorio Episcopo Romano. Epist. li. 1. epi. 41.

153. QV. *Sed hic rursum est de quo te percontor, istámne formulam,* Ego te baptizo in nomine (*seu in nomen*) Patris, Filii & Spiritus sancti, *præcisè totidémque verbis ac syllabis necessariò*

vsurpandam putes. Neque enim ignoras Græcos dicere, Baptizetur seruus Christi in nomen Patris, *&c.*

R. Omissis hîc quoque Scholasticorũ argutationibus, dico duo hîc nobis extrema esse magno studio deuitanda: nempe ne vel in Magorum impietatem delabamur, qui certis voculis efficacitatem quandam affingunt, quum (vt antè diximus) voces per se nullam aliam quàm significationis vim habeant: vel existimemus licere nobis in institutione Domini (ita vt est ab eo certis verbis præscripta) quicquam demutare. Ac ad prius quidem illud quod attinet, Syriaco sermone ipsis Apostolis vtendum fuisset, si qua in ipsis literis & syllabarum sonis vis inesset, quum eo sermone loquutum fuisse Dominum nostrum Iesum Christum appareat. Nihil igitur mutat in re ipsa qui eo idiomate quod à quibusuis intelligatur idem atque Christus ipse instituit, pronuntiat. Imò qui secus facit (vt hodie fit in pseudoecclesia Romana) malè facit, quia dici suis intelligi gentes vult Dominus, quæ ab omnibus credi & fieri vult.

154 QV. *Quæso igitur, si peregrina lingua vtatur baptizans à nemine intellecta, num ratus est Baptismus.*

R. Non pendet efficacitas Baptismi à baptizante, modò is (vt antè dixi) vocatione quamuis vitiosa, non careat. Et quum infantes tantundem (si proprio atque si peregrino idiomate vtaris) intelligant, fructus Baptismi, (quod ad eos attinet qui postea adolescunt) ab interpretatione & fide suo tempore sequuturis dependent. In aliis verò inuocatio Domini vana esse non potest, quamuis valde vitietur eorum culpa qui lingua peregrina in Ecclesia seu Verbum annuntiantes, seu Sacramenta administrantes, vtuntur.

155 QV. *Ergóne cogitur præcisè minister vti formula à Christo præcepta, verbis tantùm sono alterius linguæ mutatis?*

R. Nulla certè iusta causa possit incidere quæ mutationem aliquam in tam paucis verbis possit excusare, quibus integrum illud mysterium Diuinitatis declaratur.

QV. *Quid si quis igitur pro Patre genitorem, pro Filio genitum, pro Spiritu sancto procedentem diceret? Quid si pro tribus Personis distinctis, Trinitatem nominaret?*

R. Quorsum ista quæso? Iussit Dominus in hoc mysterio non proprietates personales, sed ipsas Personas, eásque distinctè inuocari. Aliam igitur affectatam formulam pro legitima nunquam admiserim.

QV. *Multò minus igitur admitteres detractionem alicuius Personæ, vel additionem hæreticam, velut si quis Patrem maiorem, Filium minorem, Spiritum sanctum à solo Patre procedentem diceret.*

R. Rectè sentis. Nec enim hic esset Ecclesiæ Christi Baptismus.

156 QV. *Sed quid statuis de his vocibus,* Ego te baptizo: *vel,* Baptizetur Christi seruus?

R. Non præscripsit suis ministris Christus, quibus vel quot vocibus essent vsuri in ministerii sui functione, sed actũ ipsum definiit, quũ iubet eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti baptizare. Itaque nihil detrahunt aut adiiciunt verbo Dei, ministri sed muneri suo satisfaciunt quũ institutionem ipsam Domini auditoribus exponunt. Quum autem ad ipsam administrationis (vt ita loquar) actualis formam ventum est, siue dicant, Ego te baptizo: siue, Baptizetur Christi seruus, nihil interest, modò forma ipsius actus quem exercẽt, obseruetur. Sed tamen, vt dicam quod res est, formula in Latinis Ecclesiis obseruata mihi videtur ad mandatum Domini propriùs accedere, & confirmandæ baptizandi fidei esse accommodatior.

QV. *Quamobrem?*

R Quoniam de se loquens minister, prima persona, quum inquit, *Ego baptizo,* & adiiciens illud pronomen *Te*, attentiorem reddit animum eius qui baptizatur, tum ad externam actionem obseruandam, quasi Deus ipse præsens adesset, hoc ipsum agens per se, quod minister eius voce testificatur: tum ad promissionem propriè ac peculiariter sibi applicandam.

157 QV. *Sed infans qui baptizatur, istorum nihil intelligit.*

R. Fateor, sed suo tempore intelliget: quoniam (vt antè diximus) vis horum verborum per vniuersam vitam eorum qui baptizantur, vim suam in omnibus tentationibus profert, adeò vt in articulo mortis possimus ac debeamus vel hoc vno clypeo tẽtationes Satanæ acerrimas retundere, Abi Satana: audiui enim adhuc surdus qui mihi nomine ac mandato Seruatoris mei diceret, Ego te N. baptizo in nomine Patris, Filii, ac Spiritus sancti. Est hic mihi Baptismus certa tessera ablutum esse me à peccatis, & Christi mei iustitia donatum, cui commortuus & consepultus, resurgere iam cœpi animo, & plenè tandem etiam carne resurgam in vitam æternam.

158 QV. *Sed quum singulis momentis peccemus, peccata autem nostra Baptismo abluantur, qui fit vt non iteretur Baptismus, quum præsertim Cœnam Domini sæpius celebremus?*

R. Semel regeneratũ & ingressum esse in Ecclesiam satis est, quoniam inde nullus electus eiicitur foras. at semel in Ecclesia pasci, nequaquam sufficit.

159 QV. *Imò nónne peccata nos excludunt è regno Dei?*

R. Nequaquam. Nam alioqui nemo maneret in Ecclesia, quum sit mendax quisquis dicit se peccatum non habere. Itaque merentur quidem nostra vel minima peccata exclusionem à regno Dei, sed electis gratia Dei fretis, non imputantur. Ideo nõ dixit Paulus Rom. 8.1. nullum esse peccatum, sed nullam esse condemnationem iis qui sunt in Christo Iesu.

QV. *Peccemus igitur, vt abundet gratia.*

R. Imò fides Christiana hoc non potest vllo modo admittere. Nihil enim credit, nisi quod offert promissionis sermo. At nulla fit veniæ promissio nisi resipiscentibus. Nulli verò longius absunt

absunt à resipiscentia, quàm qui Dei patientia vltrò ad peccandum abutuntur. Itaque proprium est quoque electorum veræ resipiscentiæ donum.

160 QV. *At de excommunicatis quid dicis? Sunt enim rata in cælis, ex Christi verbo legitima Ecclesiæ iudicia in terris peracta. Mat.18.18. Eijciuntur autem excommunicati ex Ecclesiæ medio, 1.Cor.5.1. ergo & ex regno Dei.*

R. Excommunicationis legitimæ iudicium quin ratum sit etiam in cælis, dubitare nemo magis possit, quàm si Filius ipse Dei sententiam ferret, quum in eius nomine agat Ecclesia quod agit. Non tamen inde efficitur quod tu contendis. Neque enim excommunicati comparandi sunt simpliciter palmitibus à vite iam semel excisis, sed infructuosis, neque succum ex vite attrahentibus, ac proinde tandem à Deo excidendis nisi paulatim reuirescant, quod ex pœnitentiæ fructibus apparet, quemadmodum ramis accidit hyeme quidem perinde se habentibus ac si essent emortui, verno tamen tempore pristinum vigorem recipientibus. Sunt enim dona illa Dei ἀμεταμέλητα. Quòd si qui ad extremum in contumacia perseuerent, signum est eos in Ecclesia quidem exterius ad tempus fuisse, sed ex Ecclesia nunquam fuisse. Mansissent enim nobiscum (inquit Ioannes) aut certè post aberrationem ad nos rediissent, si ex nostris fuissent.

161 QV. *At enim si Baptismus idcirco non est iterandus, quoniam primus in Ecclesiam ingressus fieri irritus non potest, cur eadem non sufficit Cœnam Domini semel obire, siquidem semel verè Christo incorporatus penitus excidere nunquam potest?*

R. Causam antea iam diximus. Semel enim renasci satis est, at non semel ali: quoniam vt in hac corporali vita sumi cibum sæpius oportet, cuius succo alamur, sic, vt magis ac magis Christo incorporati in eo viuificemur, crebra eius incorporationis obsignatio, & fidei veluti accretio vtilissima est. Hæc tamen in ista similitudine planè sunt diuersa, quòd corruptibilis est cibus quo ad hanc tuendam vitam vtimur, ideóque veteri nouus alius succedit: cibus verò interior qui in sacra Cœna præbetur incorruptibilis est, ideóque quum Cœna repetitur, neque sumitur nouus cibus, neque prior cibus quasi antea reiectus resumitur, sed is ipse cibus quem antea sumpseramus, magis ac magis nobis inseritur, & fide corroboramur, vt eò efficacius illo (Christo videlicet) ad vitam æternam nutriamur.

162 D*E Baptismo igitur hactenus dictum esto. Nunc ad alterum Ecclesiæ Christianæ Sacramentum accedamus. Illud verò quomodo appellabimus?*

R. Paulus vocat Cœnam Domini, 1.Co.11.20. eò quòd vespere celebrata primùm fuerit à Domino: quod etiam diu fuit in Ecclesia Christiana obseruatum. Vocat itidem mensam Domini, 1.Cor.10.21.

163 QV. *An non etiam aliter apud Patres vocatur?*

R. Ergo istas quoque appellationes expendamus. Quidam huc trahunt nomen λειτουργίας, συνάξεως & ἀγαπῶν, sed meo iudicio, non satis rectè. Illis enim duobus prioribus nominibus non modo mysteria ista, sed reliquæ etiam publici diuini cultus partes significantur. Est enim (vt omnes non prorsus imperiti Græcæ linguæ norunt) λειτουργεῖν, idem quod publicum aliquod ministerium obire, quod postea ad omnes Ecclesiasticas functiones traductum est, sicuti etiam δοῦλον Iesu Christi sese vocat Apostolus, & munus suum διακονίαν appellat.

QV. *Non ignoras veterem Latinum interpretem Act. 13.2. vertisse λειτουργούντων sacrificantibus.*

R. Noui, & quidem ineptè, nisi velimus etiam Angelos facere sacrificos, vt qui λειτουργικὰ πνεύματα vocentur, Hebr.1.14. & Magistratus, Rom.13.4.

QV. *Atqui sic videtur accipi Lucæ 1.23. & Heb.10.11.*

R. Imò illic quoque in genere pro toto sacerdotali munere accipitur. Nomen quoque σύναξις id est Conuentus, latius patet, quanuis tandem ad eius præcipuam partem Cœnam Domini videlicet significandam, sit translatum. Ἀγάπας autem vocabant communia illa sacra conuiuia, & quicquid in eis gerebatur, vt Tertullianus latè in Apologetico declarat. vtitúrque etiam Iudas hoc nomine, Iudæ v.12. orta inde appellatione, tum quòd collatitiis dapibus vterentur, tum quòd mutuam charitatem ac coniunctionem arctissimam sic initiò testarentur Christiani.

164 QV. *At, quid tibi de nomine εὐχαριστίας videtur?*

R. Sic vocata fuit Cœna Domini, non quatenus Sacramenti, sed quatenus sacrificii rationem habet.

165 QV. *Ergo tibi Cœna Domini sacrificium est?*

R. Est sanè, idque triplici respectu: primùm, quatenus in ea aliquid Deo offerimus, sollennem videlicet gratiarum actionem ex illo Christi præcepto, *Hoc quotiescunque feceritis, mortem Domini annuntiabitis*: qua ratione dici potest omnibus veteribus sacrificiis quæ pacifica vocabant, Cœnam Domini successisse. Deinde quòd in ea conferrentur eleemosynæ, ex instituto fortassis Apostoli, 1. Corinthiorum 16. vers.2. quæ eleemosynæ vocantur προσφοραὶ ex illo Christi sermone, *Quod vni ex minimis istis feceritis, mihi feceritis.* Tertiò quòd mortis Domini sacrificium ob oculos quodammodo in illis mysteriis positum veluti renouetur. Nec aliter explicandum est quicquid de sacrificio & oblatione Christi incruenta apud vetustiores & puriores Patres, tum Græcos tum Latinos legitur.

QV. *Non putas igitur rursum offerri Christum Patri à sacerdote reipsa pro viuis & mortuis?*

R. Apage blasphemiam omnium quæ vnquam extiterunt, maximè execrandam.

166 QV. *Quid verò tibi de appellatione Sacramenti altaris videtur?*

R. Altaris aliquam speciem loco conuenienti positam fuisse certum est, quò conferebantur dona & munera (vt nunc quoque Pontificius Canon habet) ex quibus decerpebatur panis & vinum, quæ sacris mysteriis destinabantur. Hæc enim erat Agaparum clausula, Christi exemplo. Et ad eum locum adstabat minister, pani & vino benedicens. Sed hîc mihi vide Satanæ versutiam. Nec enim dubium est quin altaris istius occasione fretus, Sacramentum in sacrificium, & quidem *ἱλαστικὸν* transformarit. At in scriptis Apostolicis nulla est altaris, sed duntaxat mensæ Domini mẽtio. Tanti est momenti nihil temerè, ne *ἀδιάφορον* quidem, in Ecclesiam inuehere.

167 QV. *Et de Missæ appellatione quid sentis?*

R. De re ipsa, id est, de impietate qualis adhuc nulla extitit, suo loco dicemus. Vocẽ autẽ dico planè barbaram esse. Nam veteres Latini, quibus id proprium verbum fuit, non Missam sed Missas dixerunt. Possum etiam tibi ostendere vetustissimum Romanũ Capitulare, vt vocant, in quo Missa neutro genere & numero plurali dicũtur. Nec aliud vox illa quàm Missiones, siue res missas, oblationes videlicet, declarat, quas in cœtum quisque afferebat. Quod enim de dimissione cœtus aliqui scripserunt, ac multò magis etymum Hebræum de quo nõnulli plurimum laborant, absurdum mihi quidem videtur.

168 QV. *De ipsis appellationibus abunde dictum est. Nunc quæso, Cœnam ipsam mihi defini.*

R. Cœnam igitur Domini esse definio, actionem sacram adultis fidelibus omnibus in Ecclesia, ad consummationem vsque seculi à Christo mandatam, in qua elementorum, & rituũ conueniẽte analogia, tum mortis ipsius memoria nobis repræsentatur, tũ nostra in ipsum incorporatio spiritualiter per fidem obsignatur, tum mutua nostra in ipso coniunctio sancitur, solennis denique gratiarum actio ipsi persoluitur.

QV. *Velim igitur hanc definitionem mihi particulatim explicari.*

R. Cur actionem sacram esse dieam, antea in definitione Sacramenti cognouisti. De cæteris si quæsieris, ordine respondebo.

169 QV. *Intellexi & illud antea, cur mandatam à Christo dicas ad consummationem vsque seculi, siue donec veniat, vt ipsemet loquitur. Sed cur addis fidelibus adultis?*

R. Quoniam quum requiratur suiipsius probatio ex Apostolica doctrina, statuendum est eos excludendos, qui nec sese probare possunt, neque fidem habent perspectam quam explorent.

QV. *Vis ergo excludi infantes, furiosos, eos denique qui non sunt in Christiana religione edocti?*

R. Omnino ac proinde prophanatam ab iis Cœnam Domini qui infantibus eã distribuerũt.

QV. *Atqui ad esum agni Pascha, cui successit Cœna Domini, admittebantur etiam pueri.*

R. Concedo, sed qui ea essent ætate, vt patres interrogare, & ab eis edoceri possent, vt liquet Exod. 12. 26.

170 QV. *Cur adiecisti in Ecclesia?*

R. Vt noris non esse priuatam, sed communem actionem, id est in cœtu, siue totius alicuius Ecclesiæ, siue particulari, communiter denique non priuatim ab vno quopiam celebrandam. qua de re postea dicemus, vbi contra sacræ Cœnæ abusus disputabimus.

171 QV. *Elementa quæ vocas?*

R. Panem illum, & vinum illud.

172 QV. *Cur addis* Illum *&* Illud?

R. Vt sacra distinguam à communibus. Nam sic quoque loquitur Paulus, 1. Cor. 11. 16. & 17.

QV. *Quánam in re verò situm est hoc discrimen?*

R. Non in substãtia, sed in qualitate & vsu. Panis enim communis, & vinum commune ideo apponuntur, vt nostram hanc vitam foueant: panis autem ille, & vinum illud ideo præbentur, vt sint & *σημεῖα* & *σφραγῖδες* communicationis corporis traditi pro nobis, & sanguinis effusi pro nobis, idque ad vitam æternam.

173 QV. *Qui sunt ritus isti sacramentales?*

R. Quod ad ministrum attinet, Benedicere, Frangere, Fundere, Dare: quod ad conuiuas spectat, Accipere, Comedere, Bibere.

174 QV. *Quid istis tum elementis tum ritibus Sacramentaliter significatur?*

R. Panis quidem ille est illius corporis pro nobis traditi, vinum autem illius pro nobis effusi sanguinis, vtrunque denique totius Christi, vt æterni nostri cibi signum Sacramentale. Benedictio non tam alicui mysterio significando instituta est quàm partim confirmandis qui ad mensam Domini accedunt, partim ipsi Sacramento conficiendo, partim solenni gratiarum actioni celebrandæ. qua de re præstat seorsim agere. Fractio verò panis est passionis Domini symbolum.

175. QV. *Vnde hoc colligis? Sunt enim qui hoc referant ad azymorum præsertim panum vsum, quos constat fuisse minimè spissos, vel quibus scindendis cultro opus esset. Deinde etiam dicunt frangere panem ex idiotismo Hebraico idem significare, atque panem distribuere, & largiri.*

R. Vtrunque quod isti dicunt verum est, sed istud posterius nullo modo consentaneum est iis quæ Dominus fecit, & faciẽda præcepit. Scriptum enim est, *fregit, dedit*, ex quo intelligitur fractionis nomine intelligi non posse panis distributionẽ. Alterũ autem illud concedo, & adiicio solitos fuisse patresfamiliâs, etiã extra azymorum vsum, panem familiæ frangere. Sed hunc ritum quamuis cõmunem, tamen euasisse Sacramentalẽ, eóque significatas pœnas quas Dominus nostri causa luit,

saluit, manifestè ostendit Apostolus quum pro *τὸ διδόμενον quod datur*, scriberet *τὸ κλώμενον quod frangitur.*

176 QV. *Atqui os non est comminutum ex eo.*

R. Concedo: sed animi certè & corporis cruciatibus est dilaceratus, & hac Metaphora qua dicitur etiam cor contusum & comminutum nihil frequentius occurrit in Dei verbo. Datio verò seu præbitio exterior signorum perinde accipienda est, acsi Christus ipse sua manu seipsum nobis vtendum & fruendum præberet, seséque totum nobis insinuaret, quod etiam re vera virtute sancti sui Spiritus intus præstat, nisi incredulitas nostra obstiterit. Acceptio verò exterior qua sit vt manu elementa prehendamus, respondet interiori per fidem receptioni, vt perficiatur quædam inter Christum & nos stipulatio, rogante Christo: *Vis me fide intus recipere, sicuti externus has meæ promissionis σφραγῖδας tibi per ministrum meum in manus trado?* respondente verò fide, *Volo Domine, & fide te recipio, sicut hæc mea manus traditas sibi σφραγῖδας recipit.* Esus verò panis illius, & vini illius haustus, declarat Christi fide apprehensi applicationem, qua fit vt verè facti ipsius participes, ex eo quicquid ad salutem nostram spectat, magis ac magis hauriamus.

177 QV. *Quæ est verò analogia istorum signorum cum rebus significatis?*

R. Hæc analogia per se manifesta est. Panis enim & vinum quum præ cæteris cibis sint alendis corporibus nostris accommodata, commodissimè nobis illum designant, in quo vno vita æterna residet. Fractio verò panis, & vini effusio, infinitos illos cruciatus quos nostri causa perpessus est Dominus, velut ob oculos sistit, quasi penè ipsum in cruce cruentum pendentem & ex latere cõfosso, vitam æternam in nos instillantem, ipsis oculis intueamur. Huc pertinet illud De cõsecra. distinct. 2. *Quum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio eiúsque sanguinis de latere effusio designatur?* Mãducatio denique & potus nostram illam velut in Christum ipsum transformationem, & eius vicissim in nos insinuationem, qua viuit ipse in nobis, & nos in illo, sic expressè ac penè conspicuè declarat, vt nihil esse possit euidentius. Quid enim nobis cõiunctius esse potest quàm id quod edimus & bibimus, vt veluti in nos ipsos transformetur?

178 QV. *Sed nihildum de mutua nostra in vnum corpus consociatione dixisti.*

R. Id etiam ex toto ritu liquet. Quum enim ex eadem mensa eundem cibum & potum accipimus, vnius eiusdémque familiæ nos esse profitemur, & mutuas operas alii aliis hoc sollenni ritu pollicemur: vt accedit illa panis & vini ex granis multis in vnũ corpus conflatis analogia, quæ mutuam nostram veluti membrorum sub vno capite coalitionem velut oculis ipsis spectandam proponit. Quamobrem etiam Augustinus hoc mysterium appellat charitatis vinculum, quod apertè ab Apostolo explicatur 1. Cor. 10. 17.

179 QV. *Sed cur duplex elementum in Cœna adhibetur, vnicum autem in Baptismo?*

R. Quoniam Christus in Baptismo nobis proponitur vt lauacrum: aqua verò etiam sola eluendis sordibus sufficit. At in Cœna Domini, quum Christus nobis vt alimonia cœlestis præbeatur, vita hæc autem non solo esu, sed etiam potu egeat, meritò non tantùm panis, sed etiam vinum in Cœna Domini adhibentur, vt nouerimus totã nostrá vitam à nobis in vno Christo quærendã.

180 QV. *Num igitur tam necessarium censes vini illius vsum quàm panis illius?*

R. Omnino: & non nisi Satanæ instinctu poculi vsum Christianis ademptum: qua de re in refutatione dicemus.

181 QV. *Ac de panis in ipsas manus prehensione quid statuis, quam & ipsam Romana Ecclesia sustulit?*

R. Etsi panis prehensionem manu factam non tam præcisè necessariam dixerim, quàm alios ritus Sacramentales, (nam is quoque recipit qui ore recipit) tamen in Ecclesia hanc quoque restituendam censeo. Nam ita quoque Apostolicam veterem Ecclesiam factitasse apertius est quàm vt id negari possit: & istam panis in os iniectionem primùm ex præpostera quadam ac planè superstitiosa Sacramentorum reuerentia profectam constat, quasi indigni essent homines qui sacra elementa contrectarent, quum tamẽ sit os nostrũ impurius quàm manus. Denique recepta Trãssubstãtiationis delirio, quò deuenerit hæc superstitio nemo non videt nisi qui oculos non habet.

182 QV. *Multò minus igitur probas sublatam panis fractionem.*

R. Rectè sentis. Hac enim sublata tollitur analogia mortis Christi, sicut superius ostendimus.

183 QV. *Quid denique de eo censes quòd manducatio in adorationem, circumgestationem, oblationem denique pro viuis & mortuis est commutata?*

R. Nempe Satanam hac inuecta impietate, seipsum planè superasse, quum nulla vnquam tam crassa idololatria ne inter ipsas quidem maximè prophanas gentes fuerit audita.

184 QV. *Agè igitur de benedictione siue consecratione dicamus.*

R. Imò quid hoc rei sit iam explicatum est: siquidem benedictionis nomine consecratio intelligitur.

QV. *Sic igitur opinor, vocas quod sanctificationem etiam Theologi appellant, id est translationẽ ab vsu communi ad sacrum Dei cultum. Sed huic interpretationi obstant nonnulla. Vtuntur enim euangelista verbo εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν promiscuè in hoc ipso Cœnæ argumento, quorum illud vos Theologi interpretamini Benedicere, aliud verò gratias agere. Ista verò inter se differre ex eo potissimùm liquet, quòd Benedicere semper μεταβατικῶς, Gratias agere semper ἀμεταβάτως accipitur. Deinde sanctificatio illa etiam vulgaris, qua fit videlicet vt legitimè cibis vtamur, manifestè distinguitur à gratiarum actione & precibus, vt consequens ab antecedente.*

R. Hebræis, quorum idioma referunt Apostolica scripta, vsitatum est ex antecedente consequens intelligere. Ideo εὐχαριστεῖν quanuis absolutè semper ponatur, accipitur tamē in hoc argumēto pro, Cum gratiarum actione sanctificare: & rursus ista gratiarum actio in genere de precibus dicitur, Apostolo nomine ἐντεύξεως in re quanuis Impari tamen nō dissimili, vteote. Sic etiā εὐλογεῖν quum Deo tribuitur, accipitur pro ἁγιάζειν, Mose ipso interprete, Gen. 2. 3.

QV. *Sed in sacra Cœna historia Christum loqui vt Mediatorem, adeóque vt hominem, apparet ex eo quòd Euāgelistæ, sicuti dixi, promiscuè vtuntur quoque verbo εὐχαριστεῖν, quod Deo tribui nullo modo potest.*

R. Rectè sentis. Itaque dubium non est quin apud Paulum. 1. Corinth. 10. 16. ὃ εὐλογοῦμεν, id est, quod benedicimus, optimè sit interpretatus OEcumenius ex illo Hebraico idiotismo, ὃ εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν, id est, quod benedicendo præparamus. Benedictio verò partim ad Deum, partim ad ipsa elementa refertur, vt est primùm à Christo in hoc argumento instituta. Is enim, suo more, Deo Patri primùm benedixit, id est, gratias egit, quo respectu hoc mysteriū dici potest sacrificium εὐχαριστικόν: simúlque, vt Filius paternæ familiæ Dominus, accepta elementa sanctificauit, vt iā non id essent quod erant naturâ, sed id Sacramentaliter esse inciperent cui tum significando, tum præbendo & obsignando, ex ipsius voluntate distinabantur: adeò quidem vt rerum etiam significatarum nomina acciperent, quasi idipsum essent quod Sacramentaliter significabant. Quod verò tum ab ipso primùm institutum & peractum est, sicut eiusdem mandato, ita etiam eiusdem virtute perficitur, vt qui dixerit *Hoc facite*.

185 QV. *Sed huius benedictionis saltem quod ad gratiarum actionem attinet, non est certa formula præscripta.*

R. Concedo. Itaque liberum fuit Ecclesiis formulam præscribere explicationis tot tantorúmque beneficiorum, prout iudicatum fuit expedire, modò in ipsa rerum substantia ne tantillū quidem à Verbo scripto discederetur. Hinc ortus est nō ille modò Canō, sic vocatus à Græcis & Latinis, sed etiam inuectæ sunt multiplices illæ liturgiæ appellatæ, sic paulatim auctæ, interpolatæ, & adulteratæ, vt vera sint omnis non modò superstitionis, sed etiam impietatis sentina.

186 QV. *Num verò etiam benedictionis Sacramentalis siue ad mutationem Sacramentalem spectantis formula nulla præscripta est?*

R. Præscripta est certè disertis verbis à tribus Euangelistis, & Paulo.

QV. *Cur autem huius potius quàm illius?*

R. Quoniam voluit est Christi constituere Sacramenta ex præscriptis ab ipso verbis, ne, dum à verbis variamus, à voluntate ipsius discedamus. Certas autē voces quibus in ipsius institutionis explicatione, in petitione, in gratiarum actione vtamur, præscribere nō fuit opus. Itaque sufficere nobis debuit ea præscripta habere, ad quorum normam exigere illa nostra oporteat.

187 QV. *Quænam est autem illa Sacramentalis formula?*

R. Qualis præscripta extat à tribus Euangelistis, & à Paulo.

188 QV. *Atqui isti inter se vocibus nonnihil variant.*

R. At in sententia ne tantillum quidem. Itaque nihil interest quem ex his sequare. Declarat autem hæc aliquantola in vocibus varietas, non esse nobis in ipsis syllabis hærendum (quod magicum est prorsus) sed significationi vocum attendendum. Absit tamen vt ideirco nobis licere dicamus à præscriptis verbis discedere.

189 QV. *Non existimas igitur hæc verba esse operatoria?*

R. Minimè verò, si Operatoria vocas quibus aliqua vis insit ἐνεργητική. Quod enim iam antea dixi, iterum dico, nullum alium esse illarum vocum vsum quàm vt eius qui loquitur, conceptū declarent. Sin verò Operatoria dicis, quibus quid in Cœna tum à pastore, tum à grege agendum sit, tū quid agat ipse Deus declaratur: tum ego omnia illa dixerim esse operatoria. Nā illa, *accepit, fregit, dedit discipulis*, quid agendum sit pastoribus ostendunt: illa verò *Accipite, comedite, bibite*, quid gregem facere oporteat demonstrant. Sequitur enim, *Hoc facite*. Illa deníque, *Hoc est corpus meum quod traditur pro vobis*: &, *Hoc est sanguis meus noui Testamenti, qui effunditur pro vobis* significant audientium animo quid in hac actione Christus ipse sua vnius virtute efficiat, ac præstet. Nec enim hæc in illa actione à ministro Verbi tanquam ἱστορικῶς recitantur: sed vt intelligant omnes tum fieri quæ fieri præcepit Dominus.

190 QV. *Vis ergo institutionem Domini clarè recitari?*

R. Imò non clarè modò, sed ea quoque lingua quæ ab audientibus intelligatur, addita tum explicatione, tum etiam exhortatione, vt per ministrum non stet quo minùs omnes id quod agitur percipiant. Cur enim illa omnia dicuntur, nisi vt à quibúsuis accedentibus intelligantur? & cur intelligi oportet, nisi vt intellecta credantur? propterea requirit Apostolus, vt vnusquisque seipsum probet.

191 QV. *Ista verò sui ipsius probatio quibus in rebus sita est.*

R. Primùm in cognitione doctrinæ Christianæ, ac præsertim huius mysterii: deinde in fidei πληροφορίᾳ, tertiò deníque in vera resipiscentia.

192 QV. *At quis hæc habet?*

R. Quisquis est verè Christianus, quum hæc sint Spiritus adoptionis effecta. Aliud est autem vera hæc habere quàm numeris suis omnibus perfecta. Imò si hæc essent in nobis perfecta, neque Verbo, neque Sacramentis egeremus, quum iis vtamur vt illa inchoata quotidie augeantur.

193 QV. *Audiui quid agi oportere dixeris, tum à ministro ipso tum ab iis qui ad mensam Domini accedunt. Quæro igitur, quum ab vsu institutionis Domini pendeat ipsa Sacramenti causa formalis,*

siquid

siquid in illis peccetur, an propterea Sacramenti confectio impediatur.

R. Videamus hoc igitur per partes. Benedictio posita est præcipuè in institutionis Domini fideli recitatione, & quadam (vt ita loquar) ad signa applicatione, deinde in eiusdem explicatione additis exhortationibus, cæterísque omnibus quibus ad intellectionem & ad legitimum vsum horum mysteriorum quisque excitetur. Itaque ipsius quidem institutionis prætermissio, vel peruersio sic actum vitiat, vt Cœna Domini censeri nec possit, nec debeat. Alia verò minus rectè facta (ne si quidem falsa explicatio adhibeatur) actum tamen non vitiant, vt qui à voluntate & institutione Domini, penitus pendeat.

594 QV. *De fractione verò, quid sentis?*

R. Eius prætermissionem, quoniam nō ad ipsam Sacramenti confectionem, sed tantùm ad veri & prorsus legitimi eius vsus formam pertinet, actum ipsum non vitiare: sicuti næuus in facie formosa venustatem quidem lædit, sed formam tamen ipsam non abolet.

595 QV. *Quid de præbitione?*

R. Nempe eius prætermissionem facere, vt quod erat in sese Sacramentum, habere desinat Sacramenti rationem, quum vsus gratia sint instituta Sacramenta: quemadmodum cera impresso sigillo publico, à priuata & non signata cera plurimùm differt: sed nisi instrumento applicetur, vt priuata cera habetur.

596 QV. *Quid de acceptione, comestione, & potione sentis?*

R. Idem prorsus.

97 QV. *Sed quid si vitium sit in persona eius qui Sacramentum conficit?*

R. Nempe si merè priuata persona est, inanis est tota actio, vt in Baptismo diximus. Sin verò sedet in cathedra ministerij, quamuis illegitimè vocatus, siquidem institutionem Domini seruat, aliud statuendum est, vt de Baptismo antea respondimus. Par enim est sic eadem vtriusque hac in parte ratio.

QV. *Quid si falsum doceat aut vitiis scateat, aut nihil minus cogitet, vel credat, quàm id quod agit, num idcirco nullum est Sacramentum?*

R. Minimè, quicquid garriant Sophistæ de consecrantis (sicuti loquuntur) intentione. Pendet enim confectio Sacramenti in solidum à Dei instituto, per quemcunque tandem ministrum agat.

598 QV. *Idémne sentis de eorum vitiis, vel quauis indignitate, qui ad mensam Domini accedunt?*

R. Omnino. Et ex istis facile est intelligere, quæ corruptelæ sint in Ecclesiam Dei inuectæ, substituta loco veræ benedictionis magica demurmuratione: loco præbitionis & receptionis oblatione pro viuis & mortuis: fractione prorsus sublata, & gratiarum actione in circumgestationem, & horribilem illam crustuli prophanissimi adorationem mutata, de quibus suo loco dicemus.

599 QV. *Ergo integrum quoque Sacramentum præbent indigni ministri.*

R. Concedo.

QV. *Ergo accipiunt quoque integrum Sacramentum quamuis indignè accedentes, quum id accipiunt quod præbetur.*

R. Sæpe sum miratus spiritus erroris efficaciam in hac planè Sophistica conclusione. Error autem vnus alterum peperit. Hoc enim constituto, vtrunque, id est, tum elementa, tum rem significatam, id est, Christum cum ipsius donis ori & quibusuis præberi, concluserunt nonnulli à quibusuis qui elementa acciperent, rem quoque accipi. At istud eorum fundamentum falsissimū est. Nec enim res Sacramenti (id est Christus ipse) manibus & ori, sed mēti & fidei offertur, spiritualiter nimirum apprehendendus, sicuti corporea signa sensibus externis testificantur.

QV. *Quid igitur hac de re statuis?*

R. Elementa quidem à quibusuis, res autem significatas à solis fidelibus percipi, quamuis & elementa & res significatæ quibusuis præbeantur.

200 QV. *Dixisti initio simplex quoque Verbum constare duabus rebus, ipsis nimirum vocibus & rebus per voces significatis: ac proinde Sacramenta eò tantùm distare à Verbo simplici & nudo, quòd incurrant etiam in oculos, ideóque visibilia verba ab Augustino appellari. Atqui fieri potest vt etiam maximè impij tum verbum ipsum externum, tum res per id significatas, illud nempe ex sonitu, istas verè etiam intelligentia percipiant. Cur non igitur itidem in Sacramētis quoque constitueris & elementa videlicet & res ipsas significatas (panem & vinum nimirum, & Christum) à quibusuis percipi: ab aliis quidem, nempe credentibus ad vitam, ab aliis verò, nempe indignis, ad exitium?*

R. Primùm id quod tu dicis, nempe à quibuscunque auditur externū Verbum, percipi quoque quod per illud significatur, agnoscis non esse perpetuū. Nullum enim locum habet in iis qui ignota lingua loquentes sic audiunt, vt non intelligant, quod accidit magnæ hominum parti in Papismo. Imò quàm multi audiunt noto sibi idiomate loquentes, qui tamen sententiam ipsam eorū quæ dicuntur non intelligunt? Nam idcirco ludos literarios adimus, & præceptores audimus, nō modò vt linguas discamus sed in primis vt ea quorū sonos satis percipimus, re ipsa cognoscamus. Est autem id multò magis agnoscendum in rebus diuinis quàm communibus, & ad hunc nostrum captum sua natura accommodatis. Sed agè, demus & in Verbo simplici & in Sacramento audiiis, ac etiam à quibusuis intelligi quid vtroque significetur: nequaquam tamen dederim rem significatam, id est Christū, ab aliis quàm dignè, id est cum fide accedentibus recipi. Hæc enim receptio, quæ tropo Sacramentali (sicuti antea diximus) esus & potus vocabulis significatur, & ex effecto

dicitur ab Apostolo *auditus*, non aurium auditum, non intelligentiam dũtaxat respicit, sed id quod vnius fidei proprium est declarat, nempe ipsius Christi spiritualem applicationem.

201 QV. *Annon hoc illud est quod aiunt nonnulli, nempe tum panem & vinum tũ ipsum Christi corpus & ipsum sanguinem à dignis & indignis recipi: Christi autem ipsius fructum à solis fide praditis percipi?*

R. Minimè, id quod tibi facilè accommodata similitudine explicuero. Ponamus ægroto cuipiam à doctissimo medico, ignota lingua, nõ verbis tãtùm exponi, sed etiã reipsa proponi medicamenta quæ ad ipsius curationẽ requirantur: ægrotum verò neque quid medicus dicat, neque quid exhibeat intelligere. Nẽpe functus fuerit suis partibus medicus, qui tamen quod fecit frustra fecerit. Tales ij sunt qui prorsus indigni ad mẽsam Domini accedũt, earũ rerũ quæ ibi dicũtur & præbẽtur prorsus ignari, quibus nihilominus integra Sacramẽta proponũtur. Ponamus secundo loco ab ægroto audiri quidẽ quid dicat medicus, sententiã tamẽ dictorũ nõ percipi, seu quòd nõ sit attentus, seu quòd non sit earũ rerũ peritus de quibus medicũ audit disserẽtem. Tales sunt qui & ipsi indignè ad mensam Domini accedunt, animo videlicet ad res ipsas quæ ibi gerũtur, intellectu percipiendas non rectè comparati. Ponamus præterea ægrotum, & sermones ipsos & quicquid ipsi præbet medicus, probè intellecta aspernari. Quæro an istiusmodi, siue primi, siue secundi, siue tertij generis ægrotos, rectè dixeris oblata medicamenta recipere?

QV. *Nequaquam. Nam illi quidem neque sermonem, neque res ipsas, alteri verò sermonem duntaxat accipiunt, tertij denique & sermonem & res ipsas etsi vtraque intelligant, tamen re ipsa negligunt.*

R. Rectè sentis. Nam aliud est id quod dicitur intelligere, quàm quod intellexeris tibi applicare. Medicus iste de quo loquor, is est qui ritè Sacramenta administrat. Elementa & ritus Sacramentales commodè expositi, sunt huius medici sermo. Medicamentum quod præbetur, est ipse Christus cum ipsius donis, vnicum aduersus mortem remedium, vnico fidei instrumento nobis applicandum, vt omnis Scriptura testatur. Hinc collige quantopere fallantur qui tum sese tum alios decipiunt, qui sic ratiocinantur, vt dicant, Quum integra Sacramẽta, id est tum signa, tũ ipsum corpus & ipse sanguis Christi quibusuis accedentibus præbeantur, à quibusuis quoq; accipi, quãuis fructus Sacramenti à solis fidelibus percipiatur: quasi verò Christus aliter quàm ad vitam possit percipi.

202 QV. *Imò nónne Christus etiam iudicat, sicuti seruat, id est, tam ad iudicium incredulorum quàm ad salutem credentium proponitur?*

R. Omnino: sed receptus seruat, neglectus iudicat. Itaque falsò dicitur, ab aliis quidem ad vitam ab aliis verò ad mortem recipi, quanuis aliis quidem sit odor vitæ, à quibus nimirum fide recipitur: aliis verò, odor mortis, à quibus nimirum non recipitur. Mors enim non est à Christo, qui semper vita est, sed à Christi contemptu.

203 QV. *Rogo vt ad illud tandem accedamus à cuius explicatione videtur hac controuersia pracipuè pendere, nempe ad ipsam institutionis verborum genuinam ac veram explicationem.*

R. Quámnam autem illam esse censes?

QV. *Nempe*, Hoc est corpus meum, quod traditur pro vobis, *&*, Hoc est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

R. At ego Institutionem dico non tantùm quid detur, sed etiam quid à ministro, & ab iis qui ad hæc mysteria accedunt præscribatur comprehendere. Nam hæc omnia ad actionem hanc concurrant oportet.

QV. *Vt hoc concedam, puto tamen de iis demum qua recitaui controuerti.*

R. Imò etiam de aliis quoque. Nosti enim etiam quæri quid frangatur: & verbum *Facite*, à nonnullis accipi pro *Sacrificate*, & rursum pro *Corpus & sanguinem Christi facite ex pane*, sicut nuper Santesium scribere non puduit. Sed hæc omnia suo loco, fauente Deo, expendemus.

204 QV. *Nunc igitur quaso, eorum qua proposui explicationem aggredere: ac primùm quidem dicito quomodo illud*, Hoc est corpus meum *interpretandum censeas?*

R. Constare hanc enuntiationem dico Subiecto, Attributo, & Copula. Subiectum declaratur pronomine Hoc, Attributum voce Corporis. Copula est verbum substantiuum *est*.

205 QV. *Quódnam autem subiectum?*

R. Id videlicet quod Christus acceptum & fractum porrigebat, nempe panis ille, vt exprimunt Euangelistæ. Itaque *Hoc* nihil aliud declarare potest, quàm *Hic panis*, elementum videlicet huius actionis.

206 QV. *Quódnam est autem attributum?*

R. Corpus illud ipsum Christi traditum & sanguis ille effusus pro nobis. Idcirco enim additæ sunt illæ determinationes, *Quod traditur*: &, *Qui effunditur*.

207 QV. *Ista verò quomodo sic copulantur, vt vnum possit de altero dici?*

R. Nempe hæc est disparatorum natura, vt quum toto genere diffideant, vnum de altero dici propriè nulla ratione possit: quoniam alioqui res à rebus sua specifica forma non discernerentur. Itaque si propriè accipias hanc enuntiationem, non minus falsum fuerit panem esse Corpus Christi, quàm cucurbitam esse hominem. Figurata sit igitur oportet.

QV. *Atqui non ignoras, tum à Transsubstantiationis, tum à Consubstantiationis defensoribus mordicus τὸ ῥητὸν retineri.*

R. Ita quidem aiunt. Sed de illis postea viderimus. Mihi nunc satis est nostrarum Ecclesiarum doctrinam declarare, & quibus rationibus nitatur ostendere, tantisper dum contrarias sententias oppugnemus.

208 QV. *Qua in re igitur ſtatuis Figuram? Num in ſubiecto?*

R. Nequaquam. Verus enim ille panis acceptus, ſractus, & præbitus, illo pronomine propriè monſtratur.

QV. *Num ſolus?*

R. Omnino. Nam (vt ſuo loco dicemus) nullo modo cõuenit Synecdochen hîc ſtatuere. Hoc tamen verum eſt, non communem ſimpliciter panem, ſed panem Sacramẽtum ſic demonſtrari, id eſt, panem ad vſum Sacramentalem adhibitum.

209 QV. *Num igitur tropum ſtatuis in attributo?*

R. Scio quoſdam nobis hoc tribuere, ídque non vno calumniæ genere. Nam alij nos accuſant quaſi per Chriſti corpus hîc intelligamus Eccleſiam: quaſi verò hîc inſaniamus vt illa verba, *Quod pro vobis traditur*, non animaduertamus de myſtico corpore dici non poſſe: aut quaſi in altero membro ſanguis aliquis myſticus poni poſſit. Alij verò, quoniam Corpus interpretamur Sacramentum, ſiue ſignum corporis, ſtatim concludunt vel bicorporem à nobis Chriſtum ſtatui, vel imaginarium neſcio quod corpus à nobis Chriſto tribui, quorum tamen neutrum (Deo ſit gratia) à nobis admittitur. Tantum enim abſumus ab eo vt dicamus, aliud quàm verum illud & vnicum Chriſti corpus traditum pro nobis, de illo pane dici, vt contrà contendamus totum Chriſtum Deum & hominem illic ab altera natura, corporea videlicet, denominari, idque ob eam cauſam, quam ſupra expoſuimus.

210 QV. *Atqui ſi neque in ſubiecto, neque in attributo tropus eſt, nuſquam eſt.*

R. Malè colligis. Omittis enim tertium, id eſt copulam, quæ ſubiectum cum attributo connectit. Dico igitur in ipſo attributionis genere tropum eſſe, id eſt verum quidem & propriè acceptũ corpus de vero quoque & propriè accepto pane dici, ſed figuratè, non propriè. Sic ſi dicamus circuncisionem eſſe fœdus: vel Sceptrum eſſe regnum, vel Agnum Paſchæ fuiſſe Chriſtum, neque in ſubiecto, neque in attributo: ſed in copula ſiue attributionis genere tropus ſtatuatur neceſſe eſt.

211. QV. *Cur ergo Corpus interpretamini Sacramentum, ſiue ſignum, ſiue figuram corporis?*

R. Idem eſt, *Panem illum eſſe corpus Chriſti, non propriè, ſed quatenus illud Sacramentaliter ſignificat*: &, *Panem non eſſe illud corpus, ſed duntaxat illius corporis Sacramentum*. Itaque vaniſſimum & futiliſſimum eſt diſcrimen quod aduerſarij noſtri nobis hîc obiiciunt. Vtroque autem modo loquutos eſſe Patres tum Græcos tum Latinos, ſæpius eſt à noſtris demonſtratũ, quàm vt repetere toties dicta oporteat.

212 QV. *Quénnam autem hunc tropum eſſe dicis?*

R. Metonymiam Sacramentalem, qua fit vt rei Sacramentaliter ſignificatæ nomen ſigno tribuatur: ſiue qua ſignum dicitur eſſe idipſum cui ſignificando adhibetur, id quod antea plurimis ſimilibus exemplis probaui.

QV. *Cur iſtud Sacramentaliter toties inculcas?*

R. Vt ſemper occurram putidiſſimæ illorum calumniæ, qui quoties audiunt ſigni & ſignificationis nomen, clamitant Cœnam Domini à nobis euacuari, & velut in picturam inanem transformari. Metonymiam igitur Sacramentalem intellige, qua fit vt ſignum dicatur id eſſe cui externis ſenſibus, congruente analogia, & ex Dei voluntate ſignificando ſic adhibetur, vt ſimul intellectui & fidei præbeatur res illa ſignificata, verè ac reipſa ſpiritualiter recipienda & obſignanda.

213 QV. *Sed durum eſt, vt aliquid dicatur id eſſe quod duntaxat mente ſignificat.*

R. Imò, ſicut ſuprà docuimus, multò eſt accommodatior & expreſſior, ac proinde etiam vſitatior hæc figurata loquendi ratio, quàm ſi propriè loquendo ſigna dicerentur rem aliquam ſignificare. Quum enim id ipſum eſſe dicantur quod ſignificant, animum ſpectantis à re viſibili ad inuiſibilem contemplandam, & fide apprehendendam totum traducunt, qui eſt ſignorum vſus.

QV. *Velim tamen mihi certis & euidentibus rationibus iſtud confirmari, nempe figuratè accipiendas illas enuntiationes* Hoc eſt corpus meum: &c, *&*, Hoc eſt ſanguis meus. &c.

R. Faciam, & quidem libens. Quid enim mihi gratius eſſe poſſit, quàm hanc veritatem ſic patefacere, vt omni remoto fuco, qualis eſt, talis ab omnibus perſpiciatur? Probationes verò ſic diſtribuam, vt primo loco adferam argumenta ab his ipſis inſtitutionis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, & ratione prædicationum deſumpta. Quod autem de corpore dicemus, de ſanguine quoque intelligi velim.

214 QV. *Quodnam igitur eſt primum tuum argumentum?*

R. Quod accepit, fregit, porrexit, accipi, & comedi iuſſit Dominus, hoc ipſum dixit eſſe corpus ſuum.

Accepit autem panem illum, fregit, porrexit, &c, teſtibus Euangeliſtis.

Ergo panem illum dixit eſſe ſuum corpus. Sed diſparata de ſe dici propriè non poſſunt. Diſparata ſunt autem panis & corpus Domini. Ergo propriè vnum de altero dici non poteſt. Supereſt igitur, vt quum tamen vera ſit Chriſti oratio, figuratè intelligatur.

215 QV. *Alterum verò argumentum quódnam eſt?*

R. In omni propria & regulari attributione, vel genus, vel differentia, vel proprium, vel accidens dicitur de ſpecie, vel ſpecies de indiuiduo. Atqui corpus Chriſti, neque genus, neque differentia, neque proprium, neque accidens, neque ſpecies eſt, panis reſpectu. De pane igitur dici nullo proprio modo poteſt. Dicitur tamen, & quidem verè, quũ à Chriſto dicatur. Ergo figuratè.

216 QV. *Cedò etiam tertium.*

R. Si de hoc pane propriè & regulariter dicitur corpus Christi, quæ conueniunt corpori, cõueniunt pani, & contrà. Atqui nasci ex Virgine, esurire, mori pro nobis, crucifigi, resurgere, & c. conuenit corpori Christi, pani autem minimè. Et contrà, seri, meti, triturari, pinsi, coqui, conueniunt quidem pani, corpori autem nullo modo. Ergo regulari & vsitato modo panis dici non potest esse Christi corpus.

217 QV. *Cedò quartum.*

R. Si naturalis est illa enuntiatio, aut idem dicitur de seipso, aut non idem sed diuersum. at neutrum verum est. Ergo naturalis esse illa enuntiatio non potest.

Idem enim non prædicari de seipso ex istis rationibus apertè liquet. Primùm, quia in identica enuntiatione, subiectum & attributum oportet non re, sed nomine tantùm differre, vt quum dico, Ensis est gladius, Clypeus est scutum, Filius Virginis est Christus. Atqui panis & corpus Christi non sunt synonyma, sed res prorsus diuersæ: ergo identicam enuntiationem non constituunt. Quòd si quis pertinacior velit eandem substantiam duabus istis vocibus declarari, priùs ostendat oportet, aut panem desiisse panem esse, aut corpus desiisse esse corpus. Præterea in identica propositione termini sunt ἀντίστροφοι, siue mutuò recurrentes. Itaque si identica esset enuntiatio, tam verè dici posset corpus Christi esse panem coctum in fornace, quàm verè dicitur panem esse corpus traditum pro nobis. Non est igitur identica enuntiatio.

Rursum autem diuersum nihil hîc naturaliter dici, sic probatur necessaria consequutione. Si corpus vt diuersum quidpiam regulariter de pane diceretur, certè vel essentialiter, vel vt causa, vel vt accidens diceretur. Essentialiter non dici in secundo argumento ostendimus, quum neque se habeat ad panem vt genus, aut differentia, neque vt species ad indiuiduum. Causalis autem attributio multò minus esse potest. Nam neque efficientis causæ, neque finis rationem habet corpus ad panem: causæ verò interiores, puta materia & forma ad essentialem attributionem referuntur. Accidentalis denique attributio esse nequit, quum corpus non sit accidens, & etiamsi accidẽs esset, accidere pani non possit.

Restat ergo vt neutro modo naturalis siue propria esse possit illa enuntiatio.

218 QV. *Cedò quintum.*

R. Si panis ille esset propriè corpus Christi, esset quoque hypostaticè vnitus Filio Dei. Ex quo tria illa absurdissima & falsissima consequerentur. Eandem esse Sacramentalem & hypostaticam vnionem. Christum in hoc Sacramento constare ex tribus naturis hypostaticè vnitis, denique euehi panem & vinum in conditionem infinitè meliorem quàm ipsammet Ecclesiam. Sic enim panis fuerit propriè ipsummet Christi corpus: at Ecclesia non nisi figuratè seu mysticè Christi corpus est: nec fidelis vllus fit ipsemet Christus, sed duntaxat Christi particeps.

219 QV. *Adiice quæso etiam sextum.*

R. Si panis ille est propriè corpus Christi, & vinum illud propriè sanguis Christi, vt separata sunt signa, ita etiam separatum fuerit corpus à sanguine: aut vtrunque signum erit propriè totus Christus. Hoc autem posterius si verum est, non iam seruabitur τὸ ῥητὸν simpliciter, sed duplex Synecdoche statuetur, siquidem propriè & plenè dicendum fuisset, *Hic panis est corpus meum, & sanguis meus, & Hoc poculum est sanguis meus, & corpus meum.* Et quorsum obsecro, duplici elemento opus esset?

220 QV. *An etiam septimum adieceris?*

R. Quod est cum alio, siue in alio, siue sub alio, citra commixtionem, etiam arctissima vnitione coniunctum, non potest propriè dici idipsum esse. vt exempli gratia, etiamsi anima & corpus hypostaticè iuncta sint, nemo tamen corpus esse animam, aut animam esse corpus dixerit. Multò minùs igitur Sacramentalis coniunctio, effecerit vt panis ille propriè sit ipsum Christi corpus.

221 QV. *Num etiam octauum?*

R. Si panis ille propriè est Christi corpus, ergo desierit esse panis, quum hæ duæ res sint toto genere disparatæ. At si desiit esse panis, non iam duabus rebus vna terrena, altera cœlesti constabit Eucharistia, nisi rem terrenam appelles spectra, id est accidentia sine subiecto. Re autem terrena sublata, tollitur quoque analogia duarum istarum rerum, ac proinde sublata fuerit tota Sacramenti ratio. Figuratè igitur panis ille dicatur corpus Christi necesse est.

Iam autem accedo ad alteram argumentorum classem, petitorum videlicet à verbis quæ superiora illa, Hoc est corpus meum, præcedunt & sequuntur, & à circunstantiis & collatione aliorum Scripturæ locorum.

222 QV. *Cedò primum.*

R. Dico ex verbis præmissis, nempe, *Accepit, Fregit,* liquere hoc quod accepit non potuisse à Christo propriè suũ ipsius corpus dici, vt qui nõ seipsum suismet manibus accepisse, tenuisse, fregisse dici possit, sed manifestè cernentibus discipulis panem manibus suis acceptum fregerit & dederit. Itaque Augustinus vt Sacramentalem Metonymiam emolliret, Christum dixit QVODAMMODO semetipsum manibus suis gestasse, quatenus videlicet, ne inane Sacramentum putetur, signo nomen rei significatæ tribuitur. Idem quoque de poculo existimandum est, vt suo loco dicemus, in quod certè Christus sanguinem illum suum adhuc corpore suo contentum, nunquam effudit.

223 QV. *Cedò alterum.*

R. Si propriè diceretur corpus de pane, & sanguis de vino, propriè quoque de pane di-

cerentur

cerentur verba subsequentia, *Quod pro vobis traditur*:&, *Qui pro vobis effunditur*. quod vtrumque falsissimum est.

224 QV. *Cedò tertium.*

R. Ex eo quod adiungitur, *Hoc facite in mei recordationem*, liquet de pane propriè nō dici corpus nec de vino sanguinem, quoniam simul eo ipso loco adessent vbi sunt panis & vinum, recordatio verò non est præsentium, sed absentium. Ideo Bernardus in Cantica, Sermone 33 hac ipsa de re differens, Fidem & Speciem (id est, id quod oculis cernitur) itémque Memoriam & Præsentiam opponit.

225 QV. *Cedò quartum.*

R Idem liquet ex his verbis adiunctis, 1.Cor,11,16. *Hoc quotiescunque feceritis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Certè qui venturus est, nondum adest: aut si iam propriè venit, celebranda non sunt amplius hæc mysteria. Hæc autem omnia consequuntur, non modò si panis est propriè corpus, sed etiam si Cum, vel In, vel Sub pane & vino adest eo ipso loco vbi est panis & vinum.

226 QV. *Cedò quintum.*

R. Sic colligo à temporis circunstantia. Quo tempore Dominus de vino illo dixit, *Hoc est sanguis meus qui effunditur pro multis in remissionem peccatorum*, nondum extra vasa corporis Christi effusus erat, neque vnquam postea legitur aliquo vase collectus. Ergo in illo poculo tunc non fuit propriè sanguis ille Christi pro nobis inter carnificum manus effusus, neque etiam nunc est. Multò minus igitur ipsum vinum tunc fuerit aut nunc est propriè sanguis ille pro nobis effusus. Sed figurata est illa enunciatio, quæ Christum Ipsum & eius passionem, omniáque ipsius dona nos verè spiritualiter per fidem participare nobis testificatur.

227 QV. *Cedò sextum.*

R. Idem colligo ex eo quod scripsit Chrysostomus, Christum ipsum ex iisdem signis participasse, homil. in Mat. 83. At enim si propriè de illo pane quem Christus comedit, diceretur ipsius corpus, & de illo vino quod Christus bibit, ipsius sanguis, Christus quoque semetipsum propriè comederit & biberit.

228 QV. *Cedò septimum.*

R. Colligo ex aliis Scripturæ locis, propriam hanc enuntiationem non esse. Quoties enim disparata & non disparata, eidem subiecto attribuuntur, necesse est vt alterum propriè, alterum figuratè accipiatur, quod exemplis prolatis sic explico. Euangelium dicitur potentia Dei ad salutē, Rom. 1. 16. Eiusdē capitis initio dicitur doctrina diuinitus patefacta de filio Dei: quæ duo quum diuersa sint, necesse est vnum propriè, alterum figuratè dictum intelligi.

Fidem qua seruamur, esse notitiam veri Dei & Iesu Christi, non obscurè colligitur ex Ioan. 17. 3. Eadem definitur esse *ὑπόστασις* rerum quæ nō sunt. Vnum igitur istorum propriè, alterum figuratè dictum fuisse oportet.

Ioannes non est Helias, Ioan. 1. 21. Et est Helias qui vēturus erat. Matthæi 11. 14. In altero igitur figuram fateamur necesse est.

Herodem hominem propriè fuisse constat. Idem dicitur Vulpecula. Alterum ergo figuratè dictū intelligetur. cuiusmodi exempla infinita depromi possunt: neque tamē hæc à me proferuntur, quasi sint eadem figura id est per Metonymiam explicanda, sed vt ostendam verum esse quod dixi, nempe quoties disparata de eodem subiecto dicuntur, oportere alteram attributionem esse propriam, alteram figuratam.

Sic poculum illud, id est vinum poculo contentum, modò esse sanguis, modò esse Testamentum in sanguine dicitur: & tamen constat illud ipsum esse propriè genimen vitis, vt à Christo vocatur. Non igitur est propriè humanus sanguis ac multo etiam minùs est propriè vltimæ morituri voluntatis testatio: sed sanguis dicitur, quoniam est illius sanguinis Sacramentum, quo fœdus illud seu testamentum remissionis peccatorum, & vitæ æternæ nobiscum sancitur: itémque est testamentum in sanguine quoniam est eius testamenti pignus, quod sanguine Domini sancitum est. Sicut Dominus apud Mosen eodem loco quum Circuncisionem vocasset fœdus, ipsemet postea signum fœderis interpretatur.

229 QV. *Cedò octauum.*

R. Collatio loci, 1.Corinth. 10. 16. vbi dicitur panis ille, communio corporis, & poculum illud communio sanguinis, cum Christi verbis, quibus panem illum corpus suum, & poculum illud sanguinem suum vocat, omnino ostendit figuratum esse vtrunque hoc dictum, vel saltem illorum alterum, nempe vel illud Pauli, vel illud Christi.

QV. *Nempe illud Pauli ex proprio Christi dicto exponendum est.*

R Ergo tandem eò deueneris, vt fatearis non euertere testamentum Filii Dei, quicunque tropos in Sacramentorum controuersia tuentur. Sed ad rem. Facile est ostendere ex argumento nostro septimo, & proximè præcedente, vtrumque hoc dictum esse figuratum, siue illud ex isto, siue istud ex illo interpreteris: siquidem vtraque hæc enuntiatio, *Hoc poculum* seu vinum, *est sanguis meus*:&, *Hoc vinum est communio sanguinis mei*: (idem autem de pane statuendum est) diuersa est ab ista, *Hoc vinum est genimen vitis*, quam tamē maximè propriā esse statuas oportet, atque adeò mordicus retinendam, quia sublata signi substantia, sicuti diximus, tolleretur analogiæ fundamentum.

QV. *Responderim & Christum & Paulum istud vt satis perspectum prætermisisse. Quorsum enim docuisset discipulos panem quem manibus tenebat esse panem, & vinum esse vinum? Sed id certè quod nunquam*

alioqui credidissent, ipsos doceri oportuit, nempe hæc quoque quæ manibus tenebat & præbebat, In Sub, vel Cum pane & vino, esse corpus suum, & sanguinem suum.

R. Ergo Synecdochen statuas necesse est in his vocibus, *Panis iste*, & *Poculum istud*, ac proinde dum tropos vitare studes in tropum incideris. Sed istam Synecdochen suo loco expendemus, nempe quum ad refutationem ventum erit. Tu verò ne sic quidem effugeris. Nam qualicunque & quantacunque coniunctione duo disparata (cuiusmodi sunt panis & corpus, vinum & sanguis) inter se re ipsa connexueris, nunquam tamen effeceris vt vnum propriè dici possit esse alterū. Imò ne in commixtione quidem vnum dici potest esse alterum, sed vtrunque fit tertium quiddam. Itaque hæc demum propria esset enuntiatio, *In, vel Sub, vel Cum pane & vino est corpus meum & sanguis meus.* Restat ergo vt fatearis vtrunque hoc & Christi & Pauli dictum esse figuratum, siue hoc ex illo, siue illud ex hoc interpreteris.

230 QV. *Quomodo igitur locum Pauli explicandum putas?*

R. Primùm refellendi sunt qui κοινωνίαν pro distributione accipiunt, quod absurdissimum esse res ipsa clamat, quum panis & vinum sint substantiæ, distributio verò sit actio: & ipse Paulus illud explicans, vtatur verbo μετέχειν, & scopus ipse Apostoli postulet, vt Communionem, non autem Distributionem declaret. Deinde mirum est eos qui nullum tropum in re Sacramentaria probant, hoc loco posse communicationem corporis pro communicato seu distributo corpore interpretari, id est actionem cum effecto confundere. Nam ne illud quidem rectè faciunt, quòd hanc distributionem referunt ad Frangendi verbum, acsi scripsisset Paulus, Panis quem distribuimus, est communicatum corpus. Verbum enim frangendi propriè in hac actione accipiendum esse suprà ostendimus, & apparet ex verbo *Dedit*, quod subiicitur verbo *Fregit*, in Euangelistarum narratione.

QV. *Κοινωνίαν ergo quid dici putas?*

R. Communionem & societatem quæ est vera huius vocis significatio, & nonnihil differt à μετοχῇ, vt annotat Chrysostomus, quãuis verbo μετέχειν & κοινωνεῖν promiscuè vtatur Paulus. Qualis igitur est κοινωνία, id est societas naturalis omnium hominum in natura communi carnis & sanguinis inter se & cum Christo ipso: talis est κοινωνία ex Dei beneficio, inter omnes fideles & Christum, cui inseruntur, & incorporantur.

QV. *Sed quo genere dicendi, panis ille dici potest hæc ipsa esse κοινωνία.*

R. Dialecticis dicitur causalis attributio qua proprius effectus tribuitur propriæ causæ, siue materiali, siue efficienti, qui modus pertinet ad quartum modum dicendi per se, vt in scholis loquuntur. Figurata verò est loqutio, quando ponitur effectum pro causa, siue verò efficiente, vt quum *Christus* dicitur *resurrectio & vita*, pro *Resuscitator*, & *Viuificator*, siue, *Causa resurrectionis & vitæ*: vel materiali, vt quum dicit Paulus, *Vos estis gloriatio mea*, id est, *materia gloriationis meæ*: seu instrumentali, quæ & ipsa est efficiens ὑπηρετικὸν, id est subseruiens, vt quum dicitur *Euangelium esse potentia Dei ad salutem*, id est, *instrumentum quo efficaciter vtitur ad nos seruandos Deus.* Sic etiam hoc loco dicuntur *panis ille, & vinum illud esse illa cõmunio*, id est *instrumenta quibus efficitur & sancitur in nobis illa nostra cum Christo societas.* Instrumentum autem istud est Sacramentale siue symbolicum, non ipsa causa efficiens, quæ est Spiritus sanctus. Itaque sicut ista figurata Christi enuntiatio, *Hic panis est corpus meum*, per hanc explicatur, *Hic panis est Sacramentaliter corpus meum*: ita hoc quoque dictum Pauli, *Hic panis est communicatio corporis mei*, per hanc propriam explicanda est, *Hic panis est Sacramentale instrumentum nostræ cum Christi corpore societatis.* Illic autem est tropus duntaxat in copula, Metonymia videlicet Sacramentalis: hîc verò etiam in attributo est tropus quem Metalepsin vocant, effecto videlicet pro causa posito.

231 QV. *Aliáne verò præterea proferre potes argumenta?*

R. Maximè, ac in primis quidem illud quod ducitur ab essentiali & οὐσιώδη omnium Sacramentorum forma, quæ est in summa, vt ex signo & re significata, siue (vt loquitur Irenæus) ex re terrena & cælesti constent. At signatum dici de signo, neque signum de signato, nisi per Metonymiam, non potest, ideóque priora generis propositiones per verbum Significat, (intellige de Sacramentali significatione, cui præbitio quoque semper adiuncta est) posteriores verò verbo passiuo declarantur: vt, *Hic panis est corpus meum*, id est, *Hic panis Sacramentaliter significat corpus meum. Corpus meum est hic panis*, id est, *Corpus meum Sacramentaliter significatur per hunc panem.* Illam autem formam esse οὐσιώδη omnium Sacramentorum, apparet ex ipsa Sacramenti appellatione, teste his verbis Augustino, Epist. 5. *Nimis longum esset, inquit, disputare de varietate signorum, quæ quum ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Liquet etiam ex eo quòd omnibus Sacramentis id commune est.

Sic in arbore vitæ, quatenus Sacramentum est, consideratur res externa & signum, nempe planta visibilis & res spiritualis & cælestis, id est, Iesus Christus vera vita. In arbore scientiæ boni & mali, planta itidem naturalis, & experientia boni & mali. In circuncisione, præcisio pelliculæ & sublatio peccati. In Pascate Agnus & Christus: in petra deserti, rupes & Christus sanguinem fundens: in Baptismate nubis, nubes & mare, & sanguis Christi: in Manna, panis miraculo datus, & caro Christi: in Sabbato, dies septimus cum cessatione ab opere, & mortificatio carnis, & æterna vita: in Sacrificiis, victima mactata, & oblatio Christi per semetipsum facta: in Sanctuario, penetrale Templi & cælum: in Tabernaculo, opus manufactum, & corpus Christi: in Cherubin, imagines super Arcam, & Angeli: in Propitiatorio, operculum deauratum, & Iesus Christus. Sic in apparitione columbæ, columba & Spiritus Sanctus: in Baptismo, aqua cum ablutione & sanguis

guis Christi nos emundans: in linguis igneis, ignis naturalis & Spiritus sanctus. Sic denique in Cœna Domini, panis, & vinum signa, corpus & sanguis Domini Sacramentaliter significata.

QV. *Sed multa ex illis sunt potius typi quàm Sacramenta.*

R. Esto. Cômunis tamẽ hæc est forma totius συμβολικῆς θεολογίας. Idcirco in ipsis scriptis Apostolicis, vocãtur σημεῖα, σφραγῖδες, τύποι, ἀντίτυπα, παραδείγματα, μιμὰ & εἰκόνες, & à Patribus quoq; præterea figuræ, μυστήρια, ἀντίτυπα, τύποι, signantia, similitudines, ὑπομνήματα, σύμβολα μυστικὰ, & similibus aliis nominibus.

QV. *Quid igitur ex his omnibus concludis?*

R. Neque signatũ de signo, neque signũ de signato aliter quàm metonymicè dici posse, idque esse in Scripturis tam vsitatum, vt fere nunquam aliter loquantur.

232 QV. *Sed habet Cœna Domini formam quandam propriam & specificam, quæ facit vt de ea idem quod de reliquis Sacramentis, non sit statuendum.*

R. Etsi hoc pertinet ad refutationes quas in proprium locum differre volui, tamẽ vt vis superioris argumẽti melius elucescat, agè de hac re nũc quoque aliquid dicamus. Habere certè cõcedo Cœnam Domini suam peculiarem formam qua à cæteris tum veteribus tum nouis Sacramentis differat. Sed quorsum hoc? Nam hæ formæ quæ διαιρετικαὶ vocantur, quoniam species eiusdem generis discernunt, non tollunt συστατικὰς & generales, quibus necesse est omnes species constitui, vt ad cômune genus referãtur. Sic exempli gratia: Animal est cômunis forma essentialis, & συστατικὴ omniũ specierũ ad id genus pertinentiũ. τὸ λογικὸν verò est forma qua homo à reliquis animaliũ speciebus discriminatur. Num verò dixeris hanc specificam formam efficere vt illa generalis, (Animal videlicet) nõ eadẽ prorsus ratione de homine atque de cæteris animantibus dicatur? Et quînã, obsecro, si differẽtia siue propriũ (nunc enim inter ista nõ distinguo) generis attributionem prorsus eandem tolleret, definitio constaret ex genere & differentia? Itaque differentia illa specifica Cœnæ Domini, quæcunque tandem illa sit, efficere non potest quominus communis illa ratio quæ Sacramentum constituit, eodem prorsus modo de Cœna Domini, atque de cæteris Sacramentis dicatur. Cômunis autẽ illa ratio est, sicuti ostendimus, vt signum externum rem aliã Sacramentaliter significet. Nihil verò est signũ suiipsius, quũ signũ sit in earũ rerũ genere quæ cũ alio cõferũtur. Ergo manet illud cômune sine exceptione, omnibus Sacramẽtis signatũ nõ esse signũ, quia duo hæc reipsa esse oporteat. ac proinde signatum de signo non nisi metonymicè dici posse. Sed præterea libet hîc ex te quærere, quã tandem hanc differentiã esse statuas?

QV. *Vnam in Subiecto, alteram in Attributo, tertiam in ipso attributionis modo.*

R. Quámnam verò in Subiecto?

QV. *Quòd diuersa sint Cœnæ Domini elementa à Baptismi elemento.*

R. Esto. at quámnam in attributo?

QV. *Quòd corpus & sanguis Domini sint res Cœnæ Domini.*

R. Falleris. Nam in Baptismo quoque sanguis Domini est res significata. At quámnam in attributione?

QV. *Quòd sola elementa Cœnæ Domini dicantur in Institutionis verbis esse ipsum corpus & ipse sanguis Domini.*

R. Quid inde vis effici?

QV. *Nempe in Baptismo non ipsum sanguinem adesse & dari, sed tantum fructum effusi sanguinis: in Cœna verò corpus ipsummet & ipsummet sanguinem adesse, & ori ipsi præberi.*

R. Verène ista dicantur, suo loco videbimus. Sed, quæso, nõ te animaduertis Sophistã agere?

QV. *Quinam?*

R. Quoniam permutas quæstiones. Nec enim quærebamus eadémne sit res Cœnæ Domini atque aliorum Sacramẽtorum, sed an alio attributionis genere res illa Cœnæ Domini (siue ea sit duntaxat Christi fructus, siue sit ipsemet Christus) aliter de pane & vino dicantur, quàm res, siue eadem siue alia, de aliis signis dicatur. Ecce igitur vt tibi cõcedam quod dixisti, non erunt tamen diuersa attributionũ genera, sed res tantum diuersę attribuentur. Et certè nisi ita esset, id est, si aliter signatum de signo diceretur in Cœna Domini quàm in cæteris Sacramentis ac etiam typis, non referrentur ad idem genus, vtpote quod nõ esset generalis illa forma, omniũ eorum συστατικὴ, quemadmodum si alia ratione diceretur Animal de homine quàm de equo, Animal non esset commune hominis & equi genus.

233 QV *Nullámne igitur vis esse formam Cœnæ Domini specificam?*

R. Absit. Sed formam specificam esse dico partim in propriis elementis & ritibus, partim non in ipso attributo, sed in eius attributi qualitate, quia videlicet Christus res vtriusque Sacramenti, id est tum Baptismi tum Cœnæ Domini, in Baptismo quidem nobis proponitur vt lauacrum & obsignatio nostri in Ecclesiam ingressus, in Cœna verò vt cælestis ingressorũ alimonia.

234 QV. *Hoc volo, ipsum Christi corpus & ipsum sanguinem reipsa adesse In, vel Sub, vel Cum illo pane & illo vino in Cœna Domini: in aqua verò Baptismi non item.*

R. Repugnas igitur eorum doctrinæ qui docent Christi quoque humanitatem vbique κατ' οὐσίαν adesse. Sed hoc nunc quidem missum faciamus. Non vides rursum à te permutari quæstionem? Nam ne illud quidem quærebamus. Sitne res significata præsens eo ipso loco vbi est panis ille & vinũ illud, an verò absens: sed illud quærebamus, quo attributionis genere signatũ siue præsens siue absens, de signo dicatur, propriéne an figuratè: & an alio attributionis genere de Cœnæ Domini, quàm de cæterorum Sacramentorum elementis dicatur. Quæstio igitur de præ-

ſentia vel abſentia nihil ad rē facit, neque vllo modo efficere poteſt vt id quod eſt aut datur In, Sub, vel Cū aliquo, ſiue præſente, ſiue abſente, propterea dici propriè poſſit, illud ipſum eſſe, In, Sub, vel Cum quo eſt.

235 QV. *Pergamus igitur ad alia argumenta?*

R. Pono igitur inprimis quod veriſſimum eſt, corpus Chriſti eſſe verè organicum & naturale corpus, quam naturam neque tū exuerat quū Cœnā inſtitueret, neque illi poſtea ademit gloria. Pono & illud, propriè dici Chriſtum ſecundum Carnem aſcendiſſe, id eſt, ex terra ſurſum ſupra cælos omnes mutato loci ſitu profectum.

Pono etiam tertium iſtud, nempe non reuerſurum inde, quo aſcendit ante eum diem quo venturus expectatur.

His poſitis ſic colligo. Si panis ille eſt propriè corpus ipſum, & vinū illud eſt propriè ſanguis ipſe, vt volunt Tranſſubſtantiatores, imò etiā ſi propriè In, vel Sub, vel Cum pane & vino ſunt eo ipſo loco corpus & ſanguis, vt volunt Cōſubſtātiatores, reipſa quoque præſentia ſimul eodémque momento adeſſe oportuerit tot locis corpus illud & ſanguinem illū, quot locis panis & vinum illud adſunt.

At iſtud cum illis ſtare non poteſt: illa verò ſunt certiſſima. Iſtud ergo vtrunque dogma tum *μετουσίας*, tum *συνουσίας*, quum ſint contra *ἀναλογίαν* fidei, falſum eſt.

Vtrunque tamen teſtatum eſt Sacris literis, nempe tum panem eſſe corpus, & vinum eſſe ſanguinem, tum Chriſtum verè hominem aſcēdiſſe in cœlos, nec inde rediturum ante diē vltimum. Vera ſint igitur iſta neceſſe eſt. At contradictoria ſi propriè accipiantur, vera eſſe non poſſunt.

Ex his igitur vnum propriè, alterum figuratè accipi neceſſe eſt.

QV. *Sed quis poſitis illis aſſentietur?*

R. Quiſquis ſane Chriſtianus eſt. Verū enim ac proinde organicū fuiſſe corpus à Filio Dei aſſumptum qui negat, Marcionita eſt, non Chriſtianus. Qui Chriſtū negat ſecundū carnē veniſſe eò quò veniebat, & abiiſſe vnde abibat, ac proinde nō verè abfuiſſe & adfuiſſe certis locis, hiſtoria Euangelica refellitur. Qui proprietatē naturalis corporis (id eſt Non alio loco eſſe quàm quo circunſcribatur) ſiue ab hypoſtaticæ vnionis, ſiue ab aſcenſionis tempore, tollit, Eutychianus eſt non Chriſtianus. Qui aſcenſionem pro qualitatis non loci mutatione, & cœlos in quos aſcendit allegoricè interpretantur, ab ipſa quoque hiſtoria, & fidei analogia refelluntur, & vt tropū vnū vſitatum & fidei analogiæ penitus cōuenientem negent, innumerabiles tropos ab analogia fidei diſcrepantes inuehunt. Qui denique proprietatem verborū in aſcenſionis hiſtoria ſeruari poſſe putant cum reali, ſiue per Conſubſtantionem, ſiue per Tranſſubſtantiationē, præſentia, duo contradictoria ſimul ponunt: cui contradictioni neque in natura, neque in fidei myſteriis locum eſſe ſuo loco demonſtrabimus. Valet igitur hæc collectio, & eſt inexpugnabilis: Chriſtus ſecundum carnem propriè diſceſſit à nobis ſuprà cælos, non priùs inde rediturus quàm iterū veniat iudicaturus viuos & mortuos. Ergo neque panis qui eſt in terris, eſt propriè caro ipſa Chriſti, neque caro Chriſti eſt propriè In, vel Sub, vel Cum pane.

QV. *Atqui non aliter nunc eſt vera hæc enuntiatio.* Hoc (ideſt hic panis) eſt corpus meum, *quàm quum eam enuntiaret Chriſtus: imò idcirco nunc vera eſt, quia tunc vera fuit, eiuſdem videlicet inſtitutionis virtute. At tunc erat ipſemet præſens. Ergo nunc quoque præſentia eadem requiritur.*

R. De hoc poſtea viderimus. Iterū autē dico ſiue præſens ſiue abſens Chriſti corpus ſtatuatur, manere tamen illud non poſſe propriè panem illum dici eſſe ipſum Domini corpus. Progredior nunc ad argumenta quæ à veris humanæ carnis proprietatibus ſumuntur,

236 QV. *Cedò igitur.*

R. Qui proprietatem eſſentialē alicuius rei tollit, rem ipſam tollit: quia ſublata definitione, tollitur definitum.

At circunſcribi loco, eſt proprium eſſentiale corporis.

Ergo qui circūſcriptionem loci adimit Chriſti corpori, corpus ipſum abolet. propoſitio probatione non eget. Aſſumptio patet ex corporis definitione, quod dicitur eſſe quātitas diuiſibilis ſecundum trinam dimenſionem, longitudinem, latitudinem, & craſſitiem, & cuius partes termino communi, id eſt ſuperficie clauduntur. Item à definitione loci. Locus autem eſt per quem fit continentis & contenti contactus.

QV. *At ego putabam locum non eſſe eſſentiam corporis.*

R. Sic ludunt Sophiſtæ. Nec enim ipſum locum dicimus eſſe materiam corporis, ſed localitatem (vt ita loquar) neceſſariò & per ſe propriam eſſe corporum: neque corpus tunc conſideramus vt materiem, ſed vt quantitatem. Rectè igitur Auguſtinus de ipſo glorificato Chriſti corpore loquens, *Si corpus*, inquit, *ergo in loco.* &, *Tolle ſpatia corporibus, & corpora non erunt.* Sed progrediamur.

Tollit circunſcriptionem loci, qui vnum idémque corpus vbique vel pluribus ſimul locis propriè eſſe contendit.

Hoc facit quiſquis hunc panem vel eſſe propriè corpus Domini tradit, vel re ipſa, In, Sub, vel Cum pane adeſſe, & externis ſenſibus dari vult, quotcunque locis Cœna Domini celebratur.

Ergo, &c.

Scio confugere nonnullos ad diſtinctionem corporis hyperphyſici, nonnullos itidem ad omnipotentiæ *καταφυγήν*. Sed quorſum hoc? naturali enim ſublata, generali, & *οὐσιώδει* forma qua omne corpus corpus eſt, cōſequetur corpus eſſe deſiiſſe cui corporis forma illa eſſentialis adimitur: &

tur: &

tur: & Sophiſtas agunt qui ab accidentalibus proprietatibus ad eſſentiales argumentantur: qua de re ſuo loco dicturi ſumus.

137 QV. *Habéſne etiam aliud quod proferas?*

R. Habeo,& quidem maximi momenti. Nam ſublato proprio, perpetuo & neceſſario effecto, tollitur quoque antecedens cauſæ. Dico igitur ex Ioan. 6. v. 51. quicunque participarit Chriſtum, vitam æternam participare. At conſtat multos ſumere Cœnæ Domini elementa ad iudicium. Horum igitur nemo Chriſtum ipſum participat. At ſi propriè & re ipſa panis eſſet corpus Chriſti,& vinum illud ſanguis Chriſti, ſiue per Tranſſubſtantiationē, ſiue per realem Conſubſtantiationem, quiſquis elementum ſumeret, rem quoque propriè & re ipſa ſumeret. Ergo,&c.

QV. *Non ignoras quid ad propoſitionē huius argumenti reſpondeatur: intelligi videlicet dictum Ioannis & alia eiuſmodi de ritè & dignè accedentibus.*

R. Scio,&(vt ſpero) facile hoc refutabo, vt & illā triplicē ſiue quadruplicē manducationem.

QV. *Quid igitur ex his omnibus concludis?*

R. Nempe enuntiationes illas, *Hoc eſt corpus meum quod traditur pro vobis*, & *Hoc eſt ſanguis meus qui funditur pro multis in remiſſionem peccatorum*, eſſe figuratè, Metonymia nimirum Sacramētali, neceſſario interpretandas, nec tamen propterea de Sacramenti veritate, aut vera ipſiuſmet Chriſti perceptione quicquam detrahi.

138. QV. *Velim autem & illud mihi explicari, quo tempore putes Cœnam Domini celebrādam. Audimus enim à Iudæis Chriſtianos rideri, qui tam manè cœnent, & quidem contra Chriſti ipſiúſque vetuſtiſſimæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ morem.*

R. Chriſtus duabus de cauſis hæc myſteria veſpere celebrauit. Voluit enim nouū quod inſtituebat Sacramentum, cum ἀντιτύπῳ cōparare: Paſcha verò inter duas veſperas mactabatur. Et præterea morē hunc veterū fuiſſe conſtat, vt ſemel duntaxat, veſpere videlicet diſcumberēt. Nā ἀκράτισμα & ἄριστον (quod prandiū vocarūt, opinor, Latini quaſi perendium, quòd nihil ferè eo ipſo die coctum, ſed ex perendinarum epularum reliquiis aliquid ferè,& quidē non accūbendo, ſumeretur) neque omniū, neque iuſtarū epularū inſtar erat. Chriſtū igitur mirum nō eſt quū in vltimū ſuum epulū hæc myſteria, Teſtamenti nimirū ſui confectionem diſtuliſſet, veſpere potius quàm manè hunc ritū inſtituiſſe. Veterem autem Eccleſiam, donec Agapæ paulatim ſublatæ ſunt, ſuas epulas alicubi inchoaſſe, alicubi finiiſſe iſta Cœnæ Domini celebratione mirū videri non debet: quod tamē nō fuiſſe vbique obſeruatū, liquet non modò ex Iuſtini Apologetico poſteriore, ſed etiam ex aliis veterū teſtimoniis: Chriſtū verò de tēporis circūſtantia quicquā præcepiſſe ex Inſtitutionis verbis colligi nullo modo poteſt. Rectè igitur obtinuit cōſuetudo vt in matutino potiùs cōuentu,& à ieiunis quàm pranſis, Cœna Domini celebretur, vt ad audiendū Dei verbū,& cęleſte hoc myſteriū ſumma attentione & reuerētia exequēdū eò paratioribus animis accedatur.

239 QV. *At de loco nihílne ſtatuit Dominus?*

R. Locum nēpe publici Eccleſiæ cœtus inſtituit quum eam inter diſcipulos ſuos ordinaret: neque diceret, *Hoc facite vnuſquiſque*, ſed, *Hoc facite*. Et Paulus dicit ὅταν συνέρχεσθε *Quū conuenitis*, id quod etiā indicat σύναξις nomen, & veteres omnes liturgiæ oſtendunt: & ipſe etiā ſcopus horum myſteriorum in quibus mutua in Chriſto conſociatio ſancitur, id flagitat. Certum autem aliquem locum ſtatuere quadam religione (ſicut non licebat olim Paſcha celebrare niſi eo vno loco quem Dominus elegiſſet) Iudaicæ foret ſuperſtitionis.

240 QV. *Quid igitur de Cœna Domini cenſes in priuatis domibus celebrata?*

R. Priuatas domos nihil moror, ſi Eccleſia, id eſt communis cœtus in iis conueniat, vt & veteribus illis temporibus neceſſe fuit ſub Romanorum Imperatorum tyrannide, & noſtris temporibus nimium multis locis adhuc neceſſe eſt.

QV. *Sunt tamen qui nocturnos conuentus priuatos ſemel damnent.*

R. Non temerè, neque aliter quàm ſumma neceſsitate tolerandos fateor nocturnos cœtus, vnde etiam olim accepta occaſio falſò exprobratę Chriſtianis λυχνοψυχίας, noſtris etiā tēporibus non minus impudenter Gallicis Eccleſiis obiectæ. Sed ſi qui propterea ſemel dānandos putant qui feruente ſæuiſsima perſequutione, noſtris temporibus nocte conuenerunt, aut adhuc cōueniunt, certè damnent oportet totā verè Apoſtolicā Eccleſiā. Sed facilè fuit illis quorū cœtus potentia & gratia ſuorū Principū freti, nunquā in has anguſtias redacti ſunt, de Gallis & aliis gentibus eò adactis vt vel carendū eis fuerit omni Verbi & Sacramentorū Eccleſiaſtica adminiſtratione, vel quæcunq; conueniendi,& mutuò ſeſe conſolandi occaſiones arripiendæ, facile, inquā, illis fuit aliorū factū reprehendere, à quibus viciſsim his licet ad totam veterē puriſsimā Eccleſiam, ad cōſcientiæ teſtimoniū, ad confeſsionis martyrū fructus, ad ipſum denique Chriſti tribunal prouocare. Et iſti ſcilicet fratrum accuſatores, tales ſeſe in illo ſuo vix annuo bello præſtiterunt, quales eos fuiſſe & eſſe conſtat qui quinquaginta iam annorum perſequutionis horribiliſsimæ pondus ferunt, neque dum adhuc, Dei gratia, ſub hoc onere fatiſcunt.

241 QV. *Redeamus ad rē. Cœnámne Domini cenſes alibi quàm in cōmuni publicóque cœtu celebrādā?*

R. Fuit hæc initio veteris Eccleſiæ conſuetudo, vt ægrotis à publico conuentu abſentibus tranſmitteretur per Diaconos Euchariſtia, quo tempore videlicet à cæteris in eo conuentu myſteria celebrabātur, quoniam quos vnus morbus adeſſe corpore prohibebat, haberi pro præſentibus par erat: neque dubito quin ea res magnam ægrotis cōſolationem attulerit, quem morem ego magnopere velim reſtitutum. Sed an quo tēpore Cœna Domini in Eccleſia non adminiſtratur, expediat apud ægrotos celebrari, de hoc valde ambigo.

QV. *Quamobrem?*

R. Primùm quoniã Cœna Domini nõ eſt priuata familiæ alicuius actio,ſed merè Eccleſiaſtica:ideóque ſic domeſticũ Phaſe mactabatur in Iſraele,vt tamen nõ alio tẽpore id fieret, quàm quo totus Iſrael hoc myſteriũ celebrabat. Aliquid tamẽ diuerſum hîc eſſe agnoſco. Etſi enim operæpretium eſſet in orbe toto Chriſtiano hæc myſteria quanuis diuerſis locis,tamẽ quotidie etiã,ſi fieri poſſet,vel ſaltẽ ſtatis diebus celebrari, quod ad illã mutuã κοινωνίαν teſtãdã multũ prodeſſet:tamẽ quũ neutrũ hoc obtineri multis iuſtis ac neceſſariis de cauſis poſſit,illud videtur neſcio quomodo cũ inſtitutione Cœnæ Domini pugnare,vt tota ceſſante reliqua Eccleſia, domus aliqua extra ordinẽ illa myſteria celebret. Deinde niſi apud omnes ægrotos id fiat,quomodo vitabitur ϖϱοσωποληψίας ſuſpicio?Quòd ſi apud omnes ægrotos celebrãda eſt Cœna Domini, viderint paſtores quomodo poſſit eius prophanatio vitari & ipſi tãtis laboribus ſufficere. Nihil igitur me mouet quorũdã cõſuetudo, quantumuis vetus, quia rationibus non exemplis iudicãdum eſt. Denique illud certũ eſt, ex hoc more tria peſſima in Eccleſiã eſſe inuecta, nẽpe initio quidẽ ſigni vtriuſque: deinde,vino aceſcẽte,tantùm alterius ſigni aſſeruationẽ, qui error disertè contra Sacramẽtorum naturam facit. Hinc igitur alius error exortus, quaſi magica quadam pronuntiatione alligata ſit ſigno res ſignificata. Denique deuentum eſt eò, vt ſalus quodãmodo illis ſignis alligata cenſeatur.

QV. *Sed num propter hos abuſus exiſtimaueris ægrotos hac conſolatione priuandos?*

R. Ego quidem imprimis curam habendã cenſeo præcidendorũ iſtorum errorũ. neque puto priuari ægrotos aut Verbi aut Sacramentorum conſolatione,ſi doceantur, etiam ſi publicè cum cæteris fratribus celebrãdæ Cœnæ tempus fortè in ipſorum morbi, vel etiam mortis tẽpus inciderit:quæ impedimenta ipſos publico cœtui intereſſe non patiantur,idcirco tamen ipſos Cœnæ fructu,quam antea videlicet celebrarint,minimè priuari. Nec enim Sacramẽtorũ vis ad tempus quo ſumũtur eſt reſtringenda,ſed ad vniuerſæ vitæ momenta diffunditur. Quòd ſi quis vitari illa omnia incommoda,& in cœtu apud ægrotũ id petentem celebrari hæc myſteria poſſe putat, his quidem conditionibus ei conſuetudini non interceſſerim.

242 QV. *De azymo verò pane quid cenſes?*

R. Etſi ea de re nolim vt de ſumma rerum contendere, liberè tamen dico næuũ eſſe duplicem in iis Eccleſiis quæ azymo potius quàm fermentato pane vtũtur. Hoc enim & Iudaiſmũ ſapit,& minùs eſt quotidiani cibi analogiæ accommodatum.

QV. *Atqui Chriſtus azymis panibus primùm benedixit?*

R. Nempe quoniam eo tempore Cœnam hanc inſtituit,quo non niſi azymis panibus licuit Iudæis vti. Sic autem argumentum retorqueo. Si Chriſtus ad Cœnam hanc eo qui tum vſitatus erat pane vſus eſt,idem quoque nobis faciendum, id eſt communem panẽ aſſumendũ præcepit.

243 QV. *De adoratione quid ſentis?*

R. Adorari vbique Deum,ac præſertim in ſacris myſteriis oportere dubium non eſt: neque vllam eſſe Eccleſiam arbitror,in qua nõ adhibeatur ſolennis quædam vt gratiarũ actio, ita etiam & interior & exterior adoratio quum hæc myſteria tremenda,quaſi in cælis potius quàm in terris,celebrantur. Sed in ipſa panis ſumptione adoratio apud menſam quàm ſit periculoſa, vtpote quæ ἀρτολατρείᾳ occaſionem aperuerit, vnde tandẽ homines ad ἀσέβειαν præcipitauit Satã, res ipſa demonſtrat. Honeſtã hîc igitur reuerentiam in Deũ directã ſufficere rectè ſapientes iudicarunt.

244 QV. *De oſtentatione autem illa quam ὑψοῦν Græci vocant,túne eam admiſeris?*

R. Scilicet illius ἀρτολατρείας parentem, vllus ſatis prudens approbarit. Sapit autem hic ritus partim veterum Iudaicorum ſacrificiorum reliquias,in quibus illæ agitationes vſurpabãtur, Teruma & Tenupha vocatæ:partim Græcanicum eſt commentum,vt alia pleraque hiſtrionica potius quàm religioſa,ſicut ex eorũ Liturgiis animaduertere licet. Quidni enim dicã quod res eſt? nã illis etiã aquæ admixtionẽ debemus,quæ poſtea in nouum Sacramentum euaſit.

QV. *Sed hæc vetuſta ſunt.*

R. Quid tum? Eſt tamen illa Cypriani ſentẽtia tenẽda,nõ quid hic vel ille fecerit, ſed quod Chriſtus præcepit,id demum faciendum,quum de vero eius cultu agitur.

245 QV. *Num verò quoſuis ad Domini Cœnam admiſeris?*

R. Scilicet,quod ne domi quidem ſuæ quiſquam fecerit vt quoſuis ſeſe prò domeſticis venditantes ad menſam ſuam admiſerit:quod ipſi idololatræ non fecerunt,clamitãtes in ſuis Sacris, procul ô procul eſte prophani:quod olim Dominus tam ſeuerè prohibuit, vt alienum etiã ignẽ ſuis Sacris illatũ tã impatiẽter tulerit: qui tot legibus, etiã per imprudentiã pollutos, iuſſit prius purgari quàm eos ad ſuam ædem,ac præſertim ad Paſchæ cæremoniã admitteret: id iure nunc factum eo nomine cenſebitur,quòd credendus ſit dignè ad mẽſam Domini accedere,quiſquis audita cõcione ſeſe eò proripit? At ego paſtoribus ſuas oues neceſſariò cognoſcendas arbitror eo quem ipſa ratio conſtituit ordine. Primùm ergo vitandæ prophanationis cauſa non puto bona conſcientia admittendos extraneos, Paſtori prorſus incognitos. Deinde quos ætas ipſa oſtendit non eſſe ſuæ ipſorum probationi faciendæ idoneos,nõ quidem vt indignos, ſed vt nondũ aptos cõmonefaciẽdos ne ſibiipſis exitiũ accerſant. Ex adultis verò admittendũ neminẽ,niſi qui fidei ſuę rationẽ ita quoquo modo ediderit,vt eum non modò in Eccleſia Dei natũ,ſed etiã Chriſtianum eſſe probabiliter cõiiciat Paſtor qui omnium ouium ſuarum rationem eſt coram Domino redditurus. Eos poſtremò quorum hypocriſis iuſto ac legitimo Presbyterii Eccleſiaſtici iudicio talis fuerit conuicta vt à communi Chriſtianitatis profeſſione tantiſper fuerint prohibiti

dum

dum peccatum probè agnouisse sint comperti, habuero ex Dei verbo pro extraneis, non vt pereant, sed vt pudore saltē ipso adacti resipiscant, totáque Ecclesia receptæ quæ aberrarat oui gratuletur. Hanc autem manifestè prophanos à sanctis, & patefactos hypocritas à cæteris Christianam religionem profitentibus discernendi rationem, aio & probare sum paratus, ex quo Ecclesia esse cœpit, perpetuò ad hæc vsque tempora fuisse obseruatam: ac quo fuit studiosius obseruata, eò puriorem Ecclesiam fuisse.

246 QV. *Istámne verò disciplinam qua vsque ad resipiscentiæ testimonium oues, (quæ reliquas alioqui videri possent contagione infectura, vel nonnisi hac cauterij specie notata, ad gregem vnde aberrarant reditura) à reliquis secernuntur, num ita necessariam esse putas vt vbi ea non sit, stare non possit Ecclesia?*

R. Absit. est enim lōgè aliud Ecclesiæ fundamentum, quæ sæpe, ipso quoque publico Verbi ministerio velut obruto, (vt patrum nostrorum memoria multis seculis in Papismo) quasi sepulta con!titit. Sed miseret me sanè Ecclesiarum in quibus vnusquisque, silente Ecclesiæ iudicio, suæ vnius conscientiæ relinquitur, quoniam neque sic vitari, neque inultam abire posse Cœnæ Domini prophanationem Paulus ad Corinth. scribens multò minoris momenti occasionem nactus restatur. Sed illis etiā Ecclesiis multò magis meruerim, si quæ eo remedio quod ad ædificationem datum est, ad destructionem abutantur.

247 QV. *De ijs verò quid censes qui propter aliorū impuritatem ad Cœnā Domini accedere recusant?*

R. Grauiter eos peccare censeo. Nec enim aliena conscientia, sed sua ipsius cuique probanda est.

248 QV. *An verò cuique liberum est ad Cœnam Domini accedere, vel ab ea abstinere?*

R. Nequaquam. Dei enim hoc est præceptum, *Hoc facite.*

QV. *Sed vetat Apostolus indignè accedere.*


R. Concedo, ideóque iubet dignè accedere, nō autem præcipit vt abstineatur, quamuis abstinere præstet quàm indignè accedere.

249 QV. *Quàm multa verò aduersus ea dici possint ac soleant quæ ex te audiui, nō ignoras, ad quorum refutationem, quum voles, accedemus.*

R. Scio, & iam pridem hæc omnia mecum expendi, de quibus, quum commodum erit, sic disseremus, vt tibi rationes meas probatum iri confidam. Nunc ista dixisse satis esto, vt quæ mea sit de his rebus sententia intelligeres.

IOHANNIS CALVINI VITA A THEODORO BEZA GENEVENSIS ECCLESIÆ MINISTRO

ACCVRATE DESCRIPTA.



I QVIS erit qui me alio quàm tuendæ veritatis studio existimet ad hanc Iohannis Caluini vitam describēdā accessisse, facilè me vt spero, ab hac calumnia præses rerū humanarū status vindicabit. Vix enim vllū est breuius ad omnē calamitatē compendiū, quàm virtutē laudasse: extremæ verò demētiæ fuerit, quod malū possis vel vno silentio redimere, id vltrò tibi accersere. Quòd si ne virtutē quidē vllam impunè prędicare patiūtur scelerati, quid iis expectādū est, quibus pietatē, id est quidd͡a ipsa virtute superius, prædicare propositū est? cui non improbi tantùm homines aduersantur, sed etiam plerunque ii ipsi bellū indixerunt, qui maximè probi videri ac interdū esse student? Nec enim vllos habet pietas acriores inimicos, quàm eos ipsos qui falsam religionē pro vera seriò sunt amplexi. Sed ista me quantumuis in speciem terribilia minimè tamē perculerunt. Turpe enim fuerit malorū metu bonos silere, & superstitiosorū clamoribus oppressam Religionis vocē cōticescere. Quòd si quis excipiat longè aliud esse Caluini vitā scribere, quàm veritatē defendere, fatebor equidē ego longè aliud esse hominē quàm veritatē: sed hoc tamē dicere non erubescam, haud temere dictum esse ab eo qui est αὐτάληθεια, Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos, & qui vos audit, me audit. Clamitent igitur homines tū qui id sibi per ignorantiam persuaserunt, tum qui per improbitatem sic loquuntur, Lutherum, Zuinglium, Caluinum à nobis pro diis haberi qui tamen quoties libet Sanctorum cultores vt idololatras reprehēdamus. Clament, inquam, isti quantùm & quandiu volent. Habemus quod illis regeramus: nempè longè aliud esse verè sanctorum hominum labores pro Religione susceptos, dicta denique & facta commemorare, quarum rerum cognitione boni meliores euadant, improbi verò redarguantur (qui nobis vnus est scopus in hoc scriptorum genere) quàm, vt ipsi faciunt, partim verè Sanctorum hominum vitam non minùs impiis quàm ineptis narrationibus (vt Abdias ille nescio quis in Apostolorum historia fecit) dedecorare, partim ex putidissimis mendaciis fabulosas historias (quas vulgò Legendas Aureas barbaro vocabulo, ego Ablegandas Stercoreas appello) conflare, ac tandem etiam veterum deorum idōla mutatis tantùm nominibus in vsum reuo-

Ioh 20 22.
Luc 10.16.

care. Tam igitur absumus ab istis mortuorum cultoribus, quàm tenebræ luci repugnant. Illud e-
oim seucrissimis additis comminationibus prohibet Dominus: oos Deo iubenti in ipsius opera
corporis & mentis oculos iotendere, obsequimur. Nemo enim est, opinor, qui non homines io-
ter omnia Dei opera, & rursum, inter cæteros mortales, eos qui sanctitate simul ac doctrina pol-
Dan. 12.3. lent, maximè nobis cognoscendos & obseruandos esse fateatur. Non temerè certè Daniel stellis
comparat saoctos Dei homines, qui fœlicitatis iter suo splendore cæteris commonstrent: quo-
rum fulgorem qui totum extingui morte patiūtur, digni sunt quos tenebræ rursum multò quàm
antea densiores inuadant. Cæterum oe illos, quidem placuit imitari, qui dum ἐπιδεικτικὸν & πανη-
γυρικὸν illud dicendi genus sectantur, veritatem noo tam exornarunt, quàm suspectam nonnullis
reddiderunt. Itaque non quàm ornatè, sed quàm verè scriberem laborans, simplici potius narra-
tione vtendum putaui.

M.D.IX. Natus est IOHANNES CALVINVS Nouioduni Veromanduorū aot certè proximorū Veromanduis finiū oppido celebri, Anno à D. natiuitate M. D. IX. VI. ID. Iulii, Patre Gerardo Caluino, matre Ioanna Frāca, vtroque honestæ famæ & mediocribus facultatibus parēte. Erat is Gerardus nō parui iudicii & cōsilii bomo, ideóque nobilibus eius regioois plærisque charus: quod in causa fuit, vt inter Mommorios (quæ familia illic fuit nobilitate præcipua insigois) liberaliter admodum, pateroo tamen sumptu, Caluinus filius à prima pueritia educaretur. Eos deinde Lutetiam studiorum gratia secutus, præceptorem habuit in Gymnasio Marchiano Maturinū Corderium, spectatæ tum probitatis tum eruditionis virum, & insignem semper babitum in omnibus ferè Galliæ scholis iuuentutis erudiendæ magistrum: Geneuæ demū, eo ipso anno quo Caluinus, VI. Nonas Septembris mortuum: quum annum agens octuagesimum quintū, eo ipso docendi munere adhuc in hoc Gymnasio Geneuensi fungeretur. Translatus deinde in Gymnasiom ab Acuto monte cognominatum, Hispanum habuit doctorem noo indoctum: à quo exculto ipsius ingenio quod ei iam tum erat acerrimum, ita profecit, vt cæteris sodalibus in Grammatices curriculo relictis, ad Dialectices & aliarum quas vocaot, artium studium promoueretur. Destinarat autem eum pater ab initio Theologiæ studiis, ad quæ vltrò illum inclinare ex eo colligebat, quòd in illa etiam tenera ætate mirum in modum religiosus esset, & seuerus omniū in suis sodalibus vitiorum censor: quod ex nonnullis etiam Catholicis idoneis testibus multis pòst annis, celebri iam eius nomine, audire memini. Itaque quasi rebus sacris destioato, pater beneficiū ab Episcopo Nouioduneo impetrauit in Ecclesia Cathedrali quam appellant, ac deinceps etiam Patochiæ Curationem in pago vrbi vicino qui Pons Episcopi dicitur, ex quo ortus ipse Gerardus Caluinus pater in vrbem ipsam postea transierat: quo loco constat Iohannem ipsum Caluinum antequam Gallia excederet (nullis alioqui pontificiis ordinibus vnquam initiatum) aliquot ad populum conciones habuisse. Sed hoc consilium interrupit vtriusque mutatus animus. Patris quidem, quòd Iurisprudentiam certius iter esse ad opes & honores videret: filii verò, quòd à cognato quodam suo Petro Roberto Oliuetano (cui Gallicæ Ecclesiæ conuersa ex Hebræo Biblia Neocomi impressa debeot) de vera Religione admonitus, legēdis sacris libris se tradere, à superstitionibus verò abhorrere, ac proinde sese ab illis sacris seiungere cœpisset. Aureliam ergo iuris ciuilis audiendi causa profectus vbi tunc Iurisconsultorū Gallorum facilè princeps Petrus Stella docebat, mirum quantopere breui tempore profecerit: adeò quidem vt quum sæpissimè obiret ipsorum Doctorum vices, Doctor potius quàm Auditor haberetur: eique discedenti Doctoratus insignia absque vllo pretio, summo docentium omnium consensu, quasi optimè de Academia merito offerrētur. Interea tameo ille sacrarum literarum studium simul diligenter excolere, in quo tantùm etiam promouerat, vt quicunque in ea vrbe aliquo purioris Religionis cognoscendæ studio tangebantur, ad eum etiam percontandum ventitarent, eiúsque tum eruditionem tum ardorem magnopere admirarentur. Testantur autem noonulli adhuc superstites, qui tum ei familiares & contubernales fuerunt, cōsueuisse illum per id tempus, postquam frugaliter admodum cœnasset, ad mediam vsque noctem lucubrare, manè verò experrectū quæ legisset in lecto aliquandiu meditari, velutíque cōcoquere, nec facilè in ea meditatione passum interpellari. quibus continuatis vigiliis ipse quidem solidam eruditionem, & excellentem memoriam est coosecutus: sed illam vicissim vt verisimile est, ventriculi imbecillitatem cōtraxit, quæ varios ipsi morbos, & tandem etiam iotempestiuam mortem attulit. Erat tum Academiæ Bituricēsis magna celebritas, quòd eò euocatus ex Italia Iuriscōsultus ætatis suæ facilè princeps Andreas Alciatus venisset, quem sibi quoque Iohannes noster audiendum putauit. Itaque quum eò migrasset, amicitiam inüt & Religionis & literarum nomine cum Melchiore VVolmaro Germano Rotuillensi, Græcarum literarum publico tum illic professore: cuius maximè viri eò libentius memini, quòd eundem ego à prima pueritia ad pubertatem vsque præceptorem vnicum habui: cuius doctrinam, pietatem, cæteráque virtutes, admirabilem denique in erudienda iuuentute dexteritatem ounquam satis possim prædicare. Hoc auctore & adiutore Caluinus Græcas literas didicit, cuius beneficii memoriam omnibus postea testatam esse voluit, consecratis ipsius nomioi Commentariis quos in alteram ad Corinthios Epistolam edidit. In his igitur studiis versantem, ita tamen vt sacras literas assiduè tereret, adeóque nonullas interdum conciones in agro Biturigum, in oppidulo quod Linerias vocant, præsente & probante illius domino haberet, repentina mors patris ountiata in patriam reuocauit. Inde paulò pòst Lutetia transiens quum annum ageret vigesimumquartum, egregium illum commentarium scripsit in Senecæ libellum de Clementia: quo scriptore grauissimo, & ipsius Caluini moribus planè conuenien-

te val-

te valde delectatum eum fuisse constat. Ibi paucis mensibus innotuit omnibus purioris Religio-
nis studiosis, inter quos frequenter postea non sine insigni pietatis testimonio commemorâtem
eum audiuimus Stephanum Forgeum celebrem mercatorem, postea pro Christi nomine cre-
matum, cuius etiam nomen edito postea contra Libertinos libro celebrauit. Ab eo tempore sese
Caluinus, abiectis reliquis studiis, Deo totum consecrauit, summa piorum omnium qui tum Lu-
tetiæ occultos cœtus habebant voluntate, nec ei mox defuit, in quo sese strenuè exerceret. Erat
tum Academiæ Parisiẽsis Rector, ita vt illic fit, designatus Nicolaus Copus Guilielmi Copi Ba-
siliensis Regii medici filius: cui quum de more habenda esset Cal. Nouembris oratio, quo die à
Pontificiis Panagia celebrantur, suggessit eam Caluinus, in qua purius & apertius quàm antea
consueuissent, de Religione disserebatur. Hoc verò Sorbona ferre non potuit, nec probauit Se-
natus quem Parlamentum appellant: à quo citatus Rector sese quidem in viam cum suis appari-
toribus dedit, sed ab amicis in itinere admonitus vt sibi ab aduersariis caueret domum reuersus,
ex ipso postea Regno excedens Basileam se contulit. Itum est etiam in Gymnasium quod For-
tretum vocant, vbi tum Caluinus sibi domicilium delegerat: quo fortè domi non reperto, de-
prehensis inter schedas multis amicorum literis, nil propius factum, quàm vt plurimi in maxi-
mum vitæ discrimen incurrerent; ita tum erant acres illi admodum aduersus Ecclesiam iudices,
& in his quidem præcipuè Ioannes quidam Morinus, cuius adhuc nomen ab insigni sæuitia ce-
lebratur. Sed hanc tempestatem Dominus Reginæ Nauarrẽsis vnicæ Regis Francisci sororis ad-
mirabili ingenio præditæ mulieris, & piis tunc admodum fauentis intercessione dissipauit, mis-
só in aulam, ibique perhonorificè ab ea accepto & audito Caluino. Inde ille, Lutetia relicta, in
agrum Santonicum demigrans, amico cuidam operam dedit, cuius rogatu breues quasdam ad-
monitiones Christianas scripsit, quas Parochis nonnullis inter Sacra recitandas tradebant, vt
paulatim populi ad veritatis indagandæ studium allicerentur. Eodem tempore Neracum Aqui-
taniæ vrbem venit, Iacobum illum Fabrum Stapulensem senem salutaturus, quem eadem illa
Nauarrena Regina à Sorbonistis Matæologis ob Mathematices & alia philosophiæ recta studia
Parisiensi Academiæ non sine diutino acerrimóque certamine restituta, & Scholasticam Theo-
logiam exagitatam, in vitæ discrimen adductum liberarat, & in illa suæ ditionis vrbe collocarat.
Excepit autem iuuenem bonus senex, & libenter vidit, futurũ augurans insigne cœlestis in Gal-
lia instaurandi Regni instrumentũ. Rediit aliquantò pòst Lutetiam Caluinus, eò quasi Dei ipsius
manu euocatus. Venerat enim illuc impius ille Seruetus, iam tum suum aduersus sacram Triadẽ
virus dispergens: quẽ sese nihil magis appetere quàm eius colloquium simulantẽ, condicto loco
& tempore Caluinus (idque nõ citra magnũ vitæ periculum, quòd tum latêre propter accensam
aduersariorum rabiem cogeretur) diutius quidem sed frustra expectauit, illo ne Caluini quidem
conspectum ferente. Fuit autem is annus XXXIIII. supra sesquimillesimum horrenda in mul-
tos pios sæuitia insignis, Gerardo Ruffo, Sorbonico quidem Magistro, sed pietatis studia ma- M. D.
gnopere tunc adiuuante, itémque Coraldo Augustiniani ordinis, (qui vnum & alterum iam an- XXXIIII.
num fauore Nauarreuæ adiuti, negotium Christi in vrbe plurimùm promouerant) non modò
ex pulpito deturbatis, sed etiam in carcerem coniectis: & eousque inflammata fascinati Francisci
regis ira ob schedas quasdam aduersus Missam per vrbem sparsas, ipsiúsque regii cubiculi fori-
bus affixas, vt publica decreta supplicatione, cui vnà cum liberis suis tribus nudo capite arden-
tem facem quasi expiationis causa gestans interfuit, quatuor vrbis celebrioribus locis octonos
Martyres viuos vstulari iuberet, atque adeò solenni iureiurando testaretur, se ne liberis quidem
suis parsurum, si fortè teterrimis illis, vt vocabat, hæresibus essent infecti. Eiusmodi rerum sta-
tum intuens Caluinus paulò postquàm Aureliæ insignem illum libellum edidisset, quem Psy-
chopannychian inscripsit aduersus illorum errorem, qui dormire seiunctas à corporibus animas
errore à vetustissimis vsque sæculis repetito docebant, secedere ex Gallia statuit, eóque consilio
vnà cum illo quîcum eum apud Sanctonas aliquandiu vixisse diximus, iter Basileam versus per
Lotharingiam ingressus, non procul vrbe Metensi in maximam difficultatem incidit, alterius ex
seruis perfidia pecunia vtrique surrepta, qui altero ex equis validiore strato, tam repente se in fu-
gam dedit, vt deprehendi nullo pacto potuerit, herisq; ipsis ab omni viatico relictis imparatissi-
mis: adeò vt ab altero demum seruulo decem mutuò sumptis coronatis vix Argentinam, indé-
que Basileam peruenerint. Ibi præcipuos habuit amicos summos illos homines Symonem Gry-
næum, & VVolfgangum Capitonem, seséque Hebraicis literis dedit: & quamuis latêre modis
omnibus studeret, id quod ex Epistola quadam Buceri ad eum altero post anno data liquet, ta-
men edere coactus est Christianæ Religionis Institutionem quam vocauit, operis longè maxi-
mi rudimentum. Quum enim illam Francisci regis carnificinam ægrè ferrent Germani Princi-
pes qui Euãgelio nomen dederant, & quorum ille tum amicitiam ambiebat, hoc vnum ille παρὰ
φάρμακον auctore Gulielmo Bellaio Langæo repererat, vt sese nonnisi in Anabaptistas pro verbo
diuino suum tantũ Spiritum iactantes, & omnium Magistratuum contemptores animaduertisse
diceret. Hoc verò dedecus veræ Religioni iniustum non ferens Caluinus, eius edendi libri occa-
sionem arripuit, meo quidem iudicio incomparabilis: addita excellente ad Regem ipsum præfa-
tione, quam si fortè legisset ille, aut ego vehementer fallor, aut magnum esset illi meretrici Ba-
bylonicæ iam tum vulnus illatum. Erat enim ille Rex non quales eum sunt consecuti postea, sed
acerrimus rerum æstimator, iudicii ad dignoscendum verum non parui, eruditorum fautor, ne-
que per se à nobis alienus. Sed illum hæc audire nedum legere neque populi Gallici, neq; ipsius
Regis peccata passa sunt, quibus ira Dei iam tum propinqua imminebat. Edito hoc libro suáque

veluti præstita patriæ fide, Caluinum visendæ Ferrariensis Ducissæ Ludouici XII. Francorum
regis filiæ, cuius tum pietas celebrabatur, simúlque Italiæ veluti procul salutandæ desiderium
incessit. Illam igitur vidit, simúlque quantùm id illum facere præsens rerum status sinebat, in
vero pietatis studio confirmauit, vt eum postea viuum semper vnicè dilexerit, ac nunc quoque
superstes gratæ in defunctum memoriæ specimen edat luculentum. Cæterum ex Italia, in cuius
fines se ingressum esse dicere solebat vt inde exiret, in Galliam regressus rebus suis omnibus ibi
compositis, abductoque quem vnicum superstitem habebat Ant. Caluino fratre, Basileam vel
Argentinam renerti cogitátem, interclusis aliis itineribus per Allobrogum fines iter institutum
prosequi bella cœgerunt. Ita factum vt Geneuam veniret, nihil ipse quidem de illa vrbe cogitãs,
sed vt mox apparuit, diuinitus eò perductus. Erat enim in illam vrbem paulò antè mirabiliter
introductum Christi euãgelium duorum summorum virorũ opera, Gulielmi Farelli Delfinatis
non vt quidam commenti sunt ex cœnobio, sed ex schola Iacobi Fabri Stapulensis prodeuntis,
& Petri Vireti Orbensis ex agro Bernensi, quorum postea laboribus copiosissimè Dominus be-
nedixit. Eos igitur quum vt inter bonos fieri solet, Caluinus transiens inuisisset, tum Farellus, vt
erat planè vir ille Spiritu quodã heroico afflatus, multis eum verbis frustra obtestatus, vt secum
potius Geneuę laboraret, quàm longius excurreret, nec ei facilè Caluinus assentiretur, At ego ti-
bi inquit, studia tua prætexenti denuntio Omnipotentis Dei nomine, futurum vt nisi in opus
istud Domini nobiscum incumbas, tibi non tam Christum quàm teipsum quærenti Dominus
maledicat. Hac terribili denuntiatione territus Caluinus sese presbyterii & Magistratus volun-
tati permisit: quorum suffragiis, accedente plebis consensu, delectus non Concionator tantùm
(hoc autem primùm recusarat) sed etiam Sacrarum literarum Doctor, quod vnum admittebar,
est designatus anno Domini M. D. XXXVI. mense Augusto. Atque idem hic annus inito inter
M. D. duas ciuitates Bernam & Geneuam arctiore fœdere, & Lausannæ ad Christum accessione, habi-
XXXVI. ta aduersus Pontificios libera disputatione, cui Caluinus quoque interfuit, celebratus est. Tunc
edita est à Caluino Christianæ doctrinæ quædã veluti formula, vixdum emergẽti è Papatus sor-
dibus Geneuensi Ecclesiæ accommodata. Addidit etiam Catechismum, non illũ in quæstiones
& responsiones distributum quem nunc habemus, sed aliũ multò breuiorẽ, præcipua Religionis
capita complexum. Aggressus deinde cum Farello & Coraldo, plerisque ex collegis præ timidi-
tate turbas fugientibus, nonnullis etiam quæ maxima Caluini solicitudo fuit clàm opus Domi-
ni impedientibus, Ecclesiam componere, à ciuibus primùm omnium contendit, vt coactus po-
pulus vniuersus, eiurato palàm papatu, in Christianam Religionem ac disciplinam paucis capiti-
bus comprehensam iuraret. Quod etsi non pauci recusarent, vt in vrbe vixdum ex Sabaudi Du-
cis retibus, & Antichristi iugo liberata, & multis adhuc factionibus æstuante, dedit tamen Do-
minus XX. Iulii Anno M. D. XXXVII, vt palàm præeunte publico Scriba, à Senatu Populóque
Geneuensi in Christianæ Religionis ac disciplinæ simul capita iuraretur. Istis verò exacerbatus
Satan, &, quod frustra per externos hostes infinitis modis tentarat, efficere sese pietatis obtentu
posse ratus, primùm omnium Anabaptistas quosdam, deinde Petrum Caroli de quo mox dice-
mus, opposuit, qui opus istud Domini, siue quòd illud qualecunq; iã erat, ei magnopere ingratũ
esset, siue quòd ea quæ postea consecuta sunt prospiceret, non interturbarẽt modò verùm etiam
destruerent prorsus atq; subuerterent. Sed anteuerterat Satanã Dominus, quod ipse rei euentus
docuit. Anabaptistas enim Caluinus & Collegæ publica liberáq; disputatione cõuocatos ea gra-
uitate ex vno Dei verbo confutarunt XVIII. Martii Anno M. D. XXXVII, vt, quod raræ cuiusdã
fuit fœlicitatis, ab eo tempore vix vnus aut alter in hac Ecclesia apparuerit. Alter Ecclesiæ tur-
bator P. Caroli nomine, maiores & diuturniores turbas dedit, quarum duntaxat summam recen-
sebo, quòd tota huius certaminis historia extet, & ex quadam Caluini ad Grynæum epistola
colligi possit. Istum grauiter impudentẽ Sophistam mater Sorbona quæ pepererat, postea tan-
quam hæreticum, non ita de ipsa meritum eiecit. Venit igitur ille primùm quidem Geneuam, in-
de Lausannam, postea Neocomum: Satanæ Spiritu vsque adeò vbique comite, vt quocunque ve-
nisset, certa suæ turpitudinis impressa vestigia relinqueret. Vbi se videbat à nostris argui, ad ad-
uersarios transibat: ab illis rursum ad nostros, vti illius artes apertè descriptæ extant prolixa qua-
dam Farelli ad Caluinum epistola. Tandem igitur apertè cœpit optimum quenque, & quidem
imprimis Farellum, Caluinum, Viretum, quasi de Sacra Triade minùs rectè sentientes crimina-
ri. Habita est ea de re Synodus Bernæ valde frequens, in qua damnatus calumniæ P. Caroli pau-
latim postea defecit, tandémque Mediomatrices subornatus venit, vt opus Domini quod fœli-
citer illic Farellus inchoarat, impediret. Inde scripta epistola pios apertè lacessiuit, vt Aposta-
siæ suæ plena spe facta, beneficium aliquod canis famelicus obtineret. Romam autem nihilomi-
nus remissus, vt coràm ipsi Bestiæ satisfaceret, ibique cum ludibrio exceptus, premente inopia
& Gallica scabie, vix in Xenodochium receptus, stipendium tandem peccati, mortem videlicet
retulit. Et hic quidẽ fuit illius infœlicis exitus. Interea Caluinus, anno videlicet M. D. XXXVII,
quòd multos in Gallia videret veritatem quidem intus probè noscentes, sibi tamen indulgen-
M. D. tes, quasi Christum animo colere satis esset, etiamsi Papisticis sacris interessent, duas elegantis-
XXXVII. simas epistolas edidit: Vnam de fugienda Idololatria Nicolao Chemino, quo amico & hospite
vsus Aurelię plurimùm fuerat, Officiali postea Cenomanẽsi designato: alteram de Papisticis Sa-
cerdotiis, Gerardo illi Ruffo dicatam, cuius antea memini, quiq; Abbatia quadã ac deinceps Epi-
scopatu post editum illum Parisiensem tumultum donatus, non modò postea satis rectum cur-
sum non tenuit, verùm etiam Heram suam Nauarrenam Reginam paulatim pessumdedit. Sed
hæc

M. D. XXXVIII.

hęc illum agentem grauissimę domesticæ seditiones exceperunt. Admissum fuerat in vrbe sicut antea diximus, Euangelium, & Papatus eiuratus. Sed extrusa simul à plerisque non fuerant indigna multa flagitia, quæ in ea vrbe Canonicis & impuro illi Clero tot annos addicta, diu viguerant: & veteres inter quasdam primarias familias inimicitiæ bello Sabaudico susceptæ, adhuc exercebātur. Quibus leni primùm admonitione, deinde grauiori aduersus refractarios increpatione tollendis, quum nihil proficeretur, & eovsque malum processisset, vt Ciuitas priuatorum quorundam factione in diuersas partes scinderetur, & non pauci sese in ordinem iuratum redigi nullo modo paterentur, eò tandem deueniendum fuit, vt magno heroicóque Spiritu præditi Farellus, & Caluinus cum Coraldo Collega (quem quum vt antea diximus, strennè Lutetiæ pro veritate depugnasset, Caluinus Basileam, indéque Geneuam postquam illic ipse constitisset, perduxerat) apertè testarentur, sese Cœnam Domini tam inter se discordibus, & ab omni Ecclesiastica disciplina alienis ciuibus, ritè celebrare non posse. Accedebat & aliud malum, quòd videlicet in quibusdam ritibus Ecclesia Geneuens. à Bernens. discreparet. Vtebantur enim Geneuenses pane communi, & Baptisteria illa quæ vocant tanquam ad Baptismi Ministerium minùs necessaria, itémq; dies Festos excepto die Dominico sustulerant. quibus de rebus quum Synodus Lausannæ à Bernensibus coacta sic decidisset, vt Azymum panem illáque restitui Genenæ postularet, collegium autem Ministrorum Geneuensium se prins audiri æquum duceret, eámque ob causam altera Tigurum Synodus esset indicta, bis oblatis occasionibus, qui tum fuerant creati Syndici (annuus hic est summúsque in Republica Geneuensi Magistratus) factionum ac discordiarum duces populum conuocant: eóque rem perducunt, frustra sese Caluino cum eiusdem sententiæ Collegis ad reddendum omnium rationem offerente vt maiore parte meliorem superante, tres isti fidi Dei serui intra biduum excedere vrbe iuberentur, quòd Cœnam Domini celebrare recusassent. Hoc decretum quum esset Caluino renuntiatum, Certè, inquit, si hominibus seruiuissem, mala mihi merces persolueretur, sed bene est quòd ei inseruiui qui nunquam non seruis suis rependit quod semel promisit. Et quis verò non existimasset ista certā perniciem Ecclesiæ Geneuensi allaturā? Euentus tamen contrà ostendit diuina prouidentia id factum, partim vt alibi opera fidelis serui sui vsus, variis cum experimentis ad res maiores instrueret, partim vt seditiosis illis suo ipsorum impetu subuersis, Ecclesiam Geneuensem à multis sordibus repurgaret. Vsqueadeò sese Dominus in cunctis suis operibus, ac præsertim in Ecclesiæ suæ gubernatione admirandum præbet. Sed hæc omnia postea res ipsa patefecit. Tum verò magno cum bonorum omnium dolore tres illi edicto parentes, quum Tigurum primùm venissent, ibíque coacta Helueticarum Ecclesiarum aliquot Synodo, atque ex Synodi decreto per Bernensium intercessionem tentati frustra fuissent Geneuensium animi, Caluinus quidem primo sese Basileam, ac mox Argentinam contulit. Illic igitur ex illius vrbis Senatus voluntate, à summis illis viris quibus tanquam lucidis gemmis illa tum Ecclesia fulgebat, Bucero, Capitone, Hedione, Nigro & aliis eorum collegis ad Theologicam professionem honesto proposito stipendio euocatus, non modò Theologiam illic docuit magna cum doctorum omnium applausu, sed etiam ex Senatus consensu, Gallicam Ecclesiam, constituta etiam Ecclesiastica disciplina, plantauit. Sic expectatione sua frustratus Satan, pro Geneuensi Ecclesia Caluinum alibi exceptum, & aliam mox alibi natam Ecclesiam conspexit: nihilò interea segnius laborans, vt ædificium Geneuense prorsus concussum penitus euerteret. Itaque mox reperit malè feriatos nonnullos, qui vt pietatis nescio cuius obtentu, iniquissimum illud decretum tegerent, panem communem quo antea in Cœna vtebantur, in Azymum censerent conuerti oportere, scilicet vt nouis dissidiis ansam præberēt. Neq; hoc consilium Satanam fefellisset, nisi Caluinus bonos nonnullos ista mutatione vsque adeò offensos, vt etiam à Cœna sibi abstinēdum putarent, seriò monuisset, ne ob istud ἀδιάφορον litem mouerent. Sic obtinuit panis Azymi vsus: de quo etiam postea restitutus Caluinus nunquam contendendum putauit, minimè tamen dissimulans, quid alioqui magis esset probaturus. At ecce longè mox aliud periculosius malū, Anno videlicet M.D. XXXIX. exortum, simúlque Caluini diligentia extinctum. Erat tum Episcopus Carpentoratensis Iacobus Sadoletus magna eloquentia homo, sed qua imprimis ad opprimendam veritatis lucē abuteretur: nec aliam ob causam in Cardinalium numerum adscitus, quàm vt vir alioqui vitæ non flagitiosæ, quos posset colores falsæ religioni induceret. Is obseruata eius temporis occasione, destitutum tantis pastoribus gregem facilè se intercepturum arbitratus, viciniam quoque prætexens (est enim Carpentoratensis Ciuitas Delfinatui, & hic rursus Sabaudiæ contiguus) literas dedit desideratissimis quos vocat, Senatui, Consilio, populóque Geneuatium inscriptas, in quibus nihil eorum prætermisit, quæ ad eos in Rom. illius meretricis gremium reuocandos pertinerent. Illis nemo tum erat Geneuæ qui responsum opponeret: adeò vt nisi peregrino sermone scriptæ fuissent, magnum Ciuitati in eo rerum statu damnum daturæ fuisse videantur. At illas Caluinus Argentinæ quum legisset, omnium iniuriarum oblitus, sic statim & verè & eloquenter respondit, vt ille mox totum istud negotium tanquam desperatum omiserit. Sed neque tandin expectarat Caluinus, vt legitimum illum pastoris affectum testaretur, quem erga sanioris iudicii Geneuenses tum apud suos grauissimè pro communi pietatis causa laborantes retinebat: cuius affectus luculentum testimonium exhibent insignes Epistolæ quas ad illos anno ipso quo reiectus est ac proximè consecuto Argentinæ dedit. Tum quoque Institutionem Christianam multò auctiorem, Commentarios in Epistolam ad Romanos Symoni Grynæo amicissimo suo dicatos, aureolum denique libellum edidit de Cœna Domini, in Gallorum suorum vsum,

M. D. XXXIX. cui etiā sequens proximè connumeratur.

quem deinde latinum fecit Galasius: quod argumentum ita dextrè simul ac eruditè videtur explicasse, vt illa tot infœlicissimarum controuersiarum decisio in qua doctissimus ac optimus quisque merito acquieuit, illi potissimùm, secundum Deum accepta feratur. Nec minor fuit eius fœlicitas in multis in viam reuocandis Anabaptistis, inter quos duo præcipui fuerant, vnus Paulus Volsius, cui iam olim Erasmus suum illud Enchiridium militis Christiani dicauerat: quo pastore postea vsa est Argentinensis Ecclesia: Alter Ioannes quidam Storder Leodiensis, cuius postea peste extincti viduam Idelletam nomine, grauem honestámque fœminam, Caluinus ex Buceri consilio vxorem duxit. Hæc tum Caluini studia fuerunt Argentinæ ad annum vsque

M. D. XLI. M. D. X L I, quo anno fuerunt à Cæsare VVormatiam primùm, deinde Ratisbonam Comitia componendis Religionis dissidiis conuocata. Iis quod ita Theologorum Argentinensium collegio placuisset, Caluinus adfuit, Ecclesiis, ac suæ præsertim Galliæ minimè inutilem operam nauans, & Philippo Melanchthoni, & Gaspari Crucigero beatæ memoriæ imprimis gratus, adeò vt eum ille sæpe Theologum cognominarit, hic verò priuatum de Cœna cũ eo colloquiũ habuerit, eiúsq; cognitam sententiã discrtè cõprobarit. Iam autẽ aduenerat illud tẽpus quo constituerat Dominus Geneuensis Ecclesiæ misereri. Itaq; eorum Syndicorum vnus quorum opera factum fuerat decretũ, vt fidi pastores eiicerẽtur, ita sese in Reipublicæ administratione gessit, vt seditionis reus, dum per fenestrã proripere se conatur, præceps ruens, vt erat ingenti corporis mole, ita sese attriuerit, vt intra paucos dies ex illo casu sit extinctus: alter, homicidio perpetrato, capite sit multatus: reliqui duo malæ quoque administratæ in quadam legatione Reipublicæ accusati, solum verterint, sintque absentes damnati. His veluti spumæ sordibus eiectis, Ciuitas Farellum suum & Caluinum cœpit requirere. Ac quum de Farello recuperando à Neocomensibus minimum spei affulgeret, enixè demum in Caluinum intenta, Argentinam Legatos, adiuncta quoque Tigurinorum intercessione, mittit, qui ab Argentinensibus Caluinum repetant. Argentinenses præbent se difficiles. Caluinus ipse quamuis quæ improborum quorundam culpa sustinuerat, ipsius in Geneuenses animum nihil immutassent, tamen à turbis abhorrens, & quòd Dominum videret ministerio suo in Argentinensi Ecclesia benedicere, planè se rediturum negare. Bucerus quoque & cæteri ægerrimè se illum dimissuros testari. Perstantibus tamen Geneuensibus, censuit tandem Bucerus illorum precibus esse ad tempus concedendum: quod tamen à Caluino nonnisi interposita graui diuini iudicii denuntiatione, & proposito Ionæ exemplo fuit impetratum. Sed quoniam in id tempus hæc inciderant, quo ex Magistratus decreto tenebatur Caluinus Ratisbonam ad Comitia (sic enim fuerat decretum) cum Bucero proficisci, dilata fuit eius discessio: & à Bernensibus impetrarunt Geneuenses, vt Petrus Viretus tantisper Lausanna Geneuam iret: quo libentius in vrbem rediit Caluinus, eum videlicet habiturus collegam, cuius opera & consilio in instauranda Ecclesia plurimùm adiuuari posset. Sic aliquot menses præteriere. quibus tandem elapsis Caluinus X I I I. Septembris Anno Domini M. D. X L I. Geneuam regressus est, summa cum vniuersi populi, ac Senatus imprimis singulare Dei erga se beneficium seriò tum agnoscentis congratulatione: vt Argentinenses vrgere nunquam destiterit, donec quod de certi illo tẽporis spatio cautum fuerat, expungeretur. Id enim tandẽ Argentinenses concesserunt, ea tamen cõditione vt ius ciuitatis honorarium quod in Caluinum contulerant, saluum esset, & præbendæ quam vocant annuos reditus retineret: quorum illud probauit Caluinus, istud verò vt acciperet nunquam ab eo extorqueri potuit, vt qui nihil minùs quàm opes curaret. Restitutus autem Ecclesiæ suæ flagitanti Caluinus, hanc in illius instauratione rationem tenuit, vt quòd eam vrbem videret omnino his frænis indigere, testaretur imprimis, se non posse ministerio suo ritè fungi, nisi vnà cum doctrina Christiana, Presbyterium quoque legitimum cum εὐταξίᾳ Ecclesiastica reciperetur. Tum igitur (qua de re mox plenius dicemus) & Presbyterorum deligendorum, & totius illius ordinis leges perlatæ sunt verbo Dei consentaneæ, & ciuibus ipsis gratæ quas postea miris modis Satan abrogare frustra est conatus. Scripsit quoque Catechismum Gallicè & Latinè, ab illo priore minimè discrepantem, sed multò auctiorem, & in quæstiones ac responsiones distributum: quem meritò nobis liceat admirandum quoddam opus vocare, tantopere plurimis etiam exteris populis probatum, vt non modò vernaculis plurimis linguis, vtpote Germanica, Anglica, Scotica, Belgica, Hispanica, sed etiam Hebraice ab Immanuele Tremelio Iudæo Christiano, & Græcè ab Henrico Stephano legatur elegantissimè conuersus. Qui deinceps fuerint ipsius ordinarii labores, ex reipsa diiudicari potest. Alternis hebdomadibus totis concionabatur, triduo verò docebat: singulis diebus Iouis cognitionem Presbyterii regebat, diebus Veneris in communi collatione Scripturæ, quam Congregationem vocamus, iustam penè lectionem habebat: varios sacros libros doctissimis Commentariis illustrabat, modò Religionis hostibus respondebat, modò necessariis de rebus vndiquaque scribebat: quæ quisquis attentè legerit, mirabitur tot tantísque laboribus vnicum homunculum sufficere potuisse. Vtebatur autem plurimùm Farello & Vireto, quibus tamen ipse multò plus conferebat. Sed eorum amicitia & coniunctione non minùs improbis inuisa, quàm piis omnibus iucunda mirabiliter delectabatur. Et sanè iucundissimum erat spectaculum, tres istos tantos in Ecclesia Dei viros vsque adeò in opere diuino consentientes, eósque diuersis donis florentes cernere & audire. Excellebat quadã animi magnitudine Farellus, cuius vel audire absque tremore tonitrua, vel ardentissimas preces percipere nemo posset, quin in ipsum penè cœlũ subueheretur. Viretus facundiæ suauitate sic excellebat, vt auditores ab ipsius ore necessariò pẽderent.

Caluinus

Caluinus quot sonabat verba, tot grauissimis sententiis auditoris mentem explebat: vt sæpe mihi in mentem venerit, perfectum quodammodo videri posse pastorem, qui ex tribus illis esset conflatus. Vt ad Caluinum redeam, non his modò curis, sed domesticis etiam externisque aliis multis exercebatur. Sic enim Dominus benedicebat eius Ministerio, vt ex omnibus orbis Christiani partibus, partim eius consilium in causa Religionis efflagitaretur, partim ad eum audiendum concurreretur: adeò vt Italicam, Anglicam, Hispanicam denique Ecclesiam Geneuæ viderimus, neque tot capiendis hospitibus sufficere posse vna ciuitas videretur. Domi verò etsi à bonis colebatur, ab improbis metuebatur, & optimè res erant constitutæ, non deerant tamen qui strenuè illum exercerent: quæ certamina sigillatim explicabimus, vt habeant posteri singulare fortitudinis exemplum, quod pro viribus imitentur. Igitur vt ad historiam redeamus, simulatque in vrbem rediit, memor illius Sententiæ: Quærendum esse pri- Matth 6.33. mùm regnum Dei, vt cætera nobis adiiciantur, nihil habuit antiquius, quàm vt Ecclesiasticæ politiæ leges verbo Dei consentaneæ, ex Senatus consensu perscriberentur: à quibus postea discedere, neque Ministris ipsis, neque ciuibus liceret. Id verò, nonnullis sensim ex vulgo, atque ex primariis ciuibus qui Papam quidem exuerant, Christum verò nomine tenus induerant, odiosum fuit. Nonnulli quoque ex iis Ministris, qui, bonis illis eiectis, in vrbe manserant (quorum tamen præcipui postea flagitiorum rei turpiter stationem deseruerant) etsi testimonio conscientiæ conuicti repugnare non audebant, clanculum tamen obsistebant, séque in ordinem cogi non facilè patiebantur. Neque verò deerat quod huic suæ improbitati prætexerent, aliarum videlicet Ecclesiarum exemplum, in quibus nullus esset excommunicationi locus. Non deerant denique qui Papisticam tyrannidem sic reuocari clamitarent. Sed has difficultates vicit Caluini constantia, cum insigni moderatione coniuncta: qui quum ex sacris literis non doctrinæ modò, verùm etiam administrationis Ecclesiasticæ petendam esse rationem demonstrasset, & doctissimorum eius sæculi hominum, veluti OEcolampadii, Zuinglii, Zuichii, Philippi, Bucceri, Capitonis, Myconii sententiam ex ipsorum scriptis ostendisset, nec propterea damnari Ecclesias illas tanquam non Christianas, quæ alia non multùm diuersa ratione rebelles coercerent, vel eos pastores qui suos greges eo fræno non indigere existimarent, quum denique demonstrasset quantùm inter papisticam tyrannidem & iugum domini interesset, obtinuit facilè, vt Ecclesiasticæ politiæ leges quibus etiamnum vtitur hæc Ecclesia, summo consensu conscriptæ, perlectæ, populique suffragiis probatæ x x. Nouembris reciperentur. Hæc etsi fœliciter erant cœpta, tamen quum non sine difficultate reipsa vsurpari posse consideraret Caluinus, totus in eo erat, vt & Viretum, quem ad tempus duntaxat aliquod concesserant Bernenses, & Farellum, quem Neocomenses vti diximus, eiectum exceperant, Collegas perpetuos haberet: sed hoc frustra tentauit, Vireto mox Lausannam reuerso, Farello verò Neocomi permanente, vt restitutæ huius Ecclesiæ laudem Caluinus penè solus reportaret. Anno sequente Caluinum non pauca exercuerunt. Vt enim quæ domi M. D. vrgebant prætercam, instabat tum foris etiam inflammatus hostium Euangelii furor, multos X L I I. ex Gallia, & Italia in vicinam & celebris iam nominis vrbem extrudens: quibus consolandis omnisque officii genere reficiendis, mirum quanto studio sese iam tum impenderit: vt eos omittam quos in ipsis leonum faucibus versantes, vndiquaque missis literis solabatur. Accessit eo anno duplex aliud maximum malum, annonæ videlicet caritas, & pestis plerunque famis comes. Erat autem hæc iam tum Geneuæ consuetudo, vt peste laborantes suum extra vrbem Nosocomium haberent: vbi quum pastoris constantis ac seduli opera requireretur, plerisque contagionis periculum detrectantibus, tres sese obtulerunt, Caluinus videlicet, Sebastianus Castellio, (de quo postea plura dicturi sumus) & Petrus quidam Blanchetus: inter quos sortitione facta, quum Castellio cui sors obtigerat, mutata sententia, subire hoc onus impudenter detrectaret, Caluinum licet vltro se offerentem Senatus, ipséque adeò Blanchetus hoc onus in se recipiens amplius sortiri prohibuerunt. Tum quoque alia grauia inciderunt. Nam & Petrum Tossanum Mombelgardensem Pastorem exercebat controuersia de Cœna Domini, & Basileæ quoque non deerant qui Ecclesiasticæ disciplinæ vix iacta fundamenta, frustra in contrarium laborante Myconio, subruerent, qui duo consilia cum Caluino conferebant. Apud Mediomatrices autem siue Metenses etsi Farellus eò euocatus fœliciter laborabat, opus tamen Domini partim aperta vi, partim per Apostatam P. Caroli cuius antea meminimus, valde impediebatur: quibus in rebus quantùm scribendo, monendo, hortando, modis omnibus denique laborarit Caluinus, partim ex eius editis literis intelligi potest, partim verò qui sunt adhuc superstites testificantur. Sed & audacior quàm vnquam antea Sorbona P. Lisetí tum in Parlamento Parisiensi principis infaustæ infœlicisque memoriæ hominis fauore ausa fuit facinus, quod mirum videri posset Episcopos, aut ipsum saltem Pontificem pati potuisse, nisi iampridem Ecclesiarum opibus inter se vt inter prædones fieri solet, dispertiendis occupati, suo præcipuo munere quod in administratione verbi positum esset vltrò bonis istis quos vocant, doctoribus cessissent: ea tamen conditione, vt tanquam canes dominis illis suis subseruiant, ex quorum mensis ossa tandem millies abligurita corrodunt. Ausa fuerat igitur Sorbona, nullo neque diuino neque humano iure fulta, fidei Christianæ articulos præscribere, eiusmodi quidem, vt tum sua falsitate, tum illis summis ineptiis quæ sunt illi sodalitati familiares, omnem sibi ipsis auctoritatem apud homines non prorsus amentes meritò derogare potuerint: quibus tamen

alii metu, alii per Imperitiam vltrò subscripserant. Itaque respondit iis Caluinus, ita vt & er-
M. D. rores solidis rationibus pereruditè refutaret, & eorundem stultitiam omnibus non penitus in-
XLIII. salsis suauiter deridendam propinaret. Sic est annus ille exactus quem alius nihilò mitior exce-
pit, iisdem malis caritate videlicet ac peste Sabaudiam infestantibus: & pergente vicissim Cal-
uino domi quidem suos confirmare, foris verò Ecclesiarum hostes fortiter reprimere, editis
præsertim libris quatuor de liberi arbitrii controuersia, quos Philippo Melanchthoni dicauit,
aduersus Albertum Pighium Campensem, sophistam illius ætatis facilè principem, à quo e-
tiam fuerat pro Antagonista delectus, ex quo videlicet reportata insigni victoria, galerum mox
à Pontifice consequeretur. At ille hoc suo labore frustratus, id vnum assequutus est quod me-
rentur veritatis hostes, nempe vt & doctis sanisque hominibus fœteret, & ab ipso Satana de-
ciperetur. Eos autem libros quanti faceret testatus est suis literis Philippus, quas idcirco etiam
edendas putauimus, vt habeat posteritas certum luculentúmque testimonium, quod aduer-
sus vtriusque calumniatores opponat. Sed & ex eiusdem Caluini literis eodem anno Eccle-
M. D. siæ Mombelgardensi scriptis, quid sit iis respondendum quiuis cognoscet, qui de nimia ipsius
XLIIII. seueritate in exercendis Ecclesiasticæ politiæ legibus queruntur. Sequutus est annus supra se-
squimillesimum quadragesimus quartus, in quo Caluinus de Neocomensium in Ecclesiasticis
censuris instituto suam sententiam aperuit. Domi verò Sebastianus ille Castellio, cuius antea
leuitatem notauimus, vt erat quadam [illegible] specie ineptissimè ambitiosus, ac planè ex
eorum genere quos Græci ἰδιογνώμονας appellant, indignatus quòd suas ineptias in Gallica Noui
Testamenti versione Caluino non probasset, eousque efferbuit, vt exotica quædam docere non
contentus, palàm etiam Canticum Solomonis tanquam impuram & obscœnam cantionem
ex Canone expungi iuberet, & repugnantes Ministros atrocissimis conuitiis proscinderet. Id
illi verò sibi non ferendum meritò rati, hominem ad Senatum vocant: vbi pridie Calend. Iu-
nii patientissimè auditus, cognitáque causa calumniæ damnatus, ex vrbe excedere iussus est.
Inde Basileam quum venisset, tandem ibi admissus, qualem se præstiterit, alibi à nobis dice-
tur. Cæterum anno superiore quum Carolus quintus aduersus Gallum totis viribus mouens
Germanis sic cauisset, vt tantisper dum Concilium vniuersale cogeretur, quod sese curaturum
promittebat, neutri partium præiudicio facto inter quas de Religione disceptabatur, vtrinque
pari inter se iure vterentur: plurimùm ea re commotus Pontifex Romanus Paulus III, gra-
uissimam in ipsum Cæsarem expostulationem edidit, quòd Catholicis hæreticos scilicet ex-
æquasset, & in alienam messem iniecisse falcem videretur. Respondit Cæsar quod æquum
censuit. Caluinus autem, quòd in iis literis grauiter læsa erat Euangelii veritas piorúmque
innocentia, Pontificis audaciam repressit. Fuerunt tum Spiræ coacta imperii Comitia: qua ac-
cepta occasione Caluinus libellum edidit de Necessitate reformandæ Ecclesiæ, quo haud sa-
tis scio an vllum neruosius & grauius eius argumenti scriptum nostro sæculo editum fuerit.
Eodem anno Caluinus tum Anabaptistas tum Libertinos (in quibus veteres omnes quantum-
uis portentosæ renouatæ sunt hæreses) duobus libellis ita refutauit, vt neminem iis attentè le-
ctis arbitrer extitisse, qui vel ab istis nisi sciens & prudens decipi potuerit, vel si antea dece-
ptus erat, non vltrò in rectam viam redierit. Offensa est tamen isto libro in Libertinos edito
Nauarrena, quòd ab illius horrendæ sectæ Antesignanis duobus Quintino & Pocqueso quos
nominatim Caluinus arguerat (rem penè incredibilem) eousque fuisset fascinata, vt quum a-
lioquin illorum mysteria non teneret, pro bonis viris illos haberet, ac proinde sese quodam-
modo per eorum latus confossam arbitraretur. Quod quum intellexisset Caluinus, sic illi mi-
ra quadam moderatione respondit, vt & dignitatis, & collatorum ab hac Regina in Ecclesiam
Christi beneficiorum memor, ingenuè tamen & cordatè vt fortem Dei seruum oportuit, ni-
miam illius in admittendis istiusmodi hominibus imprudentiam reprehenderit, & ministerii
sui auctoritatem asseruerit: effecerit denique vt horrendæ Libertinorum sectæ homines, qui
in Galliam vsque sese effundere cœperant, postea sese intra Hollandiæ & proximarum regio-
M. D. num fines continuerint. Tot autem illius anni laboribus defunctum, noua rursum certami-
XLV. na sequentis anni eáque longè grauissima exceperunt. Nam quasi pestis diuinitus immissa ex-
hauriendæ ciuitati totique viciniæ non sufficeret, vsque adeò apud pauperculos nonnullos aua-
ritia tum valuit, quorum opera ditiores in curandis ægrotis ac repurgandis ædibus vtebantur,
vt, horrenda inita coniuratione, pestifero vnguine domorum postes ac limina atque alia quæ-
uis obuia inficerent, vnde mox dira pestis sequebatur, &, terribili iureiurando solenniter con-
cepto Satanæ sese manciparent, si sceleris conscios vllis tormentis adacti prodidissent. Non
pauci tamen partim in vrbe, partim in vicinis regionibus deprehensi, iustisque suppliciis sunt
affecti. Sed incredibile dictu est, quantã Geneuæ & ipsi imprimis Caluino inuidiam Satanas hoc
artificio cõflarit, quasi scilicet ibi planè ille regnaret, vbi quàm maximè oppugnabatur. Fuit hic
idẽ annus infamis illa plusquàm immani carnificina, quã Aquense Parlamentũ in fratres VVal-
denses Merindolæ, & Cabrieris, totóq; illo tractu, non in vnum aut alterũ quempiã, sed in popu-
los ipsos nullo nec ætatis, nec sexus discrimine incensis etiam vicis exercuit. Hæc autẽ mala Cal-
uinum pauculos illorum Geneuã refugientes solantem ac reficientẽ eò vehementius premebant,
quod eos antea literis summissisque pastoribus purè in Euãgelio instituendos curarat, suáque a-
pud Germaniæ Principes & Helueticas ciuitates intercessione periclitantes antea seruarat. Gli-
scebat tum quoque rursum infœlix illa de Cœna Domini decertatio, Osiandro homine super-
bo mon-

bo monstrosique ingenij sopitam flammam fodiente: quod incendium quominus sopiretur, per Caluinum certè non stetit, cuius ea de re ad Philippum vnam & alteram Epistolam edendam curauimus. Sed vtriusque sanis consiliis nullum locum tribuit eius hominis intemperies, quem vterque Periclem vocabat. Interea pestis in vrbe desæuiens multos bonos tollebat. Caluinus autem ex suggestu in nonnullorum flagitia, ac præsertim aduersus scortationes quæ ne tum quidem desinere poterant, pro viribus detonabat, bonis quidem adsentientibus, sed paucis quibusdam δημαγωγοῖς bonorum conatus infringentibus, donec ipsi sese vltrò, sicuti suo loco dicetur, præcipites dederunt. Accedebat denique ad hæc mala, quòd tum quoque parum certè tempestiuè disceptari de propriis Reip. Geneuensis facultatibus cœpit: nec pati poterant fideles pastores Ecclesiastica bona pontificiis erepta non sic vt oportuit plerisque locis administrari. Multi hinc igitur clamores, multæ querelæ, multi denique scribendo ac loquendo labores, sed frustra plerunque suscepti, apertè profitente Caluino, se quidem isti confusioni minimè fauere, quam diuinitus tandem sciret seuerissimè vindicandã, sed in eo tamen iustum Dei iudicium agnoscere, quòd bona tam malè prius à sacrificis acquisita, non sineret Dominus Ecclesiarum ærariis inferri. Alia præterea duplex solicitudo Caluinum eodem hoc anno domi simul & foris exercuit. Redierat tum Geneuam patriã suam veterator quidam adhuc quidem iuuenis, qui tamen aliquandiu Eremitam in Galliis simularat. Eum pietatis speciem initiò præ se ferentem Caluinus, (homo si quisquam alius in deprehendendis aliorum ingeniis sagacis solertísque iudicij) quum mox agnouisset, admonere primùm ac mox liberius etiam, postea ambitiosè nimium in congregationis cœtu sese efferentem increpare cœpit. Hoc ille non ferens, reperit facilè eos in quorum scelera inuehi solitus erat Caluinus, quorum fauore & studio adiuuaretur: adeò vt quum fortè ageretur de pastore in mortui locum subrogando, palàm ille cum suis sacrum Ministerium ambiret. quid multis? interposita sua auctoritate iubet Senatus illius rationem haberi. Obstitit cum suis collegis Caluinus, & quantopere hic ambitus verbo Dei repugnaret, ostendit: obtinuítque bona eum Senatus venia, vt scriptis Ecclesiasticis legibus insisteretur. Erant tunc quoque in Galliis nonnulli qui persecutionum metu initiò lapsi, eo vsque postea sibi placere cœperant, vt eos negarent peccare, qui in veram Religionem intenti, corpore duntaxat Pontificiis sacris interessent. Hunc igitur perniciosissimum errorem iam olim à patribus damnatum, Caluinus cuius illi seueritatem nimiam esse causabantur, & scripto luculento refutauit, & adiunctis doctissimorũ Theologorum Philippi Melanchthonis, Buceri, P. Martyris, & Ecclesiæ Tigurinæ sententiis ita coercuit, vt ab eo tempore piis omnibus fœtuerit Nicodemitarum nomẽ. Ita enim illi vocabantur, qui errori suo sanctissimi viri illius exemplum prætexerent. Hunc annum alius nihilò mitior excepit. Præterquàm enim quòd aduersus frequentes nuntios de Cæsaris aduersus Religionem molitionibus, & Pontificis fraudes, à quo summissos incendiarios ferebant confirmandus erat ciuium animus, deplorandus erat in eo præcipuè ciuitatis status, quòd tantùm abesset vt improborum quorundam petulantia tot ferulis domari se pateretur, vt contrà magis efferretur, adeóque prorsus erumperet. Erant enim ducem nacti vanissimum quidem, sed audacem & ambitiosum imprimis (quem idcirco Caluinus Comici Cæsaris nomine in suis Epistolis designat) Amedeum Perrinum nomine, hoc etiam iampridem consequutum, vt Generalis Capitaneus populi suffragiis crearetur. Is ratus id quod res erat, stare se suíque similes, vigentibus legibus, ac præsertim Caluino assiduè aduersus eorum lasciuiam detonante non posse, tandem quid vnà cum suis meditaretur, apertè hoc anno prodere cœpit. quod quum animaduersum simul ac repressum fuisset Senatorum auctoritate, tacuit ipse quidẽ, sed ita vt mox apertius improbitas sese proderet. Ecce enim paulò pòst ea ipso Senatu quidam in hominum cœtu satis frequenti Caluinum vt falsa docentem corripit, à duobus ex pastorum collegio (vt existimatur) clanculum impulsus, ebrioso vtroque, nec minùs quàm cæteri seueritatem legum metuente. Et hunc quidem latratum Caluinus nihil est moratus. Vocatur tamen ille in ius, cognitáque causa ex S C. infamiæ damnatur, coniunctique duo illi falsi pastores exauctorantur, ipsáque adeò œnopolia penitus interdicuntur, tantùm abest vt malorum improbitas quidquam valuerit. Quod autem incendium hoc anno repressum fuerat, eo qui proximè sequutus est, nempe quadragesimo septimo supra sesquimillesimum prorsus erupit, nec aliud tempus eo sæculo magis calamitosum incidit, Germanicis etiam Ecclesiis eò redactis, vt vnà cum proceribus & vrbibus partim sese vltrò dedentibus, partim vi captis, vno momento euersum videretur quicquid tot annis tantísque laboribus extructum fuerat, iique demum beati à plerísque haberentur, quos istis tumultibus tempestiua mors eripuisset. His publicis tot Ecclesiarum calamitatibus quantopere pium illud pectus cruciatum existimabimus, non aliter etiam in media pace in Ecclesias quantumuis remotas affectum, quàm si omnes illas humeris impositas gestaret? Quid verò? Quum summos illos viros quos amicissimos habuit, Philippum dico, Bucerum, Martyrem videret ita periclitantes, vt morti quàm vitæ propiores essent, quantis eum doloribus conflictatum putabimus? Fortissimo tamen animo Caluinum tempestates istas superasse, tum ipsius scripta testantur, tum etiam res ipsa comprobauit: quum domi multò acrius ab improbis vexatus, suo tamen ex illo gradu ipsis ne tantillùm quidem cesserit. Itaque vt ad domestica certamina redeam, quum in eo totus esset, vt Euangelium quod annuntiabat, ostenderet non in speculatione quadam, sed in ipsa Christiana vita positum esse, hostes eos necessariò expertus est, qui omni pietati ac honestati, ipsi denique patriæ bellum indixerãt. Eorum vt antè diximus, facilè princeps erat Perrinus ille, quum ea tum esset & illius & suorum cõditio, vt & ab ipsis extrema quæuis tentanda cõstaret, & improbi

M. D. XLVI.

M. D. XLVII.

apertè instarent, vt de ipsorum flagitiis cognitio à Presbyterio ad Senatum transferretur. Presbyterium ex aduerso vrgere sancitas de Ecclesiastica disciplina leges a verbo Dei consentaneas, ipsiúsque adeò Senatus opem implorare, ne quid detrimenti acciperet Ecclesia. Iudicauit Senatus ratas esse Ecclesiasticas leges oportere, illúdque reipsa confirmauit. Ac tandem quum ille sua audacia sese in extremum discrimen coniecisset, exitus totius rei tum quidē is fuit, vt Senatu motus, abrogatóque Capitanei nomine priuatus viueret. Hæc autem omnia, etsi coram Magistratu agebātur, dici tamen non potest, quantopere Caluinum exercuerint: siquidem eo vsque semel in ipsa Curia coactis Diacosiis deuentum est, vt penè exertis iam ensibus, parum abfuerit quin mutuis cædibus Curiam ipsam cruentarent: quam seditionem Caluinus cum collegis superueniens, opposito imprimis suo ipsius capite inhibuit, quanquam sceleratorum factio in illum præcipuè ferretur: ipso nihilominus eorum scelera pergente grauissimè detestari, eósque grauissimè prout merebantur increpare. Neque verò vana fuit iudiciorum Dei denuntiatio. Siquidem per id tempus Gruetus quidam ciuis Geneuensis, famosum libellum scripsisse, & sacro pulpito adfixisse deprehēsus, in quo cum alia multa nefaria in sacrum Ministerium, tum etiam illud scriptum erat, Caluinum esse in Rhodanum præcipitandum, causa dicta, & infinitarum aliarum blasphemiarum præter expectationem conuictus, capitis supplicio affectus est. Quin etiam post eius interitum inuentus est libellus ipsius manu aduersus Mosen ipsúmque adeò Christum professò scriptus, quo impietatis s. elere dubium non erat, quin alios etiā aliquot infecisset. Scripsit autem hoc ipso anno in mediis illis certaminibus Caluinus Antidotum aduersus Tridentini conciliabuli sessiones septem: itémque Rotomagensem Ecclesiam missis literis aduersus Franciscani cuiusdam fraudes renouatorum à
M. D. XLVIII. Libertinis Carpocratis errorum venenum ibi spargentis, confirmauit. Anno sequente, id est, quadragesimo octauo supra sesquimillesimum, erupit eiusdem illius factionis malum, iia (quod penè incredibile est) maximè abutente Satana. qui tamen præcipuè mederi malis istis studebant, Farello nempe & Vireto. Quum enim ineunte anno Geneuam venissent, & orationem in Senatu grauissimam de componendis dissidiis habuissent, Caluino quidem nihil aliud quàm emendationem morum postulante, Perrino verò cum suis nihil non simulante, vt pristinum locum reciperet, tum quidem visa sunt omnia composita, sed bonis viris impositum potius fuisse, res ipsa mox comprobauit. Perrino siquidem restituto, eò vsque sese extulit sceleratorum improbitas, vt thoracibus etiam quibusdam in crucis modum dissectis, quibus sese mutuò agnoscerent palàm vterentur, & alij suis Canibus Caluini nomen imponerent, alij Caluinum in Cainū transformarent, non pauci denique illius odio abstinere se à Cœna D. testarentur. quæ omnia quum fortiter ille & collegæ ipsius reprehenderent, vocatis in Senatum, vicit quidem facilè bonorum innocentia: tandémque XVIII. Decemb. solenni iureiurando sancita rursum est ἀμνηστία. Sed hæc omnia per simulationem facta fuisse, nec aliud tum quęsiuisse Perrinum, quàm vt Syndicatum adeptus, aditum sibi & suis ad omnia perdenda magis ac magis patefaceret, euentus comprobauit. Caluinus autem istis concertationibus non modò non cessit, verùmetiam quasi in otio sex Epistolas Pauli doctissimis commentariis illustrauit: & Interim illud quod vocant, pessundandis Germanicis Ecclesiis editum, grauissimo scripto refutauit, verámque instaurandæ Ecclesiæ rationem ostendit: Astrologiæ denique quam iudiciariam vocant, cui plusculùm tribuere non pauci videbantur, falsitatem atque vanitatem elegantissimo libello patefecit. Tùm quoque à Brentio Basileæ exulante literis salutatus, amicissimè illum consolatus est, in qua coniunctione vtinam perstare Brentius instituisset. Bucerum in Anglia exulantem tunc quoque ingenuè monuit, vt magis perspicuè de Cœna Domini scriberet ac loqueretur, & amicissimè solatus est. Simúlque Sommersetum Ducem Angliæ protectorem indignissima postea morte affectum accuratè scriptis literis eorum admonuit, quæ si tùm essent in illo regno animaduersa, multas fortasse tempestates Ecclesiæ Anglicanæ deuitassent. Crescebat in istis certaminibus mirabiliter Ecclesia Geneuensis, quod vt mirum in modum Satanam & malos angebat, ita Caluini excipiendis pro Christi nomine exulibus intenti studium vehementer acuebat: cui solicitudini sic fauit
M. D. XLIX. anno consequente Dominus, vt etsi non extincta prorsus, attamen ad tempus sopita furiosorum improbitas videretur. Et sanè induciis egebat ille, præsertim casu domestico grauiter afflictus: amissa videlicet vxore lectissima fœmina: quem tamen casum ita constanter tulit, vt hac etiam in re singulare fortitudinis exemplum toti Ecclesiæ præbuerit. Eodem hoc anno exorta in Saxonicis Ecclesiis contentione de rebus Adiaphoris, quum à Caluino quoque consilium peteretur, sententiam hac de re suam liberè exposuit, Philippo etiam officij admonito, quem nōnulli vt in eo molliorem accusabant, immeritò id quidem, vt accuratius postea Caluinus cognouit. Tùm enim erat ignotum quo animo malus ille genius & tota Flaccianorum cohors impelleretur, quæ tot postea turbas dedit, & nunc quoque opus Domini labefactat: non aliter sanè, nec minùs impudenter ac furiosè, quàm si ab ipso Rom. Pont. magnis stipendiis esset conducta. Cæterum hoc Ecclesiis Germanicis inflictum vulnus contrario beneficio Dominus apud Heluetios compensauit, Farello simul ac Caluino Tigurum profectis, vt, quum visus esset quibusdam Caluinus Consubstantiationi nonnihil fauere, de communi re omnium Helueticarum Ecclesiarum consensu omnibus liqueret. Neque verò difficile facto fuit, vt inter bonos & veritatis amatores conueniret. Scripta est igitur summa cum omnium Heluericarum & Rheticarum Ecclesiarum approbatione consensio. quæ præsertim D. Bulingerum cum Caluino, Tigurinámque Ecclesiam cum Geneuensi arctissimo vinculo magis ac magis colligauit, in qua etiam omnes adhuc

huc perstamus,& ad extremum vsque fauente Deo perstituros nos speramus.Sic annus ille fœlix
nobis exactus est si eum cæteris conferatur: cuius eò libentius memini, quòd is mihi primæ ad
Ecclesiasticas functiones vocationis meæ,vocante me Lausannensi Ecclesia,impellente verò Cal-
uino,initium fuerit. Scripsit quoque per id tempus binas eruditissimas epistolas Lælio Socino
Senensi Tiguri diu versato,ac tandem etiam mortuo. Ex iis verò quod fuerit illius ingenium,
nempe planè Academicum, facilè quiuis dignoscet, res autem ipsa sarò ac nonnisi post eius obi-
tum patefecit: quum is Ecclesias peragrans, ac doctissimum quenque, ac in iis imprimis Philip-
pum,Caluinum, Ioach. denique Camerarium, (à quo in Philippi vita perhonorifico testimonio
contrà quàm mereretur,ornatus est) fefellisset. Siquidem illum postea Bellianæ de qua suo loco
dicemus farraginis maxima ea parte auctorem fuisse,& Serueti,Castellionis, Ochini denique fu-
roribus fauisse compertum est, extante etiam illius in illud illustre primum caput Iohannis com-
mentario,in quo facilè omnium qui vnquam illum locum longè diuinissimum corruperunt, hæ-
reticorum impietatem superauit. Qui hunc excepit annus nempe quinquagesimus supra ses- M. D. L.
quimillesimum, satis quòd ad Ecclesiam Geneuensem attinet tranquillus fuit: eóque decretum
est vt Ministri non tantùm in concionibus,quas alij negligebant, alij non magno cum fructu au-
diebant,sed etiam sigillatim per domos & familias certo anni tempore, adhibito cuiusque regio-
nis vrbis Decurione, itémque Presbytero singulos instituerent, & ab vnoquoque fidei rationem
summatim exposcerent: quod Senatus edictum via credibile est,quantus sit fructus consequutus.
Alterũ decretum vt in proximũ diẽ Dominicum referretur Natalium Domini celebratio,nec vl-
li alij festi dies essent præter septimum quenque quem Dominicum vocamus, factum plurimos
offendit, adeò quidem vt non deessent, qui dies ipsos Dominicos à Caluino sublatos confinge-
rent,vt eum in inuidiam vocarent: quum tamen non modò non postulante, sed etiam ignorante
Ministrorum collegio,actum ea de re apud populum, decretúmque fuisse constaret,cuius tamen
causa litem non esse mouendam Caluinus existimauit. Offendiculum autem inde à nonnullis ac-
ceptum Caluino præbuit libelli de Scandalis scribendi occasionem, Laurentio Normendio inte-
gerrimo veterique amico inscripti. Huius bienuij tranquillitatem, dissidia sequentis, quinquage-
simi primi nempe supra sesquimilles. facilè compensarunt. Nam præterquam quòd toti Ecclesiæ M. D. LI.
ac Caluino nominatim luctuosus fuit Buceri morte, quem virũ summè dilexerat, itémque Ioach.
Vadiani Consulis Sangallensis viri singulari tum pietate tum eruditione prędití interitu,efferbuit
factiosorum improbitas eò ardentius,quò diutius sopita delituerat: adeò vt palàm negarent cum
aduentantibus exulibus ius Ciuitatis communicandum: nec eo contenti,Caluinum ipsum ex con-
cione trans Rhodanum habita redeuntem per ludibrium pulsarint,& Raymundum eius Collegam
nocte fortè ad inuisendum ægrotum, pontem Rhodani transeuntem, exempta furtim sublica pene
in subiectum fluuium præcipitarint: denique in ipso D. Geruasij templo tumultum non paruum
eo prætextu excitarint, quòd Minister infanti ad Baptismum oblato indere Balthasatis nomen,
(quoniam id disertè leges iampridem scriptæ ob certam causam prohibebant) recusaret. Neque
tùm aduersus hæc mala quidquam erat quod Caluinus opponeret,præter fortem inuictámque pa
tientiam. Sed & aliud nouum malum Geneuensem Ecclesiam per id tempus inuasit. Huius causa
fuit Hieronymus quidam Bolsecus ex Carmelitarum societate Lutetiæ monachus, vnde quũ ali-
quot ante annis,cuculla quidem abiecta,sed monachismo retento in Italiam profugisset,inde quo-
que, decepta Ferrariensi Ducissa pulsus,ac tandem triduo medicus factus Geneuam venerat: vbi
quum inter eruditos medicos nullo loco esset,&,vt sese Theologum esse ostenderet,falsum & me
re Pelagianum quiddam de prædestinatione priuatim primùm inter aliquos blaterasset, eum
Caluinus primùm moderata reprehensione contentus domi refutauerat,deinde ad se vocatum do
cere meliora fuerat conatus. At ille siue ambitione monastica percitus, siue ab illis factiosis, iam-
pridẽ quærentibus per quem Caluinum lacesserent,incitatus,palàm tandem ausus est in ipso con-
gregationis cœtu XVI. Octobr. quum ille Iohannis locus explicaretur, *Qui ex Deo est*, verba Dei Ioan. 8 47.
audit,& quia non auditis,ex Deo non estis,liberum arbitrium & operum præuisionem ad æternę
prædestinationis decretum euertendum,adiectis pręterea in veram doctrinam contumeliis,fallú-
que merè seditioso proferre: idque eò vt existimatur,audacius, quòd fortè Caluinum suo loco nõ
sedentem abesse crederet. Et aberat quidem ille initiò. Sed eo sermonem ingresso superueniens,
ponè alios nonnullos sese continuerat. Finita monachi oratione, Caluinus repente apparens,quã-
uis planè nihil antea tale meditatus,tùm certè si vnquam aliàs qui vir esset, ostendit. Siquidem il-
lum tot verbi diuini testimoniis,tot Augustini præsertim locis,tot denique támq; grauibus argu-
mentis confutauit,perculit,obruit,vt omnes pręter ipsummet perfrictæ frontis monachum ipsius
vehementer puderet. Aderat in ipso audientiũ cœtu Assessorum Prætoris vnus, quorũ in vrbe ius
prehensionis est. Is illũ dimisso cœtu tanquã seditiosum in custodiã tradit. Quid plura? Causa mul
tis disputationibus agitata,Senatus Helueticarum etiam Ecclesiarũ sententiam perconatus, illum
tum vt seditiosum,tum vt merè Pelagianum XXIII. Decemb. publicè damnatum vrbe expulit,
fustuariam pœnam minatus,si vel in vrbe vel in vrbis territorio esset deprehensus. Ipse postea
in vicinum oppidum demigrans, multas magnásque turbas dedit, donec Bernensi quoque ditio-
ne pulsus, Ministerium in Gallicis Ecclesiis ambiens, quas tum pacificas fore putabat, Lutetiam
primùm,indéque Aureliam veniret,pœnitentiam miris artibus simulás,vltróque cum Geneuensi
Ecclesia recõciliationẽ petens. quod quum reipsa præstiturus videretur, vbi contra quã sperarat
Ecclesias affligi animaduertit,repetita medicina,ad hostes Euãgelij manifesta defectione (vxore

quoque Canonicis Augustodunensibus prostituta) transiuit, vnde nunc etiam quibus potest maledictis veritatem proscindit. At Geneuæ interea Collegium Ministrorũ in publico cœtu veram de prædestinatione doctrinam asseruit, publicóque scripto deinceps à Caluino comprehensam cõprobauit: hoc vnum istis dissidiis cõsequuto Satana, vt caput hoc Christianæ religionis antea obscurissimum, dilucidum perspicuúmque cunctis non contentiosis euaserit.

M.D.LII. Anno verò deinceps sequuto magis apparuit quantam flammam accendisset impurus ille, licet communi tot Ecclesiarum iudicio damnatus. Etenim tum ipsa Quæstionis nódum antea satis à plerisque veteribus explicatæ, nec eodem semper exitu agitatæ difficultas, curiosa præsertim ingenia ad hoc ipsum disquirendum accẽdebat, tum factiosi præclaram sibi oblatam occasionem ad omnia Caluino eiecto, subuertenda putabant. Itaque dici non potest quæ nõ in vrbe tantùm, verum etiam vltrò citróque veluti si classicum ipse Satan cecinisset, contentiones sint consequutę. Etsi enim pulchrè inter precipuarum Ecclesiarum pastores conueniebat, non deerant tamen qui in vicinis Bernensis ditionis Ecclesiis Caluino litem intenderent, quasi Deum faceret peccati auctorem: parum certè memores hoc ipsum pestilentissimum dogma fuisse à Caluino iampridem ex professo aduersus Libertinos refutatum. Basileæ verò Castellio bonus ille & simplex homo, etsi clanculum ferè agebat omnia, tamen non obscurè Pelagianismum tuebatur. Quinetiam his de rebus ita scribere cœperat Philippus, vt quamuis antea Caluini aduersus Pighium libro disertè subscripsisset, tamen Geneuenses quasi Stoicum Fatum inuehentes notare quibusdam videretur. Pontificios omitto, easdem calumnias millies refutatas nunc quoque repetentes. Pungebant ista grauissimè sicuti par erat, illius animum, & eò quidem acerbius, quòd ea fuit interdum per id tempus erroris efficacia, vt publica etiam auctoritate alicubi obstructum os veritati videretur. Neque hæc fuit paucorum annorum controuersia: sed hoc anno imprimis bonus ille Eremita de quo suprà diximus, cum Caluino disputaturus, prodiit, qui aliquot antè annis quum Ministerium ambiret repulsam passus, Iurisconsultus, & factiosorum patronus euaserat. Causa coram Senatu agitata est magna vtrinque contentione: illo quidem impudentia & malorum fauore depugnante, Caluino verò sola veritatis auctoritate doctrinam suam tuente. Vicit ergo veritas, & Caluini scripta ipsorum etiam quod mirum est, aduersariorum suffragiis vt pia & orthodoxa rursum comprobata. Sed istius Aduersarij aliquot pòst annis morientis minimè reticenda est resipiscentia, cuius etiam testem Caluinum tanto studio adhibuit, vt non aliter sibi pacem conscientiæ constare diceret, quàm si Caluinum sibi conciliatum moribundus agnosceret, quem antea tam indignè à se impetitum fateretur: cui vicissim tantùm abfuit vt Caluinus defuerit, vt etiam benignissimè consolatum erexerit, & ad extremum vsque confirmarit.

M.D. LIII. Annus autem alter à superiore, nempe quinquagesimustertius supra sesquimillesimum, ad exitum festinante factiosorum malitia tam fuit turbulentus, vt non Ecclesia modò, verùm etiam Resp. extremum discrimen adierit. Siquidem eo vsque illi progressi sunt, clamoribus, & minis, numero denique oppressa bonorum libertate, vt vetera de constituendis Senatoribus Edicta resixerint, nonnullos Senatu mouerint, peregrinis exulibus à quibus se metuere dicebant, arma omnia, exceptis si quando vrbe egrederẽtur, ensibus, ademerint, adeò vt nihil aliud superesse videretur, quàm vt quum omnia in potestate haberent, quæ toties agitauerant, facilè exequerentur. Sed & occasionem turbarum alteram quoque Satan tunc obiecit. Vetus enim ille sacræ Triadis, id est omnis veræ Deitatis hostis, adeóque monstrum ex omnibus quantumuis rancidis & portentosis hæresibus conflatum, Michael Seruetus, postquam aliquot annis huc & illuc medicinam faciens oberrasset, tectúsque Michaelis Villanouani nomine horrendas multas blasphemias sparsisset, ediderat tandem Viennæ Allobrogum spissum volumen titulo Christianismi restitutionis, cuius scripti excusor fuit Arnolletus quidam Lugdunensis typographus, Corrector autem vt in illis officinis vocant, Gulielmus quidam Guerotius factiosis Geneuensibus pridem deditus, sed paucis antè mensibus vt scortationis & aliorum flagitiorum pœnas vitaret Geneua Lugdunum profectus. Eo igitur edito blasphemiarum pleno volumine Seruetus in carcerem Viennæ coniectus, ac inde mox nescio quibus artibus elapsus, Geneuam fato quodam venerat aliò procul transiturus, nisi Dei prouidentia factum esset vt mox à quodam agnitus, Caluino Magistratum admonente, carceri fuisset mancipatus. Quæ certamina tum, quantísque de rebus suscepta fuerint, ex edito libro percipi plenissimè potest. Fuit autem horum omnium iste exitus, vt tandem perditus ille (cui factiosorum etiam vnus tum Prætoris Assessor in aurem insusurrasse quiddam credebatur, quo malum perditi hominis animum obfirmaret) à vana illa sua confidentia proditus, & impietatis ac infinitarum blasphemiarum, ex omnium etiam Helueticarum Ecclesiarum sententia, damnatus, XXVII. Octob. nullo edito pœnitentiæ signo, frustra supplicij grauitatem deprecante pastorum collegio, infelix viuus cremaretur. Farellus autem eodem anno eo vsque vi morbi fractus, vt à Caluino qui Neocomum ad eum visendum venerat, pro mortuo relinqueretur, vitæ postea præter spem omnem restitutus, Ecclesiam mox recreauit. Ita planè inter spem & metum, terminante tamen dolorem lætitia, annum hunc eatenus exegimus. Ecce enim dum hæc in Serueti causa aguntur, quidam ex factiosis Berteleriu nomine, homo proiectæ penitus impudentiæ, cui ob multa flagitia Presbyterium mensa Domini interdixerat, in Senatum venit, postulátque ex auctoritate Senatus absolui: quod si factum esset, ambigi non poterat, quin mox solutis Ecclesiasticæ disciplinæ vinculis, omnia statim diffluerent. Intercedit igitur sedulò fortitérque Presbyterij nomine Caluinus, ostendítque Magistratum sacrarum legum vindicem non destructorem esse oportere: nihil denique eorum prætermittit, quæ tanti momenti

menti contentio flagitabat. Vincebant tamen eorum falsi clamores, qui Presbyterium aiebant sibi in quibusdam Magistratus imperium arrogare, adeò vt in Diacosiorum consilio statueretur, vltimum excommunicationis iudicium ad Senatus cognitionem pertinere, vt quos vellet, absolueret: in quam sententiam à Senatu, parum antè ad eam rem attento, obreptitiè absolutorias literas sigillo Reipub. communitas Bertelerius obtinuit. Ac sperabat tum Perrinus cum suis, alterum sequuturum: nempe, vt vel Caluinum nisi mandato Senatus parêret, per tumultum opprimeret, vel si pareret, nullo postea negotio Presbyterij auctoritatem omnem, id est nequitiæ ipsorum frænum abrumperet. At Caluinus verò, quamuis biduo duntaxat ante Cœnam Domini mense Sept. de more celebrandam, de hoc facto commonefactus, inter concionandum elata voce ac manu, multa de sacris mysterijs in eorum contemptores loquutus: *at ego* (inquit) Chrysostomum sequutus vim quidem non opponam, sed vltro me potius occidi facilè patiar, quàm hæc manus contemptoribus Dei rite iudicatis sancta Domini porrigat. Hæc vox (mirum dictu) tantùm potuit apud illos quantumuis effrænes, vt Perrinus statim clanculum Bertelerio mandaret, ne ad mensam accederet, fintque mysteria non sine tremore quodam, quasi numen ipsum in conspectu adesset, miro silentio celebrata. A prandio verò Caluinus locum illum insignem Actorum Apostolicorum fortè tractans, in quo Paulus Ecclesiæ Ephesinæ vale dicit, testatus se eum non esse, qui aduersus Magistratum pugnare sciret aut doceret, cœtúmque multis verbis cohortatus, vt in ea quam audiuisset doctrina perseueraret, tandem veluti postremam hanc concionem Geneuæ habiturus, *& quandoquidem*, inquit, ita se res habent, liceat mihi quoque Fratres apud vos hæc Apostoli verba vsurpare, Commendo vos Deo & sermoni gratiæ ipsius: quæ voces tum sceleratos illos mirificè perculerunt, tum bonos etiam tantò magis seriò officij admonuerunt. Postridie Caluinus cum Collegis & Presbyterio à Senatu tum etiam à Diacosiis constanter postulauit, vt apud populum ipsum audirentur, quum de lege à populo lata abroganda ageretur. quamobrem in eam sententiam animis non mediocriter commutatis itum est, vt suspenso illo Diacosiorum decreto, statueretur, petendum esse à quatuor Ciuitatibus Helueticis iudicium, nec interea præiudicium vllum fieri receptis legibus oportere. Sic discussa potius quàm sedata fuit hæc tempestas, quam illi præter spem omnem à Caluini capite auersam, in Farelli caput è re nata conuertere tentarunt. Farellus enim mense Martio, morbo illo tam graui conflictatus, simulatque per valetudinem licuerat Geneuam properans, peracerbè factiosos pro concione, partim causa ipsa, partim ætate & vetere sua quadam apud Geneuensem Ciuitatem auctoritate fretus, increparat. Ipsi verò factam sibi iniuriam querentes, diem illi Neocomum reuerso dixerunt, impetratis à Senatu ad Neocomenses literis, vt Farellum ad diem condictam adesse paterentur. Venit igitur Farellus, nec à periculo aberat, clamitantibus factiosis dignum esse qui in Rhodanum abijceretur: quum Perrino ab vno ex ciuibus cordato iuuene admonito videret etiam atque etiam, ne quid detrimenti communis veluti ciuium parens Farellus acciperet, sese in Curia Farello sistente, eóq; concurrente magna vrbis parte, attoniti ac de seipsis iam soliciti accusatores, audito Farello culpam ipsi sunt deprecati. Ita penè totus hic annus aduersus improbos, tum pro doctrina tum pro disciplina côcertando consumptus fuit: prospero tamê vbique exitu, si vnum excipias, quod non Anglia modò, sed Christianæ omnes Ecclesiæ Eduardi religiosissimi Regis intempestiua morte acceperunt. Et tamen eo ipso tempore Caluinus scribendo intentus, egregios illos in Iohannem commentarios emisit. Liceat hîc nobis & vtinam immeritò testari de Serueto, quod de gemino monstro, Paulo Samosateno videlicet, & Ario Alexandrino, veteres illi patres experientia ipsa edocti scripserunt, ab iis nimirum primùm orta incendia, quibus omnes orbis Christiani Ecclesiæ postea penè deflagrarunt. Sumptum enim optimo iure Geneuæ de Serueto supplicium non tam vt de sectario quodam, quàm vt de monstro ex mera impietate horrendísque blasphemiis conflato, quibus totos annos triginta tum voce tum scripto cœlum ac terram infecerat, ne nunc quidem dici potest quantopere Satanæ rabiem exacerbarit, exorta flamma, quæ Poloniam primùm, inde Transyluaniam & Vngariam corripuit: & vtinam non longius perueserit: quod & ipse Seruetus, Satanico planè spiritu prædixisse meritò videri potest, quum hanc ex Apocalyp. sententiam ex qua cætera consueuerat conscientia descriptam, illi suo libro præscriberet, Factum est in cœlo prælium magnum, Michael & Angeli eius pugnantes cum dracone. Verè id quidem, si Cum non pro κατὰ, sed pro σὺν accipias. Vix igitur deferant calere infœlicis illius cineres, quum de pœnis hæreticorum quæri cœpit: quibusdam coercendos quidem, sed vltimo supplicio affici iure non posse opinantibus, aliis quasi de hæresi satis ex Dei verbo liquere non posset, & de Religionis capitibus omnibus in vtranque partem sentire Academicorum more liceat, existimantibus vnius Dei esse iudicio relinquendos. Illam opinionem boni etiam nonnulli tuebantur, veriti nimirum ne si aliter sentirent, tyrannorum in pios sæuitiam accendere viderentur. istius autem præcipui auctores erant Sebastianus Castellio, & Lælius Socinus, suam ipsorum causam agentes: iste quidem occultius, ille verò apertius, vt qui sua quadam in Sacrorum Bibliorum peruersionem præfatione palàm verbi diuini satis perspicuam auctoritatem conuellere studuisset, suisque in priorem ad Corinth. Epistolam adnotationibus, vt à verbo scripto tanquam imperfecto nos abduceret, disertè scripsisset, Paulum quandam Theologiam ex qua scriptis tradidisset reconditiorem, perfectos nescio quos suos discipulos docuisse. Itaque quum anno M. D. LIIII. M. D.
ineunte Caluinus subscribentibus Collegis omnibus copiosam Seruetanæ doctrinæ re- LIIII.

Act. 20. 32.

futationem edidisset, adiectis etiã rationibus cur & quatenus à Magistratu quoque legitima præeunte cognitione puniri hæreticos oporteret, opposuerunt isti farraginem partim ex scriptis piorum Doctorum deprauatis, partim ex fanaticorum quorundam ignoti alioquin nominis schedis consarcinatam, Martini cuiusdam Bellij nomine (is ipse fuit Castellio, quamuis id postea eiurarit) præfationi inscripto, & ementito Ciuitatis nomine, in qua editam fuisse hanc farraginem mentiebantur. Huic autẽ nõ tantùm illo errore, sed multis etiam blasphemiis scatenti libello postea respondi, vt ea molestia Caluinum longè melioribus curis, scribendis nimirum eruditissimis in Genesim Commentariis intentum, & aliis itidem de quibus dicemus Ecclesiæ suæ depellendis periculis occupatum, liberarem. Pergebant enim rebus nouandis intenti factiosi: & quamuis rursum secunda Febr. coram Senatu solenni promisso sancita esset ἀμνηστία, tamen seipsis quotidie deteriores euadebant: vtrinque valde occupato Caluino, dum & illos pro suo more increpando ad meliorem frugem reuocare, & bonos aduersus illorum improbitatem confirmare studeret. Nam eo vsque processerunt improbi, vt verbum Dei in obscœnas cantiones transformarent, & obuios vespere peregrinos pulsarent, ac interdum etiam spoliarent. Priuatim verò ac propriè Bolseci, Castellionis, & aliorum quorundam de veritate scilicet valde solicitorum hominum opera, ad controuersiã de prædestinatione renouandam vtebantur: adeò vt famosum libellum conuitiorum plenum eúmque anonymon sparsisse non contenti, quo fidum illum Dei seruum miris modis lacerabant, miserit Castellio larinum alterum Lutetiæ clàm excudendum: cui postea respondi, sicut & ipse Caluinus quasdam eiusdem argumẽti ineptias certis capitibus comprehensas refutauit. Incumbebat etiam eo tempore Caluino multorũ ex Anglia profugorũ cura, quorũ alij in Phrisia, Vezaliæ & Emdę, alij denique Francofurti consederant, omnes à Caluino consiliũ subinde flagitantes: nec parum etiam angebatur quorundã Gallicæ Argentinensis Ecclesiæ ab ipso olim plantatæ pastorum audacia, aliorum occulto fauorẽ adiuta. Denique quantopere hoc anno pro variis Ecclesiis laborarit, testis est insignis literarum copia, quibus & Magnates multos ad amplectendum Euangelium excitauit, & fratres plurimos, alios non procul ab extremis periculis, alios in vinculis positos maximo cum fructu confirmauit. Diximus antea de doctrinæ Sacramentorum inter omnes Helueticas & Rheticas Ecclesias consensu edito, maxima doctorum & bonorum omnium gratulatione. Displicuit hęc concordia spiritui erroris, cuius iampridem ea est quam cernimus efficacia. Itaque facilè reperit qui sopitum ignem foderet, Ioachimum nimirum quendam Vestphalum: cui classicum canenti, succinuit postea Heshusius tunc Heydelbergæ verbi Minister, nunc etiam Episcopus, de quibus mox dicendum nobis erit. Ac tunc quidem Caluinus consensionis illius explicationem edidit, quæ quo magis rabiem istorum exacuit, eò magis omnibus veritatis amantibus profuit. Annus verò proximè consecutus mirifico Dei beneficio

M. D. LV. Reipub. ac Ecclesiæ Geneuensi optatam quietem à domesticis certaminibus attulit, factiosis sua ipsorum opera perditis, post horrendam coniurationem peropportunè per ebriosorum quorundam ex conscriorum numero petulantem audaciam intempesta nocte detectam: & aliis quidem capitis supplicio affectis, aliis verò solum vertentibus: qui etsi aliquandiu postea ciuitatem vexarunt, turpiter tamen omnes postea intereuntes, singulare seri quidem, sed iusti diuini iudicij exemplum præbuerunt. Sic liberata fuit ab his pestibus Geneuensis Respub. quum paulò antè allato quatuor Helueticarum ciuitatum responso (quarum sententiam diximus ad annum superiorem visum Senatui fuisse super Ecclesiastica Geneuensi disciplina percontari,) vetera omnia Ecclesiasticæ politiæ edicta, contra factiosorum expectationem, communibus ciuium suffragiis rogata, perlatáque fuissent. Non defuit tamen in quo tum quoque Caluinus strenuè exerceretur. Nam foris quidem tum de Polonicis Ecclesiis ex voluntate Regis constituendis, tum de furiosa illa tempestate cõmutatis in Anglia rebus excitata, quę tres illos incõparabilis pietatis Episcopos & Martyres Ioannem Hopperum, Nicolaum Ridlæum, & Hugonem Latimerum inter tot alios ferè innumerabiles, ac tandem etiam magnum illum Crammerum Cantuatiensem Archiepiscopum in cœlum vsque expulit, de consolandis denique fratribus in Gallia vinctis, ac præsertim quinque fortissimis Martyribus hoc ipso anno Cameraci crudelissimè crematis, plurimùm laborauit. Domi verò Serueti cineres pullulare cœperunt: cuius blasphemiis fauere deprehensus Matthæus Gribaldus non incelebris Iurisconsultus, quum Geneuam fortè venisset (erat enim Fargiarum dominus, qui pagus est in Geneuæ vicinia) deductus ad Caluinum à quibusdam Italis, quos Patauij docuerat, recusante Caluino dextram illi porrigere, nisi prius de primario Christianæ fidei articulo, id est de sacra Triade & Deitate Christi inter eos conueniret, nullum postea locum vllis admonitionibus vel argumentis reliquit. Itaque quod et iam tum prædixit Caluinus, graue nimirum Dei iudicium pertinaci ipsius impietati imminere, hoc reipsa postea expertus est, Tubinga primùm profugus, quò fuerat Vergerij fauore introductus: Bernæ postea captus, simulatáque abnegatione liberatus, ad ingenium postea rediens, & Gentilis illius de quo mox dicemus fautor & hospes, superueniente demum peste correptus, paratum sibi in terris supplicium anteuertit. Aliud denique Caluinum huius anni solidum gaudium gaudere prohibuit: paucorum videlicet vicinorum pastorum factio, qui sponte alioqui currentes, Bolseco præterea instigante, vt sibi nomen aliquod ex tanti viri reprehensione quærerent, homines alioqui multis iam notis aspersi, non aliter in eum debacchabantur, quàm si Deum idcirco faceret malorum auctorem, quòd ab æterna Dei prouidentia & ordinatione nihil excluderet. His calumniis de quibus antea nos quoque aliquid diximus, etsi nihil ille mouebatur, tandem tamen illorum maledicentia

coactus,

coactus,impetrauit à Senatu.vt vnà cum legatis Bernam profectus, veritatis causam coram Bernensibus ipsis ageret. Acta igitur illic causa est,& Sebastianus quidam infamia & exilio multatus: Bolsecus excedere finibus tum quidem iussus: neque tamen tum quidquam illis de reipsa definire visum est,ita Domino Ecclesiæ suæ consulente. Visus enim fuisset Caluinus auctoritate vel gratia obtinuisse,quod vltrò postea contigit. Nam & illæ omnes calumniæ non ita multò pòst in fumos abierunt,& Andreas Zebedæus accusator acerrimus, Caluino iam mortuo, quum & ipse iam esset moriturus Neuiduni, oppido quatuor milliaribus Geneua distante, accitis præcipuis ciuibus,vltrò agnita quam oppugnarat veritate,& acta illa sua detestans,schedas omnes suas spectante se cócremari iussit:iudicio certè meliore,quàm si hæc fuissent mille Senatusconsultis imperata. Anno deinceps altero,Caluinom imprudentem tertiana in concione inuasit, ac tandem M.D.LVI.
inuitum ex suggesto coegit descendere,multis inde falsis sequutis rumoribus, iisque vsque adeò Pontificiis gratis,vt de Caluini morte solenni supplicatiooe Nouioduni Caluini patria,Canonici suis idôlis gratias egerint. Sed vicerunt bonorum preces: tantúmque abfuit vt Caluinus ex eo morbo interiret,vt contrà veluti nouis auctus viribus,longom iter præter morem Francofurtum vsque videlicet ingrederetur,quò fuerat pacandis Ecclesiæ Gallicæ quæ iam tum illic erat, dissidiis euocatus.Hinc demum ille rediens, licet afflicta nonnihil valetudine,nihil tamen de quotidianis laboribus remisit,editis anno consequēte in omnes Psalmos Commentariis longè doctissimis,quibus præfationem verè pretiosam adiunxit. M. D. LVII.
Anno autem isto partim ob tumultus à Ministris illis factiosis nonnullis excitatos valde turbulento,& tritici caritate infami, tentatus est aduersus Ioachimū V vestphalum veritatem, & quum V vestphalo postremùm respondisset, nec ille tamen garriendi finem faceret,has partes in me recepi, eo per Dei gratiā cuius minimè pœnitere me possit euentu. Tunc quoque tum ab illo, tum etiam à me refutatæ sunt Castellionis aduersus æternam Dei prædestinationem calumniæ,quas ille suppresso nomine spargendas curarat. Grauiter autem illum imprimis excruciauit sæuissima præsertim Lutetiæ orta piorum persequutio, intercepto piorum cœtu in vico Iacobæo,quò ad celebrandam Cœnam Domini conuenerant. Ex eorum numero cæteris per noctis tenebras elapsis,capti sunt circiter octoginta, multísque cum opprobriis ac conuitiis prima luce in carceres pertracti,quamuis aliquot etiam primæ nobilitatis mulieres in iis cernerentur. Accendebant Regis iram non modò qui illum circunstabant, verùm etiam ipsa temporum occasio. Hæc enim tum inciderunt,quum insignis illa clades ad Sanquintinum esset accepta:& nocte cōuenerant pii,quòd illis interdiu nullo modo licebat. Itaque vetustæ illæ & rancidæ calumniæ in Christianos olim excogitatæ,tunc quoque,auctore quodam homine nec bono nec erudito,quodā Demochare Sorbonico Doctore, repositæ sunt,quasi videlicet omnium malorum causa nostris vnis esset tribuenda. Subornati etiam qui λυχνομαχίας confirmarent, quibus creduli plerique assentiebantur. Producti sunt igitur ad flammas ad septem, ter repetito exemplo:in quorom primo singulare prębuit Christianę fortitudinis exemplum nobilis quædam mulier,cuius demum vt & sex aliorum atque in his nouissimorum duorum penitus adolescentū constantia planè fuit admirabilis. Verùm partim detecta quidem,sed minimè tamen coercita Socbonicorum calumnia,matre nempe captiuas secum filias quæ constupratæ dicebantur,ad inspectionem iudicibus offerente,& optimo quodam doctissimóque viro pastorem aliquot antè mensibus ibi agente, egregio libello cuncta illa mendacia facilè reuincente, partim interuenientium Germanorum Principum legatione quam summa celeritate Caluinus procurauit, tempestas illa nonnihil conquieuit. Annus hunc consequutus Reipub. Geneuensi fœlix illuxit perpetua inter M. D.
Bernenses & Geneuenses inita confœderatione,contra exulū illorum perditissimam expectationem, qui detecta coniuratione ex vrbe elapsi,nihil non erant experti vt has inter se ciuitates cōmitterēt. Sed hanc tranquillitatem multa vicissim aduersa conturbarunt præter exulum irritos vel timos conatus,de quibus plura dicere non constitui. LVIII.
Nam foris quidem recrudescebat in Gallia persecutio,domi verò ex Serueti cineribus,auctore quodā Valentino Gentili Cosentino,teterrima Tritheitarum hæresis pullulabat. Itaque vt illis malis occurreretur,missi sunt ad Germaniæ Principes cum Caluini literis,qui tot Ecclesiarum calamitatibus expositis intercessionem eorum postularent,dum assiduis literis interea labātes Caluinus confirmabat. Cum Gentili verò quid actum sit,quis denique fuerit istius monstri exitus paucis commemorabo. Extat enim tota hæc historia partim ab ipso Caluino ex actis publicis,partim à Benedicto Aretio Bernensi Theologo pastore fideliter descripta,adiectáque blasphemiarum ipsius refutatio. quæ quidem omnia aliáque eodē congesta quæ ad illud argumentū pertinent,edita sunt in hac ciuitate anno Domini L X V I I. supra sesquimillesimom. Infœlix igitor ille sagaci quidem sed vafro sophisticóque ingenio præditus,aliquantò post somptum de Serueto supplicium,nactus illius librum,itémque Caluini refutationem,facilè animaduertit neque illius spectra & Ideas quibus Samosateni heresim ille colorauerat,neque inuectam à Sabellio personarum cum Essentia confusionem,Deitatem denique Christi qualem impurus Arius factitiam esse docoit,cùm verbo Dei conciliari posse. Et quum rursus quæ in scripturis de vna Dei essentia & tribus inter se reipsa distinctis hypostasibus tradūtur, intelligentiæ nostræ minimè quadrare videret,fecit quod eiusmodi ingenia consueuerunt,id est,nō sese Dei sapientiæ submisit,sed id demum verum esse sibi persuasit quod cum humana ratione cōsentiret. Itaque Monarchia ad vnicam Patris personam translata, quem solum & vnicum αὐτόθεον esse voluit,Essentiationem,id est Essentiæ propagationem,trésque numero vt personas sic etiam Essentias,id est tres numero Deos,tres æternos,omnipotentes, immensos apertè profiteri cœpit: eóque non modò sacrum Dei verbum,sed ipsius etiam Synodi Nycænæ (repudiato tamen Atha-

nasit Symbolo) & Vetustiorum scriptorum, videlicet Ignatii, Tertulliani, Irenæi, & Lactantii au-
ctoritatem inaudita quadam impudentia detorquere. Alios enim omnes orthodoxos scriptores
Nycænam Synodum sequutos, non tantùm repudiabat, sed etiam vt impios sugillabat. Hanc au-
tem blasphemiam aliæ quoque de hypostatica vnione sequebantur. Hæc clanculum initiò inter
paucos quasi disputationis causa agitata (quorum præcipui fuerunt Iohan. Paulus Alciatus Me-
diolanensis Miles, & Georgius Blandrata Saluciensis professione medicus) tandémque Italico
presbyterio nunciata, causam cogendo extra ordinem cœtui præbuerunt, vbi coram delectis Se-
natoribus omnibúsque Ministris ac Presbyteris, (patienter auditis, ac ex Dei verbo per Caluinũ
refutatis quæcunque illi proferre voluerunt) ita res est cõposita, vt scriptæ orthodoxæ fidei om-
nes Itali statim subscriberent, sex duntaxat exceptis: qui tamen & ipsi postea seorsim vocati, ma-
nu quidem at corde non item, vt postea apparuit, subscripserunt. Rediens igitur ad ingenium Gẽ-
tilis, eandémque blasphemiam rursum spargere deprehensus capitur, captus nihil dissimulat, au-
ditus quandiu & quantùm voluit. Tandem veluti victus (nec enim aliud habebat quàm pertina-
ciam quod Caluino regeteret) resipiscentiam incredibilem simulat, cuius etiam exemplum pro-
pria ipsius manu scriptum extat. Quid plura? abnegatione per compita ciuitatis facta, dimittitur
præstito iureiurando sese portas vrbis non excessurum: mox tamen violata fide ad Matthæum
Gribaldum in Sabandiam perfugit. Sequuti sunt aliquantò pòst Alciatus & Blandrata, Transsy-
luaniæ & vicinarum regionum vastatores futuri. Gentilis autem iam tum imminente illi Dei iu-
dicio, apud Gribaldum manens (nam vtrunque cæteros vt imperitos & indoctos homines con-
temnebat) ibíque libellum aduersus Athanasium & Caluinum cudens, indéque Lugdunum trã-
siens, vbi excudendũ illum (inscripta Gaiensi Præfecto Bernensi istorum scelerum prorsus inscio
præfatione) curauit, deinde Lugduni nescio quo modo à Pontificiis captus, quum sese in Calui-
num scribere dixisset, tanquam bene de Ecclesia Catholica meritus dimittitur. Inde in Morauiam
ad Blandratam & Alciatum alióśque nihilò meliores discedit: vbi quum satis inter eos conuenire
non posset, quòd à Tritheismo ad Samosatenum plerique transiuissent, veluti trahente illum ad
pœnam ipsius Christi manu, in Sabandiam ad suum Gribaldum redit. At illam pestem altera iam
pestis sustulerat. Ereptus etiam nobis iam erat Caluinus. Tum ille siue penitus amens, siue quòd
mortuo Caluino, neminem superesse consideret à quo reuinceretur, recta ad Gaiēlem ipsum Præ
fectum ipsi meritò infestum venit: à quo mox agnitus, & Bernam iusto Dei iudicio ex superiori il
la fluctuatione ad dicendum causam missus, tum periuriorum, tum improbitatis manifestæ conui-
ctus, frustra tentatis omnibus quibus in rectam viam reuocaretur, capite multatus, dignas tandem
tot sceleribus pœnas persoluit. Hic igitur postea fuit illius causæ exitus. Et tamen ne nunc quidẽ
desunt egregii scilicet Christianismi assertores, tum ea Catholicis, tũ ea bonis illis Vbiquitariis,
qui Caluinum audeant tanquam earum blasphemiarum auctorem, imò etiam vt qui Atheismo si-
ue Mahumetismo aditum aperuerit, calumniari: quibus tamen altùm stertentibus, eas ipsas bla-
sphemias primus Caluinus, ac penè vnus nostro tempore tanto labore coarguit. Lutetiæ verò
(vt ad historiam nostram reuertar) Cardinalis ille Lotharingus ex cuius nutu cuncta Res admi-
nistrabat, criminis hæreseos cognitionem à iudicibus ordinariis & laicis quos vocant, ad Triũ-
uiros Cardinales traducere conatus, repugnante diuinitus potius quàm humanitus Parisiensi
Parlamento, vtpote quòd suam ipsius non Christi causam ageret, totum illud nefarium consilium
omisit. Sed extremus hic annus initium nobis maioris luctus attulit, correpto quartana Caluino
mense Octobri, quem morbum experti tandem sumus nimiùm verè dicere medicos, senibus mor
tiferum esse. Etsi enim morbus ille Caluino octimestris tantùm fuit, sic tamen corpusculum illud
macilentum, & laboribus ac viribus attritum confecit, vt nunquam postea penitus conualuerit.
Interim ille, quantumuis monentibus medicis, & obtestantibus nobis vt sese tandem aliquando
respiceret, abstinere quidem necessariò à concionibus & prælectionibus, interea verò literis
vndiquaque dictandis, & variis scribendis dies ac noctes impendere, nec aliud habere frequen-
tius in ore, quàm sibi acerbam esse vitam vt ipse aiebat, ociosam: quum nos interim valentes otio-
si præ illo videri possemus. Eius rei testes sunt vltima Christianæ Institutionis editio tum
Latina tum Gallica, & Commentarii in Esaiam ab eo non tam emendati (quales illos Gala-
M.D.LIX. sius ea ore prælegentis exceptos ediderat) quàm noui prorsus emissi. Insignis fuit annus
consequens duorum potentissimorum Regum pace arctissimáque contracta affinitate, extre-
mus idem fortasse Geneuensi Ciuitati futurus, nisi Pontificiorum consilia qui regis Henrici
simplicitate abutebantur, diuinitus fuissent impedita. Constat enim Henricum seuerissimis
positis edictis, adeóque in carcerem coniectis aliquot Parisiensibus Senatoribus (qui tantisper-
dum Concilium vniuersale cogeretur, mitius in causa Religionis agendum censebant) hoc vnum
imprimis sibi propositum habuisse, vt restituta suo Duci Sabandia, Geneuam funditus euerteret:
Geneuæ contrà laborante imprimis Caluino quantumuis valetudinario, atque tum grauissimè
afflictas Ecclesias cunctósque fratres confirmante, tum etiam precibus assiduis opem à Domino
flagitante. Ecce verò in medio illo tum procul tum ex proximo Geneuam vigente terrore, Rex in
ipso celebrandarum nuptiarum apparatu quibus pacem firmabat, ludicro hastarum concursu le-
thale vulnus accipit: ídq; eiusdem illius hominis, comitis videlicet Mongomerii, manu, cui regiis
stipatoribus tunc Præfecto, Senatores illos comprehendendos paulò antè rex ipse mandarat:
quam cædem postea Cardinalis Lotharingus xxi. Decemb. doctissimi Iurisconsulti, ac integer-
rimi Senatoris, sanctissimi denique Christi Martyris Annæ Burgii morte iniquissima videri vo-
luit expiasse. At Geneua singulari Dei beneficio in tantam confidentiam illis ipsis, quod vix
credi-

credibile ſit , temporibus erecta fuit , tanquam Domino ex denſiſsimis tenebris limpidiſ-
ſimam lucem iterum atque iterum excitante , vt quo anno & penè momento in ipſius ex-
itium tam potentes Principes coniurarent, magnificis ædibus Gymnaſii à fundamentis hortato-
re Caluino extructis,ſcholam octo puerorum præceptoribus,& publicis Hebraicæ,& Græcæ lin
guæ,ac Philoſophiæ,Theologiæ denique profeſſoribus ornatam, Deo Optimo Maximo,ſolenni
ritu,frequẽtiſsimóque in cœtu in primario tẽplo perlectis tũ primùm atque expreſsis,quæ ad vti-
liſſimæ ac ſanctiſsimæ institutionis vſum & confirmationẽ perpetuam pertinerent , ſollenni quo-
dammodo ritu conſecraret.

Anno proximo ſequuto grauatus eſt inuidia Caluinus à nonnullis , quaſi quoſdam aduerſus M. D. L X.
Franciſcum II. paterni regni hæredem concitaſſet, eos videlicet, à quorum caſu Amboſiani to-
multus nomen auditum eſt:quum Caluinus ipſe,quod omnibus cõſtare voluit,quidquid hoc fuit
nunquam intellexerit,vt palàm & voce , & ſcriptis ad amicos literis eſt teſtificatus. Eodem anno
Stancarus quidam Mantuanus (fatali videlicet Polonis Italia) aſſerere cœpit Chriſtum non eſſe
niſi ſecundum carnem Mediatorem: Arianiſmi inſimulans quotcunque illum dicerent , quatenus
etiam Deus eſt,Mediatorem eſſe:quaſi filium facerent patre minorem. Hanc calumniam, & totũ
hoc dogma,quum alii vt Philippus,& Martyr ſolidè refutarunt , tum etiam Caluinus rogantibus
Polonis perbreuiter quidem,ſed neruoſè admodum coarguit:ſimúlque proſpiciens quod mox e-
uenit,futurum videlicet , vt Stancari refutandi ſtudio nonnulli imperitiores (niſi ſibi cauerent)
in errorem Tritheitarum inciderent,diſertè præmonuit , vt à Blandrata,& aliis cum ſequutis ſibi
cauentes,ſic aſſererent Chriſtum eſſe ſecundum vtranque naturam Mediatorem , vt interea Dei-
tatem inæqualitate quoque inducta non multiplicarent.Sed fruſtra id factum,quòd ad eos attinet
qui ſe vltro perditum iuerunt. Tum quoque Vualdenſes Boemi quos vocant, duobus fratribus
ad Caluinum miſsis,quædam ab eo ſunt de Religione percontati : quibus ille ſicut par erat beni-
gnè ſatisfecit,eos etiam cohortatus,vt cum reliquis Eccleſiis ſeſe prorſus coniũgerent. Eodem
tempore quum non pauci pii Galli poſt Mariæ reginæ mortem,ſingulari ſereniſsimæ reginæ Eli-
zabethæ pietate & humanitate freti,in Angliam refugerent,peteréntque reuerendi viri Edmundi
Grindalli Epiſcopi Londinenſis aſſenſu,vt Geneua mitteretur,qui Eccleſiam Gallicam illic con
ſtitueret,miſſus eſt eò Nicolaus Galaſius familiariſsimus à multis iam annis Caluino collega , &
cuius plurimùm opera in excipiendis dictatis vtebatur. Sed Caluino nihil antiquius Eccleſiarum
ædificatione fuit. Cæterùm extremo anno M.D.L X.poſt Franciſci II. regis obitum planè repenti-
num,& quidem eo ipſo momento quo iam erant ita deſperata omnia , vt iis Deus vnus mederi
poſſet, via inierat regnum Carolus IX.adhuc puer , quum Geneuam per Caduceatorem allatæ
ſunt eius nomine ſcriptæ literæ , quibus miſſos inde querebatur , qui regnum Galliæ turbarent, M. D. L XI.
petebátque vt mox reuocarentur,alioqui ſe iuſtiſsimas vlciſcendæ iniuriæ cauſas nõ prætermiſ-
ſurum. Vocatus à Senatu Caluinus,ſuo collegarúmque nomine reſpondit,ſe, petentibus Gallicis
Eccleſiis,ſpectatæ fidei & integræ vitæ hominibus,quos eam ad rem idoneos fore ſperabant , au-
ctores hortatorésque fuiſſe,ne patriæ in tam ſancto , Eccleſiæ videlicer purè inſtituendæ negotio
ſuorũ opẽ poſtulãti deeſſent:hoc autẽ miſſos illos præſtitiſſe,nõ vt regnũ turbarent,ſed vt Euan-
gelium pacis docerent:quòd ſi quid præterea feciſſe arguerentur,ſeſe paratos eſſe coram ipſo Re-
ge accuſatoribus reſpondere. Neque longius iſta proceſſerunt. Eodem anno Caluinus & ego Ti-
lemanni Heshuſii importuniſsimi hominis libro reſpondimus.Caluinus deinde Valentini Genti-
lis blaſphemias Lugduni tum aduerſus Athanaſii ſymbolum excuſas refutauit. Edidit quoque
ſuas in Danielem prælectiones Gallicis Eccleſiis inſcriptas,ac in illis quidem Prophetæ interpre-
tem , in ipſa verò inſcriptione Prophetam viſus eſt egiſſe, imminentes longè grauiſsimas tempe-
ſtates prædicens,quo tempore coacto Piſsiaci Epiſcoporum cõuentu, ipſiq; Regi Carolo in am-
pliſsimo regni conſeſſu à me exhibita probatáque Gallicarũ Eccleſiarum Confeſsione,plerique
ſibi Papatus profligationem quaſi inſtantem pollicebantur. Tum quoque inter cæteros Franci-
ſcus Balduinus,Ecebolius poſtea propter Religionem ter minimùm aut etiam quater mutatam
cognominatus,à Cardinali Lotharingo ſubornatus ; & Nauarreno paulatim iam tum à recta via
per certos homines abducto,malis artibus conciliatus libellum quendam ſiue à ſe , ſiue potius à
Caſſandro quodam editum,qui ſeſe pium & Moderatum Virum nuncupabat,in aula venditabat,
Interimiſtico illo Cæſaris V.edicto eò etiam deteriorẽ , quòd moderatæ cuiuſdam inſtaurationis
ſpecie,omnes pene Papatus corruptelas tueretur.Huius rei à me commonefactus Caluinus,refu-
tationem libelli edidit,cui mox alia ſunt adiuncta, quæ Balduini ingenium & inſtitutum quibuſ-
vis patefacerent.Hoc verò concoquere non potuit rabula , neque magis alterũ meum reſponſum:
nec ab eo tempore Caluinum & me meretriciis conuitiis impetere deſtitit , donec Deo homini-
búſq; alterutrius Religionis quos toties fefellerat, inuiſus,Lutetiæ litem neſcio quam perſequẽs,
ſiue liuore tabeſcens,quòd alium ſibi prælatum videret, qui Henricum III. in Poloniæ regnum
proficiſcentem comitaretur,viuere ſimul ac maledicere deſiit.Anno verò LXII.non modò pace, M.D.LXII
ſed etiam libertate Gallicis Eccleſiis ſollenni regio Edicto certis conditionibus conceſſa, mox au
tem Nauarreno pontificiis artibus ſubornato,quum Guiſius edita illa immani Vaſsiacena ſtrage
claſsicũ ceciniſſet,& bellũ illud ciuile his auſpiciis cœpiſſet,quo nũc totos XII.annos miſera Gal
lia deflagrat,quot quantæque curæ Caluinum confecerint dici nõ poteſt:ſic etiã ingraueſcentibus
eius morbis,vt iam tum illum diu viuere liceret ad meliorem vitam citato gradu progredi. Nec ta-
men conſolari & hortari vnumquenque,imò ne cõcionari quidem,& Theologiam in ſchola pro-
fiteri deſtitit:emiſitque eo anno pulcherrimam Fidei Confeſsionem ad ſtatus Imperii Frãcofur-

ti tunc congregatos nomine Principis Condensis & piorum omnium, quos præter belli ipsis iniustissimè illati iniuriam, indignissimè quoque apud Germanos quasi falsorũ dogmatũ auctores audierat insimulari. Neque hîc pigebit quiddã, animaduersione nõ indignũ cõmemorare. Iacebat ex podagra Caluinus in lecto XIX. Dec. qui dies erat Sabbathi, & Boreas iam totum biduum flabat quàm vehementissimè. Tum Caluinus multis audientibus, Equidem, Inquit, nescio quid hoc rei sit, videbar mihi hac nocte audire tympana bellica quàm fortissimè personantia, nec poteram mihi persuadere, quin ita se res haberet. Precemur obsecro, nã omnino magni aliquid geritur. Atqui hoc ipso die accidit ille apud Druydas acerrimus conflictus: de quo aliquot pòst diebus Ge-
M. D. nenæ fuit renuntiatum. Anno consequente nempe LXIII. sic exacerbati sunt eius morbi, vt planè
LXIIII. sit incredibile in corpusculo tam imbecillo, tot laboribus exhausto, tot denique morbis attrito, tã fortem ac generosum animum contineri diutius potuisse. Siquidem ne tunc quidem adduci potuit, vt sibi parceret. Imò si quando (quod nunquam nisi penitus inuitus fecit) publico suo munere abstinebat, domi interea vel consulentibus respondebat, vel amanuenses dictando indefessos ipse fatigabat. atque eius rei fidem faciunt tum binæ illæ maximè seriæ ad Polonos admonitiones aduersus blasphemos illos sacræ Triadis hostes: tum etiam quòd fratribus ex Synodo Lugdunẽsi ad se missis abundè tum voce tum scriptis respondit, quòd Commentarios in quatuor Mosis libros Latinos edidit, quòd Gallicos ex Latinis ipsosmet fecit, quòd denique Commentarium in librum Iosuæ, qui fuit vltimus ipsius labor, Iam tum inchoauit, quem tandem etiam moribundus
M. D. absoluit. Annus autem LXIIII. supra sesquimillesimum ipsi quidem perpetuæ fœlicitatis, nobis autem
LXIIII. longè maximi iustissimíque doloris initium fuit. Siquidem v i. Febr. Asthmate vocem eius præpediente vltimam habuit concionem: & ab eo tempore, eo excepto quòd aliquoties ad Congregationis cœtum deportatus (quod illi vltimo Martii nouissimùm accidit) paucula verba fecit, omni docendi munere abstinuit. Ipsius morbi incredibilibus animi corporísque laboribus contracti, varii multiplicésque fuerunt, vti sua quadam ad medicos Monspessulanos epistola edita eos ipse percenset. Præterquam enim quòd corpore fuit natura imbecillo, macilento & ad tabem vltrò inclinante, dormiens penè vigilabat, magnam anni partem concionando, docendo, dictando consumebat. Per decem minimùm annos prandio abstinuit, vt nullum omnino cibum extra statam cœnæ horam sumeret: vt eum mirum sit Phthisin effugere tamdiu potuisse. Fuit autem ei hemicranea familiaris, cui sola illa inedia medebatur, adeò vt nonnunquam totas XXXVI. horas cibo abstineret. Sed & partim ex vocis contentione, partim quod serò nimis animaduersum est, ex immodico aloes vsu, primùm in hæmorrhoidas eásque tandem vlcerosas, deinde quinque ante mortem annis in sanguinis excreationem aliquoties incidit. Quartana verò ipsum deserente, successerunt in dextro crure podagra, colici subinde recurrentes dolores, calculus denique, quem alioqui nũquam nisi aliquot ante mortem mensibus senserat. Medici quæcunque remedia poterãt, adhibebant, nec quisquam hominum fuit, qui medicorum præcepta accuratius obseruaret: cæteroquin quòd ad animi labores attinet, valetudinis negligentissimus, adeò vt illum ne acerrimi quidem hemicraneæ dolores vnquam à concionando prohibuerint. Tot autem morbis oppressum, nemo ne voculam quidem audiuit emittentem, forti, nedum Christiano viro indignam. Tantùm oculos In cœlum attollens, Vsquequo, inquiebat, Domine! hoc enim etiam valens tanquam symbolum in ore habebat, agens de fratrum calamitatibus, quibus noctes ac dies magis etiam quàm suis vllis malis afficiebatur. Admonentibus & obtestãtibus nobis, vt saltem ægrotus ab omni dictandi, aut saltem scribendi labore abstineret. quid ergo inquiebat, vultis me otiosum à Domino deprehendi? Die Martii X. quum vt sæpe consueueramus ad eum venissemus, deprehendimus illum vestitum, & suæ mensulæ ad quam scribere aut meditari solebat assidentem, vnde conspectis nobis, postquam aliquandiu fronte in alteram manum, vt meditans consueuerat, inclinata conticuisset, tandem voce subinde interrupta, sed blando & renidente vultu. *At* ego inquit, vobis Charissimi fratres, magnas gratias ago de vestra pro me solicitudine, & spero me intra quindecim dies (is autem morum censuris de more destinatus erat) vestro cœtui postremùm interfuturum. Tũ enim opinor Dominum patefacturum, quid de me statuerit, & fore vt me ad se recipiat. Interfuit igitur censuris vt antè consueuerat, eiusdem mensis XXIII. iísque pacificè peractis, sentire se dixit nonnihil dilationis sibi à Domino concessum: acceptóque in manus nouo Testamento Gallico, quædam nobis in subiectis adnotationibus legit ipsemet, & de iis fratres consuluit, quòd eas quoque emendandas suscepisset. Postridie peius habuit, quasi pridiano labore fatigatus. XXVII. verò ad Curiæ fores delatus, pedibus in Senatoriam vsque aulam comitibus duobus innixus ascendit, ibíque nouo Rectore Scholæ Senatui oblato, aperto capite gratias egit pro acceptis antè beneficiis, ac nominatim quòd in hoc suo vltimo morbo tantam sui rationem Senatus habuisset. Nam sentio inquit, me postremùm in hunc locum venisse. Quæ vix deficiente voce effatus, mœstis ac lachrymantibus vale dixit. Secunda die Aprilis qui dies erat Paschæ, quamuis prostratis viribus, tamen sellula in templum delatus, toti cõcioni interfuit, Cœnam Domini ex mea manu accepit, eóque vultu hymnum cum aliis quanquam tremula voce cecinit, vt non obscura lætitiæ signa in moribundi vultu elucerent. XXV. Aprilis Testamentum totidem hisce verbis, sed gallicè dictatis condidit.

IOHAN-

IOHANNIS CALVINI
TESTAMENTVM.

IN NOMINE DOMINI, AMEN. Anno M.D.LXIIII. die Aprilis XXV. Ego Petrus Chenelatus ciuis & Notarius Geneuensis testor ac profiteor me euocatum fuisse à Spectato viro Iohanne Caluino Ministro verbi Dei in hac Ecclesia Geneuensi, & eiusdem ciuitatis adscripto ciue, qui tum corpore quidem agro, sed mente integra dixit sibi esse in animo testamentum suum conficere, & extrema voluntatis iudicium exponere: a méque petiit, vt illud exciperem, & vti lingua nuncuparet, ac dictaret, ita conscriberē, quod confestim fecisse me profiteor, atque ad verbum vt nuncupare & dictare voluit, conscripsisse, neque quicquam ad illius verba adiecisse vel de iis detraxisse, sed hanc ab illo dictatam formulam sequutum esse.

IN NOMINE DOMINI, AMEN. EGO Iohannes Caluinus Minister verbi Dei in Ecclesia Geneuensi, variis morbis oppressus & afflictus, vt facilè animum inducam, Dominum Deum statuisse me propediem ex hoc mundo educere, constitui facere meum testamentum, meámque vltimam voluntatem literis mandare, ea forma quæ subsequitur. PRIMVM omnium gratias ago Deo, quòd mei misertus quem crearet & in hoc mundo collocaret, non solùm me è profundis idololatriæ tenebris in quas demersus eram, eripuit, quem in Euangelii sui lucem adduceret, & doctrinæ salutis participem faceret qua eram indignissimus: neque solùm pro eadem misericordia & benignitate multa mea vitia & peccata benignè & clementer tolerauit, pro quibus tamen merebar ab illo reiici, & exterminari: verùm etiam tanta erga me clementia & mansuetudine est vsus, vt opera mea dignatus sit vti in prædicanda & promulganda veritate sui Euangelii: testórque ac profiteor mihi esse in animo quod reliquum est vitæ in eadem fide & religione transigere, quam mihi per Euāgelium suū tradidit: neque aliud præsidium aut perfugium salutis habere, quàm gratuitam ipsius adoptionem: qua vna salus mea nititur: ac toto pectore amplector misericordiam, qua propter Iesum Christum erga me est vsus: compēsans mea crimina cum merito mortis & passionis ipsius, vt hac ratione pro criminibus & delictis meis omnibus satisfiat, eorúmque memoria deleatur. Testor etiam ac profiteor me suppliciter ab eo petere, vt ita me ablutum & mundatum velit sanguine summi illius redemptoris, effuso pro humani generis peccatis, vt mihi liceat apud tribunal ipsius consistere sub ipsius Redemptoris imagine. Item profiteor me sedulò pro modo gratiæ & benignitatis qua Deus erga me vsus est, operam dedisse, vt cùm in concionibus, tum etiam in scriptis & commentariis purè & castè verbum ipsius prædicarem, & fideliter Sacram ipsius Scripturam interpretarer. Testor etiam ac profiteor me in contentionibus & disputationibus omnibus quæ mihi cū hostibus Euangelii habendæ fuerunt, nullis præstigiis, nullis malis artibus & sophisticis vsum esse, sed candidè ac syncerè in veritate propugnanda versatum esse. Verùm, heu mihi, studium illud meum & zelus (si hoc nomine dignus est) adeò remissus & languidus fuit, vt innumera mihi ad munus meum præclarè fungendum defuisse fatear, ac nisi immensa Dei benignitas mihi adfuisset, totum illud studium meum inane atque euanidum futurum fuisse: quinetiam agnosco nisi mihi eadem benignitas adfuisset, animi bona quæ mihi Deus largitus est, magis ac magis me culpæ atque ignauiæ reum apud eius tribunal perfectura fuisse: quas ob res testor ac profiteor nullum me aliud præsidium salutis sperare, nisi hoc vnum, quòd quum Deus Pater misericordiæ sit, sese mihi, qui me miserum peccatorem agnosco, patrem ostendat. Quod reliquum est, volo post meum ex hac vita discessum, corpus meum terræ mandari eo ritu ac modo, qui in hac Ecclesia & ciuitate vsitatus est: dum beatæ resurrectionis dies adueniat. Quantùm ad tenues facultates quas mihi Deus largitus est, de quo in hoc testamēto disponere statui, Hæres meus esto Antonius Caluinus, frater meus charissimus: sed honoris caussa duntaxat: præcipitóque ac sibi habeto pateram argenteam quæ mihi à Varannio dono data est: qua eum contentum esse cupio. nam quæcunque in hereditate mea reliqua sunt, peto ab eo eiúsque fidei committo, vt ea suis liberis, cùm morietur restituat. Ab eodem fratre & hærede meo lego scholæ puerili decem aureos scutatos: tantundem pauperibus peregrinis: tātundem pariter Iohannæ Caroli Costani & affinis meæ filiæ. Samueli vero & Iohanni eiusdem fratris mei filiis restitui volo ab hærede meo, cùm morietur quadragenos aureos scutatos: Annæ verò & Susannæ & Dorotheæ, eiusdem filiabus aureos scuta-

tos tricenos: Dauidi ipsorum fratri ad notam leuitatis & petulãtiæ iuuenilis, scutatos aureos quinque & viginti. Hæc summa est omnium facultatum quas mihi Deus in terris largitus est, quantùm quidem autumari possum, ex bibliotheca, & mobilium, & vniuersi instrumenti domestici, rerúmque ac facultatum mearum omniũ æstimatione. Quòd si quid fortè amplius reperiatur, volo id pro rata illis omnibus fratris mei filiis ac filiabus distribui, neque Dauidẽ illum excludo: si pro Dei benignitate ad bonam frugem redierit. Sed si quid erit quod suprascriptam summam excurret, credo non magnum in eo negotium futurum: præsertim vbi æri alieno satisfactum erit, cuius rei negotium diligenter mandaui eidem fratri meo, cuius fidei & beneuolentiæ confido: qua de causa illum esse volo ac statuo huius mei testamenti executorem: vnáque cum ipso spectatum virum Laurẽtium Normandium: potestatem illis permittens conficiendi bonorum meorum inuentarium, sine accuratiore forensi diligentia ac solennitate: permitto etiam ipsis vendere mea mobilia, vt ex pecunia redacta, suprascriptam meam voluntatẽ exequantur: quã exposui & dictaui hoc XXV. *Aprilis die Anno* M.D.LXIIII. *Posteaquam autem ego supradictus notarius superius testamentum scripsi, continuò idem Caluinus vsitata subscriptione sua & Chirographo illud cõfirmauit. Postero die qui fuit* XXVI. *Aprilis eiusdem anni, idem spectatus vir Caluinus me ad se vocari iussit, vnáque mecum Theodorum Bezam, Raymundum Caluetum, Michaelem Copum, Ludouicum Enocum, Nicolaum Coladonium, Iacobum Bordesium ministros & concionatores verbi Domini in hac Ecclesia Geneuensi, itémque spectatum virum Henricum Scrimgerum professorem artium ciues Geneuenses, & coram iis omnibus professus ac testatus est sese mihi testamentum illud suum ea forma qua suprà conscriptũ est, dictasse: simúlque me iussit illud ipsis audientibus, & ea de causa aduocatis recitare. quod me clara voce & articulatè fecisse profiteor: post quã recitationẽ testatus est ac professus eam esse suam vltimam voluntatem, quam ratam esse cupiat. in cuius rei testimonium & confirmationem petiit ab illis omnibus, vt eidem testamento manu sua subscriberent: quod continuò ab illis factum est anno & mense suprascriptis Geneuæ in vico vulgò dicto Canonicorum: & in eiusdem testatoris domicilio. In cuius rei fidem & testimonium, supradictum testamentum scripsi, & manu mea subscriptum, vsitato sigillo supremi Magistratus nostri, obsignaui.*

Petrus Chenalatus.

HOc condito testamento, misit qui quatuor Syndicis cunctísque Senatoribus significarent, cupere se antequam è viuis excederet, adhuc semel eos omnes in Curia compellare, quò postridie se deportandum speraret. Responderunt Senatores se potius ad eum venturos, rogarúntque vt suæ valetudinis rationem haberet. Postridie igitur quum ad eum omnes è Curia venissent, mutuò data acceptáque salute, postquam veniam petiisset quòd ad ipsum vsque venissent, quum sibi potius ad eos accedendum esset, & præfatus sese iampridem, hoc cum ipsis colloquiũ captiuisse, quod tamen eo vsque distulisset, dum paulò certius exitum suum præsentiret. *Ego verò,*
» inquit, *honorandi Domini*, ingentes vobis gratias ago, quòd me planè nihil eiusmodi promeritum,
» tantis affecistis honoribus, meásque plurimas infirmitates tã patienter sæpe tolerastis, quod ma-
» ximum semper apud me fuit vestræ in me singularis beneuolentiæ argumentum. Et quamuis mi-
» hi munere meo defungenti varia subeunda certamina, variíque sustinendi fuerint insultus, quòd
» sic oporteat optimum etiam quenque exerceri, scio tamen & agnosco nihil istorum vestra culpa
» accidisse. Precor autem vos vehementer vt si quæcunque oportuit, non præstiti, voluntatis meæ
» potius quàm facultatis habeatis rationem. Illud enim verè possum testari, fuisse me Reipub. ve-
» stræ ex animo studiosum, & vt officio meo plenè non sim defunctus, publicis quidem certè com-
» modis pro virli studuisse. Quod nisi agnoscerem Dominum vicissim opera interdum vti mea non
» inutiliter voluisse, dissimulationis crimen non effugerem. Sed hoc à vobis etiam atque etiam pe-
» to, vt excusationem apud vos inueniam, quòd tam exigua sint quæcunque publicè vel priuatim
» præstiti, præ iis quæ à me fieri oportuit: Vltrò certè agnosco me vobis hoc quoque nomine plu-
» rimùm debere, quòd vehementiam illam meam interdum immoderatam æquo animo tulistis: quæ
» peccata mea confido mihi à Deo quoque ipso condonata. Ceterum quòd ad doctrinam attinet
» quam ex me audistis, testor me non temere neque incertò, sed purè ac syncerè verbum Dei mihi
» concreditum docuisse, cuius iram alioqui tam scirem huic capiti meo iamiam imminere, quàm
» certus sum meos in docendo labores ei non displicuisse. Idque coram Deo & vobis eò libentius
» testificor, quòd minimè dubitem Satanam prout cõsueuit, improbos, leues, vertiginosos denique
» homines corrumpendæ quam ex me audiuistis, syncerææ doctrinæ excitaturum. Inde delapsus ad
» immensa illa beneficia quibus à Domino affecti fuerant, *Ego, Ego*, inquit, optimus sum testis, quot
» quantísque periculis Optimi Maximi Dei manus vos exemerit. Videtis porrò quo loco sitis. Siue
» igitur secundæ res vestræ fuerint siue aduersæ, illud, quæso, vobis ob oculos semper obuersetur,
» illum vnum esse qui regna & ciuitates stabiliat, eóque nomine coli à mortalibus velit. Memineri-

tis ma-

tis magnum illum Dauidem testari se tum prolapsum esse, quum alta iam pace frueretur, nunquam certè surrecturum, nisi Dominus bonitate singulari sua manum ei porrexisset. Quid igitur tantillis homunculis fiet, quum ille tam potens & fortis ceciderit? Nempe magna vobis animi demissione opus est, vt magna cum Dei reuerentia sollicitè incedatis, illiúsque vnius præsidio nitamini, certi nimirum ita futurum vt quod tam sæpe reipsa sensistis, firmi illius ope persistatis, etiam si velut ex tenui filo suspensa vestra salus & incolumitas fuerit. Itaque si prospera vobis euenerint, cauete quæso, ne prophanorum instar efferamini, sed Deo potius cum animi demissione gratias agite. Sin aduersa vobis acciderint, adeóque vos vndique mortes circumsteterint, sperate tamen in eo qui mortuos etiam excitat. Imò tunc maximè cogitate sic vos à Deo expergefieri, vt in eum vnum respicere magis ac magis discatis. Quòd si firmam hanc Rempub. conseruari cupitis, videte etiam atque etiam, ne solium istud sanctum, in quo vos ille collocauit, sordibus conspurcetur. Hic enim vnus est summus Deus, Rex Regum, & Dominorũ omnium Dominus, eos à quibus honorabitur, honoribus aucturus, & sui vicissim cõtemptores abiecturus. Hunc igitur ex ipsius præceptis colite, & hac de re magis ac magis cogitate. Semper enim ab eo plurimùm absumus, quod à nobis perfici decuit. Noui ego singulorum ingenia & mores, & scio vos exhortatione egere. Nemo est ex iis etiam qui excellunt, cui multa non desint. Hic vnusquisque seipsum circunspiciat, & quæ sibi deesse intelligit, à Domino requirat. Videmus quot vitia in plerisque orbis terrarum Conciliis regnent. Alij frigent, publicóque neglecto rebus suis curandis incumbunt, alij priuatis affectibus indulgent, alij præclaris Dei donis non vtuntur vt par erat, alij sese ostentant, & confidentia quadam, quicquid censuerint à reliquis probari postulant. Senes commonefacio ne iunioribus inuideant, quos à Domino compererint aliquibus donis esse exornatos. Iuniores moneo vt procul ab omni elatione, sese modestos præbeant. Alius aliũ ne interturbato. Vitate simultates, & omnes illas animi acerbitates, quæ multos in gerenda Repub. à recto instituto auerterunt. Hæc autem vitabitis, si singuli quidem intra suum modulum sese continuerint, omnes verò bona fide commissam sibi Reipub. partem administrent. In causarum verò ciuilium iudiciis, ne quis sit, obsecro, fauori, vel inimicitiis locus. nemo obliquis artibus ius peruertito. nemo suis commendationibus quò minus leges valeant, obsistito. nemo ab æquo & bono discedito. Si quem affectus sinister titillauerit, constanter ei resistito, & in eum respicito à quo fuit in eo solio collocatus, & ab eodem Sanctum spiritum postulato. Quod superest iterum precor, vt meas mihi infirmitates condonetis, quas ego coram Deo & Angelis, adeóque coram vobis Venerandi Domini, profiteor & agnosco. Hæc vbi dixisset, Deum Optimum Maximum precatus, vt eos suis donis magis ac magis cumulatos, sancto suo Spiritu ad totius Reipub. salutem gubernaret, præbita singulis dextra, mœstos omnes illos, nec aliter ab eo quàm à communi parente cum lachrymis discedentes dimisit. Die 28. Aprilis quum omnes, ipsius rogatu, Geneuensi ditionis Ministri cõuenissemus. At vos, inquit, fratres, post obitum meum perstate in hoc opere, nec animo frangimini: Dominus enim hanc Rempub. & Ecclesiã aduersus hostiũ minas seruabit. Absint à vobis dissidia, mutuáque charitate vos complectimini. Cogitate etiam atque etiam quid huic Ecclesiæ debeatis, in qua vos Dominus collocauit: neque vos quicquam hinc abducat. Sin minùs, facile quidem fuerit nonnullis eius pertæsis quasi per cuniculos euadere: sed experientur illi Dominũ decipi non posse. Quum primùm in hanc vrbem venirem, annuntiabatur quidem Euangelium, sed perturbatissimæ res erant, quasi nihil aliud esset Christianismus quàm statuarum euersio: nec pauci erant scelerati, à quibus indignissima multa sum perpessus. Sed Dominus ille Deus noster me, me, inquam, natura (dico quod res est) minimè audentem ita confirmauit, vt nullis illorum conatibus cesserim. Argentina postea huc redij vocationem hanc inuito animo sequutus, quòd infructuosa mihi fore videretur. Ignorabam enim quid statuisset Dominus, & res erat plurimarum maximarúmque difficultatum plena. Sed pergens in hoc opere sensi tandem reipsa Dominum labori meo benedixisse. perstate igitur & vos in hac vocatione: institutum ordinem retinete: Date simul operam vt populus in obsequio doctrinæ contineatur. Sunt enim nonnulli improbi & contumaces. Res, vt videtis, non malè sunt constitutæ: quò magis coram Deo nocentes eritis, si vestra ignauia labefactentur. Testor verò me vobiscum fratres, vera synceráque charitate coniunctissimum vixisse, & nunc à vobis discedere. quòd si quando me in hoc morbo morosiorem estis experti, veniam à vobis peto, & ingentes vobis gratias ago, quòd ægrotante me, onus mihi impositum sustinueritis. Hæc locutus dextram singulis porrexit. Nos mœstissimis animis, ac minimè siccis oculis, ab eo tum discessimus. 11. Maij quum ex Farelli literis cognouisset (Viretus enim longius aberat) statuisse illum iam octuagenarium & valetudinarium senem, iter ad se ingredi, sic ei latinè rescripsit. ¶ Vale mi optime & integerrime frater, & quando te Deus superstitem manere vult in mundo, viue memor nostræ coniunctionis, quæ vt Ecclesiæ Dei fuit vtilis, ita nos eius fructus in cœlo manet. Nolo te fatiges mea causa. Ægrè spiritum traho, & assiduè expecto, dum me anhelitus deficiat. Satis est quòd Christo viuo & morior, qui suis lucrum est in vita, & morte. Iterum vale cum fratribus. Geneuæ 11. Maij M.D.LXIIII. Venit tamen Geneuam bonus ille senex, & quum vnà inter se locuti essent, postridie Neocomum rediit. Reliquos ad obitum vsque dies in perpetuis penè precibus consumpsit, voce quidem propter asthma suspiciosa, sed oculis quales ad extremum vsque clarè micantes habuit in cœlum sublatis, & ita composito vultu, vt sese precantis ardor totum proderet, sæpe Dauidis illud ingeminans in doloribus, Tacui Domine quia fecisti, & interdum illud Esaiæ, Gemebam sicut columba. Audiui quoque quum diceret, Tu me zi. 19.

Psal. 38. conteris, Domine, sed abundè mihi sufficit, quòd tua hæc sit manus. Patère diem & noctem ipsius fores oportuisset, si admissi fuissent quotcunque officij causa illum adire cupiebant, quos cùm, voce, vt diximus, præpedita, compellare se non posse videret, petierat vt vnusquisque potius pro ipso precaretur, quàm de eo inuisendo laboraret. Sæpe quoque mihi cuius conspectum alioqui nunquam iniucundum ei fuisse sum expertus, significauit, sibi religionem esse vel tantillùm occupationes meas remorari, adeò fuit ille temporis parcus quod Ecclesiæ impendi sciret, & in eo plus etiam æquo religiosus, ne amicos vel tantillùm grauaret. Ita igitur seipsum & amicos consolans vixit vsque ad XIX. Maij quo die censuram inter nos Ministros exercere, & vnà cibum capere amicitiæ testandæ causa consueuimus, biduò pòst videlicet Pentecoste & Cœna Domini sequuturis. Eo die quum nobis concessisset vt apud ipsum cœna communis instrueretur, & è lectulo, collectis vtcunque viribus, in proximum conclaue esset delatus, postremùm, inquit, ad vos accedo, fratres, nunquam posthac ad mensam accubiturus, quod nobis tristissimæ cœnæ initium fuit. Concepit tamen preces, & paululum cibi sumpsit, sermone quantùm licuit inter cœnandum ad hilaritatem composito. Inde cœna nondum planè exacta, quum in contiguum cubiculum reportari se iussisset, renidenti planè vultu cœtum compellans, paries hic, inquit, interiectus non impediet, quò minùs corpore absens, vestro tamen cœtui spiritu intersim. Contigit quod prædixerat. Siquidem ab eo die supinus semper iacuit, corpusculo (si vultum parum admodum immutatum excipias) ita emaciato, vt solus illi spiritus superesset. Die quo decessit, nempe XXVII. Maij, visus est fortius & minore difficultate loqui. Sed hic erat extremus naturæ conatus. Nam vesperi circiter octauam, repente præsentis mortis certa signa apparuerunt: quod quum mihi paulò antè ab ipso digresso, & cuidam alij ex fratribus esset à domesticis significatum, protinus accurrens, illum reperi vsque adeò tranquillè mortuum, nullóque pedum vel manuum concussu, vt neque grauiorem spiritum antea duxerit, neque sensu & iudicio, imò ne voce quidem penitus, ad extremum vsque halitum fuerit destitutus, & dormienti quàm mortuo multò similior videretur. Sic igitur eo die cum occidente Sole splendida etiam hæc lux nobis erepta est. Sequente nocte ac postero die in vrbe tota ingens fuit comploratio. Requirebat enim vniuersa ciuitas sapientissimum ciuem, Ecclesia deplorabat fidi sui pastoris decessum, schola ereptum sibi talem doctorem lugebat, omnes denique vt communi secundum Deum parente ac consolatore orbati lamentabantur. Optabant multi ciues eum spectare mortuum, quòd ab eo ne mortuo quidem auelli possent. Quidam etiam peregrini qui videndi & audiendi ipsius causa procul venerant, inter quos etiam adfuit Clarissimus vir Reginæ Angliæ in Gallia legatus, auidè admodum intueri saltem defunctum petebant. Ac initiò quidem admittebantur. Sed quòd hæc nimia esset curiositas, vt calumniis aduersariorum occurreretur, placuit amicis vt postridie manè qui dies erat Dominicus, linteo de more inuolutum corpus ligneo loculo includeretur. Pomeridiana verò secunda, sequentibus funus Patritiis, vnà cum pastoribus, professoribúsque scholæ omnibus, totáque penè ciuitate non sine vberibus lachrymis prosequente, elatus est, communíque cœmiterio quod planum palatium vocant, nulla penitus extraordinaria pompa, nullóque addito cippo (sic enim mandarat) conditus, cui propterea his versiculis parentaui.

Romæ ruentis terror ille maximus,
Quem mortuum lugent boni, horrescunt mali.
Ipsa à quo potuit virtutem discere virtus,
Cur adeò exiguo ignotóque in cespite clausus
Caluinus lateat, rogas?
Caluinum assiduè comitata modestia viuum,
Hoc tumulo manibus condidit ipsa suis.
O te beatum cespitem tanto hospite!
O cui inuidere cuncta possint marmora!

Vixit annos quinquaginta quatuor, menses decem, dies decem & septem, cuius spatij dimidium in sancto Euangelij ministerio consumpsit. Statura fuit mediocri, colore subpallido & nigricante, oculis ad mortem vsque limpidis, quique ingenij sagacitatem testarentur: cultu corporis neque culto neque sordido, sed qui singularem modestiam deceret: victu sic temperato, vt à sordibus & ab omni luxu longissimè abesset: cibi parcissimi, vt qui multos annos semel quotidie cibum sumpserit, ventriculi imbecillitatem causatus: somni penè nullius, memoriæ incredibilis, vt quos semel aspexisset, multis pòst annis statim agnosceret, & inter dictandum sæpe aliquot horas interturbatus, statim ad dictata nullo commonefaciente rediret, & eorum quæ ipsum nosse muneris sui causa interesset, quantumuis multiplicibus & infinitis negotiis oppressus, nunquam tamen obliuisceretur. Iudicij quibuscunque de rebus consuleretur tam puri & exacti, vt penè vaticinari sæpe sit visus, nec aberrasse meminerim qui consilium ipsius esset sequutus. Facundiæ contemptor & verborum parcus, sed minimè ineptus scriptor, & quo nullus ad hunc diem Theologus (absit verbo inuidia) purius, grauius, iudiciosius denique scripsit, quum tamen tam multa scripserit quàm nemo vel nostra vel patrum memoria. Erat enim hoc consequutus vigiliis iuuentutis, & quadam iudicij acrimonia, dictandi exer-

citatione

citatione confirmata, vt neque illi deesset vnquam quod appositè & grauiter diceret, neque multò aliter scriberet quàm loqueretur. In doctrina quam initiò tradidit, ad extremum constans, nihil prorsus immutauit, quod paucis nostra memoria Theologis contigit. Quòd ad ipsius mores attinet, quamuis illum natura ad grauitatem finxisset: nemo tamen illo in communi conuictu fuit suauior: in ferendis hominum vitiis quæ infirmitatis erant, mirè fuit prudens, vt neque importuna obiurgatione pudefaceret aut perterrefaceret imbecillos fratres, neque vitia conniuendo vel adulando foueret. Adulationis autem & simulationis, improbitatis denique, præsertim si de Religione agebatur, tam fuit hostis acer & vehemens, quàm veritatis, simplicitatis, & candoris amans. Fuit omnino naturæ ipsius temperamento ὀξύχολος, quod vitium etiam auxerat laboriosissimum illud vitæ genus. Iræ tamen sic eum docuerat Spiritus Domini moderari, vt ne verbum quidem sit ex eo auditum, quod viro bono indignum esset, nedum vt longius progrederetur: nec temerè nisi tùm commoueretur, quum de Religionis causa agebatur, aut aduersus præfractos homines ipsi negotium erat. Tot tantásque virtutes domi & foris, tam multos aduersarios habuisse nemo mirabitur, qui vel eorum inter prosanas gentes hominum historiam legerit, qui præ aliis aliquam virtutis speciem adamarint, tantùm abest, vt mirum cuiquam videri debeat fortissimum tum sanæ doctrinæ defensorem, tum puræ vitæ sectatorem domi & foris tam acriter oppugnatum fuisse. Sed hoc potius admiratione dignum est, vnicum hominem tanquam Herculem quendam Christianum tot domandis monstris sufficere potuisse, nempe fortissima illa claua, id est Dei verbo vtentem. Itaque quot ei aduersarios Satan excitauit (nullos enim in tam multis hostes alios habuit, quàm qui pietati, & honestati bellum indixissent) tot seruo suo Dominus victoriarum trophæa desiait. Hæreticum isti faciunt Caluinum: quasi verò non sit hoc etiam nomine damnatus Christus ipse, & quidem ab ipsis Sacerdotibus. Expulsus est Geneua, adde & ab eadem reuocatus. Et quid Apostolis, quid Athanasio, quid Chrysostomo contigit? Exprobrant illi multa nonnulli alij, sed cuiusmodi? Ambitiosus fuit scilicet, imò etiam nouum papatum ambiuit, qui hoc vitæ genus, hanc Remp. hanc denique Ecclesiam, quam verè possum paupertatis officinam appellare, rebus omnibus anteposuit. Accumulandis scilicet opibus studuit, cuius bona omnia, carè etiam diuendita ipsius bibliotheca, via trecentos aureos æquarant, vt non minùs scitè quàm verè calumniam istam longè impudentissimam refellens hæc verba vsurparit, Me non esse pecuniosum si quibusdam viuus non persuadeo, mors tamen ostendet. Testari certè potest Senatus, quum perexigua essent eius stipendia, tantùm abfuisse vt in iis non acquiesceret, vt ampliora etiam oblata pertinaciter recusarit. Exprobrant ei alij, quòd illius frater Antonius Caluinus priorem vxorem suam ob adulterium, cognita causa, repudiarit. Quid ergo dicerent illi, si adulteram fouisset? Quod si in eum redundat hoc impudicæ mulieris dedecus, quid fiet Iacobi, Dauidis, ipsius denique filij Dei familiæ, in qua ipsemet Diabolum ex suis vnum disertè notauit? Delitiis scilicet illum & luxui indulsisse, tot ipsius laborum testes demonstrant. Quid quod nonnullos etiam dicere & scribere non pudet, regnasse illum Geneuæ tum in Ecclesia tum in Repub. atque adeò pro tribunali sedisse? Alij etiam illum nescio quem viuum pro mortuo cadauere excitando vniuerso etiam teste populo supposuisse fabulantur, quod non minùs putidum mendacium quàm si Romæ Papa fuisse diceretur, ausus est rapsodus ille Sorbonicus, Claudius Spensa maledicentissimo quodam libro inculcare. Quid enim istos pudeat? Sed ista neque apud eos qui tantum hunc virum norunt, neque apud posteros sani iudicij homines, qui mores hominis ex ipsius scriptis æstimabunt, refutatione indigent. Ego historiam vitæ & obitus ipsius, cuius spectator sedecim annos fui, bona fide persequutus, testari mihi optimo iure posse videor, longè pulcherrimum verè Christianè tum vitæ tum mortis exemplum in hoc homine cunctis propositum fuisse, quod tam facile sit calumniari, quàm difficile fuerit æmulari.

In præfat. Comment. in Psal.

FINIS.

Lectori.

VT omnes norint quosnam libros Iohannes Caluinus in lucem emiserit, & quænam ab eo relicta fuerint scripta, ex ipsius concionantis ore excepta, ne quis etiam hac in parte posthac fallatur, sicuti notum est scriptis magnorum virorum vt plurimùm accidisse, vt sub eorum nomine falsa & adulterina multa obrepserint, commodissimum duximus eos nominatim hic recensere.

CATALOGVS LIBRORVM A Johanne Caluino conscriptorum.

Commẽtarij Latini primùm, ac deinceps etiam Gallici facti, & editi.

In Genesin.
In quatuor libr. Mosis in formam Harmoniæ digestos.
In librum Iosue.
In omnes Psalmos.
In Iesaiam.

Prælectiones tum Latinæ, tum Gallicæ.

In Ieremiam.
In viginti prima capita Ezechielis.
In Danielem.
In minores Prophetas.

In nouum Testamentum Commentarij tum Latini tum Gallici.

In tres Euangelistas in formam Harmoniæ digestos.
In Iohannem.
In Acta Apostolorum.
In omnes Pauli Epistolas.
In Epistolam ad Hebræos.
In Catholicas Petri, Iohannis, Iacobi, & Iudæ.

Conciones gallicè ex ipsius ore exceptæ, & in publicum editæ.

In Deuteronomium.
In decem legis præcepta separatim prius excusa.
In librum Iob.
In Psalmum 119.
In Canticum Ezechiæ ex Isaiæ 38.
In posteriora octo capita in Danielem.
In decimum & vndecimum caput prioris ad Cor.
In Epistolam ad Galatas.
In Epistolam ad Ephesios.
In Epistolas ad Timotheum & Titum.
Item conciones aliquot de Christi natiuitate, passione, morte, resurrectione, Ascensione.
Conciones quatuor nostris temporibus perutiles.
Concio in cœtu quem Congregationem vocant, habita de Prouidentia & Æterna Dei electione.
Concio ibidem in congregatione habita ad certum locum epistolæ ad Galatas, cum Conciuncula vel exegesi particula Catechismi ad extremum articulum Dominicæ orationis.

Conciones aliæ nondum editæ in vetus Testamentum.

In Genesin.
In duos Samuelis libros.
In prioris regum 18. capita.
In aliquot Psalmos.
In librum Iosue summa quadam breues in cœtu publico exceptæ, cùm paucis perstringeret quod erat fusius à collegis in Congregationibus tractatum.
In Iesaiam.
In Ieremiam.
In Ezechielem.
In septem ex duodecim minoribus Prophetis.

Conciones in nouum Testamentum, nondum editæ.

Conciones aliquot in Harmoniam triũ Euangelistarum.
In Acta Apostolorum.
In duas ad Corinthios Epistolas.
In duas ad Thessal. Epistolas.
In aliquot capita Epistolæ ad Hebræos.
Prælectiones in Psalmos à 37. ad finem vsque nondum editæ.

CATALOGVS ALIORVM librorũ variis temporibus scriptorũ, & tũ Gallicè tum Latinè editorum.

Commentarius in Senecam de Clementia latinè.

Institu-

Institutio Christianæ Religionis.
Psychopannychia.
Epistolæ duæ, vna de fugiendis pontificiorum illicitis sacris, altera de Christiani hominis officio, &c.
Responsio ad Epistolam Sadoleti Card.
De Cœna D. libellus.
Epinicion Christo cantatum.
Catechismus Ecclesiæ Geneuensis, cum formula Sacramentorum administrandorum & publicis precibus.
Aduersus Pighium Campensem liberi arbitrij assertorem.
Scholia in admonitionẽ paternam Pauli III.
Antidotum aduersus articulos Facultatis Theologiæ Sorbonicæ.
De necessitate reformandæ Ecclesiæ.
Instructio aduersus errores Anabaptistarum, Libertinorum, &c.
Admonitio opportunissima de perquirendis Reliquiarum quas vocant, singulis ex fide Pontificiorum.
De vitandis superstitionibus Iudicium piorũ virorum
Excusatio aduersus Pseudo Nicodemitas.
Antidotum aduersus Acta Tridentinæ Synodi.
Vera Christianæ pacificationis & Ecclesiæ reformandæ ratio.
Admonitio aduersus Astrologiam quam Iudiciariam vocant.
Consensio mutua in re Sacramentaria.
Eiusdem consensionis defensio.
De scandalis.
De æterna Dei prædestinatione & prouidentia.
Defensio orthodoxæ fidei Sacræ Trinitatis aduersus prodigiosos errores Mich. Serueti Hispani.
Admonitiones ad Vvestphalum tres.
Aduersus Hesbusium, & Stancari errorem.
Aduersus Valentinum Gentilem.
Ad nebulonis cuiusdem calumnias responsio.
Altera eiusdem argumenti.
Ad versipellem Mediatorem.
Breuis admonitio ad fratres Polonos.
Epistola qua fidem huius ad Polonos admonitionis confirmat.
Ad Balduini conuitia responsio.

Quæ Gallicè tantùm extant opuscula.

Congratulatio ad venerabilem presbyterum Gabrielem Saconaum Præcentorem Lugdunensem.
Ad Hollandum quendam responsio.
Censura qua silentium imponatur nebuloni cuidam Ant. Cathalano.
Præterea supersunt duæ fidei confessiones, tum etiã plurimæ literæ, consilia, admonitiones, responsa tum Latinè tum Gallicè ad varia hominum genera scripta, quorum omnium tandem etiam pars aliqua est edita.

FINIS.

THEODORI PRESBYTERI RHAETHENSIS LIBELLVS ADVERSVS HÆRESES QVIBVS JAM *olim hypostatica duarum in Christo naturarum vnio oppugnata est, nunc primùm Græcè editus, & Latinus factus à* THEODORO BEZA VEZELIO.

ADIECTA EST EARVNDEM HÆRESEON COLLATIO CVM CONTROVERSIIS eadem de re recens excitatis.

***

ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΟΥ τῆς Ῥαϊθοῦ, προπαρασκευή τις καὶ γυμνασία τῶν βουλομένων μαθεῖν τίς ὁ τρόπος τῆς θείας ἐνανθρωπήσεως καὶ οἰκονομίας καθ' ὃν πέπρακται, καὶ τίνα τὰ περὶ τοὺς ταύτην μὴ ὀρθῶς νοοῦντας λεγόμενα παρὰ τῶν τῆς ἐκκλησίας τροφίμων.

Ἄτοπον οἶμαι, καὶ καλῶς γε τοῦτο νενόμικα (καὶ γάρ ἐστιν οὕτως ἄτοπον) εἰ οἱ μὲν τοῦ Εὐτυχοῦς, καὶ Διοσκόρου τοῦ ψεύδους συνασπισταί, καὶ στρατευόμενοι κατὰ τῆς ἀληθείας, οὕτω καρτερῶς καὶ ἀγρύπνως πολεμοῦσι τὴν μίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν, ὥστε καὶ τὰ παρ' αὐτοῖς παιδία, μήπω τρανωθείσης αὐτοῖς τῆς γλώσσης, πρὶν εἰς διδασκάλους φοιτῆσαι, καὶ τὰ πρῶτα στοιχεῖα μαθεῖν, ἀκονᾶν τε καὶ ἐμβιβάζειν, ὅπως λέγειν καὶ ἀκούειν δύναιντο ὑπὲρ τοῦ παρ' αὐτοῖς προβεβλημένου δόγματος· ἡμᾶς δὲ οὕτω καταρραθυμεῖν καὶ ἀποπεπτωκέναι, ὡς μηδὲ αὐτὸ τοῦτο σπουδάζειν εἰδέναι τίς ἡ διαφορὰ τούτων πρὸς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἐκ ποίων ἀρχῶν ὁ πρὸς ἡμᾶς αὐτοῖς συνέστηκε πόλεμος, τίνες τε καὶ οἱ ἡγεμόνες αὐτῶν εἰσιν, ἀφ' ὧν ἔχουσι τὴν προσωνυμίαν. Διὰ ταῦτα μὴ πάρεργον ἡγώμεθα ὀφείλομεν τὴν περὶ ταῦτα σχολήν· μηδέ, ὅτι Θεοῦ χάριτι καὶ δυνάμει εἰρηνεύει τὰ τῆς ἐκκλησίας, ἐν γαλήνῃ τε καὶ ἀταραξίᾳ ἑστῶτα, πάσης αἱρέσεως ἐκποδὼν εἰς τοὺς ἑαυτῆς φωλεοὺς κατακεκρυμμένης, ἤδη καὶ ἡμεῖς ἄοπλοι πάντες μένωμεν, καὶ ἀπειροπόλεμοι, μήπως καὶ ἄφνω ἐπελθόντος πολέμου, γυμνοὶ καὶ ἀπαράσκευοι εὑρεθέντες ὑπὸ τῆς δυσσεβείας ἀναιρεθῶμεν. Δεύτερος ἐξ ὑπαρχῆς πλοῦς, φοβοῦ τὸ ναυάγιον (φησὶν ὁ Θεολόγος Γρηγόριος) καὶ ἧττον ναυαγήσεις, τῷ δέει ὥσπερ βοηθῷ χρώμενος. Τοίνυν κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, ἕτοιμοι ὦμεν πρὸς ἀπολογίαν ἀεὶ παντὶ τῷ αἰτοῦντι ἡμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ἡμῖν ἐλπίδος, μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου συνείδησιν ἔχοντες ἀγαθήν· ἵνα ἢ τὴν ὁποτέραν αὐτοὺς ἡμῶν ὑπάρξῃ διὰ τῆς τοιαύτης ἀξιεπαίνου σπουδῆς, ἢ τὸ σώζειν τοὺς ἀποδιορίζοντας ἑαυτούς, καὶ ἐκ τῆς πονηρᾶς διακρίσεως ταύτης αὐτοὺς ἐξαρπάζειν, καθὰ παραινεῖ ὁ κατ' ἐπίκλην ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου· εἰ δὲ μὴ τοῦτο, κἂν ἀποφράττειν αὐτῶν τὸ στόμα τοῖς δικαίοις ἐλέγχοις, ὡς μηδεμίαν ἀφορμὴν ἔχειν αὐτοὺς ἀναιδῶς θρασύνεσθαι κατὰ τῆς ἀληθείας. Ὃ δὲ τούτων τιμιώτερόν τε καὶ μεῖζον, ἵνα ἡμεῖς αὐτοὶ γινώσκωμεν, καὶ πληροφορώμεθα ἐφ' ᾗ πίστει ἑστήκαμεν, καὶ καυχώμεθα, παρρησιαζόμε-

THEODORI PRESBYTERI Rhæthensis præparatio quædam iis exercendis qui quomodo diuina incarnatio & œconomia facta sit discere cupiunt, & quænam aduersus eos qui perperam hanc intelligunt, à fidelibus Ecclesiæ alumnis dicantur.

ABSVRDVM esse arbitror, (& rectè sanè hoc sentio, quum hoc reuera sit absurdū) eos qui Eutychis & Dioscori mendacio fauentes, veritati bellum indixerunt, tanta vi atque vigilantia vnicam illam vniuersalem & Apostolicam Ecclesiam oppugnare, vt ipsi quoque apud eos pueruli nondum expeditè loquentes, antequam ludum literarium adeant, & prima literarum elementa discant, sese ad ea dicenda & audienda acuant & incitent quæ pro recepto apud ipsos dogmate faciant: nos verò vsque adeò pigros esse, eóque decidisse, vt ne hoc ipsum quidem nosse studeamus, qua in re isti ab Ecclesia dissideant, & à quibus initiis sit conflatum bellum illud quod ipsi aduersum nos gerunt, & quinā isti sint eorum duces à quibus cognomentum duxerunt. Itaque non est quod vanam & superuacaneā esse arbitremur operam quæ in his rebus ponitur: neque, etiamsi Dei gratia ac clementia, res Ecclesiæ amotis omnibus hæresibus, & in suorum lustrorum tenebras summotis, tranquillæ pacatæque sunt, idcirco par est nos, omnem armorum curā abiicere, & rerum bellicarum expertes esse, ne fortè repentino ingruente bello, nudos & imparatos nos impietas deprehensos perimat. Secundo cursu (inquit Gregorius ille Theologus) naufragiū time, & timore quasi adiutore fretus, multo minus naufragiū incurres. Simus ergo semper ex illius summi Apostoli mādato parati ad respōdēdū cū mansuetudine & timore ei qui rationē à nobis popo sceri spei quæ in nobis est: bona cōscientia præditi, vt isto laudabili studio nobis alterutrū obtingat, nēpe vt vel istos qui sese à nobis seiūgūt seruemus, & (sicut ille Domini frater cognominatus monet) ex ista peruersa disiūctione eripiamus: vel, si hoc nō successerit, illorū saltē ora iustis ipsos rationib' redarguēdo obstruam', vt nullā aduersus veritatē petulāter ac temerè loquēdi occasionē inueniant: atque adeò vt, quod vtroque etiā illo maius ac pretiosius est, nos ipsi eius fidei in qua stamus, scientes ac certiores euadamus, liberè

νύ τε, καὶ ἱκανὰ θεραπεύοντες τῷ αὐτῆς διαλογισμῷ χάριν τοῖς ταύτῃ ἀντικειμένοις ἀποστρεφόμεθα. στοχάζομαι δὲ ὅτι καὶ κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀνταποδόσεως μείζων ὁ μισθὸς ἔσται, καὶ ἡ ἀποδοχὴ πλείων τοῖς μεταγνοῦσιν ἐμμελῶς ἀφαρπάσασι καὶ ἑδρασμένως ἐχομένοις τῆς εὐσεβείας, ἢ τοῖς ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχεν ἐκ πατροπαραδότου συνηθείας ἐν τῇ αὐτῇ πίστει γνωριζομένοις. οἱ μὲν γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς μόνον, οἱ δὲ καὶ ἀπὸ διανοίας καὶ γνώμης ταύτῃ γεγονότες ὀφθήσονται· ὡς εἰ καὶ ἔτυχεν ἐκείνους τοὺς ῥαθύμους, καὶ ἐκ ζητητικοὺς, ὑπὸ αἱρετικῶν γονέων ὑπάρξαι, μηδ' ἂν ἐφρόντισαν τὴν πατρῴαν δυσσέβειαν ἀποδύσασθαι. οὕτω κατάγνωστον ἡ ἀμαθία, καὶ τὸ μὴ θέλειν διδάσκεσθαι. διὰ τοῦτο καὶ εἴρηται, Σοφίαν καὶ παιδείαν ὁ ἐξουθενῶν, ταλαίπωρος· ὁ δὲ ἀγαπῶν παιδείαν, εὑρήσει γνῶσιν μετὰ δικαιοσύνης. ἵνα δὲ ἀκώλυτα φέρηται παντὶ τῷ ἐντυγχάνοντι τῷ συγγεγραμμένῳ πονήματι, τὰ πρὸς τοὺς δι' ἐναντίας λεγόμενα, μικρά τινα πρὸς εἰσαγωγὴν συντάξαι ἀναγκαῖον ἐνόμισα· ὅθεν καὶ ἀρξάμενος οὕτω φημί.

ac ingenuè illam profitentes, & quã ob causam eius aduersarios auersemur. Et certè coniicio fore vt illo retributionis tempore qui sentẽtia ritè mutata rursus Ecclesiæ coaptati, firmiter veritati adhæserint, ampliorem mercedẽ ferant, quàm qui simpliciter & fortuitò ex consuetudine à patribus accepta eam ipsam rectam fidem secuti fuisse cõperientur. Nam hos quidem casu duntaxat, istos verò sciẽtes ac prudentes cõstabit veram fidem amplexos, adeò quidẽ vt si fortè pigros illos, & fidei inquisitionis negligentes contigisset ex hæreticis nasci, de paternæ quoq; impietatis abnegatione minimè soliciti futuri fuisse videantur: vsq; adeò damnabilis res est, inscientẽ esse, nec sese ab aliis doceri velle. Itaq; inquit ille, miser est quisquis sapere & discere negligit: quisquis verò se gaudet erudiri, cognitionem & iustitiam nanciscetur. Vt autem quicũque in hoc opus à me elaboratum inciderit facilè percipiat quæ in aduersarios dicuntur, necessarium esse duxi pauca quædam quasi introductionis vice præponere. Itaque hinc faciam dicendi principium.

ΔΟΞΑ ΜΑΝΕΝΤΟΣ.

Μάνης ὁ τοῦ ἀνθρωπίνου σκότους ἐφευρετὴς, μᾶλλον δὲ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους ἀνάπλασμα, φαντασίᾳ ψιλῇ καὶ σχήματι διακένῳ σώματος ἀνθρωπίνου, περιφερόμενον τὸν Κύριον ἐφαντάσθη, ὡς ἀληθῶς καὶ ἐνηργηκέναι φησὶν δὲ αὐτὸν καὶ πάσχειν δοκεῖν καὶ πράττειν ἃ ἐποίει, καὶ πέπονθε καθ' ἡμᾶς· καὶ μηδὲν δὲ τούτων πράγματι, καὶ ἀληθείᾳ ὑπάρξαι, ἀλλὰ δοκήσει μόνον, καὶ ἀπάτῃ ἐξαβουκολεῖν τοὺς ἀνθρώπους, ὡς καὶ συναναστρέφεσθαι νομίζοντας. διὰ τοῦτο καὶ δύο φύσεις παραιτεῖται λέγειν ἐπὶ τοῦ Κυρίου, ἀλλὰ μίαν τὴν τῆς θεότητος, ὡς ἔστι τι προσεπινοουμένην παρ' αὐτῷ ἀνθρωπίνην φύσιν ὀνομάζειν.

OPINIO MANENTIS.

Manes ille qui primus Tenebras illas Antitheas excogitauit, vel fuit potiùs potestatis tenebrarũ figmentũ, imaginatus est & reuera somniauit, Dominũ spectro quodã nudo, & inani corporis humani forma apparuisse. Ait autẽ eũ visũ esse pati & facere quæ faciebat & patiebatur quũ apud nos esset: nec quicquã istorũ reipsa sed apparẽtia tãtũ extitisse, adeóq; homines fuisse ab eo dolo deceptos, quibuscũ etiã vnà versari existimabatur. Itaq; duas etiã in Domino naturas dicere recusat, sed vnicã tãtũ, Deitatẽ videlicet, agnoscit: adeò vt apud eum naturæ humanæ appellatio nihil aliud quàm veluti præstigias quasdam declaret.

ΔΟΞΑ ΠΑΥΛΟΥ Σαμοσατέως.

Παῦλος δέ τις τούτῳ τῷ Μάνεντι σύγχρονος γεγονὼς, Σαμοσατεὺς μὲν τὸ γένος, Ἀντιοχείας δὲ τῆς Συρίας πρόεδρος, ψιλὸν ἄνθρωπον εἶναι τὸν Κύριον ἐδυσφήμησεν, ὥσπερ δὲ εἰς ἕκαστον τῶν προφητῶν, οὕτω καὶ ἐν αὐτῷ γενέσθαι τοῦ Θεοῦ λόγου τὴν ἐνοίκησιν· ἔνθεν καὶ δύο φύσεις διῃρημένας ἐχούσας, καὶ ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς παντελῶς, εἶναι ἐν τῷ Χριστῷ, ὡς ἄλλου ὄντος αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἄλλου τοῦ ἐν αὐτῷ κατοικοῦντος Θεοῦ λόγου. αὗται μὲν οὖν αἱ πρῶται φυαὶ τοῦ τὴν μίαν φύσιν, καὶ τὰς δύο κακῶς καὶ δυσφήμως λέγειν ἐπὶ τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ, τὸ μὲν ἐπ' ἀναιρέσει τῆς ἀνθρωπότητος, τὸ δὲ, τῆς θεότητος.

OPINIO PAVLI Samosateni.

Paulus autem quidam, iisdem quibus Manes tẽporibus, Samosatenus quidẽ ortu, sed Antiochiæ Syriæ antistes, Dominum impiè dixit nudũ fuisse hominẽ, in quo Deus Verbum sicut & in singulis Prophetis habitarit: ac proinde duas naturas separatas, & citra vllã prorsus inter se cõmunionẽ, in Christo esse, quasi alius sit Christus, alius Deus Verbum in ipso inhabitans. Et hinc quidem primùm orti sunt qui tum vnam naturam, tum duas in Christo naturas esse perperam & impiè dixeruot, modò vt Deitatem, modò vt humanitatem abolerent.

ΔΟΞΑ ΑΠΟΛΙΝΑΡΙΟΥ.

Χρόνου δὲ οὐ μικροῦ παρελθόντος, Ἀπολινάριός τις πρόεδρος γενόμενος Λαοδικείας τῆς Συρίας τῆς παραλίου, ἑτέρας ματαιοφροσύνης ἡγήσατο. τῶν γὰρ Ἀρειανῶν παντάπασιν ἄψυχον λεγόντων τὴν τοῦ Κυρίου σάρκα, οὗτος ὁ Ἀπολινάριος ἔφη, ὅτι σάρκα μὲν ἐμψυχωμένην ψυχῇ ζωτικῇ ἀνέλαβεν ὁ Κύριος, νοῦν δὲ τὸν ἡμέτερον οὐ προσελάβετο. μηδὲ γὰρ δεηθῆναι νοὸς ἀνθρωπίνου ἐκείνην τὴν σάρκα, ἡγεμονευομένην ὑπὸ τοῦ αὐτὴν ἐνδεδυκότος Θεοῦ λόγου· ἀλλὰ μηδὲ χωρεῖν αὐτὴν ἄλλην νοερὰν δύναμιν παρὰ τὴν θείαν. μηδὲ γὰρ αὐτὸν τὸν ἀνθρώπινον νοῦν ὑποστῆναι δύνασθαι τὴν κατὰ τοῦ κρείττονος καὶ δεσπότου ἐνοίκησιν. ταῦτα ὑποθέμενος, διατείνεται μίαν εἶναι φύσιν τοῦ λόγου καὶ τῆς σαρκὸς, ὡς ἄτε τῆς σαρκὸς ἀτελοῦς οὔσης εἰς τὸ εἶναι ἄνθρωπον ὅλον, καὶ διὰ τοῦτο μηδὲ ἀξίας φύσεως προσαγορευθῆναι.

OPINIO APOLINARII.

Non ita multo interiectο tẽpore Apolinarius quidã, Laodiceæ, maritimæ vrbis Syriæ, antistes, alteri[*] vanissimæ opinionis dux & auctor fuit. Quũ enim Ariani carnẽ Domini dicerẽt animæ penitus expertẽ fuisse, Apolinarius iste dixit quidẽ Dominũ assumpsisse carnẽ anima vitali animatã, Mentẽ autẽ nostrã nequaquã admisisse. Carnẽ enim illã humana mente minimè indiguisse, à Deo Verbo qui ipsam induisset gubernatã, nec alteram facultatem intelligentem præter diuinam illam capere posse, quòd mens ipsa humana sustinere non possit cum præstantiore ac domino habitare. His ergo positis, vnicam esse Verbi & Carnis naturam dicit, quasi caro, vt quæ sit imperfecta, non sit homo totus, ac proinde naturę appellationem non mereatur.

ΔΟΞΑ ΘΕΟΔΩΡΟΥ
Μοψουεστίας.

Μετὰ τοῦτον δὲ τὸν Ἀπολινάριον εὐθέως αὖ φαίνεταί τις Θεόδωρος τῆς Μοψουεστίας πόλεως ἔτι λεγομένης ἐν τῇ γῇ τῶν Κιλίκων τὴν ἡγεμονίαν λαχών, ὃς ἐκ διαμέτρου τῷ Ἀπολιναρίῳ φερόμενος, ὕβρεις οὐ τὰς τυχούσας τολμηρᾷ ψυχῇ καὶ ἀφειδεῖ καρδίᾳ κατεχέε τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, ἄνθρωπον ἵνα τῶν καθ᾽ ἡμᾶς κοινὸν ἀποκαλῶν, καὶ ἐκ προκοπῆς λαβόντα τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ, Θεὸν ὀνομάζεσθαι. καὶ ἀπὸ τοῦ ἐν τῷ Ἰορδάνῃ βαπτίσματος ἀξιωθῆναι ἐν πρώτοις τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος δωρεᾶς, εἰς ὄνομα Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος βαπτισθέντα· τὸν δὲ Θεὸν λόγον διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν αὐτοῦ ἀρετὴν, κατ᾽ εὐδοκίαν ἐν αὐτῷ κατοικήσαντα, μεταδοῦναι αὐτῷ τῆς θείας ἀξίας, καὶ προσκυνήσεως εἰς ὕστερον μετὰ τὴν τελείωσιν. Ταῦτά τε καὶ ἕτερα πολλὰ δυσφημήσας τοιαῦτα, δύο φύσεις ἰδιοπεριορίστους φησὶν εἰδέναι ἐπὶ Χριστοῦ, σχέσει τινὶ, καὶ μόνον ἀλλήλαις ἡνωμένας. δευτέρα καὶ αὕτη πλάνη τοῦ μίαν φύσιν καὶ δύο φύσεις ἰδιοπεριορίστους μὴ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον ὁμολογεῖσθαι ἐν τῷ Χριστῷ.

OPINIO THEODORI
Mopsuestiensis.

POst hunc Apolinarium statim emersit Theodorus Mopsuestiæ, vrbis in Ciliců regione sic appellatę gubernationē sortitus, qui via Apolinario ea diametro cōtraria incedens, audacia quadā animi& cordis præfidētia nō vulgaribus cōtumeliis Christū Dominū perfudit, vt qui eum quępiā nostri similē & cōmunem hominē appellet, qui postea proficiens, accepta Dei gratia, sit Deus appellatus: & ex quo in Iordane baptizatus est, hac in primis dignitate sit affectus vt doni Spiritus sancti fieret particeps, baptizatus nimirum in Patris, Filii & Spiritus sancti nomen: Deū autē Verbū propter excellentē ipsius virtutē domicilio apud eum ea propensa quadā in eū voluntate delecto, participē ipsum diuinæ dignitatis, & adorationis tandem post perfectā consummationē, fecisse. Post deniq; ista & eiusmodi alia multa impiè dicta, duas in Christo naturas seorsum distinctas, habitudine quadā duntaxat inter se coniunctas agnoscit. Et hæc quidē altera est aberratio vnde cœpit illa vnius naturæ & duarū naturarū seorsim & per se distinctarū nō recta professio.

ΔΟΞΑ ΝΕΣΤΟΡΙΟΥ.

Μετὰ δὲ τούτους, γίνεταί τις Νεστόριος ὀνόματι, ὃς ὡρμᾶτο μὲν ἀπὸ Γερμανικείας τῆς ἐν Συρίᾳ, κληροῦται δὲ ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ παρὰ τὸν Ὀρόντην ποταμὸν, Κωνσταντινουπόλεως δὲ τὸν θρόνον λαμβάνει. οὗτος πάλιν τῇ φωνῇ τῶν δύο φύσεων τῶν ἐν Χριστῷ κακούργως ἀποκέχρηται, μιμούμενος Παύλῳ καὶ Θεοδώρῳ τοῖς ἑαυτοῦ προγόνοις. οὐ γὰρ ἵνα τὴν ἀλήθειαν τῆς κατὰ Χριστὸν θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος, καὶ τὴν τούτων ἄτρεψιν, καὶ ἀναλλοίωσιν, καὶ ἀσυγχυσίαν σημάνῃ, τὸν ἀριθμὸν τῶν δύο καταφάσκει φύσεων, ἀλλ᾽ ἵνα δύο πρόσωπα δι᾽ αὐτοῦ τοῦ δυϊκοῦ ἀριθμοῦ δολερῶς ὑπαινίξηται· τὴν τῶν φύσεων κλῆσιν ἀντὶ τῶν προσώπων λαμβάνων, κακούργως ὡς ἀληθῶς καὶ κακοήθως, τῇ παρρησιασθείσῃ προσωνυμίᾳ τῶν φύσεων, τὸ ἀπηγορευμένον τῶν προσώπων εἰσάγων· ὥστε ἄλλον εἶναι παρ᾽ αὐτῷ τὸν Χριστὸν, καὶ ἄλλον τὸν Θεὸν λόγον κατὰ τὴν πατρῴαν αὐτοῦ πλάνην. υἱὸς γὰρ ἦν τοῦ Κίλικος, τοῦ δὲ Σαμοσατέως ἀπόγονος. καὶ διὰ τοῦτο πρὸς τὴν σεμνὴν παρθένον ἄσπονδον ἤρατο πόλεμον, μὴ δυσωπηθεὶς τὴν θεομήτορα καὶ ἁγνὴν Μαρίαν ὡς δεσπότου μητέρα, ἀλλ᾽ ὡς δοῦλος τραχηλιαστὴς καὶ ἀναίσχυντος ἀρνούμενος τὸν ἑαυτοῦ Κύριον, καὶ ἀτιμάζων τὴν ἐκείνου μητέρα· βασκαίνων οὐ τοσοῦτον αὐτῇ τῆς θεοτόκου προσηγορίας, ὅσον τῆς θεότητος τῷ ἐξ αὐτῆς γεννηθέντι. οὗτος μὲν οὖν ὁ Νεστόριος, τρίτος προστάτης τῆς Ἰουδαϊκῆς ταύτης αἱρέσεως γεγονὼς, εἰς ἑαυτὸν αὐτὴν περιέσπασεν.

OPINIO NESTORII.

POst hos ortus est Nestorius quidā oomine qni Germanicia Syriæ oppido proruens, indéque Antiochiæ ad Orontem in clerum allectus, Constantinopolis thronum est conseququtus. Is rursum duarum naturarū appellatione malignè abusus est, Paulum & Theodorum maiores suos imitatus. Neque enim idcirco duarum naturarum numerum asserit, vt veritatē in Christo Deitatis ac humanitatis, easdémque immutatas & immanētes ac incōfusas significet, verùm vt duas personas ipso binario numero fraudulenter subinnuat: Naturarum appellatione vice personarum malitiosè profectò vsurpata, ac peruersè nouato Naturarum per licentiam vocabulo, id introducens quod de personis sentire nefarium est: adeò vt Alius sit apud eum Christus, & Alius Deus Verbum, accepto à maioribus errore. Filius enim fuit Cilicis illius, Samosateni verò nepos. Itaque aduersus venerandam virginem irreconciliabile bellum suscepit, Mariam vt purā illam Dei matrem minimè reueritus, sed vt seruus ceruicosus & impudens Dominum suum abnegans, & eius matrem aspernans, nec tam illi Deiparæ quàm ei qui ea ipsa natus est Deitatis nomen inuidens. Hic ille est igitur Nestorius qui tertius istius hæresis Iudaicæ factus propugnator eam in semetipsum deriuauit.

ΔΟΞΑ ΕΥΤΥΧΟΥΣ.

Τῆς δὲ ἀντιθέτου μοίρας, τῆς κατὰ Μάνην καὶ Ἀπολινάριον, τρίτος πάλιν προμαχιστὴς ὁ Εὐτυχὴς ἀναφαίνεται, ὃς ἦν ἡγούμενος μοναστηρίου ἑνὸς τῶν περὶ τὸ Βυζάντιον. οὗτος γὰρ μὴ ἀνεχόμενος ὁμοούσιον ἡμῖν καὶ ὁμοφυῆ τὴν σάρκα τοῦ Κυρίου ὁμολογεῖν, τὰς δύο φύσεις ἀπηρνήσατο σώζεσθαι λέγειν ἐν τῷ Χριστῷ μετὰ τὴν τούτων ἕνωσίν τε καὶ συμφυΐαν· οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ τερατώδη τινὰ καὶ ἀλλόκοτα ἔπλαττεν, ἐξ οὐρανοῦ λέγων κατενεχθῆναι τοῦ Κυρίου τὸ σῶμα, καὶ ὡς διὰ σωλῆνος τῆς παρθένου παραδραμεῖν τὸν Θεὸν λόγον οὐρανόθεν, σῶμα ἐνδεδυμένον, ἵνα δόξῃ δῆθεν γεγεννῆσθαι ἐκ γυναικὸς, καὶ οὐ μέντοι γεγεννημένος. Μανιχαῖος ὁ λόγος οὗτος, καὶ τερατευσάμενος πολλῷ μᾶλλον ἐκείνου. καὶ οὗτος οὖν μίαν φύσιν τὸν Χριστὸν διεστραμμένῃ καρδίᾳ ἐπρέσβευσεν.

OPINIO EUTYCHIS.

ADuersariæ factioois quæ authores habet Manem & Apolinarium tertius defensor Eutyches prodiit, monasterii cuiusdā propè Byzantium præsul. Hic enim minimè sustinens carnem Domini nobis coëssentialem ac connaturalē profiteri, duas naturas inficiatus est in Christo post earum vnitionem & coexistētiam saluas manere. Neque id duntaxat, sed alia præterea mōnstrosa quædam ac peregrina confinxit, nempe Domini corpus cælitus fuisse delatum, & Deum Verbū quasi per Virginis canalem demissum cælitus accurrisse, corpore indutū, vt videretur ex muliere genitus qui tamē ne genitus quidē sit: qui sermo est Manentis, ac magis etiā quàm illius errores commentitius. Fuit igitur & iste author, ex quadā cordis peruersitate, vnius naturæ Christo tribuendæ.

ECCLE-

ΟΡΟΣ ΤΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ.

Τῶν οὖν δύο μερῶν τούτων, τοῦ τε κατὰ Μάνεντα, καὶ Ἀπολινάριον, καὶ Εὐτυχέα, καὶ τοῦ κατὰ Παῦλον, καὶ Θεόδωρον, καὶ Νεστόριον, τῶν μὲν μίαν φύσιν, τῶν δὲ δύο φύσεις ἐξ ἐναντίας ἀλλήλοιν τὸν δεσπότην Χριστὸν ἀμαθῶς εἰρηκότων, τὰς ἐφ' ἑκάτερα χαλεπὰς μεταβολὰς καὶ δυσσεβεῖς παρεκκλίσεις ἀποσειομένη ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, μέσην ἀμφοτέρων βαδίζουσα τῇ βασιλικῇ πορευομένη, μήτ' ἐγκλίνουσα εἰς τὰ δοκοῦντα δεξιά, μήτε εἰς τὰ περιφανῆ ἀριστερά. κατὰ γὰρ Μάνεντα, καὶ Ἀπολινάριον, καὶ Εὐτυχέα, μίαν φύσιν ἁπλῶς ἐπὶ Χριστοῦ λέγειν οὐ παραδέχεται, ἀλλὰ μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην· διὰ τῆς προσθήκης τοῦ σεσαρκωμένην δηλοῦσα τὴν φύσιν τῆς ἀνθρωπότητος, ἣν ἡ φύσις τοῦ Θεοῦ λόγου προσλαμβανομένη, ἅμα τε καὶ σὺν ταύτῃ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς γέγονεν αὐτῇ δὲ ἡ τοῦ Θεοῦ λόγου φύσις οὐδὲ ἑτέρα παρ' ἑαυτὴν καὶ τῶν κατ' αὐτὴν θεοπρεπῶν ἀξιωμάτων ἠλλοίωτο, εἰ καὶ ἐν προσλήψει σαρκὸς γέγονε, σαρκὸς δὲ οὐχ ἁπλῶς (τοῦτο γὰρ Ἀρειανικόν) ἀλλὰ σαρκὸς ἐμψυχωμένης, καὶ οὐχ ἐμψυχωμένης μόνον (πάλιν γὰρ Ἀπολιναρίου καὶ τοῦτο) ἀλλ' ἐμψυχωμένης ψυχῇ νοερᾷ καὶ λογικῇ. οὐδὲ μὴν τὴν ἀνθρώπου φύσιν, ἧς ἐν προσλήψει γέγονεν, εἰς ἑαυτὴν ἀνέχεεν, ἢ αὐτὴν ἐκείνην ἠλλοίωσεν ἔξω τοῦ κατὰ τὸν φυσικὸν αὐτῆς καὶ οὐσιώδη ὅρον καὶ λόγον. οὐδὲ ὡς κηρὸν πῦρ ταύτην ἐξεδαπάνησεν· ὥστε τὸν ὅρον ὅλον ταῦτα δηλοῦντα, οὑτωσὶ λέγεσθαι πρὸς τῶν εὐσεβῶν, Μία φύσις τοῦ Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένη, σαρκὶ ἐμψυχωμένῃ ψυχῇ νοερᾷ καὶ λογικῇ. πάλιν δὲ κατὰ Παῦλον, καὶ Θεόδωρον, καὶ Νεστόριον δύο φύσεις ἁπλῶς ἐπὶ Χριστοῦ λέγειν ἀποδεδοκίμακεν ὁ λόγος ὁ ἐκκλησιαστικός, ἀλλὰ δύο φύσεις οὐσιωδῶς ἡνωμένας· διὰ τῆς ἐπαγωγῆς ταύτης ἀποβάλλων πᾶσαν διαιρετικὴν ἔννοιαν, καὶ τὸν καθ' ὁπωσοῦν ἐπιχειροῦντα διαζευγνύναι τὴν ὄντως ὑπερφυᾶ καὶ θαυμασίαν ἕνωσιν· καὶ οὐ μόνον δύο φύσεις οὐσιωδῶς ἡνωμένας, ἀλλὰ καὶ ἑνώσει τῇ καθ' ὑπόστασιν, ἀδιασπάστως ἅμα καὶ ἀσυγχύτως σημαίνων.

ECCLESIÆ DEFINITIO.

ADuersantibus igitur sibi partibus istis, quarum vna est Mauētis, Apolinarii & Eutychis: altera verò Pauli, Theodori & Nestorii, quorū illi Christi Domini vnicā esse naturā, isti cōtrà duas esse naturas imperitè dixerūt, Ecclesia pessimū istud in alterutrā partem diuerticulum, & impias deflexiones respuens, inter vtrasque regiam viam tenens incedit, neque in eā quæ dextra videtur, neque in eā quæ manifestè sinistra est declinans. Neque enim Manētē & Apolinariū & Eutychē secuta, admittit vt vnicam naturā simpliciter in Christo dicamus, sed vnicā Dei verbi naturam incarnatā: huius vocis, *Incarnatam*, adiectione naturā humanitatis declarans, quā natura Dei Verbi assumēs, vnâ & simul cum ipsa Dominus Christus Iesus extitit: quæ quidē Dei Verbi natura quāuis carnem assumpserit, carnem, inquā, non simpliciter (hoc enim Arianorū est) sed carnem anima præditam, neque anima præditā duntaxat (rursum enim hoc fuerit Apolinarii) sed anima intelligente & ratiocināte præditā: tamē neque in sese neque in iis quæ Deitati sese suprà omnia efferenti meritò cōueniūt, immutata est: neque etiā hominis naturam, quum eā assumeret, in seipsam refudit, aut illam ipsam immutauit extra id quod fert naturalis & essentialis ipsius definitio: neque illā vt ignis cerā solet, consumpsit. Itaque hæc omnia significās Ecclesiæ determinatio his verbis à piis exprimitur, *Vnica est Dei Verbi natura incarnata, carne anima intelligente & ratiocinante prædita.* Rursum verò Ecclesia minimè probat vt ex Pauli, & Theodori & Nestorii sententia duas in Christo naturas simpliciter dicamus, sed duas naturas *Essentialiter vnitas*: qua adiectione omnē eū sensum quo naturæ dirimuntur, & quotcunque verè excellentem & admirabilem hāc vnitionem disiungere aggrediūtur, repudiat: duásque naturas significat nō modò essentialiter vnitas, sed etiam ea vnitione quæ vnicam hypostasin citra vllam diuulsionem & confusionem efficit.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ ΤΟΥ ΟΡΟΥ.

Ὁ δὲ τοιοῦτος ὅρος, διὰ μὲν τοῦ λέγειν δύο φύσεις, σημαίνει τὸ ἑτερογενὲς καὶ ἑτερούσιον τῶν συνελθουσῶν δύο φύσεων, τῆς τε προσλαβούσης θεότητος, καὶ τῆς προσληφθείσης ἀνθρωπότητος. διὰ δὲ τοῦ λέγειν οὐσιωδῶς ἡνωμένας, σημαίνει τὸ μὴ κατ' εὐδοκίαν ἢ ἑτέραν τινὰ σχετικὴν ἕνωσιν νοεῖσθαι τὴν τῶν δύο φύσεων ἕνωσιν, ἀλλ' αὐτῇ τῇ οὐσίᾳ καὶ ὑποκειμένῳ καὶ πράγματι συνυφεστάναι ταύτας, καὶ συντεθεῖσθαι. διὰ δὲ τοῦ λέγειν, ἑνώσει τῇ καθ' ὑπόστασιν, σημαίνει τὸ μὴ προτέραν διαπεπλάσθαι τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ οὕτως αὐτῇ ἐνδεδυκέναι τὴν θεότητα, ἀλλ' ὅτι κατ' αὐτὸ τὸ ὑφίστασθαι τὴν πρώτην ἀρχήν, ἥνωται τῇ θεότητι. διὰ δὲ τοῦ ἐπάγειν ἀδιασπάστως ἅμα καὶ ἀσυγχύτως, σημαίνει μὴ καινοτομεῖσθαι τὰς συνελθούσας φύσεις διὰ τῆς ἑνότητος· ἀλλὰ καὶ τὴν ἕνωσιν τούτων ἀεί τε καὶ ὡσαύτως διαπεφυλάχθαι, καὶ ἑκατέραν τῶν φύσεων μένειν ἀμεταβλήτως ἐπὶ τῷ οὐσιώδει αὐτῆς ὅρῳ καὶ λόγῳ. ταῖς οὖν τοιαύταις ἀντιπαρατάσσων ἐπαγωγαῖς, τοὺς ἐξ ἑκατέρου μέρους ἀποπεσόντας μακρὰν ἀποπέμπεται ὁ λόγος τῆς ἐκκλησίας, καὶ τοῖς συκοφαντεῖν ἐθέλουσι τὴν ἀλήθειαν χώραν οὐ δίδωσιν. εἰ μὲν γάρ τις φιλοδιαιρέτως διὰ τῆς τῶν δύο φύσεων ὁμολογίας, δύο ὑποστάσεις ἤγουν πρόσωπα συναγαγεῖν ἐπιχειροίη, ἐλέγχεται μὲν καὶ ταῖς προλεχθείσαις ἐπαγωγαῖς, πολλῷ δὲ μᾶλλον τῷ ἑτέρῳ τῶν ὅρων διελέγχεται, καὶ μάλα ῥᾳδίως· φημὶ δὲ τῷ Μία φύσις τοῦ Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένη

EXPLICATIO DEFINITIONIS.

HÆc definitio quum duas naturas exprimit significat diuersum genus, diuersámque essentiā duarum illarum quæ conuenerunt naturarū, Deitatis videlicet assumētis & humanitatis assumptæ. Quum inquit essentialiter vnitas, significat istam duarū naturarū vnitionē, minimè sic intelligēdam esse quasi significetur quædam vnius in alteram propēsa volūtas, aut alia quæpiam inter eas habitudo, sed ipsâmet substātia, subiectóque ipso ac reipsa istas naturas simul hypostasin cōstituisse, & compositas fuisse. Quū ait vnitione hypostatica vnitas, significat non prius factā fuisse humanitatem, quā postea subierit Deitas, sed humanitatem eo ipso momēto quo primùm substitit, vnitam fuisse Deitati. Quum autem subiicit, *Citra diuulsionem simul & confusionem*, significat ipsas naturas postquàm cōuenerunt, nō esse hac vnitione innouatas, sed tum earū vnitionem semper eodémque modo se habētem perseuerasse, tum vtrāque naturam absq; vlla immutatione in eadē essentiali definitione ac ratione permanere. Istiusmodi verò adiectionibus aduersus omnes insidiationes cōparatis, hæc Ecclesiæ oratio facessere illos iubet qui alterutrā in partē à vero exciderunt, nec vllū iis locū relinquit qui veritatē calūniari velint. Si quis enim diuisionis amās, cōetur ex ista duarū personarū cōfessione duas hypostases siue personas colligere, nō parū quidē ex iis quas diximus adiectionibus, sed multo etiā magis ex altera definitionū illarū valde facilè redarguitur, ista videlicet qua dicitur vna esse natura Dei Ver-

Οὗτος γὰρ ὁ ὅρος ἐναργῶς παρίστησιν ὡς οὐκ ἄν ποτε ἐν ὑποστάσει γενομένην τὴν τοῦ Χριστοῦ ἀνθρωπότητα, εἰ μὴ ἡ τοῦ Λόγου θεία φύσις ὑποδῦσα τὴν παρθενικὴν νηδὺν, ἐξ αὐτῆς ἀρρήτῳ λόγῳ ταύτην ἑαυτῇ προσεμόρφου καὶ προσανέπλαττεν· ὥστε μηδὲ αὐτὰς τὰς πρώτας τῆς ζωοπλαστίας ἀρχὰς ἐσχηκέναι τὴν προσληφθεῖσαν φύσιν ἄνευ τῆς οὐσιώδους καὶ φυσικῆς ἐμφυλοχωρήσεως τῆς προσλαμβανομένης αὐτὴν Θεοῦ Λόγου φύσεως. Καὶ τί λέγω τὰς τῆς ζωοπλαστίας ἀρχάς, ὅπου γε οὐδ' ἂν αὐτὴ ἡ μακαρία παρθένος ὑπὲρ τὸν ὅρον τῆς φύσεως γόνιμον ἔλαβε δύναμιν εἰς τὸ τεκνῶσαι, μὴ διὰ τῆς ἐνδημίας τοῦ Λόγου εἰς τοῦτο παρασκευασθεῖσα; πῶς οὖν αὐτὴ ἡ ἐν Χριστῷ ἀνθρωπότης ἐν ἰδιαζούσῃ ὑποστάσει καθ' ἑαυτὴν οὔποτε γενομένη, ἀλλ' ἐν τῷ προσλαβομένῳ αὐτὴν Θεῷ Λόγῳ τὸ εἶναί τε καὶ ὑφεστάναι λαχοῦσα, ὑπόστασις ἂν λεχθείη ποτὲ, ἢ πρόσωπον ἰδιοσύστατον καθ' ἑαυτὸ, καὶ ἀνὰ μέρος γνωριζόμενον; ἔχει ἠλίθιον ὄντως καὶ μάταιον τὸ ταῦτα συνομολογεῖν, καὶ δύο ὑποστάσεις ἢ πρόσωπα ζητεῖν ἐπὶ τοῦ τοιούτου ἀποτελέσματος· εἰ μή τις ἄρα τοῖς χείλεσι μὲν τιμᾷ, καὶ ἀσπάζεται ταῦτα, ἡ δὲ καρδία αὐτοῦ πόρρω ἀπέχει ἀπ' αὐτῶν. ὥστε εἴ τις γνησίως καὶ ἐκκλησιαστικῶς ὁμολογεῖν ἐθέλει τὰς ἐν Χριστῷ δύο φύσεις, καὶ τὸ, μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη, ὑπτίαις χερσὶ καὶ ὁλοκλήρῳ καρδίᾳ καταδεξάσθω, ὡς τὰ προειρημένα δηλοῖ. εἰ δὲ συγχεῖν ἡμᾶς διὰ τοῦτο νομίζει τὴν θείαν οἰκονομίαν, ὡς τὸ σεσαρκωμένον καὶ ἄλλως τοῖς ἐπιλέγουσι δυνάμενον, οὐδὲ τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον λαβὼν τὴν ἐπαγωγὴν, τὴν σαρκὶ ἐμψυχωμένην, ψυχῇ νοερᾷ καὶ λογικῇ, παυσάσθω λοιπὸν τὰ αὐτὸν φαντάζεσθαι προφάσεις ἐν ἀκαιρίαις. ἔστι δὲ ὃ λέγω. Τὸ σεσαρκωμένην, (φήσει τις) δύναται καὶ τῇ μιᾷ φύσει προσκεῖσθαι, καὶ ἑτέραν φύσιν ταύτῃ μὴ ἐπεισάγειν, τροπὴν δέ τινα ἤτοι μεταβολὴν ταύτης σημαίνειν, ὡς ὅταν λέγομεν τὸν κρύσταλλον φύσιν ὕδατος εἶναι κεκρυσταλλωμένην. ἰδοὺ γὰρ τὴν φύσιν τοῦ ὕδατος μίαν εἰδότες, καὶ τὸ Κεκρυσταλλωμένην ταύτῃ ἐπάγοντες, ἑτέραν φύσιν διὰ τῆς τοιαύτης σημασίας οὐ προσηγάγομεν, μόνον δὲ πῆξίν τινα περὶ αὐτὴν γενομένην ἐνοήσαμεν, διὰ τῆς Κεκρυσταλλωμένην φωνῆς. πρὸς τοῦτο δὲ φαμὲν, ὅτι ἐπὶ τῶν τοιούτων ἀποτελεσμάτων οὐκ ἀναδιπλασιάζονται αἱ τοιαῦται φωναί. ὁ δὲ ἀναδιπλασιασμὸς ἐνταῦθα σημαντικὸς φύσεως ἑτέρας ποιεῖται· οἷον, οὐ δυνάμεθα λέγειν ὕδατος φύσιν κεκρυσταλλωμένην κρυστάλλῳ, ἐπεὶ ἂν ἤτοι σημαίνοιμεν ἂν ἕτερον εἶναι τὴν τοῦ ὕδατος φύσιν, καὶ ἑτέραν τὴν τοῦ κρυστάλλου· ὥσπερ ὅταν λέγομεν ξύλον κεχρυσωμένον χρυσῷ. διὰ γὰρ τοῦ ἀναδιπλασιασμοῦ τούτου ἐνοήσαμεν ἄλλο τι εἶναι τὸ ξύλον, καὶ ἄλλο τὸν χρυσόν. οὕτως οὖν ἐνταῦθα ὅταν εἴπωμεν μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, ἄλλο τι εἶναι τὴν θεότητα καὶ ἄλλο τι τὴν σαρκὸς φύσιν ἐναργῶς ἀποσημαίνομεν· καὶ ὅτι μὴ αὐτὴ ἡ θεότης εἰς σάρκα μεταπεποίηται, ἀλλὰ μένουσα ὅπερ ἦν, διὰ τοῦ καταπετάσματος (τουτέστι τῆς προσληφθείσης ὑπ' αὐτῆς σαρκὸς) ἡμῖν πεφανέρωται. ἐντελῶς ἄρα καὶ ἡ τοιαύτη ἔννοια διὰ τοῦ ἀναδιπλασιασμοῦ ἀποδίδοται. τούτου εἰ δέ τις πάλιν ἀναχυτικὸς καὶ συμφύρτης προσίεται μὲν τὸν τοιοῦτον ὅρον, ὡς συντρέχοντα δὲ τῷ αὐτοῦ δυσσεβήματι, μάλιστα μὲν καὶ αἱ προλεχθεῖσαι ἐπαγωγαὶ ὡς πορρωτάτω τὴν αὐτοῦ κακόνοιαν ἀποσείονται· πολλῷ δὲ μᾶλλον ὁ ἕτερος ὅρος, ὁ τὸν Χριστὸν ἐν δύο φύσεσι γνωρίζεσθαι ἀναγγέλλων, καὶ λαθρακακουργήματα αὐτοῦ ἀπελέγχων. οὗτος γὰρ ὁ ὅρος διαρρήδην βοᾷ, τὸ ἑδραῖον καὶ ἀνυπέρβατον τὴν θατέρας φύσεως ἰδιότητα κατὰ τὴν ἕνωσιν μεμενηκέναι, ὥστε ῥᾳδίως διαγινώσκειν δύνασθαι τὸ ἴδιον ἑκάστου τῶν συνελθόντων, καὶ τί τὸ ἀπ' οἰκείων ἕκαστον ἀλλήλοις παρέχον τὰ παρὰ τοῦ συναρεσθέντος καὶ συγκειμένου ἀντικομίζεται. Τοῦτο

bi incarnata. Hæc enim definitio euidẽter ostẽdit Christi humanitatẽ, nũquã in hypostasi extiturã fuisse, nisi Dei Verbi diuina natura vterũ virgineũ subingressa, ex ipsa virgine ineffabili quadã ratione sibi eam efformasset atque effinxisset. adeò vt ne prima quidẽ ipsa animationis principia natura hęc assumpta habitura fuerit, absque Diuinæ illius Dei Verbi naturæ illã assumentis essentiali & naturali insinuatione. Et quorsum ego animationis principia dico, quum ne ipsa quidẽ beata Virgo vim illã præter naturæ suas leges generandi habitura fuerit vt filium pareret, nisi ad hoc ipsum à Verbo eã incolẽte fuisset excitata? Quînam tandẽ igitur Christi humanitas quæ propria hypostasi per se nunquam extitit, sed cui demum in Deo Verbo à quo assumpta est contigit vt esset ac subsisteret, hypostasis dicatur: aut personam habuerit proprię per se subsistẽtẽ, & quæ sigillatim agnosci possit? Stultũ certè ac vanũ est ista simul fateri, & duas hypostases sine personas in eiusmodi effecto quærere: nisi siquis fortè labris quidẽ hæc habet in pretio & amplectitur, cor autẽ ipsius ab iis lõgè dissidet. Siquis est igitur qui syncerè & Ecclesiæ more velit duas naturas confiteri, expãsis quoq; manibus & integro corde illud, Vna est Dei Verbi natura incarnata, recipiat, sicut antecedentia demonstrant. Quod siquis propterea nos existimat diuinã œconomiam cõfundere, quasi *incarnatum esse*, posset etiã aliter intelligi, illa videlicet adiectione, *Carne animata, anima intelligẽte & rationis participe*, aliter accepta quàm pietati consentanea oratio postulet: desinat deinceps iis in quibus pereat quærere quod prætexat. Eiusmodi autem est, quod dictũ volo. Voces istę, *Incarnatam esse Deitatẽ* (dicet aliquis) possunt vni & singulari naturæ cõuenire, absque eo vt alterã naturam ei suprinducat, ita nempe vt conuersionem istius siue mutationẽ quãdã significet, quemadmodum Glaciem esse dicimus Naturã aquæ cõglaciatam. Ecce enim vnicã naturæ aquam quũ agnoscamus & hoc ei adiiciamus Quòd sit conglaciata, minimè tamen alterã naturã ei adiunctam fuisse significamus, sed ista conglaciationis voce cõpactionẽ quandam in ea factam intelligimus. Ad hoc autẽ respõdemus, in eiusmodi effectis, nullum geminationi locũ esse. Atqui ista geminatio alterã naturam declarat. Exempli gratia. Dicere non possumus aquæ naturam esse cum glacie cõglaciatã, quoniam ita significaremus aliud esse aquæ naturã, aliud glaciem, quemadmodum quum lignum inauratum auro esse dicimus. Etenim ista geminatione, intellectũ volumus, aliud esse lignũ, aliud aurum. Sic igitur in hoc argumento, quũ vnicam Dei Verbi naturã incarnatam esse dicimus, aliud esse Deitatẽ, aliud esse Carnis naturã perspicuè significamus, neque ipsam Deitatẽ in carnem esse conuersam, sed id esse quod erat perseuerãtẽ, hoc interueniente velo (id est, carne quam assumpsit) nobis aspectabilem factã esse. Hac igitur geminatione omnino huiusmodi sententia exprimitur. Quòd siquis è cõtrario conflator & coagmentator, hãc quidẽ Ecclesiæ determinationẽ, sed vt suæ impietati fauentẽ admittat, tum aliæ quas antè diximus adiectiones quãlongissime quod iste peruersè sentit, repellunt: tũ verò vel maximè altera hęc determinatio, quæ Christũ declarat duabus naturis dignosci, istiusmodi hominis clandestinos malos conatus redarguit. Ista enim definitio disertè clamat tum huius tum illius naturæ proprietatem firmam & nunquam extra suos limites progressam in hac etiam ipsa vnitione mansisse, vt facile sit dignoscere, quid sit singulorum quæ coierunt proprium, & quid de suo alterum alteri præbens, quænam vicissim ab eo reportet, quîcum simul subsistit & compositum est. Hæc autem

est

δὲ διηρθρωμένως ὄντως καὶ καθαρωτάτης ἑνώσεως, τό τε κατὰ τὸ συναμφοτέρου, καὶ τὰ ἴδια ἑκάστου τῶν συντρεχόντων ἐμφαίνειν. οὐ γὰρ μὴ ἰδιότης πρότερον γνωσθείη, οὐδ' ἂν ὁ κοινωνὸς ἐπιγνωσθήσεται. πῶς γὰρ ἂν τινι κοινωνία φανήσεται, μὴ ἕκαστος ἑκάστου τῶν κοινωνούντων ἴδιόν τι ἔχοντος ἦ τινος. ἴδιον δὲ τῆς προσλαβομένης Θεοῦ λόγου φύσεως, τὸ εἶναι υἱὸν Θεοῦ· ἴδιον τῆς προσληφθείσης ἀνθρώπου φύσεως, τὸ εἶναι υἱὸν ἀνθρώπου. κεκραμένων οὖν τῶν τοιούτων φύσεων, καὶ περιχωρησάντων εἰς ἀλλήλας τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας καὶ τῆς ἑνώσεως, κεκρᾶνται καὶ περιχωροῦσιν εἰς ἀλλήλας ὡσαύτως αἱ κλήσεις, καὶ γίνεται ἀμφότερα, εἷς υἱὸς Θεοῦ τε ὁμοῦ καὶ ἀνθρώπου, τοῦ τε πατρὸς, καὶ τῆς παρθένου μητρός. οἷον, Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος· καὶ, Ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ γενόμενον ἐκ γυναικός. ἄρα οὖν ἀμεμφὴς ὁ ἐκκλησιαστικὸς λόγος διὰ μὲν τὸ ἕνα λέγειν Ἰησοῦν Χριστὸν, Θεόν τε ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπον, δύο φύσεις τὸν αὐτὸν ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἀπαγγέλλων. τὸ γὰρ Θεὸς, φύσεως ὄνομα, καὶ τὸ ἄνθρωπος, ὡσαύτως φύσεως ὄνομα. ἐπειδὴ οὖν ὁ αὐτὸς, Θεός ἐστι καὶ ἄνθρωπος, διὰ τοῦτο δύο φύσεις εἶναι καὶ ὁ αὐτὸς ὁμολογεῖται Κύριος. πάλιν δὲ διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἕνα υἱὸν τοῦ τε Θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ τῆς παρθένου μητρὸς· τὸ δὲ υἱὸς ὄνομα ὑποστάσεως ὑπάρχει σημαντικὸν, καὶ οὐ φύσεως· διὰ τοῦτο καὶ μίαν ὑπόστασιν τό, τε θεῖον ὁμοῦ καὶ ἀνθρώπινον, ὁ Χριστὸς, πρὸς τὴν συνδεόμενον δοξάζεται. Μίαν οὖν ὑπόστασιν καὶ δύο φύσεις προσβάλλων ὁ λόγος τῆς ἐκκλησίας, μέσην τινὰ ὁδὸν πορεύεται· οὔτε διὰ τὴν ἕνωσιν Μανιχαίοις, καὶ τὰς φύσεις φύσιν ἀναπλάττων, οὔτε διὰ τὴν διαίρεσιν τὴν κατ' ἐπίνοιαν τῶν ἡνωμένων φύσεων, Παυλιανίζων, καὶ τὴν ὑπόστασιν ὑποστάσεις ποιῶν· ὅτι μὴ ἀνὰ μέρος ἐν τῷ ἑκάτερον ποιεῖται, ὅ, τ' ἂν διαίρεσιν χωρὶς τῆς ἑνώσεως, ἢ τὴν ἕνωσιν χωρὶς τῆς διαιρέσεως, ἀλλ' ἅμα, καὶ μετ' ἀλλήλων. συναφέας γὰρ διαιρεῖ, μίαν μὲν ὑπόστασιν λέγων, φύσεις δὲ δύο· καὶ διακεκριμένας συνάπτει, δύο μὲν φύσεις λέγων, ὑπόστασιν δὲ μίαν ἐναντίον τῆς ἀθεολογίας, κατὰ τὸν μέγαν Γρηγόριον. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ταῖς ὑποστάσεσι διαιροῦντες, ἑνοῦσι τῇ φύσει· ἐν ταύτῃ δὲ, τῇ ὑποστάσει ἑνίζων, διακρίνει ταῖς φύσεσιν. ἐκεῖ μὲν γὰρ ὑποστάσεις διάφοροι, φύσις δὲ, ἡ αὐτή· ἐνταῦθα δὲ, φύσεις μὲν διάφοροι, ὑπόστασις δὲ, ἡ αὐτή. εἴ τις οὖν κατὰ τὸν νοῦν τῆς ἐκκλησίας ἐκλαμβάνεται τὸ μίαν τοῦ Θεοῦ λόγου φύσιν σεσαρκωμένην, ἀσπασίως καταδέξασθαι καὶ τὸ δύο φύσεις οὐσιωδῶς ἡνωμένας λέγειν ἐν τῷ Χριστῷ· εἰ γὰρ ἐπὶ παραστάσει καὶ σημασίᾳ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, μετὰ τὸ εἰπεῖν μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ λόγου, ἐπάγεται τὸ σεσαρκωμένην, τίνι λόγῳ λοιπὸν ἀνανεύεται τὸ δύο φύσεις ὁμολογεῖν, μίαν μὲν τὴν τοῦ Θεοῦ λόγου, ἑτέραν δὲ, τὴν ἀνθρωπίνην, ἣν αὐτὸς διὰ τῆς σεσαρκωμένην λέξεως ἀπαγγέλλειν διισχυρίζεται. ἃ γὰρ ὁμολογεῖ, καὶ ἀριθμείτω, κατὰ τὸν μέγαν Βασίλειον. εἰ δὲ αἰτιᾶται τὸν δύο ἀριθμὸν ὡς διχαστικόν τινα καὶ διαιρετικὸν, γινωσκέτω μὴ εὔλογον εἶναι τὴν τοιαύτην παραίτησιν· εἰ μὲν γὰρ (ὡς καὶ ἀνωτέρω εἴρηται) εἰπὼν ὁ ὅρος δύο φύσεις ἁπλῶς ἐν τῷ Χριστῷ γινώσκειν, καὶ μηδὲν ἕτερον προσεπιφέρων ἀπεσιώπα, χώραν ἴσως ἐδίδου ταῖς τοιαύταις ὑπονοίαις, ὡς μήπου τὴν ἑαυτοῦ ἔννοιαν σαφῶς παραστήσας, ὅπως οἶδε τὰς τοιαύτας δύο φύσεις ἔχειν πρὸς ἑαυτάς. εἰ δὲ ἐπάγει τὸ ἡνωμένας, καὶ πρὸς τούτοις τὴν μίαν κηρύττει ὑπόστασιν, οὐδὲ ἐθέλοντι τινὶ συκοφαντίας τόπον παρέχεται. δέδεικται οὖν ἐκ παντὸς ὅτι ταυτὸν ἀμφοτέρους τοὺς ὁρισμοὺς τούτους τὸ βούλεσθαι, καὶ ὁ ἕτερος τοῦ ἑτέρου ἑρμηνευτικὸς μᾶλλον, ἢ ἐκ ἐναντίας ὑπάρχει. καὶ ταῦτα μὲν ὡς ἐν προεισαγωγῆς εἴδει λελέχθω ἡμῖν. ὁ δ' οὖν ὁ λόγος ὁρμώμενος διηγεῖται, ὅτι τῆς ἐκκλησίας παραχωρ-

est verè suis velut articulis distinctæ & purissimæ vnitionis dignoscendæ ratio, si quis tū vtriusque cōplexim communia, tum singulorū quæ cohærent propria ostenderit. Nisi enim priore loco quod propriū est noscatur, ne id quidē quod commune est cognosci poterit. Quînā enim sit aliquorū communio, nisi singula quæ coeunt proprium quippiam habeant? Hoc verò sic cōsidera: Filium Dei esse, proprium est nsturæ Dei Verbi humanā assumētis: humanæ verò assumptæ naturæ, Filiū esse hominis. Cōtemperatis igitur istis oaturis & ratiooe istius coalitionis ac vnitioois mutuò in sese recurrentibus istis naturis, cōtēperantur quoque similiter, & mutuò io sese recurrūt ipsæ ab illis desumptæ appellationes, & vtraq; cōiūcta, fiunt vnus Filius Dei simul & hominis: Cuiusmodi est, Tu es Christus Filius Dei viuētis, Et, Misit Deus filiū suū factū ex muliere. Caret igitur omni reprehēsione quod dicit Ecclesia, per id quidē quod vnicū esse pronūtiat Iesum Christū Deū simul & homioē, pronūtiās duas naturas esse huoc ipsum vnicū Dominū Iesum Christū, quoniā Deus est nsturæ nomē, itēq; homo naturæ nomē. Quandoquidem igitur idē est Deus & homo, ideò duas naturas esse vnicum & eundē Dominum cōfitemur. Et rursum, quoniā ipse est vnicus Filius Dei Patris, & Virginis matris, Filii autem oomen hypostasin declarat non naturā: propterea, tū id quod diuinum est, tū id quod est humanum, simul cōiuncta vnicā esse hypostasio piè sentimus. Itaque vnicā hypostasin & duas naturas pronuntiās Ecclesia, media quadā via incedit, neque propter vnitionem Manichæis fauens & ex naturis naturā effingens: neq; propter distinctionē quæ io ipsis naturis vnitis intelligitur Samosatenizās, & ex hypostasi faciēs hypostases. Quoniā videlicet oeutrūuis sigillatim, id est, neq; distinctionem absque vnitione, neque vnitionē absque distinctione facit, sed vtrumque simul & mutuò coniunctum. Quum enim vnicā quidem hypostasin, duas autē naturas dicit, sic distinguit vt voiat: & quum, ordine cōuerso, duas naturas, vnicam autē hypostasin dicit, cōtraria prorsus ratione loquitur quàm impiè de Deo sentiētes, vt ait magnus ille Gregorius. Isti enim hypostasibus Christum diuidentes, vniunt eum natura: Ecclesia verò hypostasis voitatem ponēs, naturis eum discernit. Et apud illos hypostases quidē sunt diuersæ, vnica verò natura: in Ecclesia verò diuersæ quidem suot naturæ, hypostasis autē eadē. Siquis igitur ex Ecclesiæ mente accipit istud, *Vnam esse Dei verbi naturam incarnatam*, vltro & illud admittat, duas esse in Christo essentialiter voitas naturas. Etenim si post illud dictum, *Vnā esse naturam Dei Verbi* adiicitur illud *Incarnatā*, vt ita repræseotetur & significetur humana natura: qua ratione deinceps recusauerit duas naturas confiteri, vnā quidem Dei verbi, alteram verò humanā, quam ipse voce illa *Incarnatam*, declarare sit conatus? Quæ ergo confitetur, inquit Basilius, ea quoque numeret. Quòd si binarium numerum causetur separationē & diuisionem quandam inuehere, sciat tergiuersationē istā oulla idonea ratione niti. Etenim, si (vt paulò antè diximus) defioitio illa Ecclesiæ, postquam simpliciter dixit duas sese oaturas in Christo agnoscere, nihil insuper adducens ibi orationē sisteret, huiusmodi fortasse suspicionibus locū relinqueret, quasi sua ipsius sententia nō satis enucleatè repræsentata, quomodo videlicet naturas istas mutuò sese habere intelligat: quum autē adiiciat *Vnitas*, vnicā præterea hypostasin velut præconis cuiusdā voce promulgat. Demōstratū est igitur omnino, idē sibi velle vtrāque illam Ecclesiæ determinatiooem, & voam esse alterius interpretem, nedum vt inter se repugneot. Et hæc quidem à nobis quasi introductionis cuiusdam gratia dicta sunto. Pergens igitur narrsbo de Seuero primæ Antiochenæ sedis vsurpstore, qui quum Ecclesiæ mediam illsm viā tenens

ρείνας τὰς ἐφ' ἑκάτερα τροπὰς, μέσον τε καὶ ἀληθεστάτην τετμηκυίας ὁδὸν, Σεβῆρός τις τῶν τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ προεδρίας ἑαυτὸν εἰσωθήσας, τὴν ἑτέραν τῶν ὁμοφρόνων τούτων δόξαν (τουτέστι τὴν κατὰ Μάνεντα, Ἀπολλινάριόν τε, καὶ Εὐτυχέα) διισχυρίσατο, ἐπιταράξας ὅση δύναμις αὐτῷ τὴν τῆς ἐκκλησίας εἰρήνην. ἐλαθεὶς δὲ τῆς Ἀντιοχέων, ὡς στασιώδης καὶ ταραξίας, τῇ Ἀλεξανδρέων κουφότητι λαίλαπος καὶ θυέλλης δίκην ἐνέσκηψεν· ἔνθα καὶ ἑτέρας καταιγίδος ἀντιπνευσάσης αὐτῷ, ἡμερώτερος μὲν καὶ ἧττον ζαλώδης αὐτὸς ἑαυτοῦ γίνεται· οἱ δὲ ὑπ' αὐτοῦ ἀπατηθέντες κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι διεσπάρησαν ἀπ' ἀλλήλων, καὶ διῃρέθησαν χείρονα ἢ πρότερον. διεσκέδασε γὰρ αὐτοὺς Ἰουλιανὸς, ἐπίχαρμα τῶν αὐτοῦ ἐχθρῶν, καθὼς γέγραπται. Ἰουλιανὸς δὲ οὗτος Ἁλικαρνασσοῦ μὲν τῆς Ἀσίας ἐπίσκοπος ἦν, τῆς δὲ Εὐτυχιανῆς συμμορίας προαγωνιστὴς ἐνθουσιώτατος, Σεβήρῳ τε τὰ πρῶτα συνήθης καὶ φίλος, συγκεκροτημένοι τε ἄμφω κατὰ τῆς ἀληθείας· ὕστερον δὲ ἐμπεσόντος αὐτοῖς τοῦ τοιούτου ζητήματος, πότερον φθαρτὸν φύσει λέγειν ἔξεστι τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ποτὲ, ἢ οὐδέποτε, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς τῆς ἑνώσεως ἀπαρνηθῆναι τῆς φθαρτῆς φύσεως τὸ ἰδίωμα, ὡς μιᾶς φύσεως γενομένων τῶν δύο, καὶ τῆς οὐσιώδους διαφορᾶς μηκέτι γινωσκομένης· τοῦ δὲ κρείττονός τε καὶ θείου μᾶλλόν πως ἐπικρατοῦντος, ἅμα τῇ πρώτῃ συμφυΐᾳ, καὶ πρὸς τὸ ἑαυτοῦ ἰδίωμα τὸ ἧττον ἐν ἀκαρεῖ μεθαρμόσαντος τῆς κατ' αὐτὸ φυσικῆς ἰδιότητος. κοινὸν δὲ ἀμφοτέροις Ἰουλιανῷ καὶ Σεβήρῳ τουτὶ τὸ ζήτημα. ἄμφω γὰρ τῆς συγχυτικῆς ὑπερμάχουν ἑνώσεως.

illa in alteram partem diuerticola vitasset, alteram istorũ eiusdem factionis hominũ opinionem, (Manetis dico, Apolinarii & Eutychis) asserere tẽtauit, Ecclesiæ pace quantum quidẽ potuit perturbata. Pulsus autem iste ab Aotiochenis, vt qui seditiosus ac turbulẽtus esset, Alexãdrinorum leuitati quasi turbo ac procella quædam incubuit, vbi quũ altera ipsi tẽpestas reflasset, factus est quidẽ ipse nõ nihil pacatior ac minus quàm antea tẽpestuosus, qui verò ab ipso decepti fuerant fluctuãtes & huc & illuc iactati, alii ab aliis diiũcti sunt multo peiore quàm anteà conditione. Dissipauit eoim eos ille Iulianus de quo scriptum est, *Præbuisse ipsum suis hostibus gaudiu materiẽ.* Iulianus autem iste, Halicarnassi Asiaticæ ciuitatis Episcopus, animosissimus fuit Eutychianarũ partiũ propugnator: Seueri primùm familiaris & amicus, vterque aduersus veritatem coniuratus. Postea verò dissidere inter se cœperunt, quum inter eos talis quædã quæstio incidisset, *Diceréne liceat, Corpus Domini mortale fuisse aliquãdo vel nunquam: & ab ipso incarnationis momento negare naturæ corruptibilis proprietatem,* quasi videlicet duæ naturæ euaserint vnica, nec amplius essentialis differentia sit agnoscenda: & quasi Deitas vtpote præstantior, simulatq; primùm adiuncta est humanitati, superior euaserit, & inferiorem alteram naturam eo ipso temporis puncto ab eius naturali proprietate ad suã ipsius proprietatẽ translatam aptarit. Est autem vtrique tum Iuliano, tum Seuero communis hæc quæstio, siquidem ambo confusam vnionem defenderunt.

ΔΟΞΑ ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ.

ΙΟΥλιανὸς μὲν καλῶς ποιήσειν ᾤετο, εἰ ἅπαν τάπασιν ἐξ ὑπτίου χωρήσει κατὰ τῆς ἀληθείας· καὶ ἵνα μὴ ἑαυτῷ τε καὶ ταύτῃ πολέμιος ᾖ καὶ ἀσύμφωνος, ἀκόλουθον εἶναι νομίσας τῷ λέγοντι μίαν φύσιν, μὴ πρὸς ἑαυτὴν ἐναντίαν καὶ διαφερομένην ποτὲ ταύτην ποιεῖν· διαφορᾶς δὲ μὴ οὔσης, ἀσεβέστερον φάναι τὸ χεῖρον μεταπεσεῖν πρὸς τὸ κρεῖττον, τουτέστι τὸ φθαρτὸν πρὸς τὸ ἄφθαρτον. ταῦτα συλλογισάμενος, καὶ μηδὲν ἕτερον ἐναντιούμενον ἑαυτῷ προϊδὼν, ἄφθαρτον ἀεί τε καὶ κατὰ πάντα τὴν τοῦ Κυρίου σάρκα ἐξουσιαστικῶς ἀπεφήνατο. Σεβῆρος δὲ τούτοις μὴ ἀρεσθεὶς, ὡς διαῤῥήδην κηρύττουσι τὴν ἀνάχυσίν τε καὶ σύμφυρσιν, οὔτε ἑνωθῆναι πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἐβούλετο, ὡς ἀκολούθως τῇ διαφορᾷ καὶ ταῖς ἰδιότησι, καὶ τὰς φύσεις ἀπαριθμοῦσαν, περὶ ἃς ἡ διαφορὰ θεωρεῖται, καὶ ὧν εἰσιν αἱ ἰδιότητες φυσικῶς αὐταῖς ἐνυπάρχουσαι. καὶ τὸ συνθήκης τῆς Ἰουλιανοῦ τολμηρίας ἀναιδὲς ἅμα καὶ προπετὲς ὑπελάμβανε, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἢ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ καὶ ἀχαλινώτῳ τῷ στόματι πολεμεῖν τὴν εὐσέβειαν.

OPINIO IVLIANI.

IVlianus igitur rectè se facturum statuit si prorsus apertè aduersus veritatẽ ferretur: sed ne sibiipsi simul & veritati hostis & parũ secũ ipse consentiens videretur, existimauit ei qui vnicã naturã affirmaret conuenire hãc sibiipsi repugnantẽ & à seipsa differentẽ faceret: sublata verò repugnaotia magis impiũ fore si diceret deteriorem ad præstantiorem, id est, corruptibile ad incorruptibile transiisse. Hæc autẽ quũ collatis rationibus conclusisset, & nihil aliud prospiceret quod sibi aduersaretur, Domini carnẽ semper ac prorsus incorruptibilẽ fuisse authoritate quadã pronũtiauit. At Seoerus istis minimè acquiescens, vtpote quibus confusio & cõflatio oaturarum differtè veluti præconio quodã promolgaretur, neque Ecclesiæ voluit recõciliari, quæ, sicut naturarũ discrimẽ & proprietates necessaria consequutione postulãt, naturas etiã ipsas numerat, in qoibus differentia illa spectatur, & quarum sunt proprietates, & eæ quidẽ naturaliter ipsis insitæ: nec rursum audaciæ Iuliani est assensus, siquidem proiectæ impudeotiæ hoc esse existimauit, neque hoc aliud esse, quàm nudo, quod aiuot, capite & effræni prorsus ote aduersus pietatem bellum gerere.

ΔΟΞΑ ΣΕΒΗΡΟΥ, ΚΑΙ τῆς ἐκκλησίας ὅρος.

ΕΚ τούτου Σεβῆρος γίνεται καὶ ἑαυτῷ, καὶ τῇ ἀληθείᾳ, καὶ τῷ γείτονι αὐτῆς ψεύδει ἀντίθετος· καὶ οὔτε ὅλως ἀληθὴς, οὔτε ὅλως ψευδὴς, ἀλλ' (ὡς εἰπεῖν) ψευδαληθὴς, ὅμοιος τῇ ὑπ' αὐτοῦ ἀναπλασθείσῃ μιᾷ συνθέτῳ φύσει, διὰ τοῦτο καὶ πρὸς ἑαυτὸν μάχιμος καὶ παλίμβολος, ἠλιθίως οὕτω καὶ ἀμαθῶς μέσον τι χρῆμα ψεύδους καὶ ἀληθείας ζητῶν, ὅπερ οὐκ ἔστι. μεσότητα γὰρ ἀληθείας καὶ ψεύδους οὔτε εὑρεῖν, οὔτε ἐννοῆσαι δυνατόν. ἡ μὲν γὰρ ἀλήθεια μέση ἀεὶ καὶ ἀπαρέγκλιτος, καὶ διὰ τοῦτο ἑδραία καὶ πάντοθεν ἴση, καὶ ἰθυτενής. οὐδαμοῦ δέχεται ἕτερόν τι ἐγκάρσιον αὐτὴν ἐξωθοῦν τῆς οἰκείας στάσεως καὶ μονιμότητος. καθ' ἧς δὲ

OPINIO SEVERI, ET ECCLESIÆ *definitio.*

AB eo tempore Seuerus & sibiipsi & veritati, adeóque vicino sibi mendacio repugnauit, neque prorsus verax, neque prorsus mendax, sed (vt ita loquar) mendaciveriloquus, eíque cõpositæ quam commentus est naturæ prorsus similis, ac proinde à seipso dissidens & planè inconstãs, vt qui tã stultè & insciẽter nescio quid mediũ inter mẽdaciũ ac veritatẽ quærat, quod nusquã est. Mediocritatẽ enim inter veritatẽ & mendaciũ, neque inuenire, neque mẽte concipere quisquam possit, quoniam veritas in medio semper consistit, in neutram partem inclinans, ideóque firma, æqualis vndiquaque & in directũ tendens. Itaq; nihil admittit transuersum quod eã ex suo statu suáque firmitate depellat: & procul sagittis configit

πᾶν τὸ ἐπιβούλως αὐτῇ προσπελάζον, καὶ τὸ μέσον αὐτῆς διασαλεῦσαι πειρώμενον, οἷον καὶ Σεβῆρον ὑπ' αὐτῆς πεπονθότα εὑρίσκομεν. ἐπειδὴ γὰρ (ὡς ἔφαμεν) καινόν τι μέσον ὑπὲρ τὴν ἀλήθειαν ὅρων ἐπιχείρησεν, πλαγιασθεὶς, ἣν οὐκ ἔγνω μέσην ἑαυτοῦ καὶ τοῦ ὁμοφύλου αὐτοῦ ψεύδους πεποίηκε ταύτην. αὐτοῦ γὰρ Σεβήρου μίαν φύσιν λέγοντος εἶναι τὸν Χριστὸν, καὶ τὴν διαφορὰν τὴν ἐν τῷ Χριστῷ δεχομένου Ἰουλιανοῦ δὲ, μίαν μὲν κατὰ Σεβῆρον λέγοντος φύσιν, ἀναιροῦντος δὲ τὴν διαφορὰν, ἡ ἀλήθεια, τουτέστιν ὁ ἐκκλησιαστικὸς λόγος, τὴν μεσότητα ἑαυτῆς πανταχοῦ διασώζουσα, δέχεται μὲν τὴν διαφορὰν, οὐ κατὰ Σεβῆρον δέ. οὐ γὰρ οἶδε ποτὲ μίαν φύσιν ἑαυτῇ ἐναντίαν. δύο γὰρ φύσεις ἐν τῷ Χριστῷ γινώσκουσα, θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος, τούτων καὶ διαφορὰν τὴν πρὸς ἄλληλα τηλαυγέστατα θεωρεῖ. οὐ γὰρ ταυτὸν θεότης, καὶ ἀνθρωπότης εἰ καὶ εἷς ὁ Χριστὸς ὁ ἐν ἀμφοτέραις ὑπάρχων, καὶ ἀμφότερα. εἰ γὰρ καὶ τὸ συναμφότερον ἕν, ἀλλ' οὐ τῇ φύσει τῇ δὲ συνόδῳ, ὡς ὁ ἐκκλησιαστικὸς κῆρυξ ἀριδήλως βοᾷ. μὴ δεχομένη δὲ ἡ ἐκκλησία κατὰ Σεβῆρον τὴν διαφορὰν, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἑαυτῆς λόγον, οὐκ ἀποβάλλεται ταύτην καθ' ὁμοιότητα τοῦ Ἁλικαρνασέως. σάρκα γὰρ ἀληθῆ καὶ ψυχὴν νοερὰν μετὰ τῶν οἰκείων ἰδιωμάτων ἀναλαβόντα τὸν Θεὸν λόγον ἐπίσταται, καὶ ἑνωθὲν ἰδὼν τῷ φθαρτῷ τὸ ἀθάνατον, ὡς ὁ προλεχθεὶς θεολόγος Γρηγόριος φησίν. ὅθεν, ὡς ἐλέγομεν, μέση μεμένηκεν ἀμφοτέρων, καὶ ἀκίνητος ἡ ἀλήθεια. ἀποβαλλομένη μὲν κατὰ Σεβῆρον μίαν φύσιν, καὶ διαφοράν. αἰνίγματος γὰρ καὶ τερατολογίας οὐδὲν ἧττον διενήνοχε τοῦτο. πῶς γὰρ ἡ αὐτὴ φύσις δύο ἔσται τὰ ἐναντία; πῶς δὲ καὶ ὑποστήσεται κατ' αὐτὸ τὸ [illegible] πολεμουμένη ὑφ' ἑαυτῆς, καὶ ἑαυτὴν πολεμοῦσα; καὶ ἐν τούτῳ δὲ κατὰ καιρὸν μνημονεῦσαι τοῦ Κυρίου βοῶντος, ὅτι πᾶσα οἰκία ἢ βασιλεία καθ' ἑαυτὴν μερισθεῖσα οὐ σταθήσεται. εἰ οὖν κατ' αὐτὴν ἡ μία φύσις μερισθῇ ἐφ' ἑαυτὴν, πῶς σταθήσεται ἡ ταύτης ὕπαρξις; καλῶς οὖν κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας, κατά τε αὐτὸν τὸν τοῦ Κυρίου λόγον, ὀρθῶς ποιῶν ὁ τῆς ἐκκλησίας λόγος οὐ προσδέχεται μίαν φύσιν πρὸς ἑαυτὴν διαφερομένην καὶ ἑαυτῇ ἐναντίαν, κατὰ τὴν τοῦ Σεβήρου ἄστατον καὶ μαχομένην ἑαυτῇ ἐπίνοιαν. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ κατὰ Ἰουλιανὸν παντάπασι τὴν διαφορὰν ἀποβάλλεται ἡ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία. εἰ γὰρ μία μὲν φύσις κατ' ἐκεῖνον ὁ Χριστὸς, καὶ διαφορὰν οὐδ' ὁπωσοῦν μὴ καθ' ὁπωσοῦν προσδέχεται, ἐν τῶν ὁποτέρων ἀνάγκη πάντως ὁμολογεῖν τὸν ταῦτα διισχυριζόμενον ἢ ἄνθρωπον ψιλὸν εἶναι τὸν Κύριον, καὶ τὰ θεῖα λεγόμενα ἐπ' αὐτοῦ κατὰ θείαν δύναμιν ἑτέραν παρ' αὐτὴν οὖσαν, ἐν αὐτῷ οὖσαν, καὶ ἐνεργοῦσαν προελθεῖν· ἢ Θεὸν γυμνὸν καὶ μὴ ἐνανθρωπήσαντα εἶναι τὸν Χριστὸν, καὶ τὰ λεγόμενα ἐπ' αὐτοῦ ἀνθρώπινα, μὴ ὡς ἄνθρωπον ἀλλ' ὡς Θεὸν ταῦτα παθεῖν, ὡς τὴν μίαν αὐτοῦ φύσιν ταῦτα ἀναδεχόμενον. ἢ εἰ μηδὲ ἓν τῶν εἰρημένων, φαντασίᾳ τινὶ καὶ ἀπάτῃ λέγειν περὶ αὐτοῦ δεδρακέναι ἅπερ ὥρα, εἴτε τὰ θεῖα, εἴτε τὰ ἀνθρώπινα· καὶ τὸ πρᾶγμα ψευδῆ εἶναι τὴν περὶ αὐτοῦ πᾶσαν εὐαγγελικὴν ἱστορίαν, καὶ μάτην ἀπατᾶσθαι τοὺς Χριστιανοὺς, καὶ κενὴν μακαριότητα εἶναι τὸ δὴ λεγόμενον τῶν εἰς Χριστὸν ἐλπισάντων. καιρὸς δὲ λοιπὸν καὶ τὸ τοῦ ἀποστόλου λέγειν, Κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν. εὑρισκόμεθα δὲ καὶ ψευδομάρτυρες τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἐμαρτυρήσαμεν κατὰ τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἤγειρε τὸν Χριστὸν ὃν οὐκ ἤγειρε. ματαιότης δὲ μᾶλλον ὄντως οἱ τοιοῦτοι συλλογισμοὶ, καὶ τῆς πίστεως ἀνατροπὴ, κατὰ τὸν θεολόγον Γρηγόριον. ἐκ πάντων οὖν δέδεικται καθαρεύουσαν ἀντιρρήσεως ἁπάσης, καὶ ἀνεξέλεγκτον εἶναι, καὶ μόνην οὖσαν τῆς ἀληθείας ἐχομένην τὴν

quicquid per insidias ad eam propius accedit & cõcutere illam conatur, ne intra illud suum medium consistat, cuiusmodi quiddam ab ea retulisse Seuerum comperimus. Aggressus enim ille (vti diximus) nouum quoddam mediũ trans veritatis fines excogitare, in obliquum actus, eam ipsam veritatem, quam non agnouit, mediam inter suam & sui contribulis falsitatem statuit. Quum enim Seuerus Christum dicat vnicam esse naturam, & simul eam quæ in Christo est differentiam admittat: Iulianus autem vnicam quidem naturam vt & Seuerus, recipiat, differentiã verò tollat: Veritas, id est, Ecclesiastica determinatio, suã illam mediocritatem vbique perpetuò seruans, admittit differentiam, at non ex Seueri sententia. Nullam quippe naturam sibiipsi repugnantem agnoscit. Duas enim in Christo naturas, vnam Deitatis, alteram humanitatis profitens, earum quoque differentiam qua fit vt vna ab altera differat quàm maximè dilucidè contẽplatur. Nã aliud est Deitas, aliud Humanitas, quãuis vnus Christus in vtrinsq; & vtrumq; existat: & quanuis vtrumque simul sit vnum quiddam, non est tamen vnum natura, sed per earum cõcursum, sicut Ecclesia præconis instar promulgat. Ecclesia porrò differentiam istã non ex Seueri sententia sed suo demum sensu admittẽs, eam tamen minimè vt Halicarnassens ille abiicit. Nouit enim à Deo Verbo verã carnem & animam intelligentem cum suis peculiaribus proprietatibus assumptã esse, & Immortale agnoscit Mortali vnitum, vt Theologus Gregorius ait, cuius antea meminimus. Itaque, sicut diximus, media inter illa duo & immota manet veritas, vtpote, quæ naturam vnicam simul & à seipsa dissidentem minimè cũ Seuero statuat. Nihil enim inter hoc dogma, & ænigma seu prodigiosam quandam fabulam interest. Nam quĩnam tãdem vnica natura ex duabus inter se repugnantibus exriterit? & natura quæ rũ à se ipsa oppugnetur, tum seipsam oppugnet in ipso suæ existẽtiæ momento quomodo subsliterit? Qua in re commodum etiã fuerit meminisse Domini clamãtis, Nulla domus, & nullum regnum inter se dissidens stabit. Itaque, siquæ natura à seipsa dissideat, quomodo stabit eius existentia? Rectè igitur sese gerens, vt ex ipsis communibus notitiis, & ex Domini sermone æstimare licet, Ecclesia, non admittit naturam à semetipsa dissidentem, ac sibiipsi repugnantem, ex illo Seueri commento, quod consistere non potest & semetipsum oppugnat. Sed nequaquã rursum hæc Dei Ecclesia ea Iuliani sententia differentiam istam prorsus repudiat. Etenim, si Christus, ita vt ille sentit, vnica est natura, nullam quacunque in re differentiã Essentialem recipiens: eum qui hæc affirmet necesse est alterutrum istorum duorum profiteri: nempe vel nudum hominem esse Dominum, & diuina opera quæ de ipso feruntur, sic à diuina natura fuisse gesta, vt ipsa aliud quiddam esset quàm ipsemet Christus, in ipso nimirum sita vt illa efficeret: vel Christum esse nudũ Deũ ac minimè hominem factũ: & quæ de ipso humanè dicuntur eũ nõ esse perpessum vt hominem, sed vt Deum qui in vnicam suam naturã hæc receperit. Quod si neutrũ istorũ quæ diximus fateatur, dicere sanè oportuerit de Christo, quòd quæcunque fecit, siue humana, siue diuina, imaginariè & præstigiosè fecerit, & vanam esse omnem de eo scriptam Euãgelicam historiã, temeréque deceptos Christianos, & vanũ esse quod de eorũ beatitate dicitur qui in Christum sperãt. Denique opportunè illud Apostoli dictum vsurpauerimus, Inanis certè fuerit prædicatio nostra: & ipsum Apostolum cõpererimus falsa de Deo testificatũ, vt qui de Deo sit restatus quòd Christum excitarit, quem non excitarit. At potiùs certè istiusmodi ratiocinationes mera fuerint vanitas, &, vt ait Gregorius Theologus, Fidei subuersio. Demonstratum est igitur solam sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ Dei sententiam ita puram esse vt neq; ei contradici, neque in ea quicquam redargui possit: & ab vnicæ

δόξαν τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας. ὅταν μὲν γὰρ τὸν τρόπον καθ' ὃν γέγονεν ἡ ἐκ θείας φιλανθρωπίας πρὸς ἡμᾶς συγκατάβασις, βούλεται παραστῆσαι, τὴν μίαν τοῦ Θεοῦ λόγου φύσιν σεσαρκωμένην ὁμολογοῦσαν· ὡς αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ λόγου, ἀνάρχου τε ὄντος καὶ ἀϊδίως ἐν τῷ πατρὶ, ἐν ὑστέρῳ δὲ δι' ἡμᾶς καὶ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐνανθρωπήσαντος, καὶ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαβομένου, καὶ κατὰ πάντα ἡμῖν ὁμοιωθέντος δίχα μόνης ἁμαρτίας. ὅταν δὲ τὰ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς, καὶ ἅπερ ὁ Χριστὸς βούλεται θεωρεῖν, δύο φύσεις οὐσιωδῶς ἡνωμένας ὁμολογοῦσαν, κἀκ τούτου παριστῶσαν τὸ μεγαλεῖον τοῦ ἐλέους καὶ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ πρὸς ἡμᾶς, καταδεξαμένου διὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς στοργὴν, συνεῖναί τε καὶ συναριθμεῖσθαι τῇ ἑαυτοῦ φύσει τὴν ἡμετέραν. καὶ χάρις τῷ Θεῷ ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγήτῳ αὐτοῦ δωρεᾷ· καὶ ταῦτα μὲν εἰς τοσοῦτον.

ΤΕΛΟΣ.

sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ Dei sententiæ partibus veritatem stare. Nam tum quidem quum exprimere vult quo modo Deus pro sua in homines propensa voluntate ad nos vsque sese dimiserit, vnicã Dei verbi naturã incarnatam profitetur, Deo Verbo nimirũ qui initio caret, & ab æterno in Patre extitit, postea propter nos & nostram salutem homine facto, assumptóque Abrahami semine nobis (excepto vnico peccato) per omnia assimilato. Quum autem ea quibus Christus cõstat & quæ sunt ipse Christus cõsiderat, duas naturas essentialiter vnitas profiteatur, & ex eo nobis excellentem illã magnitudinẽ misericordiæ & miserationis Dei spectandam proponit, qui pro suo in nos amore nobiscum versari, adeóque suam ipsius cõ nostra connumerari naturam sustinuerit. Sit igitur Deo gratia de hoc inexplicabili munere. Et de his quidem hactenus.

FINIS.

LECTORI ORTHODOXO SALVTEM.

IN Actis Oecumenicæ Synodi quintæ, quæ sub Iustiniano Cõstãtinopoli coacta est aduersus Monothelitas, circiter annum Domini 551, frequẽs est mentio Theonæ, qui presbiter sancti montis Sinai, & (vt vertit Latinus interpres) ambasiator Ecclesiæ Pharan & Lauræ Rhaitæ vocatur. Inde hunc quoque nostrum Theodorum iisdem aut proximè sequutis temporibus prodiisse apparet, ex quo ferè ad verbum citata in Suidæ collectaneis inuenies, quæ de istis hæreticis sigillatim hic scribuntur. Est autem opportunè repertus hic libellus in vetustissimo manuscripto exemplari, Constantinopoli allato, quem Latinè vertendum, & in lucem edendum putaui, vt eos tandem aliquando sui pudeat qui veteres istas hæreses nostris temporibus instaurant.

SVM-



SVMMA ORTHODOXÆ DOCTRINÆ DE DUARUM IN CHRISTO NATURARUM HYPOSTATICA VNIONE.

DVo, vt ita loquar, fundamẽtalia in Christo vnico nostro Seruatore nobis spectanda sunt. Quis sit ipse nimirum, &, Quorsum nobis datus à Patre. Hoc posterius nunc non attingo. De priore sic ex verbo Dei & vniuersalis Ecclesiæ perpetuo consensu statuendum est. Filium illum Dei coæternum & coessentialem Patri, τὸν λόγον videlicet, vnum quidem essentia Deum cum Patre & Spiritu sancto, hypostasi verò, siue persona ab vtroque reipsa distinctum temporibus ab æterno constitutis humanam sibi naturam totam ex Virginis Mariæ substantia, virtute Altissimi creatam sibi sic vniuisse, vt vnica atque singularis persona sit Iesus Christus, verus Deus & homo. Qua in re hæc obseruanda sunt in primis.

1 Vnita dici non quæcunque coniunguntur, sed quæ sic iunguntur vt ad constituendũ vnum quiddam quod ex pluribus illis sic coniunctis constet, concurrant.

2 Naturas, nempe θεότητα & ἀνθρωπότητα, hîc vocari ipsummet Deum λόγον, & ipsammet animam & carnem humanam, id est, res ipsas, non autem earum duntaxat effecta siue ἐνεργείας, ac multò minus aliquod spectrum siue imaginarium quiddam quod oculos ludificetur.

3 Cum ipsis naturis intelligi idiomata ἰδιότητας, id est, proprietates essentiales, quibus fit videlicet vt natura quæque sit quod est, & vt vna non sit altera.

4 Hac vnione non misceri substantias ipsas, neque earum vel idiomata, vel operationes, vt ex duabus personis conflatis, Deo videlicet & homine, fiat Christus θεάνθρωπος, & fiant eius actiones θεανδρικαί, sed vt ex duabus naturis, quarum vna nẽpe humanitas assumpta, in altera, nempe in Deitate verbi assumente, subsistat, Christus constet θεὸς καὶ ἄνθρωπος: ista videlicet non constituente hypostasin, sed in hypostasi τοῦ λόγου subsistente, & ita cõstituta vnica persona (quia inseparabiles sunt naturæ) vt Deitati diuina, humanitati humana distinctè tribuantur: quæ naturæ tum in sese tum in suis proprietatibus essentialibus & earundem operationibus manent reipsa distinctæ.

5 In Christo igitur est Aliud & Aliud tum natura tum proprietate essentiali, tum voluntate & operatione: at non est in Christo Alius & Alius, quoniam Christus vnica est hypostasis.

6 Sicut igitur ὁ λόγος non est homo alia ratione quàm quia humanam naturam assumpsit, non autem quasi Deitas Verbi sit facta humanitas, aut naturæ, aut essentialis vllius proprietatis aut operationis in ipsam transfusione, ac proinde non in sese, sed in assumpta carne: eâdem prorsus ratione homo iste idcirco est ὁ λόγος, quoniam hic illum assumpsit, nõ quòd humanitas euaserit Deitas, aut essentia, aut essentialis vllius proprietatis aut operationis in ipsam effusione, ac proinde non in sese sed in assumente natura, quod apud Scholasticos gratia vnionis dicitur.

7 Illud tamen fatendum est, istius hypostaticæ vnionis vi naturam assumptam ab assumente perfici, non autem è contrario in assumentem ab assumpta aliquid infirmitatis redundare, quod apud Scholasticos Gratia habitualis non ineptè appellatur.

8 Imò & illud verum est, assumptam carnem à Deitate Verbi, eò vsque esse prouectam vt sola Deitate sit inferior. Sed tria hîc summopere obseruanda sunt.

9 Vnum ἀπειρομεγέθη dona, id est, quibus effusis natura humana iam absorberetur & fieret θεῖον, distinguenda esse ab ὑπερφυέσι, quorum plenissima abundantia in naturam illam assumptam effusa, facit vt illa humana natura non κατὰ γένος sed κατὰ τὸ πλεῖον à creatis cæteris rebus differat.

10 Alterum, hanc summam efficacitatem in assumptam carnem fuisse gradatim effusam, non ab ipso vnitionis momento, quoniam Christum oportuit infirmitatibus omnibus nostris (excepto peccato) reipsa obnoxiam carnem suscipere, donec impletis omnibus ad salutem nostram necessariis, nomen supra omne nomen (Deitatem semper excipe) adipisceretur.

11 Distinguendas abstractas voces Deitatis & humanitatis à vocibus concretis Dei & Hominis. Nam vt verum est Deum esse hominem vnione de qua diximus, ita impium est dicere humanitatem esse Deitatem, siue essentia, siue essentiali vlla proprietate, aut operatione.

His positis cum dogmate τῆς ἀληθείας componantur istæ Andreæ Musculi theses.

Ascendere Filium hominis nihil aliud est & significat quàm disparere. Et, Filij hominis in cælum ascensio nihil aliud est quàm visibilis disparentia. Musculus in articulis de Cœna Domini quos Ecclesiis & Scholis Marchionatus re[...]cis obtrusit

Filium hominis ascendit in cælum non loci mutatione secundum personam, sed modo præsentiæ visibilis in inuisibilem mutato, euanescentia seu disparentia quadam.

Cælum in quod ascendit Filius Dei, non significare cælum elementare stellatum, sed gloriam Dei nullis lo

locorum spatiis circunscriptam.

Cum dogmate quo ἡ θεότης in θνητότητα, id est, ipsa Deitas verbi in dona ipsius in assumptā carnem effusa transformatur, siue gratia vnionis cum gratia habituali confunditur, & pro naturarū vnione tantùm ἐνεργητικὴ παρουσία constituitur, ac proinde persona duplex separatim ponitur, simulque proprietatibus essentialibus per realem effusionem communicatis, humanitas Deitati exæquatur, comparandæ sunt istæ Brentij & Iacobi Andreæ sententiæ.

Fol. 40. recognitionis & deinceps. *Hæc sententia,* VERBVM CARO FACTVM EST, *nihil aliud significat quàm quod Filius Dei filium hominis ita assumpserit vt effundat in eum omnem suam maiestatem: & sic eum impleat, vt communicet eum eo omnem suam potentiam, sapientiam, scientiam, & præsentiam.*

Quod est inter Christum & Petrum discrimen? Vterque enim est homo, & in vtroque est Deus. Dicis, Illud est discrimen quòd Christus non tantum sit homo, sed etiam Deus, Petrus autem tantùm sit homo, nō etiam Deus. Atqui vt in Christo inhabitat diuinitas eáque tota, secundum essentiam, potentiam, & præsentiam: sic & tota inhabitat in Petro. Vbicunque enim Deus est, totus est. Non potest igitur hac ratione inter Christum & Petrum discrimē esse vt dicamus Christum hominem esse Deum, Petrum autem nō esse Deum. Christus edidit multa miracula: edidit etiā Petrus, & quidem potentia diuina non longe absente sed omnino præsente. Christus vidit futura, vidit & Petrus, & vaticinatus est. Christus mortuus & sepultus resurrexit & ascendit in cælum. Sed & Petrus resurget & ascendet in cælum, & quidem, quod penè admirabilius est in Petro quàm in Christo, corpore suo tamen in puluerem redacto. Dicis, Christus resurrexit à morte sua virtute, Petrus aliena: Imò sicut Christus excitatus est diuina virtute, ita resurget Petrus diuina virtute, táque non minus ipsi quàm Christo præsente, quòd vbicunque sit diuinitas, ibi sit tota. Christus vidit absentia, vidit & Petrus. Act. 5. sicut & Elisæus. Itaque ex isto Euangelistæ dicto, Verbum caro factum est, quod de Christo dicitur, non de Petro, discrimen Christi & Petri eo statuendum est quòd Filius Dei etsi sua essentia implet Petrum sicut & hominem Christum, non tamen communicat Petro omnes suas proprietates, sed tantùm nonnullas.

Viuificat enim Petrum, conseruat Petrum in vita, Petro dat potestatem eiiciendi dæmones, imò etiam excitandi mortuos. Interea verò non facit eum omnipotentem, omniscientem, omnipræsentem.

Pag. 61. *Exæquamus humanitatem Christi diuinitati, non οὐσίᾳ sed ἐξουσίᾳ, non essentia sed potentia, non natura sed gloria, non substantia sed maiestate.*

Pag. 131. *Discrimen inter Christum & alios homines non constat propriè inhabitatione Filij Dei in filio hominis, sed communicatione proprietatum quibus filius hominis ab inhabitante Filio Dei ornatur, vt humana natura sit receptaculum augustissimum omnium cælestium & diuinorum beneficiorum.*

Pag. 143. *Quod dicit Theodoritus & alij, corpus humanum habere in altero seculo eandem circumscriptionem quā habuit in hoc seculo, nullo rectè intellecto sacræ Scripturæ testimonio dicit, & est puerilis cogitatio de rebus cælestibus.*

Pag. 144. *Quum Christus ait, Vado paraturus vobis locum, non loquitur de loco, sed metaphoricè de felicitate & beatitudine, vt sit hic sensus, Vado ad passionem & ad mortem qua paraturus sum vobis Patrem propitium, vt vos mecum perpetuò felices reddat.*

Ibidem. *Ait Christus, Veniam vt vbi sum ego & vos sitis. Et respondet Philippo. An nescis quòd in Patre sum, & Pater in me? Est ergo Christus in Patre. Et quum credentes ducat eò vbi ipse est, sequitur quòd faciat vt & ipsi sint in Patre, id est, habeant propitium Patrem, & fruantur vnà cum ipso paterna hæreditate.*

Pag. 166. *Assumi in Deum non aliud est quàm in cælesti & diuina gloria collocari.*

Pag. 167. *Ascensio Christi in cælum fuit externum spectaculum vsque ad nubes, nec pueriliter cogitandum est quòd progressus sit physico & corporali modo ad fictitium illud cælum quod Empyreum vocant: vbi commoretur ea forma qua visibiliter ascendit, sed sentiendum est quòd deposita forma non quidem essentiali, sed accidentali quam in externo ascensus spectaculo ad tempus assumpsit per dispensationem, receperit formam Dei qua aliquandiu tecta fuerit forma serui, & perrexerit omni sua maiestate quam habuit, frui.*

Pag. 193. *Christus dicitur corpore seu humanitate sua penetrasse cælum & ascendisse super omnes cælos, non quòd deseruerit hoc cælum, aut terrā, & quæ in ois sunt, sed quod nō in hoc cælo ita hæreat, vt non etiā omnia impleat.*

Pag. 247. *Etsi Christus ab externo spectaculo ascensus sui in cælum dicitur consedisse ad dextram Dei Patris sui omnipotentis, tamen veritas huius rei non tunc primùm facta est quum Christus ascēdit visibiliter in cælum, & misit discipulis Spiritum sanctum, sed quum Verbum caro factum est, & assumpsit humanitatē in Deum.*

Pag. 249. *Si Christi humanitas in dextra maiestatis circunscriberetur loco, non esset præstantior Angelis factus: quippe quòd circunscribi certo loco non sit summæ maiestatis, sed aut corporalis infirmitatis, aut spontaneæ, ad gratificandum aliorum infirmitati, dispensationis.*

Pag. 255. *Si Christus humanitate sua sedet ad dextram maiestatis & omnipotentiæ Dei Patris sui, manifestum est quòd vbicunque fuerit maiestas & omnipotentia Dei, ita sit quoque Christus humanitate sua.*

Pag. 273. *Christus non erat in sepulchro, mortuus videlicet, quà'ē mulierculæ quærebant, neq; iuxta externū aspectum. Erat autem non in sepulchro tantum, verùm etiā in cælo & in terra, iuxta diuinitatis suæ maiestatem. Voco autem nūc diuinitatem Christi, non eam quam Filius Dei in se ab æterno habuit, sed quam tempore incarnationis Filio hominis communicauit, siue in assumptam humanitatem effudit.*

Iam audiamus Iacobum Andream apertè personam diuidentem, proprietates essentiales confundentem, θεανδρικὴν denique operationem vnicam statuentem.

In disputatione de Maiestate hominis Christi, thesi 19. *Humanitas à diuinitate perficitur, quæ realiter suas proprietates humanitati communicat, vt sit non modò viua, sed etiam viuificatrix: non tantùm potens, sed etiam omnipotens: humana, inquā, natura, nō sola diuina.*

Thesi 20. *Non est imaginanda aut fingenda alia Dei in Christo quàm in creaturis reliquis omnibus, quo ad verè diuinitatis præsentia: quæ vt in creaturis ἐνεργείᾳ discernitur, quòd aliam alia agat, & operetur, ita in Christum*

stum tota effunditur, vt iam extra ipsum nihil, sed in homine (hoc coucedit Ecclesia) *& per hominem Christum* (hoc negat Ecclesia de abstractu humanitatis) *omnia in omnibus operetur.*

Atque hæc est communicatio plenitudinis omnis deitatis, de qua loquitur Apostolus Coloss. 1. Thes. 21.

Quod diuina per essentiam est, id humana suo modo per accidens communicatur. Thes. 22.

Humanitatem Christi diuinitati eius non οὐσίᾳ, sed ἐξουσίᾳ, non essentia, sed potentia, nō natura, sed gloria, non substantia, sed maiestate exæquamus. Thes. 26.

Quum diuinitas in vnitatem personæ assumpserit hominem, cuius vnionis ratio ac definitio est plenitudinis Dei communicatio, sequitur ipsam quoque humanitatem Christi vbique præsentem esse. Thes. 24.

Λόγος per humanitatem Christi omnia administrat. Apologia ad theses Ingolstadianas, Pag. 18.

Apostolus per formam Dei secundum quam Christus dicitur æqualis Deo, intellexit dona in ipsam carnem assumptam realiter effusa. Pag. 19.

Res omnes à Deo subsistentialiter sustentantur. Pag. 24.

Homo Christus dicitur Deus, non quia Deus sit in ipso (qui in omnibus creaturis est, non modò natura, sed etiam secundum subsistentias) sed quia in assumptione carnis dedit huic homini omnem potestatem in cælo & in terra, communicauit ei omnia dona, &c. Pag. 25.

Diuinitas hominis Christi non est illa οὐσιώδης, & æterna cum Patre & sancto Spiritu essentia communis, sed cōmunicata à secunda hypostasi. Et vt vno verbo dicam, quum hominem esse Deum dicimus, nihil aliud intelligimus quàm quòd homo ad dextram Dei sedeat. Nam carnem assumere in Deū, nihil aliud est quàm omnem suam plenitudinem ei communicare. Ibidem.

Potentiam Dei ideò infinitam dicimus, quia à nobis finiri non potest. Deus autem probè finem & modum nouit suæ & potētiæ & sapiētiæ, quā omnē participasse humanitatē Christi manifestissimè Scriptura testā tur. Pag. 31.

Inter inhabitationem Dei in sanctis & in Christo hoc vnum est discrimen, quòd sanctis distribuat sua dona dimensa, Christo autem immensa. Pag. 37.

Christus homo hoc habet commune cum omnibus sanctis, quòd cum eo Deus personaliter fuit vnitus. Pag. 38.

Nestoriani sunt qui vnionem personalem definiunt solo naturarum conuentu, qui fit in subsistentia Verbi. Pag. 48.

Augustinus hoc dicto, Non esse consequens vt quod in Deo est ita sit vbique vt Deus, non negat humanitatem Christi esse vbique, sed negat eo modo esse vbique, quo diuinitatem. Pag. 56.

Certum est ex Christi verborum sententiis, eius humanitatem fuisse in cælo, & sublimiorem quàm in cælo, quum esset in terra. Pag. 60.

Quum corpus Christi gloriosum nō amplius sit physicum, sed spirituale, quis id dicet moueri de loco in locū? Pag. 64.

His denique succinentem quoque Andræam Musculum audiamus.

In corpore Christi à momento incarnationis non est quærendus ordo naturarum, alioqui ad eius conceptionem non opus fuisset alio modo quàm naturali. Itaque propter hanc admirabilem conceptionem & natiuitatem, & duarum naturarum vnionem in vnam personam, non potest dari locus in quo sit Filius Dei secundum diuinam naturam, vt ibi non sit filius hominis secundum humanam naturam, & ante & post ascensionem & sessionem ad dexterā Patris. Et quum sit vnus & idem Christus, sicut secundum assumentem, sic & secūdum assumptam naturā nullis localitatis physicæ necessitatibus est subiectus, nec locorū terminis circumscriptus. Denique Christi humanitas ab ipsa incarnatione euecta est in eam gloriam ac maiestatem vt in ea non circūscribatur loco, verùm etiam terram ac cælum impleat cælesti & humanæ rationi inscrutabili modo. Thes. De incarnatione, 2, 4, 5, 6, 8, 9.

Qui verò ad istas horrendas blasphemias stabiliendas, quibus omnes aduersus diuinitatem & humanitatem Christi hæreses manifestè ab inferis reuocantur, authoritate D. Lutheri abutūtur, audiant saltem hæc ipsius verba, *Intempestiuam quidam narrationem afferunt, dicentes, Filius nescit, id est non vult scire. Christus verus homo fuit, quare vt alius purus & sanctus homo, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia: sicut imperiti quidam omnipotentem in eo hominem faciunt permiscentes duas naturas atque opera earum parum prudenter.*

Item, *Etsi hominem occupet diabolus, tamen homo manet homo, diabolus verò diabolus: sed Deus factus est homo, & tamen Deus manet. Atque hoc modo profundius se in carnem nostram immisit, quàm diabolus facere possit, qui hominis corpus subire potest, atque eum affligere: sed non potest homo fieri, vt diabolus & homo sit vna persona. Inter naturas istas semper personale discrimen manet, non solùm secundùm essentiam, verùm etiam secundum personam. Verùm in Christo hæc vnum sunt. Nam Filius Dei est factus nostra caro & sanguis.*

Item, *Scriptura pulchrè personam cum natura iungit, ac rursum naturas nequaquam confundit, vt pauci sint (quod humanis commentis debemus quibus ætatem nostram atterimus, & ingenium corrupimus) qui id rectè percipiant, vt ipse profectò persæpe in his & similibus locis errauerim, & naturæ tribuerim quod competit personæ, & contrà, vt in illo loco Pauli Philipp. 2. hodie possit alicui vsu uenire, vbi dicit, Tametsi in forma Dei esset, &c. Quòd in forma Dei fuisse prædicatur, certè diuinitatem indicat, item quòd se exinaniisse dicitur: porrò inanitio & serui forma quid aliud quàm humanitatem testantur?*

AT TV, DOMINE, VSQVEQVO.

DE PRAEDESTINATIONIS DOCTRINA ET VERO VSV TRACTATIO absolutissima.

EX TH. BEZÆ PRÆLECTIONIBVS IN NONVM EPISTOLÆ ad Romanos caput à Raphaele Eglino Tigurino, Theologiæ studioso in schola Geneuẽsi, recẽs excepta.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

QVANDOQVIDEM ad hũc Pauli locũ peruenimus in quo de primaria salutis nostræ caussa, nẽpe æterno & immutabili Dei Proposito disseritur, quã doctrinam nonnulli vt scopulum refugiunt, & nimium multi perperam explicant, antequàm ipsum Pauli contextum exponamus, priùs de re tota disseremus, explicatis in primis vocibus quibusdã, eo quo Paulus illas superiore capite recensuit, ac deinceps in hoc capite commemorat, ordine: quibus rectè intellectis difficilè non erit quid hac de re tota ex Dei verbo sentiendum sit intelligere. Eiusmodi sunt autem:

Prouidentia Dei, & eiusdem
Propositum πρόθεσις.
Præscitum πρόγνωσις.
Prædestinatio προορισμός.
Electio.
Reprobatio.
Vocatio.
Vocationis fructus.
Induratio.
Indurationis fructus.
Voluntas Dei.
Necessarium.
Contingentia.
Libertas & seruitus humanæ voluntatis.

Prouidentia. Prouidentiam igitur vocamus in Deo vim illam Dei sapientissimam & optimã, qua Deus apud se ab æterno, quomodo, quando, & in quem finem res vniuersas & singulares conditurus, & qua ratione cõditas gubernaturus esset constituit: à cuius efficacitate cuncta cùm facta tùm facienda dependent, & sapientissimè simul ac rectissimè ad fines suos, interuentu mediarum causarum, directa sunt ab initio mundi, & nunc diriguntur, & vsque ad mundi totius consummationem dirigentur.

In hac autem Prouidentia cõsideramus πρόθεσιν, πρόγνωσιν & προορισμὸν, quæ ratione potius quàm re differunt: adeò quidem vt pro vno & eodem interdum accipiãtur, nempe pro æterno illo Dei cõsilio, medias omnes caussas non tãtùm tempore (est enim æternum ac proinde omni tempore superius) sed etiam causarum ordine, antecedente. Nam Ecclesia Hierosolymitana, Actor. 4. vers. 28, in προορισμῷ quem definit ὡρισμένην βουλὴν, tanquam summa causa subsistit: & Petrus, 1.Pet.1.v.2. πρόγνωσιν vt summam salutis nostræ causam commemorat. At contrà Paulus non tantùm ad Rom.8. hæc tria distinctè subordinat, sed etiam ad Ephes. 1. v. 11. à προορισμῷ ad πρόθεσιν ascendit. In tribus igitur istis præpositio πρὸ huius consilii diuini æternitatem, omnes medias caosas etiam ordine antecedentem notat. In προθέσεως autem nomine τὸ τίθεσθαι illius consilii positionem,

πρόθεσις propositũ

id est, immotam stabilitatẽ designat. Etsi enim nomen προθέσεως apud Paulum ad Electionem duntaxat accommodatur: tamen quũ Electio nõ sit omniũ, necessariò existimãdi sunt reiici, eodem consilio, quicũque non eliguntur: nec minus firmum esse oportet illud æternum Dei cõsiliũ, Reiectionis, quàm Electionis respectu. Sed & quum verbũ τίθεσθαι & κεῖσθαι in vtranque partem vsurpetur vt Luc.2.34, 1.Thessal.5.9, & 2.Pet.2.v.8. causam nullã video cur πρόθεσιν tã ad eligendos, quàm ad reprobãdos non sit referenda. In προγνώσει verò si verbum γνῶναι de simplici Dei notitia accipiatur, tum certè πρόγνωσις, quam Præscientiam vocant, nullam efficientis causæ rationem habebit. Nec enim res futuræ, idcircò futuræ sunt quia Deus illas futuras prænouit, sed contrà idcirco sunt futuræ, & illas futuras prænouit, quoniam futuras illas decreuit, adeò quidem vt, quamuis propriè loquendo de diuinis consiliis, qualia sunt in sese, nec prius dari posit nec posterius, neque tempore neque ordinis serie: nihilominus tamen vt ista in Deo nobis considerãda proponuntur, Propositum quo res futuræ decernuntur, Prænotionem illarum existentiæ, ordine antecedat. Sin verò τὸ γνῶναι accipiamus pro Sciscere, id est, veluti cognita caussa sancire & decernere, tum προγνώσεως nomine significabitur eiusdem illius consilii quod πρόθεσιν vocauimus, summa iustitia & rectitudo, quod nõ nisi præeunte sapientissima veluti deliberatione, & iusta mediarum causarum ordinatione sit constitutum. Nam quod nonnulli πρόγνωσιν itidem ad electos solos accommodant, quia τὸ γινώσκειν ex Hebræorũ Idiotismo interdum pro Agnoscere & gratũ habere accipitur, vt quum Psal. 1, dicitur Deus viam iustorum nosse: & contra Matth. 7, Operã dantes iniquitati non nosse, ex eo refellitur quòd πρόγνωσις ad ea quoque transferatur, quæ sicut optima sunt quod ad Dei decretũ attinet, ita hominum ipsorum respectu summa maximáque sunt scelera, vt Actorum 2.23. dicitur Christus προγνώσει τοῦ Θεοῦ proditus & impiorũ manibus crucifixus fuisse.

πρόγνωσις præscientia.

Denique nomine τοῦ προορισμοῦ idem illud consilium significatur, quod πρόθεσιν & πρόγνωσιν vocamus, sed tum finis vltimi, tum aliorum finium intermediorum respectu, id est, quatenus æternum illud consilium & decretũ Deus certis definitisque ab ipso gradibus ad terminum fixum tendit. Vnde Act. 2. v. 23. non simpliciter dicitur βουλὴ, sed ὡρισμένη. Ex quibus etiam verbis apparet satis firmam non esse illorum sententiam, qui solos electos volunt Prædestinatione comprehendi. Id quod etiam Augustini testimonio probari potest. Sic enim ille lib. de Ciuit. Dei 15. cap. 1. *Mysticè appellamus* (inquit) *ciuitates duas hoc est, duas hominũ societates, quarum est vna, vt prædestinata est in æternum*

προορισμὸς, prædestinatio

ium regnare cum Deo: altera æternũ iudicium subire cum Diabolo. Denique quum Paulus apertè non minus ab induratione, quàm à misericordia sensim progrediatur ad Dei voluntatem, Prædestinatio verò nihil aliud sit quàm eius voluntatis ad certum finẽ siue salutis siue exitii destinatio, negari iusta ratione non potest, Prædestinationem & ad vltimum illum duplicem finem & ad vtrinque subordinata media pertinere.

Finis æterni propositi.

Et hæc quidem de ipso Dei Proposito dicta sunto, quod quum ad certum finem destinetur, superest vt tum quis sit finis illius vltimus & præstantissimus, tum qui sint intermedii explicemus. Finem igitur hunc vltimum ac proinde vnicum esse dicimus ipsius opificis gloriam, nõ quidem in ipsomet Deo cui nihil addi nec detrahi potest consideratum, sed quatenus in rebus ab ipso conditis & in earum administratione patefit, vt testatur sapiens ille Prou.16.4. Et pertinet quidem hic finis ad res omnes creatas sine vlla exceptione, atque adeo ipsorum etiam temporum & seculorum fines omnes transcendit: sed hîc à nobis consideratur ad humanum genus peculiariter accommodatus. Dicimus ergo duabus potissimùm in rebus Deum ab æterno constituisse gloriam suam quasi in speculo spectandam proponere, nempe in summa misericordia, & seuerissimo iudicio, sicut de se loquitur in lege, Exod.20.5. & 6. & alibi passim. Hinc illud quod dicitur vnos amare, alios odisse: vnos ad decus, alios ad ignominiam condidisse: vnos elegisse, alios reiecisse, id est, vnos quidem gratis eligere, amare, & æterna salute donare: alios verò iustè reiicere, odisse & æterno iudicio perdere destinasse, & quidem vtrosq; ad glorię suę patefactionem, vt de eligendis expressè dicitur Prou.16.4. Esai. 43.7. Eph.1.5. & 6. Rom.8. 28. & 9. 21. 23. 1. Corinth.2.7. & de Reprobandis eodem illo loco Prou.16.4. Rom.9.21. & 22. Exod.9.16. Duos igitur fines inter se quidẽ oppositos sed in vltimo illo fine concurrentes statuimus ex Dei verbo, Electionem videlicet & Reprobationem, in æterno ipso Dei Proposito consideratas: quarum priorem, nempe Electionem, rectè definierimus, esse æternum Dei decretũ ex merè gratuito ipsius amore profectum, de certis quos ipsi libuit, hominibus eligendis, in quorum æterna salute, summam suam bonitatem ac misericordiam declararet: Reprobationem verò itidem, nõ quatenus illam exequitur, sed quatenus illam ab æterno decreuit, æternum Dei decretũ de reliquis hominibus, in quorum iustissima simul & seuerissima cõdemnatione, summum illud suum aduersus omne peccatum odium summa cum sua laude declararet.

Causæ mediæ per quas æternum suum propositum Deus exequitur.

Exposito summo Dei Proposito & eiusdẽ finibus, superest vt causas explicemus, quarum interuentu Deus suum illud propositum & in gratuitò eligendis ac seruandis, & in iustè reprobandis ac damnandis ad nominis sui gloriam exequitur. Harum autẽ aliæ in ipso Deo aliæ in hominibus ipsis considerantur, & quidem vtræque duplici cum differentia. Nam


aliæ

aliæ tum eligendis, tum reprobandis communes sunt: in Deo quidem consideratæ, Creatio; in hominibus verò, à Deo quidem effectæ, Intelligentia primi hominis pura, & eiusdem Voluntas recta, spontanea, & in vtramuis partem libera: quæ duo intelliguntur præcipuè Imaginis Dei nomine: ab ipsis verò hominibus, quãuis non sine Dei decreto, profectæ, & ipsis insitæ, Lapsus & tum Intelligentiæ cæcitas, tum Voluntatis sub peccato seruitus. Peculiares autem eligendis, ac proinde seruandis adultis quòd ad Deum ipsum attinet, Vocatio efficax per verbum: in ipsis autem eligendis adultis per Dei gratiam, Fides & eius effecta, vnde tandem Glorificatio consequitur: quorũ omnium fons est IESVS CHRISTVS mediator ex gratuita Dei misericordia. In reprobandis autem ac proinde damnandis, quod ad Deum attinet, Iusta derelictio: intra ipsos autem reprobãdos adultos, spontanea & ab ipsismet proficiscens Induratio & eius fructus, vnde mortis æternæ per iustam Dei damnationem ipsimet sibi sunt auctores, ad Dei iusti iudicis gloriam. Quas omnes medias causas ab æterno Dei Proposito fluentes, in hoc diagrammate spectandas proponimus.

*



DEI SVMME MISERICORDIS ET SVMME IVSTI AETERNA, optima, & immutabilis πρόθεσις, quæ & πρόγνωσις.



Agè verò nunc caussas omnes illas medias in proposito Dei ab æterno latentes, & suo demum tempore productas, plenius explicemus. Creatio. Primùm igitur omnium, constitutis in opificis mente finibus de quibus à nobis dictum est, proculdubio consequens fuit vt existere opificium suum iuberet. Itaque Creationis proposito primum locum meritò tribuimus. Sed hominem certè creari talem oportuit vt ad fines, Corruptio. quorum caussa crearetur, consequendos aptus esset ac idoneus. Atqui nec seruari per misericordiam eligendi potuerũt, nisi prius miseri facti, id est iram Dei commeriti, à qua tamen per gratiam liberarentur: nec reprobandi iustè damnari potuissent, nisi per peccatum iustæ damnationi obnoxij.

At Deus quum sit ipsamet bonitas, vitiosum opus condere non potuit, nec certè condidit: & abominanda est Manichæorum hæresis, qui tamen viderunt Deum summè bonum non posse mali auctorem haberi. Quòd si rursus sic bonum condidisset hominem, vt ex bono malus non euaderet, neque misericordiam neque iudicium Deus creator in humano genere exercere, id est fines sibi ab æterno propositos exequi potuisset. Bonum igitur bonus Deus hominem, id est, marem & fœminam condidit, sed mutabiliter bonum. Quòd si rursus hanc mutabilitatem ex bono in malum Deus effecisset, non minus profectò habendus esset mali auctor, quàm si malũ ab initio creasset: ac multò etiam magis, si quo modo illum bonum conditum, sese in malum transmutare coegisset. Hominem igitur & intelligentem creari oportuit (nec enim vel benè vel malè agere dici possunt intelligentiæ & rationis expertia) & tum spontanea (id est intrinseco principio sese vltrò & cum intelligentia mouentem) tum libera in sese siue ad bonum cognitum, siue ad malum vetitum amplectendum, voluntate prẹditum creari: nempe vt mutatio ex bono in malum ad executionem æterni illius Dei Propositi necessaria, non quidem absque Dei decreto, cuius exitus falli non potest, sed tamen non aliunde quàm ex intrinseco, spontaneo, & libero voluntatis humanæ motu oriretur: vt hac ratione tum misericordiæ tum iusto Dei iudicio aditus, hac contingente hominis mutatione patefieret. Itaque quod dixit Paulus de Electorum per gratuitam misericordiam seruãdorum tota multitudine in vnum veluti corpus congesta, Deum videlicet conclusisse omnes illos sub peccato, vt omnium illorum misereretur: dicere quoque necesse est de Reprobandorum iustè damnandorum massa, Deum nimirum illos etiam omnes conclusisse sub peccato, vt omnes illos iustè perderet: & hos & illos denique conclusisse sub peccato, vt in vtrisque glorificaretur.

Iam verò humano genere sic tum ad vtrũque illum subalternũ, tum ad vltimum finẽ condito & disposito in Dei mente, superest vt videamus quomodo æternũ illud suum cõ de reparãdo in Electis suis lapsu, & ijs per misericordiã seruãdis tũ de iusta Reprobandorũ damnatione Propositũ sit executus. Ac de Electis quidẽ priore loco.

Electionis consilio æterno exequendo quas medias caussas Deus substrauerit.

Sicut igitur in Adamo sua sponte lapsurum humanum genus condere ab ęterno decreuerat, Christus Electionis fundamentum. sic ab æterno alterum veluti Adamum condere decreuit, in quo Eligendos omnes per ineffabilem misericordiam seruaret: & ita quidem, vt in vno eodémque opere verè admirabili & ipsis etiam angelis obstupescendo, summam misericordiam seuerissimo iudicio temperaret. Itaque verè hominem esse hunc alterum Adamum oportuit, & quidẽ ex prioris massa desumptum, quia sic condonari electis peccatum & eius fructus decuit, vt pœna non ab alia natura, quàm ab ea quæ peccauit, exigeretur: iusto alioqui Deo non futuro, si vel ita esset misericors vt iustitiæ suæ oblinisceretur, vel ab alia natura, quàm ab ea quæ mortem merebatur, pœnam mortis exigeret. Iudicio verò Dei, & quidem seuerissimo sustinendo quæ tandem creata natura par esse potuit? Nulla certè neque sursum neque deorsum, quantumuis diuino excellentissimóque robore prædita, quia parem & æqualem Deo illam esse oportuisset. Liberatorem istum igitur sic iram Dei subiturum, vt non modò in ea non permaneret, sed etiam omnes sibi donandos liberaret, non modò qualitate diuinissimũ, sed etiam verè & ὁμοούσιον Deum esse oportuit. Hinc illa æterni Filij vnigeniti ab æterno Patre ante omne tempus prædestinata incarnatio 1.Cor.2.7. vt sicuti Pater per hunc Filium condere lapsuram sua sponte humanam naturam decreuerat, sic in eodem Filio illam in iis, quos Filio daturus erat, ab exitio ereptam, ad finem præstiturũ, nempe vitam æternam, adduceret, 2.Tim.1,9.& Heb.2.10. Sed qualem hunc hominem in sese esse oportuit? Certè creata summa bonitate ac iustitia perfectissima donatum. Nec enim Filius ille Deus æternus vnire sese homini vlla vel leuissima labe contaminato potuit, nec ipse propria puritate & liberatore indigens, alios liberare potuisset: quem tamen quum, vt ante diximus, ex illa humanæ naturæ massa, quæ tota in Adamo corrupta fuerat, desumi necesse fuerit: & homo reus & corruptus nonnisi corruptos & reos generare possit: hinc efficitur Mediatorem illum sic verum hominem esse ex Adami posteritate oportuisse, vt illum non homo corruptus generaret, sed vis illa Dei quæ est ipse Deus, nempe Spiritus Sanctus in vtero muliebri & quidem virginis, vt de inconsueto conceptu constaret, purum prorsus & incontaminatum atque adeò sanctissimum ex sanctificata virginis massa crearet. His autem ita decretis, & arcana prorsus sapientia constitutis, superest vt videamus, quomodo per illum vnicum seruatorẽ Deus, quos in ipso ab æterno seruandos, (Ephes.1.5.& 2.Tim.1.9.) eligere & seruare suo tempore per misericordiam decreuerat, per hunc ipsum reipsa quo tempore ipsi libuit eligat & seruet.

Certè quemadmodum inutilis fuerit aduersus omnem morbum medicina, nisi de illa Vocatio externa certior factus ægrotus eam sibi, sicuti par est, applicet: & interna coniunctæ. ita miseris à peccato & morte ad vitam æternam per vnicum illum mediatorem traducendis,

cendis, primùm omniû ſic declarari myſterium illud quod propterea Euangelium vncatur (2. Tim.1.9.) oportet, vt & intellectu percipiatur & aſſenſionne certa veluti applicetur. Fides enim eſt ex auditu Rom.10, & , vt ait ex veteribus quidam, ſicut virgo illa Angeli verbis fidem habens, auribus Chriſtum etiam ſecundum carnem in vtero concepit, ſic nos auribus Euangelii verbum intro per fidem recipientes, Chriſtum veluti concipere ſecundum ſpiritum oportet.

Et hoc illud eſt, quod noſter Apoſtolus Grçcè κλῆσιν appellat, Latini verò Vocationem ſunt interpretati, quòd nimirum vocis organo ſoleat loquentium voluntas intelligi. Sed in hoc quod tractamus argumento quum non modò ſurdi, ſed etiam ſibi in hac ſurditate mirificè placentes homines cuncti naſcantur, ſimul & aures cordis aperiri & auribus corporis você Dei perſonare neceſſe eſt: quorum illud vnius Dei Creatoris opus eſt, iſtud verò hominum ad hoc opus deſignatorum miniſterio peragi Dominus in Eccleſia ſua idcirco inſtituit (niſi ſi quando extra ordinem in hominibus agit) ne ſicut olim Iſraelitis contigit, quû diuinæ vocis maieſtatem apud montem Sinæ ferre non potuerunt, ſic Euâgelici ſermonis quantumuis beneuoli per Deum ipſum prolati gloriam ſuſtinere non poſsimus, nedum aures & aſſenſum illi præbere. Vocatio igitur iſta partim merè interna eſt, Spiritu ſancto audiëtis animum ad intelligendi facultatem aptâte, ſimúlque volûtatem ad aſſentiendum efficaciter diſponête: partim verò externa miſsi ad Euangelizandû ſerui Dei verborum ſonitu id ipſum auribus audientis electis ingerente, quod idem Spiritus ſanctus menti & voluntati ipſius inſculpit.

Fides vera.

Hinc ergò ſalutis intellectæ notitia naſcitur, & hanc rurſus notitiam aſſenſio ſequitur, eáq; non ſimplex & nuda, qua fit vt Euangelicæ narrationi, quæ extra illam Spiritus ſancti gratiam aliis quidem eſt offendiculum, aliis ſtultitia, tanquam certiſsimæ veritati quiſpiam aſſentiatur: ſed cum eo coniuncta, quod πληροφορίαν Paulus noſter paſsim appellat: ipſius videlicet Euangelicæ promiſsionis, cui tanquam veriſsimę aſſenſum fuerit, applicationê ad propriam credentis conſcientiam: quod Dei donum merè gratuitum eſt, & ſolis electis peculiariter, aliis quidem citius, aliis tardius, prout Deo Opt. Max. viſum eſt, tribuitur. Quû enim Euangelium nonniſi ſub vnius fidei conditione Chriſtum amplectendum offerat, côcludere neceſſe eſt, neque abſque hac fide quêquam ſeruari, nec vllos alios quàm electos hac fide donari. Vnde & tertium iſtud efficitur, abrumpi quidem poſſe interdum propter humanam etiam ſanctiſsimorum in hac vita hominum imbecillitatem, huius fidei curſum, ſed ipſum veræ fidei germen ſemel ſatum, nunquam penitus adimi, quum excidere Dei côſilium non poſsit, nec vnquam ſint foràs eiiciendi, quos Pater Filio per verâ hanc & viuam fidem inſeruit.

Fidei effecta.

Sunt autem duplicia in electis iſtius veræ fidei effecta quæ Iuſtitiæ nomine intelliguntur: quorû alia extra nos quidê ſunt, nêpe in Chriſto: ſed ex Euangelicæ promiſsionis formula noſtra fiunt; imputatione per Chriſtum ipſum vera fide, vt modò diximus, nobis ſpiritualiter applicata: alia verò intra nos hęrent, per Dei gratiam inſita.

Iuſtificatio.

Illius generis ſunt in primis, pœnæ pro electorum omniû peccatis à Chriſto toleratæ, quibus peccata ipſorû omnia coram Deo gratis abolentur: itidémq; plena Legis præſtatio, ab eodem Chriſto Patri pro electis exhibita, vt à Legis maledictione liberarentur, quum nô modo non peccare, ſed etiam plenè Legem Dei præſtare homines teneâtur. Hæc autem iſtius Iuſtitiæ pars etſi cum illa ſuperiore prorſus cohæret, ratione tamen ab illa differt, & reatum noſtrum tum per peccatum originale, tum per ſubſequêtes innumerabiles iniquitates noſtras côtractum, coram Dei tribunali vſque adeò abolet, vt non modò non rei, ſed etiam tanquam præſtita Lege iuſti in Chriſto coram Patris tribunali appareamus. Ad has verò duas partes Iuſtitię in Chriſto nobis imputatæ, tertia quoque accedit, nempe plena illa humanæ naturæ noſtræ in Chriſti carne per Spiritum ſanctum conceptæ ſanctificatio: quæ & ipſa per fidê nobis imputata, natiuam illam corruptionem in electis quidem credentibus aboleri cœptam, ſed nondû abolitam, ac proinde ad nos coram Deo abſoluendos inutilem futuram penitus tegit, vt iam nihil prorſus ſuperſit, cuius cauſſa ſint electi côdemnationi Dei obnoxii, imò omne illud Legis δικαίωμα in nobis, Chriſti iuſtitia obtectis, inueniatur. Quas tres imputatæ Iuſtitiæ partes pleniſsimè capitibus ſuperioribus diſtinctè & ſigillatim explicantem Apoſtolum audiuimus.

Iuſtitiæ Chriſti gratis imputatæ 3. partes.

Altera Iuſtitiæ ſpecies nobis in Chriſto per fidem inſitis per Spiritum ſanctum collata, duplici nomine ab illa nobis imputata diſtinguitur: primùm quòd illa quidem ita ſit noſtra vt tamê alii ſubiecto, nempe Chriſto, inhereat, hæc verò nobis & intra nos per eandem Dei gratiam inſideat: deinde quòd illa quidem ſit modis omnibus abſolutiſsima, nobis alioqui nullam æternæ vitæ ſpem habituris, hæc autem quandiu in hoc corpore verſamur, carnis reliquiis aduerſus ſpiritum luctantibus, manca ſit prorſus & imperfecta, ſiue intellectû, ſiue voluntatem ſpectemus. Sic enim Spiritus Sanctus & noſtras mentes illuſtrat vt nonniſi ex parte cognoſcamus, & voluntates noſtras ſic repurgat, vt bene velle & facere quandiu hanc vitam viuimus, non niſi ex parte ſtudeamus. Nec tamen propterea inutilis eſt nobis inhærens illa, quâtumuis imperfecta, iuſtitia: ſed potius multipliciter nobis prodeſt. Nam & certum inde teſtimonium nobis ſuggeritur electionis & adoptionis noſtræ, ſicut vita hæc præſens ex ſenſu & motu nô oritur ſed dignoſcitur: quòd ii demum ſint filii Dei, id eſt, in Chriſto electi & adoptati, qui Spiritu Dei aguntur, Rom. 8.14. & huius iuſtitiæ fructus (bona videlicet opera) Dominus Deus noſter, non quales ſunt in ſe ipſis, ſed quatenus à Spiritu ſuo in nobis efficiuntur conſiderans, gratos illos habeat, &

tum benedictionibus ad hanc vitam pertinentibus veluti remuneretur, tum vita etiam æterna coronet: minimè quidem quòd tale quippiam vllo modo mereantur, sed quòd hæc sit ipsius beneficentiæ magnitudo.

Et hæc quidem via est qua Dominus quos ab æterno gratis eligere proposuit suo tempore nascentes, ac deinceps Christo suo per efficacem vocationem fidéique instrumẽtum insitos, & in eodem plenissime iustificatos ad vitam æternam ipsis destinatam paulatim, summæ suæ misericordię gloriam hac ratione patefaciens, perducit.

Reprobationis consiliũ quibus mediis Deus exequatur

Superest igitur vt de reprobis iusto Dei iudicio damnandis, altera videlicet humani generis parte, disseramus. Neque verò ignoro quàm odiosum sit quibusdã hoc argumentum, adeò quidem vt nonnulli propterea totam de Prędestinatione doctrinam prorsus refugiant, quod certe facere non possunt, quin & Spiritum sanctum temeritatis vel erroris coarguant (quod aperte blasphemũ est) & fidei nostræ basin euertant: alii vero tradendam quidem Ecclesiæ fateantur, sed altera parte, nempe Reprobationis decreto mutilatam: quasi verò possit stabiliri Electionis decretum quin cæterorum Reiectionis decretum itidem necessariò ponatur, quum certè dici non possit decreuisse eligere, qui omnia decreuit accipere. Deinde, vt paucis respondeam ad eorum sententiam qui dictũ illud, Deum velle omnes saluos fieri, de summo & æterno Dei Proposito, ad singulos etiã homines applicant, & rogati, cur ergo singuli non seruentur, respondent, illam Dei voluntatem vtrinque conditionalem esse, ac proinde ratam esse in iis qui credunt, quoniam appositam fidei conditionem implent, irritam autem contrà in iis qui non credunt, vt qui appositæ incredulitatis conditioni sese reddant obnoxios: vt, inquam, iis respondeam, nego consequutionem ipsorum argumẽti stare posse, nisi cum Pelagianis statuant in hominis naturali arbitrio, absque gratia peculiari positum esse tam vt credant quàm vt non credant, vel saltem vt oblatam gratiam possint absque alia gratia tam amplecti ad credendum, quàm non amplecti & illã aspernari, quod & ipsum merè Pelagianũ est. Nã inde necessario consequeretur, non omni ex parte gratuitam esse nostram tum fidem tum salutem, concurrente ad illam gratiam naturali recta ad illam amplectendam facultate. Immò etiamsi totum hoc illis concedatur: (quod absit) tamen ex eo apparet manifesta illius sententiæ vanitas, ex eo quòd credendi gratiam singulis hominibus offerri non verè dicitur, nisi fortè somniemus intrinseca & extraordinaria quadam ratione tot morientibus in orbe terrarum infantibus, tot item adultorũ hominum myriadibus priùs ex hac vita excedentibus, quàm de Christo quicquam vnquam audierint, fidei gratiam infundi, quod delirium refutatione non eget. Denique quum expressum Dei verbum, tam Electionis quàm Reiectionis decretum apertè nobis proponat (quod & ipsa ratio penitus facere nos cogit) nemo alteram huius tractationis partem meritò expunxerit, nisi qui supra Spiritum sanctum sapere se posse profiteatur. Quid autem, obsecro, ad hoc ipsos impellit? nempe quòd metuant ne si decretum Reprobationis in Deo, cuius consilium excidere non potest, statuatur, Stoici fati inuehatur necessitas, sublatáque cõtingentia voluntariarum hominis actionum, Deus ipse peccatorum auctor statuatur: & in periculosissimas tentationes de particulari (vt aiũt) Electione (quũ tamen certè nulla possit esse vniuersalis singulorũ electio) conscientiæ coniiciantur. Sed frustra hoc ipsos metuere partim mox ostendam in alterius quæstionis tractatione, quomodo videlicet Dei decretum & voluntas secundas causas moueat: partim verò certissime & plenissimè ex ipsa contextus Pauli expositione, Deo fauente, ostendemus. Nunc, sicuti prius causas exposuimus, quibus Deus æternum Electionis Propositum in Electis exequitur: ita quibus mediis damnationi destinati sine vlla Dei culpa, æterno Dei iudicio aditum ex sese patefaciant, agedum demonstremus.


Summa igitur & primaria illorũ exitii causa est, Originalis illorũ corruptio, spõtanea Adami voluntate in ipsum primùm introducta, ac deinceps iusto Dei iudicio in omnes & singulos ipsius posteros propagata: in qua etiamsi Deus, perpetuus omnis mali hostis & vindex omnes sine exceptione homines relinqueret perituros, nemini iniuriam faceret, vt qui nemini sit debitor.

Quum ergo exceptis quos ipsi libuit, cæteros in hac corruptione relictos salutifica sua gratia non dignatur, tantum abest, vt propterea sit iniustus, aut nimiũ seuerus existimãdus, vt contra nisi se mali hostem & vindicẽ esse in aliquibus saltem ostenderet, sui ipsius oblitus meritò videri possit. Hæc igitur derelictio iusta secundus est ad exitii præcipitium gradus: nec tamen efficiẽtis causæ rationem habet, sed potius deficientis, quam nonnulli causam Sine qua non appellant, idque fortasse non satis cõsideratè. Nam propriè causa, Sine qua non, ea est, quæ etsi efficiens non est, tamen sic ad effectum concurrit, vt effectus sine ea consequi non potuerit. Sic exempli gratia, Solis occasus non est noctis causa efficiens, sed potius vmbra terræ, & tamẽ nisi sol occideret, vmbra terræ nulla esset. At in hoc, quod tractamus, argumento, peccati radix non est à derelictione, sicut vmbra terræ à Solis occasu: sed ante derelictionem intra ipsum hominem inhæret. Præterea obseruandũ est Derelictionis nomine non significari quòd Deus corruptos & iusto iudicio damnandos ita deserat, & à se abdicet, quasi illorum respectu Deus esse desinat, sicuti pater quispiam filium abdicans de illo nihil cogitat, neque inquirit, neque statuit. Nam si hoc ita esset, consequeretur hominem sua contumacia sese Dei imperio & prouidentiæ eximere: quod falsissimum est, vt ex Dæmonibus ipsis liquet qui vsque adeò subsunt Dei imperio, vt nõ nisi venia impetrata, velen porcos ingredi potuerint. Sic ergo derelinquũtur à Deo,

quos

quos iusto per medias causas exitio ab æterno constituit, vt minimè sit otiosus, sed secundùm æternam suam *πρόθεσιν*, iudicis partes agat, idque non vno modo. Nam alios quidem (quorum tamen particularia iudicia nobis occulta sunt) ante adultam ætatem & intelligentiæ capacem ad iustum exitium abripit, quum omnes iræ filii nascamur, nec quisquam extra Dei in Christo fœdus seruetur: alios ad ætatem vsque adultam, imò interdum ad extremam vsque senectutem prouehit, quibus etsi (vt loquitur Apostolus, sese non relinquit *ἀμάρτυρον*,
Act. 14.17 tamen Euangelii ne audiendi quidem gratiã (quæ vna Dei notitia saluifica est, Io. ca. 17, 3. v.) tribuit: multis tamẽ aliis beneficiis ad hãc vitã pertinẽtibus illos afficiẽs, vt in iis quoq; tolerantiam bonitatemque suam aliquatenus ad tempus testetur: quosdam verò præterea Euangelii quoque sui voce dignatur, eoúsque vt nõnullos interdum beneficus vt assensum quoq; & fidei quandam speciem in ipsis gignat, atque adeò quosdam etiã ex illis insignibus spiritualibus peculiaribus donis exornet, vt in Bilcamo, Saule, Iuda, & iis apparet quorum fit mentio, Matth. 7. vers. 23. Qua Dei bonitate ac veritate quum ipsi posteà contra conscientiæ suæ sensum abutantur, tanto grauius Dei iudicium sibi sua ipsorum culpa sponte accersunt.

Hanc igitur derelictionem sequitur Induratio, id est, ingenitæ corruptionis incremẽtum, veræ fidei & resipiscentiæ oppositum. Quæ induratio infligitur quidem à Deo, vt iusto Iudice, sed ita, vt illam ipse non efficiat, neque sit aliter eius causa, quàm dici potest Magistratus pœnę & mortis alicui facinoroso inflictæ causa. Vtitur enim Deus ad exequendam hanc indurationis pœnam eius ipsius corde quem induratione mulctat. Ac proinde indurat quidem Deus corruptos & damnãdos, partim Sathanæ, partim ipsorũ cõcupiscentiis iustè illos tradẽs. Indurat autem Sathan tentans, & malas cogitationes in illis ciens, sicut in Iudæ ingressus dicitur: & pro suo arbitrio illaqueatos illos abripiens. Indurat denique se ipsum homo sua corrupta merè spontanea voluntate, quæ proprium est voluntariarum omnium actionum hominis principium. Neque istis obstat quòd Deus sit omnis naturalis motus etiam in singularissimis rebus auctor. Nam motrix ipsa facultas, quam Deus ab initio creatam in hominis natura fouet, & quatenus naturalis est, particulares actiones mouet, longè aliud est quàm illius facultatis vitium, à spontanea corruptæ antea per seipsam volẽdi facultatis motione promanans, sicut aliud est ipsa gradiendi facultas, & ipsa ingressio quàm claudicandi vitiũ, & inde nascens claudicatio. Itaque Deus malam voluntatem, non quatenus mala est, sed quatenus volũtas est, mouẽs, benè & iustè semper mouet: mala autem volũtas sic à Deo mota vt se ipsam etiã moueat, quatenus mala est, malè semper sese mouet: ideóque cẽseri Deus auctor malæ vel cogitationis vel actionis nullo modo potest. Sed bonarum actionum alia est ratio. Quoties enim mens benè cogitat, & voluntas benè vult, Deus non tantùm est volendi facultatis auctor & motor, quatenus est à Deo Creatore naturæ humanę insita, sed etiam quatenus bona est, & bonus illius motus, nouo videlicet gratiæ dono prauam facultatem corrigente, & correctam ad bonum finem dirigente: vnde meritò dicitur Deus in Sanctis agere & bona opera sua in Sãctis coronare. At quum de non regeneratis, & eorum cogitationibus & actionibus agitur, nouam illis prauitatem Deus, qui mali auctor esse non potest, minimè infũdit, sed ingenita ipsis per primæuam illam humanæ naturæ corruptionem prauitate per ipsosmet, ad exequendum in illis iustum indurationis iudicium vtitur: & sic tandem implentibus mensuram suam induratis cordibus, Dominus illos ad suum Tribunal ex hac vita euocatos, iustis, ab æterno destinatis, pœnis addicit, gloriam suam in vlciscendo quod ipsi merito displicet, patefaciens, haud secus, quàm suã illam immensam in seruandis electis suis misericordiam declarans, quem vltimum esse diximus ipsius in condendis hominibus scopum.



EXPLICATIO QVÆSTIONIS,

Quomodo Deus voluntate hominis vtatur.

HÆc quæstio ex iis quidem quæ paulò antè diximus, facilè intelligi potest: de qua tamen plenius nobis dicendum videtur. Sciendum est igitur inprimis voluntatem à nobis in Deo non vno modo considerari. Etsi enim semper bonum est quod Deus ordinat vt fit: tamẽ dicitur bonum quidem velle, malum autem nolle. Ex quo fit cum quibusdam colligamus, nullam Dei voluntatem in iis, quæ malè aguntur, interuenire, sed nudam ipsius præscientiã, non modò ruent quæcũque de Lapsu Adami & æterno tum damnationis tum causarum, ex quibus damnatio consequitur, decreto diximus: verùm etiam illud absurdissimum & falsissimum consequetur, Dæmones videlicet & omnes homines, quatenus mali sunt, Dei imperio maxima ex parte eximi: hactenus videlicet quatenus ipsorum actiones non impedit, sed tantùm certis finibus circumscribit. Hinc illa decernẽtis Volũtatis & Permissionis distinctio, quam à nonnullis perperam intelligi difficile non est demonstrare. Nam alioqui rectè explicatam minimè repudiamus, imò retinendam esse profitemur. Primùm igitur, quæso, quoties malorum actiones aduersus bonos feruntur, siue suos exploret, siue castiget Dominus, an ab hac vel exploratione, vel castigatione decretum & voluntatem Dei excludemus? Nequaquam certè, nisi non modò innumerabilibus Scripturæ locis repugnare & præcipua in aduersis consolatione nos ipsos priuare, sed etiam ipsi *αὐτῷ* de Deo *λόγῳ* obsistere velimus, saltem quum de peccatorum pœnis, per deteriores etiam homines inflictis, agitur. Quod si quis Scripturæ verba expressa requirat, reperiet *θέλημα* nomen 1. Petr. 3, 17. & 4, 9, vbi de exploratione agitur: & eadem de re Prædestinationis

Voluntas Dei.

vocem, Rom.8.9. vt & tota Ecclesia Hierosolymitana Definiti cōsilii & manus Domini expressè meminit, de perpessionibus per omniū hominum perditissimos innocentissimo Christo illatis, agens. Et quid Iobus ille hominum iustissimus? Deus, inquit, dedit: Deus abstulit. Et mox eo loco subiicitur Iob.1,22. In hoc toto non peccauit Iob, neque tribuit insulsum quicquam Deo. Etenim Dei decretum Iobus à posteriore (vt in Scholis loquūtur) agnouit, quod expresse antecessisse eo ipso capite declaratur. Sic etiā Dauid suos aduersarios vocat Dei gladiū & manum, Psal.17,13,14. Et Paulus Rom.8, 32. Pater, inquit, non pepercit Filio suo, sed pro nobis omnibus illum tradidit. Cuius verò, nisi Iudæ proditoris scelere, furentium Iudæorum vocibus, iniquissima denique Pilati pro tribunali sedentis sententia? Et verò nisi Deo sic in nostrum bonum volente, statuente, decernente nos ab impiis etiam affligi nossemus, qua fronte ad illum confugeremus?

Quod ad castigationes autem Sanctorum attinet, quibuscunque instrumentis vtatur Deus, nisi illas fateamur à Deo non tantùm regi sed etiam decerni & ordinari, quis tandem inficiabitur, nisi qui præcipuam in illis admittendis & sustinendis consolationem filiis Dei, in Patrem castigantem respicientibus, adimere velit?

Iam verò quod ad illud scelerum genus attinet, quibus quatenus sunt iusta Dei iudicia, mali inter se committuntur, quis in illis exclu serit Dei consilium atque adeò decretum, voluntatem, adeóque vim illam, peccatorum pœnas non permittendo tantùm vel deserendo, sed iustè etiam per malos exequendo, exigentem? Talis fuit Iuliani Pelagiani error, quem agedum audiamus quàm solidè & quàm grauiter ex Dei verbo Augustinus libro cōtra illum 3.cap.5. refutet. *Quid est* (inquit) *quod dicis, Quū desideriys suis traditi dicuntur, relicti per Diuinā patientiā intelligendi sunt, non per potentiam in peccata cōpulsi? Quasi nō simul posuerit hæc duo idē Apostolus & patientiā & potētiā, vbi ait, Si autem volens Deus ostendere iram, & demōstrare po-*
Rom.9.22 *tentiam suam, tulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem. Quid horum tamen esse dicis, quod scriptum est: Et Propheta si errauerit*
Eze.14.9 *& loquutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum: patientia est, an potentia? Quodlibet eligas, vel vtrumque fatearis, vides tamē falsa prophetantis peccatum esse, & pœnam peccati. An & hic docturus es quod ait Dominus, Ego seduxi Prophetam illum, intelligendum esse, deserui, vt pro eius meritis seductus errares? Age vt vis, tamen eo modo punitus est pro peccato, vt falsum prophetando peccaret. Sed illud intuere quod vidit Michæas Propheta Dominum sedentem super thronum suum, & omnis exercitus stabat circa eum à dextris eius & à sini-*
1. Reg. 22 19. 20. 21.22. *stris eius. Et dixit Dominus, Quis seducet Achab regem Israel, & ascendet & cadet in Ramoth-Galaad? Et dixit iste sic, & iste sic: & exiit Spiritus in conspectu Domini, & dixit, Ego seducam eum. Et dixit Dominus ad eum, In quo? Et dixit, Exibo, & ero Spiritus mendax in ore omniū Prophetarum eius. Et dixit, seduces, & praualebis, exi, & fac sic. Quid ad ista dicturus es? Nempe rex ipse peccauit, falsis credendo Prophetis. At hæc ipsa erant etiam pœna peccati, Deo iudicante, Deo mittente Angelum malum vt apertius intelligeremus, quomodo in Psalmo dictum sit, misisse iram indignationis suæ per* Psal.48.4 *Angelos malos. Sed nunquid errando, nunquid iniustè quicquam vel temerè iudicando, siue faciendo? Absit. Sed non frustra illi dictum est, iudicia tua sicut abyssus multa. Non frustra exclamat Apostolus, O altitudo!* Idē Augustinus eodē loco, *Quis ita* (inquit) *desipiat, vt quū audierit quòd in Psalmo* Psa.149. *cantatur, Ne tradas me Domine desiderio meo peccatori: hoc dicat orasse hominē ne Deus sit patiens erga illū, si Deus non tradit vt mala fiant nisi patientē bonitatem præbendo quum fiunt? Quid est autem quod quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem, nisi* Matt.6.13 *vt non tradamur concupiscentiis nostris? Vnusquis-* Iac.1.14. *que enim tentatur, à Concupiscentia sua abstractus & illectus. An fortè hoc petimus à Deo, vt non sit erga nos patiens eius bonitas? Non ergo eius inuocamus misericordiam, sed potius iracundiam prouocamus. Quis ista sapiat sanus, imò quis vel furiosus hoc dicat? Tradit ergo Deus in passiones ignominiæ, vt fiant quæ non conueniunt: sed ipse conuenienter tradit, & fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum: sicut tradidit Achab in pseudoprophe-* 1.Reg.22. 22 *tarum mendacium, sicut tradidit Roboamum in fal-* 3.Reg.12. *sum consilium. Facit hæc miris & ineffabilibus mo-* 14. *dis, qui nouit iusta sua iudicia non solum in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari: qui nō facit voluntates malas, sed vtitur eis vt voluerit; quum aliquid iniquè velle non possit.* Hæc Augustinus. Quid igitur? Nempe primum omnium Voluntatis vocabuli Homonymia distinguendum est Voluntatis nomen, vt potè quod interdū generaliter etiā Noluntatē (vt ita loquar) cōprehendit. Quod enim Deus non vult fieri, certè idcirco non vult, quia vult nolle, quū nulli coactioni subiaceat. Itaque hac significatione rectè dicetur Deus omnia velle, sine vlla exceptione, ac proinde decernere, quum ipsius decretum, vt quid fiat, siue vt nō fiat, nihil aliud sit, quàm voluntatis ipsius statutum. At quū voluntatis diuinæ nomen ad ea duntaxat restringitur, quæ simpliciter, & in se ipsis probat, tum sanè dicendum erit ipsum ea duntaxat velle quæ per se, & in sese bona sunt: quicquid autem prauum & iniquum est, fieri non posse quin oderit, ac proinde prohibeat & nolit.

Deinde quum, vt idem Augustinus ait, *ista Dei voluntas* generaliter accepta *sit rerum necessitas*, & res multò plures malè, quàm benè fiant, Necessitas euentus non tollit contingentiā voluntatis humanæ motū. videndum est quandoquidē tum ex illa Dei volūtate, tum necessariò euenit quicquid etiā malè fit (voluntatē semper intellige generaliter vti diximus, acceptam) quomodo eorum quæ malè fiunt nec auctor, nec effector dici possit. Quīnam enim iure alioqui illa se auctore & effectore facta vindicaret? Sciendum est igitur Deum, vt primum & summum motorem, sicut omnia & singula euentura determinauit pro illa sua sapientissima optimáque voluntate, sic etiam medias causas, per quas constituit, vt quæ determinauit, eueniant, non vnius generis condidisse. Nam aliæ vi quadam à Creatore ipsis indita,

quam

quam generaliter Naturalẽ vocamus, sic ad effecta sua merè naturalia feruntur, vt omni sensu careant: quædam verò sensu & intrinseca quadam prænotionis specie actiones non tantùm merè naturales illas totique speciei suæ communes, sed etiam singulares ad circumstantias temporum, locorum, & personarum accommodatas, edant, vt in bestiis animaduertimus, nullo tamen cum veræ rationis discursu, & nullo cum boni vel mali discrimine. quamobrem nihil istorum vel bene vel malè agere propriè dicitur, de quibus differere nunc nobis non est propositum. Supersunt ea quibus præterea Deus tum intelligentiam ad rerum & rectarum & prauarum causas, partim ex intrinsecus innatis principiis partim ex ipsius opificis beneplacito extrinsecus patefacto diiudicandas & discernendas indidit: tum etiam spontaneum & seipsum sua quoque vi cientem motum ad res agendas vel nõ agẽdas dispositũ attribuit, cuiusmodi res sunt Angeli & homines, quibus vnis propterea intellectus & voluntas tribuuntur, & quæ solæ propterea vel bene vel malè agere dicuntur. Sed de Angelis non est à nobis nunc sermo institutus. Itaque humanarum actionum, quatenus sunt humanæ, principium & veram causam efficientem in ipsa hominum voluntate ponere necesse est, quatenus videlicet agunt homines suo spontaneo intrinsecóque motu. Quatenus autem illa sua vi interiore opus suum sic exequuntur, vt Deus id quod constituit, per illos agat, non humanum, sed diuinum hoc opus existimandum est, cuius principium est generalis illa Dei voluntas: ita vt duplex sit opus, quod vnicum esse videbatur, & pro ratione diuersa principii, vtrumque sit æstimandum.

Itaque si cum Dei voluntate siue latiore, vti diximus, siue angustiore sensu accepta, consenserit hominis voluntas, vtrumque etiam opus, nempe & Dei bona per regenerationis gratiam hominis voluntate vtentis, & hominis suã voluntatem regeneratã sponte bene mouentis, bonum censebitur. Sin verò hominis volũtas, Voluntati Dei patefactæ repugnet, tum quanuis, vt ait Augustinus, id quod fit contra patefactã Dei voluntatem, quæ nihil à se bonum censeri testatur, nisi quod cũ ipsius bonitate & mãdatis consentit, non fiat absque interuẽtu illius generalis diuinæ voluntatis qua quicquid fit decernit, tamen malum opus cẽsebitur: & nihilominus iustum & semper sanctum erit, quod Deus etiam per illã suo proprio motu peccantẽ voluntatem egerit. Sed hîc nobis est diligenter etiam atque etiam videndum ne consentire cum Deo statim putemus quosuis volentes quod Deus vult, vel Deo repugnare quicũque vel volunt quod Deus nõ vult, vel nolũt quod Deus vult. Nec enim spectanda est duntaxat ad consensũ vel dissensum rectè diiudicandum res illa, quam vult aut non vult quispiã, sed animus & intentio volentis vel nolentis imprimis est attendenda, qua de re pulchrè Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap 101: *Aliquãdo,* inquit, *bona volũtate homo vult aliquid quod Deus nõ vult, etiã ipse bona multò amplius, multóque certius volũtate: veluti si bonus filius patrem velit viuere, quem Deus bona voluntate velit mori. Et rursus fieri potest, vt velit homo voluntate mala quod Deus vult bona, vt si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus: nempe ille vult, quod nõ vult Deus: iste verò vult quod vult & Deus. Et tamen bona volũtati Dei pietas illius potius consonat, quanuis aliud volentis, quam huius idem volẽtis impietas. Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem quisque suã referat voluntatem, vt vel approbetur, vel improbetur. Nã Deus quasdam voluntates suas vtique bonas implet per malorum hominum voluntates malas: sicut per Iudæos maleuolos bona voluntate Patris Christus pro nobis occisus est, quod tantum bonum fuit, vt Apostolus Petrus, quando id fieri nolebat, Satanas ab ipso qui occidi voluerat, diceretur. Quàm bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, qui nolebant Apostolum Paulum Hierusalem pergere, ne ibi pateretur mala quæ Agabus Propheta prædixerat? & tamen Deus hæc illum pati volebat pro annuncianda Christi fide, exercens martyrem Christi: neque iste bonam voluntatem suam impleuit per Christianorũ voluntates bonas, sed per Iudæorũ malas: & ad eum potius pertinebant, qui nolebant quod volebat quàm illi per quos volentes factum est quod volebat, quia idipsum quidem, sed ipse per eos bona, illi autem mala voluntate fecerunt. Sed qualibet sint voluntates vel Angelorum, vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus, vel aliud volentes quàm Deus: Omnipotentis voluntas Dei semper inuicta est, quæ mala esse nunquam potest: quia etiam quum mala irrogat, iusta est: & profectò quæ iusta est, mala non est.*

Summa autem omnium istorum hæc est, etiamsi quod malè fit humana voluntate, non fiat absque decreti Dei interuẽtu, ne quippiã dicere cogamur ipso vel inuito, vel nõ curãte fieri (quod sine blasphemia dici nõ potest) nõ habẽdum tamen Deũ vllius mali auctorẽ vel effectorẽ, quoniam nec quicquid decernit approbat, ratione instrumenti seipsum modò bene modò male mouẽtis: nec mala volũtas aliunde quàm à se ipsa mala est: nec inter Dei & malorum voluntatem est consensus: quoniam denique aliud est Dei etiam per peccantem voluntatem opus suum agẽtis semper bonum, quàm malæ voluntatis opus agentis semper malum.

Quod si quis hîc roget quinam Deus aliquid decernat voluntate illa generaliter accepta, quod tamen Voluntate per Legem suam aut particularem reuelationem patefactã non probet, vnde colligunt nonnulli duas & quidem inter se repugnantes voluntates in Deo constitui: dico huius quoque difficultatis petendam ex superioribus explicationem. Sicut enim quũ dicimus Deum plurima velle ac nobis hominibus etiam innumerabilia, non tamen multiplicatur ipsius voluntas, sed ea quæ vult, multiplicantur: pari etiam ratione quum vult inter se repugnantia nõ propterea sibi ipsi repugnat eius voluntas, sed in iis demum quæ vult, repugnantia inuenitur. Itaque quum dicitur Deus aliqua decernere quæ non probet (quo respectu Voluntatem eius generalem omnia decernentem à Voluntate patefacta nonnisi iustũ præcipiente distinximus) istud NON PROBARE, intelligendum est non quod ad Deum ipsum, neque quod ad ipsius opus atti- Voluntas Dei semper vna & bona.

net (hoc enim respectu & quicquid probat decernit, & quicquid decernit probat, vt & quicquid agit) sed de ipsi' humanę volūtatis motu, quatenus ipsa sese mouet, accipiēdum est. Exēpli gratia, voluit Deus euerti Hierusalē, voluit & Satan, voluerunt & Chaldæi, & opus Dei fecisse Chaldæi dicūtur, adeò vt propterea Deus Nebucadnezarem seruum suum vocet. Quatenus igitur hoc opus Dei est qui decreuit illud faciēdum & factum probauit, iusta hic omnia. Nam iustum opus Dei est, pertinaciter rebellantes vlcisci, & pios tum aberrantes castigare, tum variis modis explorare. Quatenus autem hoc opus ambitiosissimi & sæuissimi Tyranni, & sceleratissimorum prædonum opus est, meritò illud damnauit Deus, &, excisa Babylone, vltus est, quamuis non absque ipsius decreti interuentu patratum. Sed vnde hæc discrepantia? inquies. Nempe ex eo quòd totiua in duobus hominibus humani generis naturæ bona quidem creata fuit, sed mutabilis, se ipsam intrinseco suo spontaneo motu mutauit. Vnde quicquid omniū hominum voluntas vult, malè vult, & quicquid agit, malè agit: Deo nihilominus & per hos, & per illos, quoties, quando & quocunque modo ipsi libet, iusta sua decreta exequente, id est, vt ante diximus, partim malos inter se committente, partim suos modò castigante, modò gloriæ suæ & illorum boni causa variis certaminibus explorante & confirmante.

Perguns tamen nonnulli obiicientes duas nihilominus volūtates, & quidem inter se cōtrarias in Deo constitui, si vocari ab ipso nonnullos dicamus, quos tamē seruatos nolit, quū statuēdum sit vel Vocationem esse certum diuinæ de iis, qui vocantur, seruandis voluntatis testimoniū: vel Vocationem, quod ad reprobandos & damnationi destinatos attinet, merum esse Dei ludibrium, qui aliud per os ministrorum testetur, quàm ipse factum velit. Quin etiam citāt illud Christi dictum ad pereuntem Hierusalem: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Absit autem à nobis vt tale quidquam Deo affingamus. Respondemus ergò ex illo eiusdem Christi dicto, Multi vocati, pauci electi, latius patere Vocationē, quàm Electionis decretum. Falsum igitur assumunt qui Vocationem externam omnem putāt esse diuinæ Electionis testimonium necessarium: nec animaduertunt sese, quum sic loquuntur, ex Scylla in Charibdin ruere. Nā certè si quoscunque Deus exterius vocat, seruare decreuit, aut inuito Deo pereant oportet qui vocanti reluctantur, aut illos non nisi mutata voluntate tandem damnauerit Deus, aut cum Pelagianis statuendum erit, Dei decretorum exitum non ab eius voluntate immota, sed ab hominū arbitrio pendere, in quorum arbitrio situm sit, vel irritum, vel ratum facere Dei decretum: vel denique huc deueniendum erit, vt sentiamus, Deum nihil de hominibus nisi ex merè liberi ipsorum arbitrii præuisione statuisse, vt ius non penes figulum (vt scitè loquitur Augustinus) sed penes lutū sit vel decoris dignitas, vel dedecoris contumelia. Stat igitur illud, externam Vocationem sic distinguēdam, vt ea quidem ad Electos pertineat, quæ cum interiore vera coniuncta est, Spiritu sancto videlicet aures cordis aperiēte, & per verā fidē, quod foris auditur, intus sanciēte, vt passim Scriptura testatur. Cur igitur, inquies, exterius vocat? Nēpe vt in illis iusto suo iudicio magis ac magis redditis ἀναπολογήτοις, & sua ipsorum pertinacia induratis, terribilis suæ seueritatis edito iustissimo exemplo, quāta sit sua in suos Electus benignitas declarans, eò apertius gloriam suam vtriusq;, nempe & in miserendo, & in iudicando demonstret. Itaq; simulator non est Deus, sed contra non minus cum reprobis, quos ipse null. debitor, vel nunquam, vel inefficaciter vocat, quàm cum Electis, quos gratis, & intus per Spiritum suum & per verbi ministeriū foris vocat, seriò se agere quod agit reipsa tādem ostendit. Quod autem attinet ad illud Christi dictum, considerandum id esse respondeo, non æternæ ipsius Filii voluntatis, quam vnam & eandem habet cum Patre, respectu, sed habita ipsius tanquam hominis ad patefaciendum Euangeliū missi ratione, siue quatenus fuit Circuncisionis minister: quo sensu accipiendum etiam illud est: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos, certè non quod ad Mediatoris munus, sed quod attinet ad rationis Euangelicæ ministerium. Ministros autem verbi omnes ex animo cupere, vt credant & salui fiant, ad quos vocandos mittuntur, mirum non est, vtpote quibus illud suum de singulis personis arcanum Dominus, nisi fortassis extra ordinē, non patefecerit, vt Mosi quum ad Pharaonem mitteretur, & Esaiæ ad plerosque sese induraturos misso. De hac re verò vt magis etiam liqueat, cōsiderare nos & expendere oportet insignem illam tum Esaiæ Regi Ezechiæ mortem tanquam certò futuram, nec tamen sequutam, ex ipso Dei mandato denuntiantis, tum Ionæ Niniuitarū exitium, quasi intra quadraginta dies futurum, frustra quod ad exitum attinet, prædicentis. Ex his enim exemplis manifestè constat, Deum, quum planè sit immutabilis, nec semper quod externo Verbo testatur se facturum, facere velle vel decreuisse: nec arcanam suā voluntatē semper Verbi sui ministris patefecisse: nec tamē propterea corde duplicē, vel irrisorē habendū: (quū id, quod sic agit, etiamsi ab hominibus neque per quos loquitur, neque quos alloquitur, intelligatur ipsius consiliū) seriò semper agat, siue in iis quos terrere vult, & ad pœnitentiā adducere, non perdere, minas illis tanquam irreuocabilia decreta proponens, siue in iis, quos meritò vult perditos, bonitatis suæ gustum aliquem præbens, cuius spontaneo contemptu magis ac magis suā improbitatem testentur.

De Angelorum & primorum hominum lapsu.

Iam autem nobis ad aliā difficultatem respondendum est, sed quæ rursum ex superioribus facilè possit expediri, Si Dei videlicet decretum necessitatem volūtati siue Angelicæ, siue huma-

næ

nę imposuit, quînam non sit ipse illius deprauationis, siue lapsus auctor. Respõdeo rursũ generaliter necessario quidem euenisse id quod Deus determinauerat, sed non inde consequi ex media caussa necessaria id euenisse: ac proinde necessitate ipsius euentus non fuisse sublatam caussæ mediæ, id est, voluntatis Angelicæ vel humanæ motum sponte & liberè seipsum in id quod Deus qui falli non potest determinauerat, inclinantem. Aliud enim est Necessitas, aliud Coactio: quarum illa voluntatis contingentiam (de qua mox dicemus) non tollit, ista verò voluntatem etiam ipsam agentis perimit, quum coactionis quidem principium mouens sit extrinsecũ, voluntatis autẽ intrinsecum & spontaneum. Vt planius intelligatur, dico tum Angelorum, qui in veritate non steterunt, tum hominum illorum duorum voluntatem talem fuisse conditam, vt si ipsam, qualis erat in sese, consideres, fatendũ sit ea ipsa facultate à Deo Creatore optimo insita fuisse, potuisse vel ad bonum vel ad malum ferri, ac proinde contingenter ad malum esse prolapsam, sese nimirum non coactè, sed sponte prorsus & vltro, atque adeò repugnante ipsorum hac in re, id est, in amplexando malo, voluntati, recta ipsorum intelligentia. Stat enim illa τῶν ἀντιφάσεων contradicentium regula, neutrum illorum esse δυνάμει necessarium, sed tamen ἐνεργείᾳ alterum illorum esse necessarium. Exempli gratia, frangi & integrum manere sunt contradicentia: alterutrum igitur Christi ossibus, non vtrumque simul euenire potuit. & alterum tamen ἐνεργείᾳ id est reipsa fieri in Christi ossibus oportuit. Carnifices igitur quod ad ipsorũ potestatẽ & voluntatẽ attinet, vel frangere vel integra relinquere Christi ossa potuerunt. Cõtingenter ergò Christi ossa integra reliquerũt, ipsorũ voluntate sese non coactè sed sponte ac etiam inscienter ad id inclinante quod Deus ante omnia sæcula determinatum prędixerat. Sic Christus ante horam illam, quod ad mortalem ipsius naturam & malam aduersariorum voluntatem attinet, trucidari potuit. Itaque hora illa à Patre determinata, cõtingenter naturæ ipsius mortalis & malæ aduersariorum voluntatis respectu trucidatus est, quia illa quoque hora illo respectu tam in vita relinqui, quàm trucidari potuit, qui tamen quod ad Patris voluntatem & decretum attinet, non nisi hora illa trucidari potuit, & propterea hoc respectu necessariò hora illa fuit trucidatus. Idem igitur & de Angelorum illorum, ac hominum primo lapsu cogitãdum est, cuius neque auctor neque fautor fuit Deus, causa media, id est, mutabili illorũ voluntate sic vtens, vt eius naturam liberam & spontaneam vlla coactione minimè immutaret. Sicut etiam nunc mutatis ac deprauatis illorum voluntatibus sic vtitur, vt totum vitium in ipsis hæreat, & per illas quoque peccantes iustissima sua æternáque consilia exequatur.

Quid ergo? dixerit aliquis, Nũ nũc quoque vel illi Angeli mali, vel corrupti nascentes homines, vel ad bonum vel ad malũ ferri Intrinseco suóque motu possunt? Minimè verò. Totus enim in malo positus & immersus est Satan cum Angelis suis, nihil nisi Dei terribile iudicium expectans. Homines autem dicere vllam ad verum bonum cogitandum vel amplectendum dispositionem, nedum habitum, ante aduentitiam regenerationis merè gratuitam gratiam habere, tam falsò & ineptè quispiam dixerit, quàm si quis putre cadauer (cui antè gratuitam illam viuificationem ab Apostolo cõparamur Ephes. 2, 1.) vllo vitali sensu vel motu præditũ esse sentiat. Ergò (Inquies) quo iure damnatur peccati, qui non nisi ad malum ferri potest? Optimo certè iure. Primùm quoniam non vult ne tenebras quidem suas agnoscere, nedum vt medicum & medicinam admittat, iuxta illud: Si cæci essetis, vtique videretis.

Deinde quoniam hæc sub Peccatum mancipatio, in qua filii iræ omnes nascimur, non à creatione, vt impii Manichæi sentiebant, sed à voluntaria rectæ naturæ mutatione profecta est. Debitores autem qui præsertim culpa sua facti sunt non soluendo, nihilominus debitores manent, nec fit illis à creditore iniuria, ius suum repetente, nisi fortè sit quibus creditori videatur ex mera liberalitate debitum remittere.

Tertiò etiamsi omnem malæ voluntati libertatem in vtramuis partem de re vlla deliberandi Deus ademisset, solus tamen spontaneus ille motus malus, coactioni oppositus sufficeret illi vni in culpa constituendæ. Sed libertatem ne malę quidẽ voluntati, in vtramuis partẽ sua sponte flexibilem, siue ἑκούσιον, adimimus: sed hoc dicimus, primos illos duos homines ad imaginẽ Dei cõditos, sicut intelligentiã lucidã, habuerunt ad cognoscendũ & probandũ verè bonum, ac proinde, ex ratione contrariorum, ad malum à Deo interdictum dignoscendum & detestandum: ita voluntatem habuisse, vel ad bonum illud sequendum, vt verè ὀρθὸς λόγος dictabat, vel ad malum illi bono preferendum, suggestioni Satanæ potiùs quàm verè rectę illi rationi obtemperando: ac proinde flexibilem vel ad bonum vel ad malum voluntatem habuisse. Adempta vero intelligentiæ luce; (quantum quidem ad salutificam veri Dei cognitionem & officij, quod tum Deo tum proximo homines debẽt) & voluntate eoúsque deprauata, vt ne istius quidem rectę rationis reliquiis quæ ad omnem homini adimendam excusationem supersunt, plerumque obsequatur, sed, vt inquit illa apud Poetam, Videns & probans meliora, id est, minus mala, deteriora tamen sequatur: superest vt voluntatem humanam concludamus, qualis per peccatum euasit, nunquã inter verè bonũ & malũ deliberare: sed vel inter illa, quæ speciem quidem boni habent (cuiusmodi sunt Philosophicę omnes virtutes) sed verè bona non sunt, quamuis alia longius, alia propius à vero fine absint: vel inter illa & verè & penitus mala: vel deniq; inter hæc vel illa merè mala deliberantes pendere: & quamcunque partem elegerint, non nisi peccare: quoniam hæc illorum libertas verè est seruilis, vt meritò dicat Apostolus venundatos esse omnes homines sub peccato, &, vt ait Christus, peccati corruptionis seruos.

Quòd si quis hic roget, quod igitur sit illud Dei bonum opus quod per primos illos homines, quantumuis peccãtes, iustè fecit: respõdeo fuisse pręparationem tum ad iusti sui iudicii executionem aduersus eos quorũ ipse nulli debitor non sit misertūrus, tum ad bonitatẽ suam in iis, quos ab æterno decreuit per misericordiam seruare, longè excellẽtiore ratione, quàm si nunquã in Adamo lapsi essent in Christo reipsa declarandam. Quod si quis vlterius progressus roget, quid per alios ab Adamo propagatos agat: respondeo ex præcedentibus, opera Domini iusta per malas malorum voluntates esse tum malorum per malos punitionẽ, tum bonorum aberrantium per eosdem quoque interdum castigationem, tum suorũ, quantumuis rectè incedentiũ, partim exploratione, partim προφυλακτικὴν (vt medici loquuntur) paternam sollicitudinem, vt felix tandẽ afflictionem & probationem exitus ostendit. Dico etiam aliquid amplius, nempe non tantùm per malos sed etiam in malis Dominum iustè obire iudicis partes, non quòd nouam illis malitiam infundat (nunquam enim est mali auctor) nec etiam duntaxat, quòd illos non fulciat: sed quòd etiam eos adiecta Sathanæ efficacia, suis ipsorum concupiscentiis excæcandos & indurandos dedat. Magna igitur fuit Castellionis inscitia qui hęc inter se vt repugnãtia commisit, Deum indurasse Pharaonem, & Pharaonem cor suum indurasse. Nam etiam Deus interdũ verbo suo proposito, impiorũ improbitatẽ iusto suo iudicio acuit, vt nõ tãtum in Pharaone ad quem indurandum mittitur Moses, sed etiam in maxima Israelitici populi parte, ad quẽ incrassãdum mittitur Esaias, denique vt hodie in quamplurimis hominum millibus, maximo nostro cum dolore intuemur. Id verò non animaduersum eos vehementer fefellit qui quòd vnicum Propositi Dei finem esse existimarint humani generis salutem, idcirco veriti sunt ne Deus (quod absit) hypocrita dicatur, nisi quibuscunque verbum Euangelii proponit, illos etiam seruare velle censeatur, & ita pro Vocatione apud ministros quidem verbi indefinita, apud Deum autem ab æterno certissima certisque hominibus definita Vocationẽ vniuersalem, manifesto errore, substituunt. Etenim ab hac vniuersalitate multò plures constat excipiendos, quàm in ea comprehẽdendos, omnes eos videlicet, qui à condito mundo ex hac vita excesserunt & quotidiè excedunt, & deinceps excedent, priusquàm de Euangelio quidquam vllo modo audire potuerint. Neque ex hoc consequitur, vel crudelem esse Dominum, qui certè iustus esset, etiamsi ne vnum quidem seruaret, vel ab ipso Dei Verbo, quod vitæ verbum meritò dicitur, mortem proficisci. Nec enim ab ipso Verbo, sed ab hominis illud oblatum repudiãtis scelere exitium promanat, iuxta illud, Perditio tua ex te est Israel: à me autem salus tua. Sic ergo Dominus & in malis & per malos opus suum peragit, ab illorum opere prorsus diuersum, vt in bonis, id est, regeneratis, & per bonos longè aliter agat. Creat enim & velle & facere pro misericordia singulari sua, & quamuis illi quoque verè libera, id est, à corruptione per Filii Spiritũ liberata, sic moueantur, vt se ipsos etiam moueãt, ac proinde duplex sit istud opus, nihilominus tamen quoniam & Dei illos mouentis, & ipsorum sese mouentium voluntas vtrinque, quamuis non pariter sancta, cõcurrit, iccirco sua potius, quã ipsorũ opera meritò dicitur Deus & grata habere & coronare, idq; ex altera rursus misericordia, non ex merito: quatenus videlicet illorũ operum etiam iustissimorum næuos excusat, & vt non sua ipsorum, sed vt Christi sui perfecta iustitia donatos in eodem illo vnigenito suo gratis contemplatur. Et ad hanc distinctionẽ spectat rectè intellectum συγχώρησιν, id est Permissionis nomen, tam male à nonnullis acceptum, qui Dei Voluntati, id est decreto illud opponunt (quod Augustinus ante à nobis citatus copiosissimè refutat) quàm rectè ab iis vsurpatur, qui sic distingui volunt Dei actionem in bonis & per bonos verè agentis, ab eodem sic per malos etiam peccantes iusta sua iudicia exequentis, vt tamen malam in ipsis voluntatem non efficiat, neque malè moueat, sed mala ipsorum voluntate duntaxat benè vtatur.

Sic igitur ad illud quoque respõdendum est, quod nonnulli obiiciunt de conditione inter Dei decretum, & eius executione interiecta, quæ conditio si necessariò euentura est, ex Dei decreto, Deum mali auctorem esse colligunt: sin verò incerta est, non rectè à nobis statui euentum ab immutabili Dei prædestinatione pendere. Ego verò respõdeo ex Augustino lib. 5. de ciuit. Dei cap. 9. Vbi postquàm Stoicorum fatum quo necessitati contingentiæ cuncta subiiciũtur, refutauit: *Non est* (inquit) *consequens, vt si Deo certus est omnium ordo causarum, ideò nihil sit in nostra voluntatis arbitrio. Et ipsa quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, eiusque præsciẽtia cõtinetur, quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt.* Item eodem loco, *Voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, ac præsciuit, & ideò quicquid valent, certissimè valent, & quod ipsæ omnino facturæ sunt, quia valituras ac facturas ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest.* Et iterum, *Si definitur illa esse necessitas, secundum quam dicimus, vt ita sit aliquid vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat libertatis.* In summa igitur, quicquid Deus cum conditione futurum decreuit, euenire oportet ex conditionis impletione, quæ si à necessariis causis pendet, necessariò quoque euenit & necessitate consequentiæ & necessitate cõsequentis: sin verò à contingentibus, cõtingẽter quoque, quod ad ipsas causas, euenit: necessariò verò non ex consequentis, sed ex consequentię duntaxat ratione, si decretum Dei immotum spectetur. Et de his quidem hactenus. Nunc ad ipsum Pauli contextum accedamus.

Exposuit Paulus luculentissimè omnium Iustificationis nostræ partium mysteriũ nobis in Euãgelio patefactum, cuius hæc summa est, nos in vnico D. N. Iesu Christo per fidem apprehenso gratis seruari: cui tractationi nisi fundamentum substrauisset quo fides ipsa nostra niteretur, siue fontem aperuisset à quo emanat, itidemque media explicasset quibus tanquam

defluxu

de fluxu quodam nobis per Spiritum sanctum insinuatur, manca & inutilis esset superior omnis tractatio. Quînam enim Fide quãtauis præditi in tẽtationib' vel leuissimis subsisteremus ea securitate certissimaq; fiducia præditi, quam extremo superiore capite descripsit, si seipsa, aut intra nos sito quantocunque robore niteretur? Hoc igitur prospiciens Apostolus capite superiore sicut à Dilectione, qua Deum diligimus, tanquam effecto Fidei necessario & ipsis sensibus nostris perceptibili ad Fidem ascendit, ita à Fide ad Vocationem, à Vocatione ad Prædestinationem, à Prædestinatione denique ad æternum & immotum Dei Propositum nos subuexit, in quo demũ anchora Fidei speique nostrę defixa, tempestates omnes facilè superemus. Hoc autem arcanum paucis verbis & κατ᾽ ἐπιτομὴν extremo capite superiore propositũ, nũc demũ per partes ex professo exponendũ suscepit, tractatione ipsa in duas præcipuas partes distributa: quarum vna à versiculo 6. incipiens, & vers. 23. terminata, doctrinam ipsam Prædestinationis diuinissimè declarat: altera verò ad 12. vsque caput, quæ sit ipsius doctrinæ applicandæ ratio, & quis illius vsus ostendit. Distinguenda enim accuratè sunt hæc duo, quę qui permiscuerũt, maximos & perniciosissimos errores in hanc doctrinam inuexerunt, qua tamen sublata, ne definiri quidem ipsa Fides potest, nedum vt per illam conscientiæ nostræ pacificari possint.

Vtitur autem Apostolus diuinissima prorsus methodo in hoc argumento alioqui obscurissimo, dilucidè & perspicuè explicando, non θετικῶς, sed hypothesibus, siue exemplis prorsus ἀναμφισβητήτοις desumptis, & vbiq; ad ipsam doctrinam docendam & probãdam adhibitis, vt res ipsa penè oculis subiici videatur. Inter has verò hypotheses primum quidem locum tribuit maximæ Iudæorum partis Reiectioni in qua reprobationis, alterum verò Gentiũ Vocationi, in qua Electionis Propositũ tanquam in speculis quibusdam spectandum, proponitur, idq; duabus præcipuè de causis. Primùm enim nullum certius & illustrius exemplum in vtramq; partẽ sumi potuit. Probato siquidem non in pauculis aliquibus sed in multitudine penè innumerabili Reprobationis Proposito, quis aliquos reiici mirabitur? Et rursum hoc ipso nõ in extraneis aliquibus, sed in eius ipsius Gentis maxima parte demõstrato, cũ qua salutis fœdus erat peculiariter sancitum, quis inficiari possit Reprobationis decretum à libera Dei voluntate proficisci? Sic in altera vicissim parte quisnam, animaduerso Gentium efficacis Vocationis exemplo, non concesserit à Deo quoscunq; ipsi libuit, Electioni destinari, ídq; nulla alia ipsius voluntati causa προκαταρκτικῆς pręeunte præter vnicam ipsius liberrimam voluntatem? Deinde etiamsi tractationem de Prędestinatione nõ instituisset Apostolus, nisi tamen huic offendiculo occurrisset, quod ex Iudæorum obstinatissimè, paucissimis exceptis, Christo tanquam falso Messiæ resistentium pertinacia oriebatur, ruitura videbantur quæcunque de Fide in Christum, & eius effectis docuerat. Etenim quotocuique probabile esset, nisi certis rationibus, sacrisque testimoniis confirmato, Messiam eum esse habendum qui à suis non agnosceretur, ab extraneis autem reciperetur? Meritò igitur Paulus ab hac hypothesi occasionem huius pertractãdi mysterii arripuit, non vt in ea subsistat, quemadmodum falsò nonnulli sunt arbitrati: sed vt ex hac hypothesi theses huius doctrinæ generales eliciantur. Inde verò & illud consequitur duplicem quodammodo, siue geminam esse oportere huius loci explicationem: vnam videlicet, quæ ad hypothesin reiectionis Iudæorum, alteram quæ ad ipsam thesin doctrinæ de Prædestinatione referatur, quod sedulò facere studebo.



AD ROM. CAP. IX.

VERITATEM dico.) Quũ Apostol' superiore tractatione probasset in vnico Iesu Christo, per fidem apprehenso, positam esse æter- Versic. 1. 2. 3. 4. 5.
nam vitam, consequebatur extra spem salutis esse Iudæorum gẽtem ex maiore sui parte ęstimatam, quum sese Christi & Euangelii hostes esse Iudæi (paucissimis exceptis) profiterentur. Hoc verò non modò falsò dici sed etiam cum blasphemia coniunctum esse videri poterat, quum ex eo cõsequeretur, excidere igitur posse Dei verbum, id est, fœdus vitæ æternæ per Messiam eum Abrahamo & eius sobole peculiariter sancitum, & infinitis penè adhibitis sigillis confirmatum. Neque his obstat hæc exceptio, tribuendam non esse huius reiectionis culpam Deo, sed ipsis fœdifragis Iudæis. Etsi enim (quod postea Paulus ostendet) non Dei, sed Iudæorum culpa & incredulitate obiectio ista contingebat: tamen hoc non videbatur Deum à mutabilitate satis excusare, vt pote cuius fœderis efficacia, non ab ipsis Iudæis, sed ab ipsius Dei veritate penderet, qui sese vltrò huic genti obstrinxerat, qui propterea videtur debuisse, sicuti salutẽ, ita etiam cor docile ipsis præbere, atque adeò reipsa præstare. Contrà verò Apostolus in eo nunc versatur, vt & Deo suam constare veritatem & Iudæorum gentẽ ex præsente contumacia & maxima eius parte ęstimatã suo merito excisã esse, & à Christi beneficio exclusã demõstret. Vtitur autẽ insinuatione lõgè grauissima & planè diuina, omnes Iudæis prærogatiuas tribuens, quibus hanc gentem Deus à cæteris discreuerat, & sanctissimo iureiurando affirmans tantum abesse, vt prauo aliquo affectu impulsus, tam horribilia de sua gẽte testetur, vt contra vel suo ipsius exitio libenter, si fieri sic posset, istam illius reiectionem fuerit redempturus. Singulas autẽ huius Insinuationis partes nunc attingere nõ placet: sed rem ipsam potius aggredicmur.

Fieri tamẽ nõ potest, vt exciderit sermo Dei.) Quis Vers. 6.
sit iste sermo Dei, quum satis notum esset, nẽpe sic vocari Fœdus vitæ æternæ cũ Abrahamo & eius sobole sancitũ, necesse non fuit à Paulo explicari. Est autem hæc sentẽtia in vniuersum vera, quum Deus neque mutari, neque mẽtiri vllo

modo possit, ac proinde fieri sit necesse, quod futurum in sese decreuit, præsertim quoties hoc suum decretum expressis verbis est testificatus: quod ipsa profanis quoque hominibus veritas persuasit. Hinc enim illud Homericum.

οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλόν,
οὐδ' ἀτελεύτητον γ' ὅ, τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Et quod in contrariam partem affertur à Castellione, & impiis eiusdem fariuæ hominibus, ex Ieremiæ 18, 7 & deinceps, itidémque ex historia morbi Ezechiæ, & pœnitentiæ Niniuitarum, atque adeò ex Lucæ 7. 30. vbi verbum ἀθετεῖν Rescindere interpretatur, puerilis est paralogismus. Longius enim multò patet Verbi diuini appellatio, quàm eius decreti siue consilii quo se facturum vel non facturum aliquid denunciauit: nec etiam vna est huius denunciationis diuinæ species. Multa igitur præcipiendo loquitur Deus & monendo & hortando, quæ tamen euentum non sortiuntur: nec tamē propterea excidit Dei verbum, id est decretum: quoniam sic loquēdo Dominus, non quid facere vel nō facere decreuerit, sed quid sibi ab hominibus debeatur, ostēdit. Sic quoque multa, quoties libuit, denunciat simpliciter se facturū Dominus, vt Ezechiæ & Niniuitis, quæ tamen non facere decreuit, nec propterea hypocrita vel mendax censendus est. Comminantis enim, non decernentis, sunt eiusmodi denunciationes, specie tamē simplicis decreti prolatę, vt eò vehementius homines, eiusmodi stimulis egētes, ad peccati sui considerandam magnitudinem vel inuiti adigantur. Consilium autem Dei, quod Luc. 7. 30. dicuntur Pharisæi aduersus semet ipsos ἀθετῆσαι .i. irritum & inutile sibi sua contumacia fecisse, nihil ad illud Dei decretū de rebus futuris vel nō futuris pertinet, sed in genere significat Dei beneficiū per Ioannē Iudæis indefinitè oblatū alios credendo sibi fructuosum, alios repudiādo sibi non tātùm infructuosum, sed etiam damnosum reddidisse. Sicut & Euangeliū, quod ab Apostolo Act. 20. 27. Consilium Dei vocatur, & à Zacharia Luc. 1. 77. Scientia salutis, aliis est odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem: nec tamē propterea rescindi potest Dei decretum de prœordinatis ad vitam Act. 13. 48. aut de cæteris ad iudicium descriptis Iud. 4. & ad hoc ipsum positis 1. Petri 3, 20. Aio igitur tam impium esse dogma, quo dicitur rescindi posse Dei verbū, id est quod Deus se facturū decreuerit, ac præsertim verbo suo sit testatus, (cuiusmodi est illud, de quo hic agit Apostolus, Dei videlicet Fœdus cum Abrahamo & eius sobole sancitum) quàm blasphemum est dicere vel Deū mutari posse, vel penes hominum voluntatem positam esse Verbi diuini veritatem aut falsitatem. Et quàm ista nihilominus voluntariarū hominis actionum contingentiam non tollant, paulò antè declarauimus. Fuit autem Iudæorum eiusmodi argumentum. Excidere non potest Dei verbū de sobolis Abrahami salute: Ergò Abrahami semen i. Iudęorum genus, à salute excidere non potest. Hoc autem concesso, consequebatur, Christum, quem annuntiabat Paulus non esse verum illum Messiam, in quem respiciebat illud æternæ vitæ fœdus, quum à Iudæis non admitteretur. Antecedens verò huius Enthymematis, quod ad priorem eius partem attinet, Paulus penitus concedit, nempe quòd fœdus illud Dei excidere non possit: in posteriore verò parte nomeo feminis ita vt sequitur, distinguit.

Non enim omnes, qui sunt ex Israele, sunt Israel.) Id est, Non quicunque ex Iacobo patre totius Iudaicæ gentis communi nati sunt, propterea Israelitæ illi sunt, siue illud semen, quicum fœdus illud, quod excidere non potest, sancitum fuit. Non valet (inquam) hæc consequutio: Si excidit Israel, excidit Dei verbum, quum duplex sit Israel, vnus videlicet in fœdere comprehensus: alter verò non item. Itaque vitium illius enthymematis hoc ipsum fuit, quo noonulli etiamnum hodie laborant qui pro Indefinita Vocatione (est autem Vocatio in hoc argumento, id quod sermo Dei dicitur, id est, Promissionis diuinæ declaratio verbis facta) Vniuersalem statuunt, quum tamen hæc duo plurimùm inter se differant. Nam in Vniuersali falsitas inest, si contrarium vel in vnico inueniatur, vt si dari vel vnus homo possit, qui non sit animal, falsa erit vniuersalis enunciatio, omnis homo est animal: at vt Indefinita sit vera, satis est, si in aliquo ita sit, vt illa significat: ac proinde si vel vnus duntaxat ex Abrahami posteritate saluus sit, non exciderit illud Dei verbum, Ero Deus tibi & semini tuo.

Neque quia sunt semen Abrahæ, ideò omnes sunt filij.) Quoniam Iacobi meminerat vt communis duodecim Patriarcharū patris, ne quis miraretur id ab eo factum, quum illud fœdus de quo agitur, initio fuerit cum ipso Abrahamo sancitum, ideò ad hoc vsque conscendit, idem inculcans, nempe nō quosvis Abrahami filios pro semine benedicēdo cēsendos: quod prolato ex ipsius Abrahami familia exēplo probat. Vers. 7.

Sed in Isaac vocabitur tibi semen.) Vtitur Paulus verbo καλεῖσθαι partim ex Hebrææ linguæ idiotismo, quo vocari res aliqua dicitur nō temerè, sed ita vt ex nomine, ꝙ sit, & quid sit indicetur. Sic dicuntur vocari quæ nō sunt, tanquā sint, allusione ad rerū creationē facta, Deo res nondum existentes nominatim quasi iam existentes citante, & hac sua veluti voce efficiente vt existerēt, ipso videlicet Nihilo mādatum Dei ex nihilo cuncta creātis exaudiente. Sic fuit huic Abrahami filio veróque semini, nomen Isaaci impositum, quod Apostolus post Mosen hoc verbo καλεῖσθαι designauit. Sed aliud præterea mysterium longè reconditius latet in nomine Seminis quod sicut proprium vindicatur Isaaco, vt hac appellatiōe ab Ismaele discernatur, quamuis sit & ipse, Deo sic iubente, Ismael vocatus. Probat igitur hoc testimonio Paulus suum ad superiorem Iudęorum obiectionem responsum, nempe non omnibus ex Abrahamo prognatis conuenire Seminis nomen, ac proinde non excidisse verbū Dei, etiamsi Iudæorum vel maxima pars Christum non agnoscens excidisset.

Hoc est, non qui filij carnis, ij Filij Dei: sed qui sunt filij promissionis censentur in semine.) Probato non omnes ex Abrahamo prognatos esse semen illud, quicum æternæ vitæ fœdus erat sancitum,

citum, supereratvt proferret Paulus notam ex qua veri filii in fœdere comprehensi ab aliis, quamuis ab eodem Abrahamo prognatis, discernerentur. Hic verò interrogatus eorũ quispiam, qui æternæ prædestinationis immotum decretum oppugnát, alii quidem vtrinque, id est, tum in Electione, tum in Reprobatione: alii verò (multò certè ineptius) in Reprobatione dũtaxat, quid responderit? Nempe veros Abrahami filios ab adulterinis Fide & Fidei fructibus, vt è cõtrario adulterinos à veris, Incredulitate & Incredulitatis fructibus dignosci. Et hoc quidem verum est, quod ad æterni decreti Dei realem exequutionem, & eiusdẽ inter ipsos homines dignotionem attinet. Sed ista certè nihil ad rhombũ. Nec enim id quæritur, vnde manifestẽtur Electi vel Reprobi. Sed quęstio est, An Dominus cum Abrahamo & ipsius semine vitam æternam paciscens, singulos ex Abrahamo nascendos comprehensos voluerit: an verò certos duntaxat pro bona sua voluntate ad hanc beneficentiam percipiendam destinatos. Huius quæstionis partem priorem si voluisset tueri Apostolus, (vt hodie facere nonnulli conantur) necesse fuisset ipsum ex his duobus alterum fateri, nempe vel Deum postea voluntatem mutasse, vel ab hominis arbitrio, in cuius esset potestate credere vel non credere (neutrum autem istorum Christianum est, sed illud quidem manifestè impium, istud verò prorsus Pelagianũ) suspensam fuisse diuinæ voluntatis efficacitatem. Neutrum igitur istorum vel leuissimè attingit hoc loco Paulus, quoniam à quæstione proposita prorsus aberrasset, disputationem autem illam de reali tum Electione tum Reprobatione ex proximis causis dignoscenda, in suum locum differt. Sed duplex illud semen, ex decreto diuino, (sicut proposita Iudæorum obiectio & inde nata quæstio postulabat) discernendum docens, vnum semẽ dicit esse carnis, cuius exemplum est Ismael: alterum promissionis, quod spectari vult in Isaaco. Et vt intelligeretur quid sit filiũ esse promissionis addit:

Promissionis enim sermo hic est, hoc ipso tẽpore veniã, & erit Saræ filius.) Ex his verbis manifestissime liquet, Promissionis nomine non intelligi quidquam in Isaaco præuisum, vt illi somniant, qui loco Promissionis statuunt Fidem & Fidei fructus in Isaaco, quæ præuiderit Deus quum Isaacũ ab Ismaele discerneret. Nam contrà Paulus discrimen inter Ismaelem & Isaacum, idest, inter semẽ in fœdere vitæ æternæ non comprehensum, & verum semen in fœdere comprehensum, in ipsa Dei voluntate, quam πρόθεσιν vocare solet, considerans, profert promissionem, non quæ Isaacum veluti iam natum & credentem respiciat, sed contra cuius vi nasciturus & hæres, idest fœderis æternæ salutis particeps futurus erat Isaacus. Neque verò existimari potest Deum hîc nobis à Paulo proponi tanquam tunc primum de Isaaco nascituro & hærede futuro statuentem, sed potius quod ab æterno statuerat, tunc demum istius promissionis verbis Abrahamo patefacientem. Nouum enim consilium Deus capere, dici sine impietate nõ potest quoniam in eum mutabilitas caderet. Et quoties tale quippiam in Scripturis dicitur, intelligendum illud est non ipsius Dei, qui semper vnus & idem est, sed nostri & diuersorum ac etiam interdum contrariorum effectorum respectu. Id verò non considerans Castellio, idcóque docens rescindi posse ab hominibus Dei consilium, & Deum spe sua frustrari, in blasphemias manifestas ruit. In summa igitur significat Paulus eos demum esse Abrahami filios in Fœdere comprehensos quos ipse Deus dat Abrahamo ex æterna & gratuita sua bonitate, quam non aliunde, quàm ex ipsius ἐκλογῆς proficiscente promissione, declarat. Hæc enim vocis ἐπαγγελίας propria & germana significatio est. Ex his autem (quum eadem sit necessariò contrariorum doctrina) intelligendũ relinquit Paulus, quinam vocentur filij carnis, hi nimirum, qui patrem quidem etiam habent eũdem Abrahamum, sed virtute tantùm & efficacis naturaliter hominibus ad generandum indita, ex illo videlicet vniuersali verbo, Crescite & multiplicamini: siue, vt etiam apertius loquar, quibus Abrahamus pater est, non quatenus Deus cum eo & ipsius semine vitam æternam pactus est, ac proinde à reliquis hominibus hac qualitate segregatus, sed quatenus homo est, reliquis hominibus patribus similis. Sed iam videamus quomodo sit istud, primùm quidem Ismaeli, deinde verò Isaaco applicandum, ac deinceps quomodo ab Ismaelis & Isaaci hypothesi ad thesin Prædestinationis δυνάμει consideratæ referendum. Annõ enim, dicet aliquis, & Ismael & Isaacus ex maris & fœminæ concubitu sati sunt, ac proinde communi hac ratione Abrahami soboles? Sunt profectò: At non pariter. Nam Ismael quidem ex vegeto vtroque parẽte, & merè humano diffidẽtis ac de sobole desperãtis Saræ cõsilio (cuius infœlix etiam exitus fuit) natus est, idcóque merè filius fuit Carnis, Isaacus autem ex patre centenario, matre nonagenaria & natura sterili, extraordinaria vi per expressam Dei promissionẽ declarata, non tam ex illis natus est, quàm ipsis diuinitus datus, ideóque non Carnis sed Promissionis filius dictus: cuius tamen appellationis alia etiam ratio est, in primis in hoc argumento spectanda. Potest enim etiã Deus extraordinariam vim generandi impiis ad reprobos gignendos tribuere. Itaque non illa tantùm ratione Isaacus dicitur Promissionis filius, sed in primis quoniam sic Abrahamo datus est, vt in eo, non autem in Ismaële, æternæ vitæ fœdus præstare Deus decreuerit: vnde fit, vt in Ismaëlis quidem persona iustè suo tempore reprobandorum, in Isaaco verò gratis suo tẽpore eligendorum æternum decretũ nobis à Paulo spectandũ proponatur, vt ex versiculo 16. ab ipso Apostolo hypothesibus istis tum Ismaëlis & Isaaci, tum Esaui & Iacobi ad thesin expressè reuocatis, declaratur. Sed hîc nobis priusquàm longiùs progrediamur, ad quorundam obiecta respondendum video. Non desunt igitur qui quod hîc dicitur de Ismaele & Isaaco, negẽt ad æternæ vitæ fœdus pertinere, Ad quid igitur? Ad terram Chanaan, inquiunt, extra quam eiectus fuit Ismael. Quasi verò terra Canaan spe-

ctaoda sit vt terrestre quoddam solum in quo Deus, exclusis Ismaëlitis, Israelitas solos pascere atque adeò saginare huius vitæ bonis voluerit, ac non potius fuerit æterni fœderis illius &, vt loquitur auctor epistolæ ad Hebræos, cælestis illius ciuitatis, ad quā patres illi anhelabāt, visibile pignus ac symbolum, vt ab ea Dei iussu expelli, tūnc temporis, fuerit eius, de quo hîc differitur, ab æterno decreræ Reiectionis testimonium. Etenim, obsecro, si vera esset istorum sententia, quid ineptiua fuerit Apostolo Iudæis sese populum esse Dei etiamsi Iesum Christum oppugnarent, iactantibus, hæc exempla opponente? multò minus profectò (si siquidem vt isti volunt explicentur) ad propositam quęstionem pertinentia, quàm si quis de cæpis interrogatus, de alliis responderet. Num ergò, inquiunt, Ismaelem pro penitus reiecto ac proinde damnato habebimus? Respondeo, relinquenda quidem esse à nobis ipsi Deo arcana de singularibus personis iudicia, sed tamen non temerè Paulum in Ismaelis persona proponere eorum exemplū: qui licet ex Abrahamo nati, & externa circumcisione circumcisi, tamen apud Deum non essent in æternæ vitæ fœdere comprehensi. Deinde non constaret antithesis harum duarum personarum, nisi in Ismaele consideremus contrarium eius quod in Isaaco omnes sine controuersia agnoscunt. Nec sanè in iis, quæ de Ismaele tum prædicit Angelus Domini, superbam eius matrem alloquens, tum ipse Moses narrat, quicquam inuenio, quod hominis à Deo electi ingenium resipiat: Immò quum ex eo genere Antichristum perditissimum Mahumetem ortum esse constet, videtur adhoc in hac progenie (exceptis quos Dominus ex huius populi gēte misericordia sua dignatus est, & porrò dignabitur) vim illam suam exercere, Non erit hæres filius ancillæ cum filio heræ.

Nunc autē superest vt ad alterum nobis propositum caput progrediamur, id est, vt explicemus, Quomodo hæc hypothesis ad doctrinæ de Prędestinatione Thesin generalem sit applicanda. Primùm igitur in hac hypothesi vtrumque, nempe tum Ismaëlem, tum Isaacum videmus in Abrahami familia, id est, in Ecclesia, natos, cōmunia inter se externa omnia habere, nec tamen vtrumq; in eo fœdere, quod veræ Ecclesię proprium est, censeri, sed alterum tantùm, & quidē natu minorem. Quod si Ismael quamuis in Ecclesia natus & circuncisus, tamen ad æternæ vitę fœdus nō pertinebat, quid de tot populis (singulares enim illas personas excipio, apud quas Patriarcharum doctrina nondum penitus obsoleuerat, vt ex Melchisedeci, imò & ex ipsius Abimelechi & Pharaonis illorum tēporum exemplis liquet) extra Abrahami familiam abdicatis censebimus? In hoc igitur tanquam speculo contemplari singula hæc capita debemus. Primùm triplicem esse humani generis rationem in æterno illo Dei decreto considerati. Nam alii quidem extra Ecclesiam sunt nati, & tales permanent, quos videlicet Deus nulla vocatione ad salutem neçessaria, id est, nulla gratuiti sui Fœderis patefactione dignatur, ideóque necessariò extra spem salutis sunt positi, quum fides sit ex auditu, & sine fide sit impossibile vt quisquam Deo placeat: inexcusabiles tamen, quod ad decreti diuini exequutionem attinet, partim quòd omnes nascantur iræ Dei filii, non promissionis Eph. 2. 3. partim quòd omnes adulti homines, tum impietatis, tum iniustitiæ extra Christum comperiantur, Dei veritatem in iniustitiis detinentes, Act. 14. 17. Rom. 1. 18. & 2. 14. Alii verò quorum speculum est Ismael, in Ecclesia nascuntur & Christianismi notis omnibus externis ornantur, nec tamen ex veris omnibus sunt apud Deum nemini debitorem: quorum etiam damnatio, quod ad diuinum decretum attinet, necessariò euenit: contumacia verò & incredulitas est merè voluntaria & eò minus excusabilis, quò plura Dei dona sponte & vltrò conspurcarunt. Alii denique ex mera Dei summè misericordis εὐδοκίᾳ à reliquis hominibus ad salutem efficaciter vocantur, aut etiam ante vocationem siue antequam adolescāt in fœdere Dei gratuito comprehensi gratis seruātur, siue in Ecclesia ipsa nati & ab ipso exortu externa fœderis tessera donati, vt Isaac: siue extra Ecclesiam quidem nati, sed suo tēpore in Ecclesiam verè asciti, vt in Gentium vocatione noster Apostolus demonstrabit.

Secundò, ex his intelligimus plures esse vocatos quàm electos, ac proinde quamuis iubeat nos charitas de omnibus, quibus externum verbum proponitur, & præbentur sacramenta, bene sperare: externa tamen illa non esse simpliciter necessaria, sed tantùm probabilia Prædestinationis ad salutem τεκμήρια, ac proinde non rescindi Dei decretum, neque mutabilem esse Deum, etiamsi non omnes seruatos velit, qui extrinsecus vocantur.

Tertiò, decreti istius æterni arcanum non esse Verbi & Sacramentorum ministris inquirendum, sed simpliciter curandum illis esse, vt quibuscunque Dei verbum annūciare & Sacramenta iubētur præbere, relictis Deo arcanis ipsius consiliis, summa fide & diligentia operam suam impendant, sicut Abrahamus Ismaëlē non minus, quàm Isaacum ex Dei mandato circumcidit, & viam Domini docuit, nec propterea Dominus Ismaelem habuit ludibrio, vtpote cui ad serium iudiciū proponeret illud ipsum Fœdus ad quod in diuersum prorsus finem Isaacū per eiusdem Abrahami ministerium vocabat: neutri facturus iniuriam, qui nemini debitor est, etiam si neutrū ad saluificum fœdus vocasset. Nec etiam mendax aut fallax fuit Abrahamus tam Ismaelis, quàm Isaaci salutem seriò procurans, donec Ismaelem eiiciendum esse intelligeret.

Quartò diuini propositi summam causam esse meram ipsius Dei voluntatem, quæ quum sit vnica iustitiæ regula, iniusta esse non potest, quantumuis in ipso occulta. Itaque quum ad summam illam causam ascenditur, qua nihil est superius, minimè dicendū est hunc potiùs quàm illū siue saluti, siue exitio à Deo destinari, quoniam in hoc vel in illo aut iam extana inueniat, aut futurū prospiciat, quo ad hūc potius, quàm illum salutis vel exitio destinandum impellatur. Est enim hoc sic absurdum, vt sit etiam impiū quum vel Dei voluntas ipsam rerum existentiam

tiam & qualitates necessariò præcedat, aut res à se ipsis, & quòd sint, & quòd tales sint existant. Sed è contrario dicendum est iustum esse hunc potius, quàm illum vel saluti vel exitio destinari, quia Deus sic velit, qui nihil nisi iustum velit: etiamsi in arcana ipsius penetrare nequeamus. At quum agitur de huius æterni decreti exequutione, quoniam inter illam & decretum ipsum Intercedunt causæ mediæ à Deo constitutæ, tum demum dicendum est damnãdos, qui damnantur, quoniam hoc merẽtur illorum corruptio & peccata, iuxta illud, Perditio tua ex te est Israel & stipendium peccati mors: seruari verò, qui seruantur, quia iustũ est vt Deus, tum summè seuerum iudicem in pœnis, quas à nostro fideiussore exegit, tum summè misericordẽ in eo se præbens, quòd ad filiũ gratis donatum, gratis itidem efficaciter vocet: ac in eo per gratuitum Fidei donum apprehenso gratis iustificatos, gratis itidem glorificet, quos ipsi visum est ab æterno & creationi, & huic fini destinare: id quod in proximè sequente Esaui & Iacobi exemplo clarius Apostolus noster ostendet.

Vers. 10. Neque hic solùm, sed Rebecca quum ex vno concepisset, nempe ex Isaac patre nostro, hæc experta est.

11 *Nondũ enim natis pueris, quum nihil boni fecissent vel mali, vt propositum Dei, quod est secundũ ipsius electionem, non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret,*

12 *Dictũ est ei Rebecca, Maior seruiet minori.*

13 *Sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Quoniam non deerat, quod aduersus exemplum superius exciperent Iudæi, nempe iccircò Ismaelem nõ fuisse in illo Fœdere comprehensum, quòd esset ancillæ filius: sese verò omnes ex Sara ingenua & vera Abrahami vxore, imo etiã ex ipso Isaaco in Fœdere comprehenso natos: iccircò nunc Apostolus aliud illis exẽplum obiicit, multò expressius, siue personas ipsas, eundem videlicet patrem illum ipsum Isaacum, eandem matrem, nempe Rebeccam, gemellos denique simul & conceptos & natos, siue ipsum Dei testimonium perspicuum & quidem repetitum consideremus: quæ omnes circunstantiæ huc spectant, vt efficiatur decreti diuini, æterni, & Immoti, quo Deus cum aliis quidem vitam æternam paciscitur, cum aliis verò nõ item, (est autem hoc perinde atque alios saluti, alios suo iudicio destinare) causã summã & προηγουμένην esse Dei voluntatem, quæ causas medias omnes, per quas hoc decretum Deus, sicut mox docebit Apostolus exequitur, non tempore tantùm, de quo nullus ambigere potest, sed etiam ordine antegrediatur. Ergo inquit Apostolus, *Nondum natis pueris*, vt amoueatur ipsarum personarũ, id est, tum Esaui seruituti & odio extra Dei fœdus destinati, tum Iacobi ad dominationem & amorem ex fœderis formula asciscendi, existentiæ consideratio. Addit præterea,

Et priusquam boni vel mali aliquid fecissent.) Vt ab illo Dei decreto excludatur omnis tum Esaui indignitatis, tum Iacobi dignitatis præuisio, qua impelli Deus siue ad odii, siue ad amoris decretum potuerit: *dictum est Rebeccæ*, id est, æternum illud suum decretum his verbis matri patefecit Dominus (Nec enim quod ab æterno decreuerat, tunc primùm statuit Deus, sed quod ab æterno decreuerat, tunc demum expressis verbis significauit) *Maior*, secundum carnem videlicet, vtpote primogenitus, & externis dotibus multò excellentior, *Seruiet minori*, ac proinde hæres non erit, sed cum primogenitura simul etiam hæreditate paterna excidet, ad parem cum Ismaele seruo conditionem redactus: nempe vt inter se hac vna in re isti duo differãt, quòd Ismael seruus natus esset, nimirum ex ancilla, quum ex Iurisconsultorum etiam regula, partus ventrem sequatur: Esauus autem ex ingenua quidem matre natus, sed ad serui conditionem, quod ad fœderis hæreditarij ius attinet, fuerit à Deo destinatus. Et ne quis istam seruitutẽ simpliciter de subiectione interpretaretur, cui postea obnoxij fuerunt Idumæi (quæ neque perpetua fuerit, neque ad Fœdus illud æternæ vitæ pertinuerit, in quo neque seruus est, neq; liber) additur Domini testimoniũ per Malachiam sic loquentis, *Iacobum dilexi, Esauum autem odio habui*: quibus verbis ipse Dominus optimus suæ voluntatis interpres, dominationem quidem illam, cui Iacobum destinauerat, cum amore illo suo, quo omnes in fœdere suo cõprehensos diligere & seruare ab æterno cõstituit: seruitutẽ verò, cui Esauũ destinarat, cum odio illi amori suo opposito, prorsus cohærere significauit: *Vt firmum maneret propositum Dei, quod est ex electione non ex operibus sed ex vocante*, id est, vt ita liquidò constet, quòd Deus aliquem vult in salutis fœdere comprehendere, manare nõ ex vlla eius dignitate, quem Dominus à reliquis segregatum ad salutem vocat, sed à mera & sola ipsius εὐδοκίᾳ, ideóque firmissimum, & penitus immotũ esse Dei de seruandis electis suis decretum. Quamobrem etiã antea diximus, necessariò oportuisse Apostolum sicut à sanctificatione ad fidem, ita etiam à fide ad æternum & immotum æternæ Prædestinationis Propositũ conscendere: manco & mutilo alioquin futuro, quicquid de Fide & ipsius effectis disseruerat. Hoc autẽ si firmum est & ab vnica Dei voluntate pendens, electionis nempe suo tempore futuræ decretũ, idem certè de opposita parte, nempe de Reiectionis futuræ decreto necessariò statuendum est: non modò quoniam eadem est Contrariorum doctrina, siue Physicè siue Theologicè loquamur, sed etiam quia nemo ex duobus vel pluribus aliquem, vel aliquos Electioni destinare potest, quin hoc ipso, quòd aliquos electioni & amori suo destinat, cæteros à se Reiectioni & odio destinari testetur: itidémque, si, vt in hoc exẽplo spectandum proponit Apostolus, nulla in eligendi siue ad salutem destinandi decreto, ne ipsarum quidem personarum, quas Deus eligere decreuit, existentiæ prænotio causam ipsius decreto præbet, necessariò quoque idem in opposito Reiectionis decreto statuendũ est, vt quàm verũ est quòd aliquis sit nasciturus & vera ac minimè otiosa fide præditus futurus, nõ præbuisse Deo causam ipsum amori & saluti destinandi (quanuis non sit reipsa dilecturus & seruaturus nisi natum & credentem) tam quoque verum

sit quòd aliquis sit nasciturus & ἄπιστος mansurus, non præbuisse Deo causam ipsum odio & damnationi destinandi, quanuis non sit nisi natum & ἄπιστον damnaturus.

Quomodo verò ex eo non consequatur Deum igitur esse vt bonorum salutis, sic etiam malorum exitii auctorem (quæ obiectio ex hac doctrina videtur enasci) mox Apostolus ostendet. Sed antequam ad eam obiectionem & eiusdem explicationem accedam, necessariò nobis est eorum sententia refutanda, qui aliter superiora Apostoli verba interpretantur. Horum igitur alij penitus negant hîc agi de Electione vel de Reprobatione, quod ad vitam æternam attinet, sed potius de possessione terræ Chanaã, vni nempe Iacobo tribuenda, alteri verò nempe Esauo non tribuenda: quasi sic colligat Apostolus, Quemadmodum ex duobus eiusdem Iacobi liberis vnum Deus in hæreditatē terrenam admisit, alterum verò ab ea exclusit, ita nouum nunc non esse, nec irritum fieri æternæ vitæ fœdus, etiamsi aliquos duntaxat in fœderis promissione comprehendat. Sed quis non videt res prorsus impares inter se, si hæc interpretatio valeat, comparari, hæreditatem videlicet terrenam & temporariam cum cælesti, ac proinde argumentum istud non magis procedere, quàm siquis dicat. Potest quispiã pater duorum liberorum absque iniustitia vnum ex asse hæredem instituere, alterum verò vt satis iam diuitem (qualis erat Iacobo moriente Esauus, fratre armentario longè locupletior & potentior) iubere suam portionem vltrò fratri cedere. Ergo potest etiam absque iniustitia vnum omni fœlicitatis genere beare, alterum morti addicere: vel potest quispiam pater vnum ex filiis exhæredare, ergo eum etiam occidere. Certè non ita docent Dialectici à comparatis argumentari. Deinde quis non videt Apostolo propositum esse à signo ad rem significatam, id est, à terra Chanaan vt sacramento, siue potius typo, ad cælestem hæreditatem, quæ est ipsius typi veritas, argumētari? Ac proinde istas personas non quatenus terræ Chanaan vt terrenæ hæreditatis possessores fuerunt, vel non fuerunt, sed quatenus vel eius possessores, vel ab ea exclusi, vt æterni fœderis typo, simul etiam in fœdere cōprehensi vel non comprehensi fuerūt intellig? Præterea quorsum Paulus ad Deū vsque assurgeret, & eius odium & amorem commemoraret, ac non potius in ipso Iacobo subsisteret. Denique Paulus superiore cap. 8. à Fidei effectis ad Fidem, & à Fide ad æternū Dei Propositum conscēdens, annon manifestè ostendit scopum hunc suum esse, vt ex istis hypothesibus ad thesin, id est, ad absolutam Prędestinationis tractationem pergat? Et de istis quidem hactenus. Iam ad Castellionem, & eius sectatores accedo, quem non pudet apertè in suis illis dialogis blasphemiarū plenis non modò dicere, sed etiam inculcare, *Deum mutare propositum*, *vtpote qui omnes* & singulos cupiat seruari, nihil autem decreuerit de eorum salute vel exitio, nisi ex cōditione, quæ in ipsorum hominum potestate & libero arbitrio sit posita, adeò quidem vt modò spe sua excidens perdat contumaces aut defectores, quos seruatum iri sperabat: modò seruet resipiscētes quos perdere rebellantes destinauerat? Hoc verò quid aliud est, quàm Pelagium ab inferis reuocare? Dei Prouidentiam ab hominis voluntate suspēdere? Denique opificem suo ipsius operi subiicere? Sed de hoc apertè impio & blasphemo dogmate plus satis. Nunc videamus quomodo hæc Pauli verba detorqueat. Primùm negat hæc testimonia siue illud Mosis, *Maior seruiet minori*, siue illud Malachiæ, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, illas personas comprehendere, sed de duobus populis hæc dici, nempe de Idumæis & Israelitis, qui sint ab illis duobus exorti. Quorsum verò istud? Nam primùm omnium si vult excipi Esauum à seruitute & odio, cur non pari ratione dixerim Iacobum à dominatione & amore excludendum? Quòd si posterius istud falsissimum est, cur non & illud? Immò quis non videt corruere Pauli fundamentum, vel ipsum potius Domini verbum, si de populis duobus ista sic dicuntur, vt ipsa populorum capita in illa seruitute cum odio coniuncta, & in illa dominatione cum amore Dei cohærente, non comprehendantur? Nam certè duo pueri, non duæ gentes, nisi quatenus in illis erant comprehēsæ, mutuò sese in vtero matris collidebant: & primus ipse Edom, à quo Idumęi, in mōte Seir fuit collocatus. Neque sanè quidquam de Esauo legimus, quod hominem profanum non resipiat, id quod minimè velim de singulis ipsius posteris existimare, inter quos Iobus cū suis illis amicis non temerè possit recenseri. Deniq; vt istis concedamus, nec Esaui nec Iacobi personas hic respici, sed totas & integras potius gentes, quid tamen inde aduersum nostram explicationē consequetur? Semper enim illud stabit, integram etiam gentē Electioni in Fędere, & integram gētē Reiectioni extra Fœdus destinari, quod certū est Idumæis & Israelitis factum. Quod vt eludat Castellio ad aliud commentum refugit. *Etenim*, inquit, *illud Domini dictum apud Malachiam, Esauum odio habui, non de re futura prædicitur, quasi Esauus fuerit Deo inuisus, antequàm mali quippiam fecisset, sed vt res præterita narratur, & istud verbū Odi, nihil aliud valet, quàm minus quàm Iacobum amaui: sicut in illis Christi verbis. Nisi quis oderit patrem & matrem*, &c. *nō est me dignus*, Luc. 14. ver. 26. & Deut, 21. 25. *vbi exosa dicitur mulier, quæ est minus dilecta.* Miror autem imprimis hominem istum aut non animaduertisse, aut dissimulasse perpetuum hunc esse Scripturæ morem, vt quum de Factis Dei disseritur, nō quatenus illa suis tēporibus exequitur, sed quatenus sunt ab ipso decreta, præterito tempore vtatur, ad designandam eius decreti æternitatē. Sic dicitur de Ieremia antequàm prodires ex vtero cognoui te, & antequàm formarem te in ventre, cognoui te, & antequàm prodires ab vtero sanctificaui te, & Prophetam gentibus te dedi. Et Paulus de se ad Gal. 1. Separauit me, inquit, Deus ab vtero matris meæ & vocauit me per gratiam suam. Et 2. ad Tim. 1. 9. dicimur salui facti & vocati secundum gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora sæculi. Frustra igitur hoc subterfugium quæritur, & quum res ipsa clamet Malachiæ testimonium

citari

citari tanquam priorie expositionem, in quo vtitur Deus verbo futuri temporis, *Seruiet*, disertè annotato tempore, quo sic Dominus erat loquutus: quis non videt ita significari cum illa seruitute, cui destinabatur Esauus coniunctam fuisse Destinationem ad odium, quę ipsam Esaui natiuitatem, ac proinde etiam improbitatem, non modò tēpore (id enim per se satis intelligitur) sed etiam in primis ordine causarum antecederetur? Neque ex hoc consequitur quod iste existimat, perpetuò ad hūc scopulum impingens, inuisum fuisse prius Esauum, quàm natum, vel malum, quum Deus nihil nisi malū oderit. Aliud enim est, esse odio destinatum ab æterno quia sic Deo visum est, quàm secundum æternæ illius Prædestinationis exequutionē esse propter corruptionem & eius fructus Deo inuisum. Nam odii Dei causam inuenit Deus in ipsis hominibus totam inhærentem: Destinationis verò ad odium causa vnica est ipsius voluntas semper iusta, cuius gloriæ interest vasa tam ad iustè ipsis infligendum dedecus, quàm ad gratuitò donandum decus, cōdere. Vt autem alicubi verbum, Odisse, non ἁπλῶς, sed κατά τι, id est, alterius quem minus amet respectu dicatur, sicuti fateor interdum pauperes dici, non quos premat egestas, sed cum locupletissimis aliis collatos: non tamen consequitur hanc interpretationem vbique locum habere. Imò nisi quid peculiare obstet (id quod vel ex ipsa rei natura, de qua agitur, vel ex aliqua circunstātia dignoscendū est) retinenda nobis est propria & natiua verborum significatio. Hìc igitur qua de re agit Dominus? Certè, vt antè ostendimus, non de hæreditate quapiam fertili vel sterili per se, sed de æternæ salutis fœdere, cuius omnium locupletissimæ benedictionis typus erat terræ Chananitidis fertilissimæ possessio ex Dei manu in hunc vsum accepta. Vnde consequitur, exclusionem ab ea regione & reiectionem in solitudinem vastam fuisse in Esauo exclusionis à Fœdere cum patribus inito testimonium. Aut igitur istis demonstrandum est aliquem à Deo extra fœdus, siue extra Christum diligi, aut confitendum in Esauo proponi eorum exemplum quos Deus extra salutis fœdus odit, id est, odio suo exitiali destinauit.

Superest vt iis respondeam, qui Electionis quidem, siue Prædestinationis ad salutem, decretum gratuitum esse fatentur, (quorum tamē non vna sentētia est, vt mox dicemus) Reprobationis verò decretum à pręuisa incredulitate & eius fructibus suspendunt: quum tamē Apostolus expressè hanc regulam statuat in hac tota tractatione, Isaacum Ismaeli, & Esauum Iacobo, & odiū amori, pari prorsus ratione, opponens: & tam Esaui, quàm Iacobi tum natiuitatis, tum & probitatis & improbitatis præuisionem tāquam προκαταρκτικὸν αἴτιον excludens. Afferunt autem has rationes. *Non valet* (inquiunt) *hoc argumentum. Si vasa misericordiæ amantur, antequàm boni quicquàm fecerint, etiam vasa iræ odio habentur, antequam mali quicquam fecerint.* Atqui nemo nostrûm sic vnquam argumentatus est, sed hoc modo, qui certè refelli non potest: Si Deus amori & saluti destinauit quos ipsi libuit, antequàm nati sint, id est, ab ęterno, & antequā boni quidpiā fecerint, id est, nulla habita vllius ipsorū bonitatis, qua ad illud decretū impelleretur, pari ratione: necessariò quoque statuendum est ab ipso destinari odio & exitio, quoscunque ipsi libuit, nullo ipsorum improbitatis quod ad illud decernendū attinet, habito respectu. Quînā enim dici possit ex Apostoli doctrina haberi siue in amoris siue in odii futuri destinatione vllam siue bonitatis, siue improbitatis rationem in iis, quos ne vt natos quidē & in rerum natura existētes decernens Dominus consideret? Sed qui à nobis in hoc dissentiūt, decretum Dei cùm ipsius exequutione perpetuò confundunt: & quum ipsa exequutio & causæ mediæ, quarum interuentu Deus æterna sua consilia suo tempore exequitur, ordine causarum & effectorū, decretū Dei consequantur, ipsi contra volunt causas medias in mente Dei priores esse, ex quarum præuisione Deus consilium capiat: quo quidem dogmate nihil & ipsi Dei naturæ & diuino verbo magis repugnans, immò ipsi rationi minus cōsentaneum, atque adeò nihil magis Pelagianum, id est, nihil magis falsum, dici potest. Præterea neutra pars illius argumenti vniuersaliter vera est, nec in nostrorum scriptis vnquam reperietur. Etenim nec quicunq; amantur, amantur antequàm boni quicquam fecerint, si realē (vt ita loquar) amorē Dei erga suos electos consideres, quum sic prior illos dilexerit, vt etiam postea Spiritus sui fructus edentes diligat: nec etiam quoscūque odit oderit antèquam mali quicquam fecerint. Odit enim iam peccatores. Quid amplius? *Electio* (inquit Castellio) *potest esse absque Reiectione, sicut amor absque odio.* Ego verò amorē dari posse absque odio concedo, putà si omnes amentur: Electionem verò vel de eo dici posse qui vnicus sit in rerum natura vel eligere dici posse, qui omnia accipiat, nullus vnquam existimauerit, nisi prorsus mente captus, quum eligere nihil aliud sit, quàm vnum accipere siue acceptioni destinare, alterum verò reiicere, siue reiectioni destinare, vnde illud, Multi Vocati pauci Electi. Itaque quid istis Castellionis verbis ineptius dici potuit? *Adamus* (inquit) *quum solus esset, fuit Electus* (nēpe nasciturorum ex eo & exitio destinatorum respectu) *& si non peccasset*, inquit, *fuissent omnes Electi:* (imò nullus fuisset Elect', quia nullus fuisset Reiectus, quū Electus, sit ἐκ τῶν κατά τι, sed omnes fuissent seruati, quod tamen euenire, quod ad Dei decretum attinet nō potuit, nec debuit.) *Et Christus* (inquit) *Patri Electus est, quum sit tamen primus & vltimus, hoc est, solus.* Imò quînam primus fuerit, qui subsequentem nullum habeat, aut vltimus, quem nullus antecedat? Itaque primus & vltimus dicitur Deus, siue α. & ω. non quia solus vt ineptissimus iste somniauit, sed quoniam omne rerum existentiū principium antecedit, & vt res omnes creatæ interirēt, quū sit tamen omnis finis expers, omnibus illis esset superstes, semper idem suique similis. Christus autem Electus dicitur non quatenus vnigenitus est Deus, sed quatenus primogeni-

tus inter multos fratres, & solus ex omnibus hominibus eò euectus vt sit idem Deus & homo, & realis omnis ad salutem Electionis fons & basis. Stat igitur illud, quum causę mediæ pendeant à summa: non autem è cõtrario summa à mediis, nisi quod ad effectum & exequutionem attinet, sit autem Dei decretum summa omnium existentium rerum causa, & Electio ac Reprobatio in ęterno Dei Proposito consideratæ sint inter τὰ πρῶτα: consequitur necessariò in Dei voluntate eandẽ esse & prorsus parem vtriusque rationem. Neque ea hoc efficitur parem esse quoque vtriusque in ipsius decreti exequutione rationẽ, quoniam (vt mox ex Apostolo intelligemus) Electionis realis causas medias aliter quàm realis Reiectionis Deus ordinauit. Concidit igitur illud Castellionis propugnaculum *Eligere & Amare gratis licet: Odisse verò gratis non licet, id est, ex mera ac nuda voluntate.* Nam hoc quidem verum est, si de Electione & Amore reali, itidémque Reiectione & Odio reali, id est, in ipsis hominibus reipsa dilectis vel exosis istud consideres: sed tam Electioni & Amori gratuito, quàm Reiectioni & iusto futuro Odio destinare Deo licere ex mera voluntate, que tyrannica nunquam est, sed perpetua ipsius Iustitiæ regula, Paulus proposita figuli similitudine docebit.

Iam ad eos accedo, quorum non eandem esse sententiã diximus. Nã ex his quidã, quod ad Electionẽ attinet, concedunt eam à sola gratuita Dei bonitate proficisci, exclusa omni tum fidei, tum operum præuisione, quæ quidem Deum ad Eligendi Propositum impulerit, qua in re illis assentimur: sed iidem nolunt à Reprobationis decreto præuisionem corruptionis & eius fructuum excludi quam esse volunt προκαταρκτικὴν decreti Reprobationis causam: quod est certè ἀσύστατον, quum, vt antè diximus, eadẽ sit cõtrariorũ doctrina, nec aliter explicari possit istud Pauli, *antequàm boni quicquã fecissent*, quàm istud, *antequàm mali quicquã fecissent* quin manifestè cõtextus Pauli hac expositionis diuersitate distorqueatur. Proferũt tamen quiddã quod speciẽ aliquam habet rationis. Volunt enim Deũ apud se ab æterno capientem aliquos eligendi & aliquos reprobandi consilium, sibi proposuisse genus humanum vt corruptum, ac proinde vt maledictione dignum, ex qua nonnullos gratis per misericordiam eximere decreuerit, cęteris propter illam præuisam corruptionem exitio destinatis. Sed ex hac opinione præsupponitur, quod in Deum cadere non potest, ipsum videlicet tũ demum cepisse de hominum fine & exitu consilium, quũ illos vt iam corruptos consideraret, quandoquidem corruptionis præuisionem volunt in mente Dei causarum ordine decretum illud antegredi. Atqui Finis, ad quem opus refertur, primus est in omnis sapientis opificis intentione. Quînam igitur corruptionis prænotio, quæ certè integritatem naturæ vt priorem (priuatio videlicet habitum) præsupponit, in mente Dei præcesserit de hominum exitu deliberationem, & causam siue occasionem de humani generis fine statuendi Deo præbuerit? Corruptionẽ igitur necesse est secutam esse Dei ordinationem, non cõtra, quamuis, vt suo loco dicemus, nõ sit illius Lapsus auctor Deus. Quare sicut corruptionis statum antegressus est integritatis status, & integritatis statum creatio, causarum ordine, & ordo omnis causarum mediarum à Dei ordinatione non incerta, sed ad certum finem directa, proficiscitur: necesse quoque est fateri æternum illud Dei decretum de gloria sua & in nonnullis quos ipsi visum esset per misericordiam seruandis, & in nonnullis iusto iudicio perdendis patefacienda, non modò corruptionis, sed etiam integritatis, atque adeò ipsius creationis Propositum ordine causarum antegredi: nec eius Propositi aliam causam dari posse, quàm semper sapientissimam & optimam ac iustissimam ipsius opificis voluntatem. Præterea si verum esset hoc dogma, nullus certè locus relinqueretur illis obiectionibus, quibus Apostolus mox sibi respondendum putauit: nec quærẽdum fuerit, cur aliquos saluti, aliquos exitio destinet Deus, sed cur hos potiùs, quàm illos: qua de re suo loco à nobis dicetur. Et sic quidem istis responsum esto.

Alij verò etsi itidem in eo nobiscum videntur consentire, quòd electionem merè gratuitam constituant: tamen veriti ne si penitus nobis assentiantur, Deum constituant peccati non tam Iudicẽ quàm auctorem, particularem Electionem esse nolunt, quod ad ipsum Dei decretum attinet, omnibus causis superius: sed vniuersaliter omnes ad salutem vocari contendunt, quũ vocatio nõ sit fictitia, quod ad Deũ attinet omnes saluos fieri volentẽ, nec quenquam perire, sit tamen inefficax solo ipsorum hominum vitio, à quibus repudiatur. At ego multa hîc non concedenda mihi videor deprehendere. Primùm enim vniuersaliter omnibus gentibus nedum singulis hominibus propositã vnquam fuisse, aut nũc proponi, Euangelij gratiam (quæ vnica saluifica est) nego. Neque ad hanc rem probandam vllis argumentis indigeo, quum id perpetua omnium sæculorum historia demonstret. Deinde si hoc valeat, necesse fuerit Deum prius ordine apud se considerasse corrumpendum, quàm creandum humanum genus, quo nihil absurdius dici potest. Item creaturus hominem Deus & quidem bonum, aut nihil de eo in posterum decreuit (quod rursus absurdissimum est cogitare:) aut de eo alterũ horum duorum constituit, nempe vt homo vel bonus permaneret, vel seipsum corrumperet. Quod si decreuit & ex decreto suo hominem creauit in bonitate permansurum, corruptio profectò Deo vel ignorante, vel non curante, vel etiam inuito euenerit, quorum nihil tribui Deo sine blasphemia potest. Quod enim nonnulli excipiunt de Permissione, nullius est momenti. Statuendum enim est omnino non inuitum, sed volentem Deum permittere quod permittit. Est autem hæc Dei voluntas aut eadem atque ipsum decretum, aut certè huic decreto prorsus consentanea: ex quo efficitur illud idem quod antea concludebam, nempe non nisi decernente & volente, ac tandem etiam permittente euenisse humani generis corruptionem, decreto Creationis subordinatam. Quod si quis malit existimare, si quod hic Dei decretum fuit, definitum tamen id non fuisse, neque simpliciter determinatum,

natum, sed à libertate humanæ voluntatis, in vtramvis partem flexibilis, fuisse suspensum: respondeo rursum non minus hoc absurdum esse quàm si quis diceret, Deum nihil de homine creando decreuisse. Paria enim sunt, quum de Deo agitur, nihil decernere, & in incertū decernere, quod scilicet eius de quo deliberatur mera voluntate sit ita positum, vt quod ad decernentem attinet, possit vel euenire vel non euenire. Nam quod ad hominum deliberationes attinet, fatent, sæpe illos cogi ad eiusmodi capienda consilia vt qui sæpe de ijs deliberent, quæ in sua potestate non sunt. Neque verò propterea consequitur Deum esse Adami lapsus auctorem, vel humanæ voluntatis Adami libertatem in vtramuis partem flexibilem tolli, sicut plenius est à nobis in Præfatione explicatum. Præterea si decreuit Deus seruare eos omnes, quibus Euangelij gratia proponitur (vt ij volunt, quorum dogma nunc oppugno) certè quum neminem nisi in Christo per Fidem seruet, necessariò quoque dicendum est Deum credendi facultatem vel naturaliter in omnibus hominibus insitam inuenire, vel ijs omnibus tribuere, quos Euangelij prædicatione dignatur. Prius autem illud merè Pelagianum est: istud autem si verum esset, semen verbi Dei nulli ad iudicium prædicaretur, quoniam Fides esset omnibus sine exceptione, quibus Euangelium annunciatur, commune Dei donum, quod plurimis in Euangelio parabolis, & tristissimo Iudaicæ gentis, de quo nunc Paulus speciatim agit, exitio & quotidiana omnium seculorum experientia refutatur. Quod si rursum excipiant, quibuscumque prædicatur Euangelium dari quidem credendi *δύναμιν*, at non *ἐνέργειαν*, siue volendi quidem credere facultatem, at non ipsammet Fidem: rursum consequetur Fidē partim esse Dei donum, partim verò à nostræ voluntatis arbitrio proficisci, quod dogma semi Pelagianum est, minimè id quidem quasi stipites sint ac trunci homines prima illa renouante gratia donati: sed quod tum *δύναμις* tū *ἐνέργεια* sint res penitus coniunctæ, & ab vna illa Dei *εὐδοκίᾳ* proficiscantur: quæ quum sit vnis illis propria quos Deus saluti destinauit, consequitur itidem eos etiam vnos intus trahi, proposito quidem nonnullis etiam alijs Euangelij verbo, sed absque renouantis gratiæ præbitione, vtpote quæ sit Electioni destinatis peculiaris. Ergo, inquiunt, vel Deus simulator est, vel is cuius ministerio apud alios illos vtitur. Imò vterq; nempe & Deus mittens, & minister missus seriò agunt quod agūt. Nam quod ad ministrum attinet, plātat & rogat bona fide, sicuti iussus est, & arcanum Dei consilium ignorans (quātis id etiam interdū seruis suis, vt Aaroni & Mosi ad indurandum Pharaonem missis, & Esaiæ plerosque Iudæos excæcaturo patefecerit) omnes quidem auditores credere & saluos fieri cuperet, sed operæ suæ fructum, solam culpam præstans, Domino committit. Ipse verò Deus iusto suo iudicio, quoscunque ipsi non libuit ex corrupta massa eximere, sic magis ac magis reddit *αὐτοκατακρίτους*, ipsis sese pro ingenita sua improbitate, quo magis verbo Dei proposito arguuntur, eò pertinacius veritati obsistentibus, siue aures occludendo, ne vel extremum Euangelij sonum audiant, siue aliquatenus illustratæ suæ conscientiæ repugnando. At enim rursus excipiunt, quo iure Deus de istis conquereretur quòd non credant, si natura ipsa non sunt ad credendum idonei? Imò verò in hac obiectione falsum assumitur. Nec enim natura homines ista impossibilitate laborant, sed omne hoc vitium à voluntaria primi illius hominis corruptione ortum est in cuius lumbis omnes ab illo propagati homines peccauimus: in qua miserrima æternæ iræ Dei obnoxia conditione, si quos placet Domino siue multos, siue paucos deserendos exitio destinare, quinam videri potest iniustus, qui ne iniustus quidem esset, si neminē saluti destinasset? Quod si vel sola illa propagata corruptio inter perdendi decretum & eius decreti exequutionem interueniens, Deum vt iustum iudicem ab omni iniustitiæ suspicione absoluit (id quod mox ex Apostolo intelligemus) quis cum illis iniustè agi existimauerit qui corruptionis fructus illos edunt?

Superest vt cuidam nouam, mihi quidem certè adhuc inauditam, huius loci explicationē afferenti, respondeam. Sic igitur ille hunc Pauli locum explicans: *sicut, ait, Paulus Iacobum dilectum esse confirmans, quum nihil adhuc boni fecisset, non excludit Fidem in Christum, sine qua nemo potest vel diligi, vel placere Deo, sed tantum opera excludit, ea ratione vt propter opera non sit electus Iacobus: sic e contra scribens Esauum odio habitum antequam quicquam mali fecisset, non innuit incredulitatem quæ Fidei opponitur, non fuisse causam Reprobationis illius, sed voluntatem Dei simplicem sine respectu infidelitatis, sicuti quidam tradunt. Christus enim vt modò dictum est, causam Reprobationis mundi clarissimis verbis reijcit in incredulitatem hominum: cui assertioni Christi non debemus glossis humanitus excogitatis contradicere: sed tantùm hoc vult ostendere D. Paulus, quòd nec reliqua præuisa peccata saluti Esaui obstitissent, si acta pœnitentia in Messiam credidisset, vnde Deus in Reprobatione non potissimùm respicit peccata alia, pro quibus ipse remedium in verbo suo demonstrat, sed incredulitatem, quæ remoueri à consideratione reprobationis nec debet, nec potest, nisi in faciem contradicatur Christo affirmanti hanc esse damnationem mundi, non quòd absolutè homines ad interitum descripti vel destinati sunt absque respectu incredulitatis suæ, sed quia non credunt in nomen vnigeniti filij Dei. Quapropter qui reprobationem ex simplici Dei voluntate sic definiendam autumant, vt incredulitatis respectum remoueant, hi vt ex ipso loco nihil patrocinij habent, sic toti Scriptura sacra Prophetica & Apostolica contradicunt.*

Obsecro verò quæ hæc est docēdi methodus, Dei consiliū, siue decretum quo per medias causas alios quidem per gratiam seruare, alios verò iusto suo iudicio perdere: & tùm in his tum in illis gloriam suam patefacere ab æterno constituit, cū illius decreti exequutione, id est cum eorum qui saluti destinati sunt, salute, & cū eorum qui exitio destinati sunt, damnatione, confundere: & subordinatarum ad exequutionem causarum præuisionem velle ipsum decretum ordine antegredi? quasi verò non prius ordine constituat apud se opifex de opere faciendo, quàm

de mediis ad operis constituti consummationem constituendis, quoties quidem de eo agitur in cuius potestate tam sit positum media quæcunque velit constituere, quàm opus ipsum faciendum decernere. Tota igitur illius reprehensionis ratio non modò infirma est, sed etiam tam absurda, vt ne refutatione quidē apud homines satis intelligentes indigeat. Deinde verò, quid istud rei est? Ex huius sententia, fidei quidem præuisio fuerit [illegible] causa decreti Electionis, incredulitas verò decreti Reprobationis. Cedò igitur, cur in vnis quidem incredulitatem, in alteris fidem præuiderit, si omnes spectauit quales erant nati; Vnica enim omnium natura in qua nascuntur, quam qui integram esse dixerit, non modò Pelagianus fuerit sed etiam hærebit si quæsieris vnde tandem istius discriminis exordium sumat? num enim à libero in vtramuis partem flexibili arbitrio? si fortè sic sentiat, rursus in Pelagianismum relabetur: Sin à gratia, obtinuero aduersus ipsum id quod contendo. nempe ideo præuideri fidem in nonnullis duntaxat, quoniam illam Deus certis tantùm tribuere decreuerit. At cur tribuerit nisi quia sic decreuit? & cur decreuit, nisi quia sic ipsi libuit? At cur non cæteris? nempe quia his tantùm dare decreuerit. Non igitur ex fidei, non ex incredulitatis prænotione decretum ortum fuerit, etiam si à corruptionis præuisione initium decernendi sumeremus: sed contra ideò credunt qui credunt, quoniam Deus ipsis fidem largiri ab æterno decreuerit, sicut illis suo tempore largitur: & ideò isti increduli sunt, quoniam in illo Dei decreto non comprehensi, quod corruptio illis suasit hoc sequuntur. Præterea quæ hæc noua est Theologia, (meminerimus autem in hac expositione pro eodem haben idque magno errore, Reprobationis decretum & ipsam Reprobationem) Deum in Reprobatione habere quidem rationem Incredulitatis, non autem aliorum peccatorum (id est malorum operum) pro quibus ipse remediū in verbo suo monstret? Obsecro enim, si nullum aduersus Incredulitatem remedium in verbo Dei monstratur, quinam vnquam crediderint? nisi fortasse dicamus nos nasci ad credendum idoneos, qui tamen nascamur in peccatis mortui, & ne cogitare quidem ex nobis possimus quæ Dei sunt, & quos ille adhuc inimicos dilexit. Denique si auctor huius explicationis solos Incredulos vocat eos qui Euangelium oblatum non amplectuntur, & hanc vnius Incredulitatis præuisam considerationem statuit pro Reprobationis causa, sciat se quod falsissimum est asseuerare. Nec enim si hoc verū est, reprobabuntur alij quam quibus promulgatum fuerit Euangelium: quoniam doctrinæ de qua nihil vnquam audierint, incredulì fuisse dici non possunt. Quid igitur longè maximæ eorum multitudini fiet qui ex hac vita excesserunt, excedunt, & excedent priusquam de Christo quicquam audierint? nempe scilicet de illis pronuntiandum erit ex Castellionis Theologia, NON LIQVET. Nam neque illos diligi posse dixerimus vt qui fidem nō habeant, quæ est ex auditu, quū ipsi numquam audierint: nec rursus odio haberi, quia non fuerit increduli verbo quod nunquam audierint. At longè aliter noster Paulus, longè alias damnationis hominum causas generales adferens, nimirum corruptionem, siue solam, vt in iis qui non peccarunt ad similitudinem Adami, vel cum ipsius corruptionis fructibus coniunctam: in iis nimirum qui Dei veritatem, qualis est in natura quantumuis deprauata, in iniustitia detinent, Rom. 1, 18, & quos ipsa conscientiæ lex condemnat, cuiusmodi sunt omnes, nisi quos Deus ab æterno saluti destinatos & Christo suo, fide donatos seruat.

Quid igitur dicemus? Num iniustitia est apud Deum? Absit.) Dixerat Apostolus ex hypothesi Isaaci & Ismaelis, itidémque Iacobi & Esaui, saluo manente Dei fœdere, non omnes tamen Iudæos in eo comprehendi: idque quoniā Deus cū iis, quos ipsi ab æterno visum est de salute paciscatur, vel non paciscatur, nulla habita ratione neq; ipsarum personarū, neq; qualitatum bonarum vel malarum. Nam à Iudæorum hypothesi ad generalem Prædestinationis thesin deducere nos Paulum voluisse liquet tum ex eo quòd, vt ante non semel diximus, mancum alioqui futurum erat quicquid antea de Iustificationis per Fidem firmitate docuerat: tum quia nimis absurdum & ineptum esset doctrinam, quæ ad Ecclesiam omnium seculorum & ex omnibus populis collectam pertinet, finibus & velut cancellis vnicæ Iudaicæ gentis concludere. Id verò iniquissimum videtur humanæ rationi, quæ statuit causas siue adodij, siue ad amoris destinationem in ipsis personis positas esse oportere, ne vel digni odio amentur, vel digni amore exosi sint, ideóque vellet decreti diuini non tantum exequutionem (quod concedit Apostolus) sed etiam causas [illegible] in hominum meritis considerari: ex quibus demum hi vel illi, odio vel amori destinarentur. Hæc igitur est obiectio, cui postea respondet Apostolus. vers.14.

Hanc obiectionem qui aliunde nasci volunt, quoniam eius fundamentum quod nos ponimus, tollunt, non idem tamen omnes sentiunt.

Alij igitur volunt Paulum hæc opponere iis duntaxat quæ de altero membro, id est, de Electionis decreto dixerat, id quod eliciunt ex responsione quæ versiculo 15, & 16, continetur. Sed in eo planè falluntur. Nam versiculo 17. manifestè de altero membro respondet Apostolus, & vers. 18 conclusionem affert ad vtrumque membrum nempe & Electionis & Reprobationis decreti pertinens: & ita quidem vt vtrinque pari prorsus & simili ratione ad Dei voluntatem vt summam causam conscendat, ibique penitus subsistat: vnde rursus altera, & vltima obiectio nascitur. Deinde si vt isti sentiunt, Misericordia Dei est decreti Electionis causa [illegible] Reprobationis verò decreti causa itidem [illegible], est præuisio siue corruptionis, vt nonnulli volunt, siue incredulitatis, vt alii contendunt, siue aliorum peccatorum vt alii malunt (omnes profectò à scopo veritatis in eo aberrantes, quòd decreti causam, id est, Dei semper iustam voluntatem, non à causarum mediarum consideratione orientem, sed causas medias sapien-

sapienter semper & iustè ordinantem, cum eius decreti causis intermediis ad ipsius decreti exequutionem constitutis confundunt) quæ nam vel tenuissima iniustitiæ suspicio cadere in Deum potest, quòd aliquos, præsertim per misericordiam seruet? & quorsum igitur Paulus huic obiectioni respondens, faceret misericordiæ mentionem? Itaque mirari me non satis possum fateor, quinam hæc sententia sectatores aliquos inuenerit.

Alii verò sentiunt hanc obiectionem ex eo oriri non quòd aliquos amori, aliquos odio Deus destinarit, sed ex eo quòd hos potius quàm illos amori vel odio destinarit, quoniam qui de duobus paribus, quales omnino fuerunt omnibus modis Iacobus & Esauus, tam imparia statuit, προσωπολήπτης videri possit. Sed hanc obiectionem inde simpliciter non oriri ex eo constat apertissimè, quod Apostolus non tantū dixit, vnum ex his duobus gemellis eodem patre, eadem matre, eodē partu denique, editis, vnum fuisse amori, alterū odio destinatum (Sic enim explicanda esse hæc verba *dilexi*, *odio habui*, ostendimus) sed etiam addidit expressis verbis, *Antequam nati essent, & boni aliquid vel mali fecissent:* quibus verbis ostendit, quòd vnus probus alter improbus postea fuerit, non fuisse causam, quæ Deum impulerit, vt hunc amori, illum odio destinaret: quamuis decretum illud suum exequens: Iacobum quidem vt fidelem & probum, idque ea gratia, dilexerit, Esauum verò vt fœderis contemptorem, & sceleratum oderit. Deiude nego προσωποληπτεῖν esse quicunque paribus imparia tribuat, nisi hoc iniustis de causis faciat. Obsecro enim, si creditor quispiā ex duobus correis (vt Iurisconsulti loquuntur, quales nati sunt Esauus & Iacobus) vni gratia, quia sic illi libet, debitum remittat, quod ab altero pro suo iure exigat (sic enim illi volunt præuisam corruptionem humani generis in mente Dei præiuisse ordine ipsius decreto) num propterea iniustus in vtrumuis censebitur? Immò si qua hîc est προσωποληψίας occasio, nō in eo comperietur à quo debitum exegerit, sed in eo cui remiserit. Item si Rex quispiam ex duobus pariter sceleratis vni gratiam faciat, alterum agat in crucem, num idcirco vlla erit in iudicio iniquitatis species, quòd in istum animaduertat? Immò si qua hîc esset iniquitas, non in eo fuerit quòd istum puniret, sed in eo potius, quòd non etiam in illum perinde sceleratum animaduerterit. Itaque si fuisset hic scopus Apostolo propositus (dato quod illi volunt, nēpe Dei decretum, saltem de reprobando & perdendo, ordine causarum subsequi corruptionis præuisionem) Paulo nō fuisset asserenda Dei iustitia in reproborum exitio (quæ res tamen vna eos offendit, de quibus nunc ago) sed de vna electorum salute. Et tamen Apostolum videmus de vtroque membro distinctè respondere, & idem prorsus concludere. Non est igitur germana hæc expositio, ex qua nasci illa obiectio non potest, quam Apostolus refellit.

Quidam denique nouam hic quoque interpretationem commentus est. Putat enim hāc obiectionem ex eo nasci, quòd Iudæi externæ suæ iustitiæ Legalis studiosi, quererentur Deū iniustū videri, si alios diligeret in Christo, alios verò licet laborantes, currētes, operātes, & Legi seruientes, incredulos tamē Euangelio existentes, reprobaret. Hoc verò viderit vnde tandem coniiciat, quum ne vocula quidem hac de re in præcedētibus inueniatur, & particula, *igitur*, vel cæcis ipsis demonstret hanc obiectionem ex superioribus proximè cohærentibus nasci, quæ de Ismaele & Isaaco, Esauo & Iacobo dixerat: & quæ nemo possit ad Iudæos, de quibus Paulus disserit, applicare, habita eius Legalis iustitiæ ratione, cuius admodum exigua pars temporibus exemplorum illorum erat constituta, & cuius prætextum iste viderit quomodo obtendere Ismael vel Esauus potuerint. Deinde quomodo Iudæi de quorum Reiectione hoc loco productis Ismaelis & Esaui exemplis agit Apostolus, obtendere hanc obiectionem potuerint, quin Christum esse verum Messiam & se esse incredulos faterentur? Itaque ineptior est hæc opinio quàm vt longiore refutatione indigeat. Nam quòd Apostolus postea reiectos istos Iudæos fuisse dicit, quod iustitiā non ex Fide sed ex Lege sectarentur, ad hunc locū nihil pertinet, quū hîc de Reprobationis destinatione, cuius vnica causa est Dei voluntas, illic autem de Decreti exequutionis causis agatur. Iam igitur audiamus Paulum illam obiectionem his verbis refellentem.

Nā Mosi dicit, miserebor cuius misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero.) Vers. 15

Hoc quidam ex veteribus, imò etiam omnia vsque ad hæc verba versiculi 20. *Immò verò ô homo*, (Origenes videlicet, Scriptor impurissimus, & alij eum sequuti) somniant, dici non in Pauli respondentis, sed in aduersarij obiectionem suam his rationibus confirmantis persona: quod tam futile est & friuolum, vt apud homines, vel communi sensu præditos, id non putem refutatione indigere. Sic autem illa explico. Duplex fuit huius obiectionis fundamentum ex eo natæ, quòd ex Iacobi præsertim & Esaui exemplo docuerat Apostolus, Dei decretum tum de eligendis, tum de reprobandis nulla re prorsus niti, quæ in ipsis eligendis vel reprobandis insit vel futura prænoscatur. Ad hoc autem distinctè Paulus de Electis primùm vers. 15 & 16. de reprobis verò v. 17. respondet: ac demum de vtrisque cōiunctim conclusionē nectit ver. 18. Quod igitur ad illos attinet, respondet, quamuis Deus absque vllo qualitatum respectu, sed in seipsum solum respiciens, amori, ac proinde saluti quoscunque ipsi libuit destinet, iniustum tamen non esse, quoniam inter hoc ipsius decretum, (quod æternum est, & causas omnes etiam medias antegreditur) & eius decreti exequutionem, id est, inter Eligendi propositum & ipsam realem Electionem intersit gratuita misericordia, quæ non modò illum ab omni iniustitia absoluit, sed etiam summæ clementiæ laudem ei conciliat. Ideò subiicit Apostolus,

Nempe sequitur Electio non est eius, qui velit neque eius qui currat, sed miserentis Dei.) V. 16. Vt autem vis huius responsionis intelligatur, paucissimis qui-

dem verbis propositæ, sed accuratissimam responsionem complectentis, sciendum est miseriam (quod inficiari nemo potest) misericordiæ præire, quæ miseria quum non à Creatione, sed ab hominis lapsu & eius effecto, nēpe Corruptione originali, omnium peccatorum fonte, orta sit, hunc autem lapsū necessariò rectus creationis status antecesserit, consequitur has omnes medias causas decreto quidem subordinari, misericordiæ verò ex qua & per quam Deus æternæ Electionis suæ decretum in tempore exequitur, præire. Perinde est igitur, acsi diceret Apostolus: quamuis Deus nullo qualitatum respectu aliquos amori suo destinet, non est tamen iniustus, vt qui quum ad realē Electionem ventum est, omnes sub peccati miseria conclusos inueniat, ne si omnes quidem perderet iniustus futurus, ac proinde summè clemens, tum in eo quòd aliquos seruet, tum in eo quòd illos merè gratis seruet. Quod siquis roget cur Paulus illas medias causas, Misericordiam antecedentes, non exprimat, respondeo id ab eo factum, partim quòd Misericordia posita satis illa intelligantur, ex quibus, sicut antè dixi, necessariò dependet: deinde quòd de illis suprà, Capite præsertim quinto copiosissimè disseruerit: ac demum quòd mox proposita figuli similitudine sit ad summam causā suo loco assurrecturus: quemadmodum etiam contentus Misericordiam nominasse, neque Fidei, neque Christi meminit, id est, mediorū istius misericordiæ, quoniā nimirū actum agere noluit. Voluntatem autem appellat cogitationem & conatum animi rectū: cursum verò bona opera, quorum neutrum testatur Apostolus Deum neque impulisse vt quempiam amori ab æterno destinaret, neque impellere, vt quenquam amori ab æterno destinatum in tempore efficaciter vocet. Deū enim ordine causarum prius gratis eligere decreuisse: deinde Electioni destinatos gratis vocādo reipsa eligere: ac demum in Electis itidem gratis operari & Velle & Facere. Quantopere verò hallucinētur, qui supplent hoc loco particulam, *Solùm*, quasi non excludat tum à decreto, tum ab Electione reali nostram voluntatem & nostra opera Paulus, sed illa neget sufficere, nisi cum Dei misericordia coniungantur, Augustinus in eo hallucinatus quum nōdum à Philosophicis Pelagij erroribus liberatus esset, ipsemet seipsum postea corrigēs ex professo refutauit. Et de Electis quidem hactenus. De Reprobis verò sic idem Apostolus respondet:

Dicit enim Scriptura Pharaoni, ad hoc ipsum excitaui te, vt ostēdam in te potestatem meam, & vt annuncietur nomen meum in tota terra.)

Sicut Gal. 3. 22. Scriptura dicitur cōclusisse omnia sub peccato quod tamen Deus ipse iusto suo iudicio facit, infra 11. 32. sic hoc loco dicitur Scriptura Pharaonem alloqui, in qua Deus ipse inducitur per Mosēn sic Pharaonem compellās. Cæterùm ad alterum iam membrum accedit Apostolus, id est ad Reprobationis decretum, in quo similiter ostendit nullam esse iniustitiam, quamuis sola Dei voluntate nitatur. Ac primò quidem ostendit rem ita se habere, allato ipsius Dei de Pharaone testimonio: deinde ab optimo fine consilij diuini colligit eiusmodi consilium non posse nō optimum videri, nedum vt sit iniustum. Tertiò concludit Deum non posse iniustum videri in damnandis, quos odio & exitio ab æterno destinauit, quia non nisi exitio dignos cōdamnat, quum inter æternum Reprobationis decretum, & eius exequutionem, (id est, reproborum exitium) intercedat eorū induratio. Quēadmodum autem in superiore membro diximus, vt huius responsionis pondus perspiciatur, sciendum est Indurandi verbum hoc loco non significare ex molli durum aliquid facere, sed in duritie confirmando illam augere: id quod apparet ex opposita Misericordiæ voce, quæ significat duritiem & eius effecta gratis tollere. Durities autem ista ex communi Scripturarum vsu, declarat natiuam omnium hominis facultatum ad cognoscendum & amandum Deum tum stupiditatem, tum obstinatam improbitatem, in qua deprauatissima conditione quum nō sit homo creatus, idem omnino de hoc membro, atque de altero sentiēdum est: nempe vt duriciem indurationi, sic mollitiem, id est, rectum creationis statum huic duriciei & lapsui præire. Preterea diligenter attendēdum est verbum ἐξήγειρα Excitaui, id est, Feci vt existeres, quod & verbū, *AMAD* ex Hebrææ linguæ vsu, declarat. Nec enim quærendus nobis melior interpres, quàm ipse Spiritus Sanctus per os tum Mosis, tū Apostoli loquutus, vt hoc omnino ad ipsum Pharaonis exortum sit referendum, sicut etiam ex verbo ὅπως apparet, quo mox vtitur Apostolus vers. 21. Deinde notādum est in verbo, Excitandi, comprehendi Indurationem. Respicit enim Apostolus ad totam Pharaonis historiam in qua verbum Indurandi sæpissimè inculcatur. Sed necesse non fuit hanc omnibus notam historiā integram commemorare. Si verò istud obseruetur, videretur Paulus in versiculo proximo vitiosa vti collectione, id est, plus colligere, quàm ferat antecedens. Iam igitur vtriusque membri conclusionem audiamus.

vers. 18. *Igitur cuius vult miseretur, quem autem vult indurat.*

In his verbis continetur totius præcedentis responsionis conclusio bimembris, & tamē imperfectè enunciata. Addendum enim est, *Et proinde nulla est in eo iniustitia*: sed quod deest necesse non fuit exprimere, quòd ex proposita obiectione facilè intelligatur. Tria verò distinctè hîc significantur. Vnum, quòd Deus neutrius istius decreti causam aliunde, quàm ex se ipso sumat, quo dicto rursum refellitur Pelagianorum opinio, qui præuisam fidem vel opera bona faciunt Electionis ęternę causam. Alterū, quòd sicut huius sui decreti causa summa est & vnica [illegible], mera ipsius voluntas: ita quòd hos potius quàm illos siue in amoris, siue in odii decreto comprehendat, ab eadem ipsius voluntate proficisci, non quòd huius discriminis causam in ipsis personis siue eligēdis, siue reprobandis inueniat. Tertium, quod inter Electionis quidem decretum, & eius exequutionem misericordis, inter Reprobationis verò decretum, & eius exequutionem, induratio interueniat, quæ Deum ab omni iniustitia absoluant. Et hanc quidē esse

germanam

germanam huius loci explicationem ipsa tum verborum, tum argumẽtorum series apertè, meo quidem iudicio, demõstrat, quod melius etiam ex contrariarum expositionum comparatione apparebit.

Primùm igitur sunt qui 18. hunc vers. nolint dici à Paulo sed ab aduersario quopiam, qui superius Pauli responsum oppugnet ab absurdo, quæ huius loci violentissima deprauatio certis rationibus manifestissimè refellitur. Primùm enim quum sit eadem contrariorum doctrina, quæ alioqui in hac responsione inter se non cõferrentur: si absurdum & falsum esset posterius membrum, quo dicitur Deus quos vult, indurare, falsum esset etiam & absurdum prius, quo dicitur Deus, quorum vult, misereri. Deinde proximo versiculo manifestè notatur personæ aduersariæ loquẽtis discrimen, cui mutationi nullus prorsus esset relictus locus, nisi hic qui dem Paulus loquẽs, postea verò aduersarius ipsi respondens, proponeretur. Denique si hęc conclusio esset impia & absurda, siue vtrinque, siue altera tãtùm ex parte, Apostolus illam refutasset. Atqui tantum abest vt eam refellat vt contra ex eius affirmatione sequens obiectio nascatur, & vers. 21. ac deinceps manifestis argumẽtis ab Apostolo confirmetur

Quid autem Castellio? *Eligere*, inquit, *& Amare gratis licet: reycere verò & odisse gratis*, id est, ex mera voluntate, *non licet*. Concedo: sed vt amori & saluti, siue gratuitæ Electioni destinare gratis Deo licuit, sic dico Deo licuisse ex eadẽ mera gratuita volũtate destinare quos esset suo tempore iustè osurus & perditurus.

Alii in ipsis vocibus nodos nectunt. Quidam enim ἐξήγειρα interpretantur *Euexi*, in regnum videlicet. Verùm quum nihil tale hîc ad datur, & vsque ad summam causam existentiæ rerum, id est, meram Dei volũtatem, Apostolus conscendat, minimè certè agẽs de Pharaone siue vt priuato, siue vt Rege, hoc glossema quorsum accersatur? Alii vertunt *Obfirmaui te*, quoniam in conclusione fit indurationis mentio. Sed hanc interpretationem non admittit verbum ἐξεγείρειν, nisi translatitia significatione: quòd videlicet eorũ, qui loco cedere quippiam nolunt, hic sit corporis gestus, vt erecto & obfirmato corpore pedibus pertinaciter insistere soleant: sed huius significationis exemplum requiro, quæ tamen etiamsi admittatur, nostræ interpretationi fauet. Græcus autem interpres apud Mosen conuertit *διετηρήθης seruatus es*, cui interpretationi fauet Chaldaica paraphrasis & Hebræorum interpretum sentẽtia, vnde etiam factum, vt Latinè quidam interpretarentur, *Feci te restare*, quasi verò quærendus sit nobis melior interpres, quàm ipse Dei Spritus per Paulum loquentis.

Alii denique ad verbum Indurandi tãquam apud scopulum hærent, quod certũ est respondere Hebrææ voci *Chazaq* & significare robustum & obfirmatum reddere, oppositum verbo *Rapah*, quod ineptissimè interpretatur Origenes, quasi Deus eos dicatur indurare, quorum malitia vult vti ad aliorum emendationẽ, malos videlicet non subitò vlciscens, sed pœnis paulatim ingrauescẽtibus. Hæc verò interpretatio si vera esset, cõsequeretur Apostolum de eo nihil dicere, de quo propriè quærebatur. Nec enim hac obiectione quæritur de fine (quamuis illum in responsione non præteriit Apostolus) sed de causa ipsius Reprobationis decreti. Imò ne hunc quidem finem, cuius hîc meminit Origenes vel leuissimè attingit Apostolus, sed aliũm, nempe vltimum illum horum diuinorum consiliorum finem, ipsius videlicet Dei gloriam ex Mose commemorat, sicut etiam dicit Salomon, Deum omnia fecisse propter semetipsum, etiam impium ad diem malum.

Pighii verò impurissimi nostra memoria sophistæ multò etiam ineptius est commentum, perinde ista interpretantis, ac si lenis Dominus quispiam videns seruos sua lenitate factos deteriores dicat, ego vos corrupi, nihil aliud significans, quàm se illos non castigasse, & ita illos lenitate Domini abutentes fuisse factos deteriores. Nam si ita esset, præterquàm quòd ad quæsitum non responderet Apostolus, quæ tandem occasio sequenti obiectioni præberetur? Hac enim ratione Deus non diceretur volens Pharaonem indurasse infirmiorem, quàm vt Dei voluntati posset resistere: sed è contrario Pharao Dei voluntati resistens, eáque superior, se ipsum indurasset.

Alii igitur sic explicant, Induraui, id est, Non emolliui. Et concedo non emolliri qui indurãtur, qui si Deus illos emolliret, non indurarentur, sed nego necessario indurari quicũque nõ emolliuntur, vt pote quorum duricies possit etiam non augeri, sed eadẽ quæ antea esset permanere. At Indurare Misericordię oppositum, quæ significat ex duro molle efficere, non declarat duntaxat in pristina duricie relinquere, sed ex duro durius reddere: quod etiam in tota illa Pharaonis historia demonstratur. Deinde si induratio ex eo sequitur, quòd aliquis non emolliatur, fatendum est aliud esse Indurare, quàm nõ emollire, sicut consequens aliud est, quàm antecedens. Præterea etiamsi hoc concederem (fateor enim reprobos dum non emolliuntur, nõ autem quòd Deus deteriorem mentem illis infundat, indurari) Apostolus hac admissa interpretatione propositum nodum non soluerit. Manebit enim semper quæstio, cur aliquos antequam nati essent, vel mali aliquid fecissent, id est, nulla neque corruptionis natiuæ futuræ, neque sequuturæ illorum improbitatis habita ratione ab æterno decreuerit, non emollire. Hunc enim esse huius quæstionis statum, suo loco probauimus.

Alii denique ad Permissionẽ quàm συγχώρησιν Græci Theologi vocãt, cõfugiunt, interpretantes Induraui, id est, Siui indurescere, siue Permisi esse durum, nec te cõuerti. Et sanè fateor, neque cõtumaciam innatam, neque eius obstinationem à Deo tanquam causa oriri, sed ab ipsa sponte praua hominis voluntate: sed primùm nego Permissionem opponi voluntati. Quid enim absurdius dici potest, quàm Deum, vel quod longè maximam hominum partem non curet, vel quòd inuitus eò adigatur, indu-

rationem permittere? Quod si neque cõniuens, neque coactus permittit, certè volens permittit, quoniam vtique, vt rectè multis locis inculcat Augustinus, bonũ est Dei quidem permittentis respectu, etiam mala esse, quoniam alioquin illa esse non sineret, non sinit autem vtique nolens sed volens, in quorum videlicet & condonatione in Christo & iusta punitione Deus gloriam suam patefaciat. Et nisi ita esset, impius esset Apostolus ab induratione non minus, quàm à misericordia ad Dei voluntatem, & eam quidem cui resisti non possit, pariter prorsus conscendens.

Deinde quum fateri sit necesse, Deum indurantem non tantùm spectatoris, sed etiam iudicis partibus defũgi, corruptioni videlicet hominis meritò succensentẽ: quis Permissionem istam in sola Derelictione statuerit, quin Deus munere Iudicis spolietur? Nec enim iudex quispiam officio suo defungi dicatur, qui in quẽpiam desperatæ improbitatis hominem quem in potestate habeat hanc sententiam ferat, Quandoquidem emendari non sustines, agẽ, latrocinare quandiu & quantum voles, & in quoscunque libuerit impetum facito, donec te rursus comprehensum iustis pœnis afficiam. Absit igitur tale quidpiam Deo tribuamus. Deus enim quos iusto exitio ab æterno destinauit, corruptos & sponte cõtumaces suo tempore inueniens, deserit quidẽ, quod ad æternæ salutis media & gratiã attinet, solis saluti destinatis seruatam, at nõ quod ad imperium & iudicis partes attinet, sicut præclare aduersus Iulianum Pelagianũ Augustinus loco superius à nobis integrè descripto demonstrat. Iudicat ergò istos Deus, non tantùm deserendo, quod ad misericordiam attinet, sed etiam ipsos Satanæ, & aliis similibus ad illorum acuendam improbitatem tradendo: atque adeo quòd illos in vetitum niti norit, suorum etiam fidelium seruorum operam ad illorum cupiditates irritandas adhibendo, sicut Mose & Aarone aduersus Pharaonẽ & Ægyptum, Esaia, cæterísque Prophetis, Christo denique ipso & eius Apostolis, aduersus maximam Israelitarum partem vsus est: & vt nunc quoque Euãgelii veritas non tãtùm euentũ, sed etiã iusto Dei iudicio toti penè mũdo ad exitiũ annũtiatur. Deniq; suis illos cõcupiscentiis & in mẽtem omnis iudicii expertẽ tradit, sic tamen vt & in ipsis per illa peccantia instrumenta nihil nisi iuste agat (est enim, Dei sic inducantis respectu, induratio præcedentis contumaciæ pœna) neque per ipsorum improbitatem quidquam nisi iustè, quod ad ordinãtem ipsum attinet, exequatur, siue suos sic exploret adhibita perditorum illorum opera, siue Reprobationi destinatos, vt mensurã suam impleãt, in tec se committat, sicut ex innumerabilibus sacræ Scripturæ locis constat.

Sed quid tandem tam multorum ingenia exercuit, vt hæc subterfugia quærerẽt? Bonos quidem certè & Dei gloriæ verè studiosos (cæteros enim variis affectibus vt ex ipsorũ scriptis manifestè perspicitur ad oppugnandam veritatem impulsos nihil moror) hoc vnum in has angustias compulit, quòd duobus argumentis, nempe si pro Reprobationis decreto statuatur mera Dei voluntas, quæ quidem omnes medias exitii inde sequuturi causas etiã præuisas ordine causarum antegreditur, & præterea si huius decreti dicatur necessarius prorsus euentus: illud quoque necessariò sequi existimant, vt & omnium malorum, quæ sunt damnationis causæ, & ipsius tandem damnationis culpa in Deum, tanquam causam omnium istorum effectricem, transferatur, quod sine horribili blasphemia dici nõ posse vltro ipsis concedimus. Atqui hæc illa est obiectio, quã hîc refellit Apostolus, prius illud istius consecutionis argumentũ ex eo refellens, quòd etsi Dei decretũ & de seruãdo & de perdendo à mera Dei volũtate oriatur, nihilominus tamẽ eam viam Deus inuenerit, qua fiat vt salutis decretum non nisi per misericordiam, & perditionis decretum non nisi inuenta in ipsis qui perduntur perditionis causa exequatur. Erroris igitur istorum hæc causa est, quòd decretũ cum exequutione confundentes, causas easdẽ vtriusque esse volunt, nempe in decreto quidem præuisas, in exequutione verò vt iã existẽtes. Quod si verum esset, ne de istis quidem querendum fuisset. Quis enim Deum accusarit iniustitiæ, si præuisa corruptio eiusque effecta ipsum ad Reprobationis decretũ impulerunt? Attamẽ ne sic quidem Carni satisfactum iri, prudenter, vel diuinitus potius edoctus, vidit Apostolus. Quis enim nõ videt, illo concesso, & dato, quòd videlicet Deus de humano genere nihil nisi præuisa eius corruptione ipsum huc impellente, decreuerit, hoc consequi, vt temerè igitur initio fuerit à Deo creatus homo, itidemque temere lapsus, aut Dei prius consilium exciderit, aut denique consilium ante creationem de primis hominibus & eorum sobole, captũ, Deus præuisa corruptione immutarit. Nam si vnum & idem illud cõsilium fuit (vt vnum & idem fuisse asserimus, quoniam Deus immutabilis est) consequetur id quod docemus verissimum esse, nempe tũ gratuiti amoris quorundam, tum iusti quorundam odii decretum ordine causarum ipsam corruptionẽ, ac proinde creationẽ quoque antecessisse, cuius contrà decreti exequutioni & creationem & corruptionem sic Deus subordinauit vt ipse quidem sit creationis auctor, corruptionis autem non item, sed spontanea hominis ipsius ex Sathanæ suggestione voluntas, sicut in præfatione pluribus est à nobis expositũ. Præterea miror ab iis, qui huius sunt opinionis, nõ animaduerti ne sic quidem solui nodum, quem ipsi sibi nectũt, & certè quęrũt in scirpo. Quum enim corruptio sit omnibus & singulis hominibus communis, non magis in vnis, quàm in aliis eam præuiderit Dominus. Itaque ad hanc prænotionem, quæ omnes pariter odio dignos coram Deo reddebat, necesse est aliquid accessisse, cur alios quidem ex iis gratis seruare, alios verò iustè perdere decreuerit. Neque id nunc quæro cur hos potius, quàm illos, sed cur alios perdere, alios seruare ex pariter corruptis decreuerit. Hoc autem quid aliud esse statuemus, quàm ipsius meram voluntatem, cui placeat alios misericordiæ & saluti, alios indurationi & iustæ

iustæ damnationi destinare?

Ergonè (inquies) Deus vt mollitiē in iis, quos amori destinauit, ipsemet efficit (est enim Fides cum omnibus suis effectis Dei donum) sic etiam duriciem, id est, incredulitatem, & contumaciam, cæteráque eiusmodi in cordibus hominum creat, quos odio destinauit? Minimè verò. Duriciem enim istam primus homo in sese, non Deo cooperans, sed à Deo deficiens, & seipsum innata mollitie vltrò spolians, sibi & suis accersiuit. Huius autem mali emendatio à mera Creatoris eum per gratiam refingentis gratia proficiscitur. At obstinatio, qua in eadem duricie quispiam obfirmatur, ab ea ipsa voluntate est quæ vltrò sese in illam charybdim, vni Creatori Deo sanabilem, initio præcipitem dedit. Præcipuum enim indurationis iustè à Deo inflictæ, & peccatorum ex ea induratione nascentium organum & instrumentum est ipsa hominis, seipsum vltrò in sua malitia obfirmantis, voluntas, sic Peccato mancipata, vt quemadmodum Apostolo teste Rom. 8. 7. subiicere se Legi Dei non potest, sic etiam nolit, ac proinde necessariò simul & voluntariè peccet, quæ tamen necessitas, quomodo & quatenus Contingentiam non tollat, superius est à nobis explicatum. Itaque mira fuit Castellionis inscitia, qui hæc duo inter se, quasi repugnantia opponit, *Deus indurauit cor Pharaonis. & Pharao indurauit cor suum*, non minus falso & absurde, quàm si quis sic colligeret, Iudas seipsum suspendit, ergò Deus scelus illius suspendio non puniuit: Chaldæi sua improbitate impulsi in Israelitas sæuierunt, ergò Deus iustè iratus populum suum Chaldæis non tradidit.

Vers. 19. *Dices ergo mihi, quid adhuc succenset? nam voluntati eius quis restitit?*

Summa superioris ad alteram obiectionem responsionis hæc est, Deum quidem prout ipsi libuit, nec alia ratione, quàm sua voluntate impulsum, ab æterno decreuisse tùm alios seruando, tum alios damnando, gloriam suam patefacere: sed idcircò iniustum videri nullo modo posse, quoniam hoc decretum suum per medias à se ordinatas causas sic exequitur, vt nullos nisi per misericordiam seruet, & nullos quoque nisi inuenta in ipsis reis damnationis causa condemnet. Ex hac autem responsione nascitur hæc altera eáque summa obiectio, pro iis qui damnantur (nam aduersus alterum membrum de iis, qui per misericordiam seruantur, nihil regeritur) Si quod Deus voluit, id fieri necesse est (nec enim fieri vnquam potuit vt quisquam Dei voluntatem, id est, quod Deus futurum decreuit, infringeret) & idem Deus sicut exitium eorū quos dānationi destinauit, sic etiam causas, quibus hoc decretū exequitur, prout ipsi visum est ordinauit: quo tandem iure illos puniet, qui necessariò ipsius decreto obsistere non possunt? Ex his autem verbis illud quoque imprimis obseruādum est, de quo superius diximus in Præfatione, nempe Voluntatis Dei nomine, interdum quicquid futurum decreuit, (quam voluntatem si quis posset infringere, Deum oporteret vel esse mutabilem, vel simpliciter omnipotentem non esse; vel mediis causis astrictum) interdum id quod faciendum in lege sua præcipit, intelligi: cui voluntati Sathan & omnes non regenerati, immò etiam quod carnis in regeneratis superest, assiduè resistunt, quominus ex eius præscripto viuatur: quod discrimen qui non obseruant, in magnos errores incidunt: & manifestè calumniantur, quum nos arguunt quasi duas voluntates & eas quidem inter se repugnantes Deo tribuamus. Sed iam audiamus quid Apostolus respondeat.

Immò verò ô homo, tu qui es, qui ex aduerso responsas Deo?

Vtramque antecedentis partem concedit Apostolus, nempe & hanc esse Dei voluntatem, & huic voluntati resisti non posse, neutrum profectò concessurus vnquam, si falsum esset, aut, vt nonnulli etiam volunt, blasphemum. Nam alioqui vnde nasceretur hæc obiectio, aut cur simplici inficiatione non responderet Apostolus, si hæc non esset Dei voluntas, vt ij volunt, qui hanc propositionem, Deus vult omnes homines saluos fieri, id est, quosuis, siue (vt Thomas etiam, quanuis Scholastico, nihilominus tamē commodo dicendi genere exposuit, Genera singulorum, non singulos generum) ex Indefinita faciunt Vniuersalem: Item qui ex Vocatione externa simpliciter & necessariò voluntatem Dei de seruandis quoscunq; vocat, colligunt, id est, vt in scholis loquuntur, voluntatem signi, à voluntate beneplaciti non discernunt, & nisi hanc confusionē illis concedamus, à nobis (absit à verbo blasphemia) hypocritam Deum statui contendunt. Item qui decreti Reprobationis causam esse volunt corruptionis & ipsius fructuum prænotionem: item qui tum Electionis decreti euentum non incertum modò, sed etiam mutabilem & ipsa hominum voluntate suspensum esse contendunt: quæ fuit Castellionis blasphema planè sententia. Quid igitur Paulus? Nempe verbis illis aperit omnium istarum responsationum veram ac propriam causam, hominum videlicet superbiam: qui propterea quod rationi vel potius stultitiæ suæ tantopere sint addicti, vt sui ipsorum æstimationi velint Dei Iustitiam subiicere, proinde Deum existimant non effugere tyrannicæ crudelitatis crimen, si dicatur ex voluntate immota & cui resistere homines non possint, aliquos exitio destinasse. Tales igitur homines Apostolus proposito discrimine Hominis, id est lutei figmenti, & Dei iustissimi semper ac sapientissimi opificis, nec aliunde quàm ex seipso iustitiæ regulam & normam sumentis, ad imbecillitatis vel potius indignitatis suę cognitionem reuocat, vtens verbo ἀνταποκρίνεσθαι quod non de simplici interrogatione, sed de pertinaci & superba responsatione dicitur, vt ij facere consueuerunt, qui allatis alicuius quārumuis iustis rationib. nō acquiescunt. Quod si inter homines id semper odiosum habetur, præsertim quum inferior à superiore docetur, (licet sæpè eueniat, vt qui dignitate præstat, non sit tamen ratione superior, ac non sit semper habenda pro ratione, cuiuspiam volūtas) quàm est intolerabilis arrogantia in Dei voluntate, de qua nobis constet, non statim acquiescere? Nihil enim est certius id demum rectum &

iustum esse, quod Deus velit: nec eius voluntatē, si propriè loqui volumus, ratione regi, sed ipsam potius rationem regere, vt tyrannica nunquam esse possit, sed omnis potius iusti & æqui regula, & ei vni verè conueniat quod hoc versiculo dicitur, Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Addit Paulus.

Num[q]uid dicet figmentum fictori, cur me talem finxisti?

His verbis illustrat Paulus superius responsum argumento à comparatis sumpto, quo ingens admodum discrepantia inter Deum creatorem, & hominem creatum significatur, allusione quoque facta ad primam primi hominis ex terræ limo constructionem. Quid enim aliud erat homo, quàm lutum, in Dei opificis, quasi figuli manu, vt multis Scripturæ locis, ac præsertim Iobi 10, 9. dicitur antequàm corpus carneum ex eo conderet, & animam in illud infunderet? Illud verò, *talem me fecisti*, idem declarare atque Cur mutabilem & ita licet à memetipso mutandum condidisti, liquet ex eo quòd hominem illum primũ apertè dicat Moses ad imaginem Dei fuisse conditum, ac proinde excellenter bonum, non autem talem, quales nunc sunt homines. Et hinc etiam liquet Apostolum ad eum vsq; diuinæ voluntatis gradum nos perducere, quo nihil est, quod ad nos quidē attinet, superius, à quo nimirum ipsa hominis creatio pendet: tantum abest, vt ex mēte Apostoli Deus alios quidem saluti, alios verò exitio destinans, in mente habuerit humani generis lapsum, siue humanum genus vt iam lapsum sibi in sua prænotione proposuerit, vnde ad eiusmodi decretum faciendum impelleretur: quum è contrario, vt aliquod sit responsi Apostolici pondus, statuendum sit, Hoc de quo hîc agitur decretum, ordine causarum quæ ad exequutionem ipsius decreti feruntur, ipsam creationem antecedere, ac proinde ipsius opificij corruptionem: sicut sapiens figulus priusquam manus operi admoueat quid quorsum sit facturus necessariò deliberat. Itaque verba illa *talem me fecisti*, apertè declarant quod modò dixi, nempe vel protoplastum, vel in ipsius persona, posteros ipsius hîc introduci, non quasi ex integro illo statu, in quo primus ille homo conditus est, sed ex illa mutabilitate & ex illa inde certò sequutura mutatione occasionem huius Obiectionis arripientes. Quorsum enim quereretur homo se creatum fuisse bonum? Hinc autem omnino efficitur verum esse quod suprà diximus, nempe etiamsi verbum *fecisti*, interpreteremur *permisisti vt fierem*, non euenisse tamen absque decreti diuini interuentu illam vniuersalem præclari illius opificij hominis corruptionem, cuius nihilominus culpam nullam prorsus hic figulus sustineat. Nec enim eousque trahenda est hæc similitudo, vt homo comparetur vasi luteo, nullo in sese sensu, neque motu, nedum intelligentia prædito, sicuti, quum apud Esaiam Rex Assyriorum comparatur serræ, virgæ, baculo Esa. 10. 15. non significatur illum fuisse tantùm [illegible] instrumentum, sed hoc vnum declaratur, non nisi Deo sic volente & ordinante bellum hoc fuisse ab Assyrio susceptum & gestum, Deo videlicet (vt loco supra citato rectè describit Augustinus) conuenienter ordinante, & non solum in corporibus sed in ipsis cordibus malorum conuenienter cooperante quæ mali suapte malitia inconuenienter agunt. Itaque in hoc etiam argumento Deus est dicendus tum Sathanæ improbitate, tum humanæ voluntatis libera & spontanea mutabilitate rectè vsus ad æterni illius decreti sui exequutionem, quoniam sic voluit: ideóque statuendum est huius rei euentum, quod ad ipsum ordinantem attinet, iustissimum fuisse. Subijcit autem postea Apostolus.

An non habet potestatem figulus in lutum, vt ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? Vers. 21.

Collegerat Apostolus cōparatione à minore ad maius sumpta, multò magis licere in nos Deo nostro creditori, quod figulo cuius in suum lutum licet. Hinc autem longius progressus ostendit [illegible] etiam considerandam esse hanc similitudinem: ita videlicet vt nomine massæ illud ipsum declaretur, quod antea lutum vocarat, id est, ipsum humanum genus, quam interpretationem, vt necessariam approbo. Sed in eo non possum plerisque assentiri, qui intelligunt Deum sibi in hoc de quo hîc agitur decreto humanum genus siue tanquam iam conditum (vt quidam volunt) siue etiam (vt alij contendunt) velut iam corruptum sibi in decernendo in æterna sua prænotione proposuisse. Nam vt antè ostendi creatio præuisa non potest statui pro causa [illegible] huius decreti, quin simul statuatur Deum prius ordine causarum decreuisse hominem condere, quàm quid eo condito faceret deliberaret, quo nihil dici absurdius potest, quum finis in omnis sapientis artificis mente præcedat ipsius operis aggressionem, vt certissimum sit Dei de humano genere decretum Creationem & ipsius Creationis fines omnes antecessisse, Creationem inquam vt & Corruptionem, decretum illud Dei ordine causarum non antecedere, sed duntaxat exequutioni decreti præire.

Paulus enim alioqui minimè tam altè conscendere neque ad summam illam Dei voluntatem, vt iustam ac necessariam omnium euentuum etiam per causas medias contingentes causam ducere oportuit, sed simpliciter respondere, Corruptionem, & si qui sunt eius Corruptionis fructus, causam esse eius voluntatis, qua nonnullos Deus Reprobationi & exitio destinauit, ac proinde non habere illos vel leuissimam occasionem Deum vt iniustum accusandi.

Deinde lutum certè in manu figuli, vnde vasa condit, nondum est vas, nisi δυνάμει, sed tantùm massa, ex qua figulus vasa conficit. Massæ igitur appellatione humanum quidem genus, sed vt condendum, non vt iam conditum, nedum vt iam corruptum, necesse est intelligi.

Præterea si res ita se haberet, id est, si massæ nomine omne in genere humanum genus, vt corruptum intelligeretur, certè non diceretur figulus alia vasa ad decus, alia verò ad dedecus facere, sed ex vasis iam dedecoris plenis quædam

dam ad decus renouare, quædam in suo dedecore relinquere.

Denique verbum istud *faciendi*, & nomẽ *luti*, ac *massæ* adhuc informis, manifestè mihi quidem videtur declarare, Deum in hac similitudine nobis proponi, de humano toto genere, in primo illo homine, protoplasto propterea vocato, condendo statuentem, vnde singuli homines ad finem vsque sæculorũ propagarentur, eo iam tum consilio vt in vnis quidem quos iam tum in vitæ libro suis temporibus nascituros, eligendos, vocãdos, credituros, iustificandos & glorificandos describebat, ad salutis decus per gratiam in Christo euehendis: in aliis verò per contrarios gradus in æterni exitii dedecus iustè præcipitandis, gloriã suam patefaceret. Sed hic rursum nobis aliæ contrariæ explicationes sunt refutandæ.

pag. dialogi secundi 146. Occurrit autem hîc nobis imprimis refutandus blasphemus ille Castellio, quem in Dialogis illis ante quadriennium à Socino Senensi, Lælii perditissimi Samosateniani & Arriani, germanissimo fratre, sub Fœlicis Turpionis Vrbeuetani nomine editis de hoc loco deprauando plurimum & quidem frustra laborantẽ non puduit scribere optandũ fuisse, vt Paulus mentem suam & hoc in loco, & in quibusdam aliis copiosiùs & apertius exposuisset, ne à seipso dissentire videretur, præceptorem videlicet ipso Spir. Sãcto doctiorem. Quid amplius? *Si alter*, inquit, *ab altero discreparet, mallem hoc in loco Ieremiæ credere, quàm Paulo, idque duabus de causis, primùm, quia Ieremias scribit & apertius, & naturæ Dei conuenientius, siquidem Pauli verba quædam, ac non potius perpetuum eius doctrinæ tenorem velis pertinacius vrgere: Deinde quòd apud Ieremiam loquitur Deus ipse, cùm Paulus loquatur ex sua persona. Quantum autem referat vtrum ipse ex sua persona, an verò Dei mandato loquatur, apparet ex ipsomet, qui alicubi sic scribit: coniugibus præcipio non ego, sed Dominus: & paulò pòst: de virginibus Domini præceptum non habeo, sed consilium do. Vides, vt nolit eandem suis verbis authoritatẽ tribui, quam Dei.* Deus bone, ferri posse quenquam qui Dei seruos, omni exceptione maiores, inter se cõmittat, aut qui inter Apostolorũ & ipsius Christi ore proditam doctrinam, aliquid imparitatis inueniat? Saltem enim illum [illegible] quem mox Apostolus illic subiicit, expendisset, quo totam illam disputatationem concludit: Existimo verò (inquit) me quoque Spiritum Dei habere. Quorsum autem ista? *Nõ est* (inquit) *hoc loco similitudo inter Deum & figulum, sed inter Dei & figuli materiam:* Scilicet hoc non est insanire, quum manifestè Paulus, vt ipsa quoque obiectio & eius responsio deposcunt, sicut antea hominem cum Deo altercantem, ita subiecta similitudine lutum figulo non opponat, vt Deus quidem figuli, homo verò operis figulini personã sustineat. Et quæso quid aliud fuit homo iste protoplastus, quum conderetur, vt ex eo tum gratis eligendi, tum iustè reprobandi propagarentur, quàm lutum, siue vt loquitur Abraham, terra & puluis in Domini tanquam figuli, manu? Sed audiamus aliquid acutius excogitatum: *Intelligendum est* (inquit) *hic esse duas similitudines implicatas, vnam de vasis, quæ ad res inhonestas fiant, de qua hic Paulus non agat ex professo: alteram de vasis, quæ franguntur. Non est enim idem frangi, & in re inhonesta esse vsui. Prior igitur sic habet: Quemadmodum figulus ex eadem massa vasa facit, alia ad res honestas, alia ad res inhonestas ita Deus ex eadem generis humani massa, alios homines creat, vt fiant in Christi corpore quasi oculi, aut aures, aut manus, vt sunt Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, Doctores: alios vt sint quasi pedes, aut partes immundæ, vt sunt cæteri, quibus non tantas dotes largitus est Deus. Atque hic non est quod quisquam de Deo figulo cõqueratur, Nulla est enim harum conditionum, quæ non bona sit, nec vllum est tam vile membrum, quod non sit vsui. Altera similitudo est hæc: Quemadmodum bonus & sapiens figulus nullum vas facit ad frangendum, sed si quod vas vitiosum esse contigit, id frãgit: ita Deus nullum hominem creauit ad perdendum: sed si quem hominem malum esse contigit, eum perdit.* Imò quid istud rei est, quum ne leuissima quidem sit hoc loco, frangendorum vasorum mentio sed ad dedecus comparatorũ: & disertè testetur iste, nõ idẽ esse frangi & in re inhonesta esse vsui (pro quo nisi versutus fuisset sophista, dicere ipsum oportuit, aliud esse, Vasa frangere, quàm Ad vsus ipsi vasi indecoros condere) id de quo aget ex professo Paulus expungere, vt de quo ne cogitauit quidem hoc in loco, substituatur? Item quũ hic nõ cõparentur inter se ad impar decus sed in genere ad dedecus æternum, quod mox Paulus vocat ἀπώλειαν, comparata: quorsum iste quæso vasa variis decoris in Ecclesia vsibus cõdita cõmemorat? Totũ igitur istud meræ sunt nugæ; neque Paulus, vt iste perabsurdè existimat, ad locum Ieremiæ, 18, 6. allusit, in quo non de hoc Dei decreto, sed de ipsius executione, aduersus præfractum & suæ conditionis immemorem populum agitur, quem sese Dominus, illo adiecto Symbolo per Ieremiam testatur, vt Psal. 2. 9, & Esaiæ, 30. 14. tam facilè potuisse, ac etiamnum posse nõ resipiscentem conterere, quàm vas testaceũ figulus. Quòd si qua hic est allusio, respexerit potius Paulus ad locum Esaiæ 45, 9. altius (quanquam in finem diuersum) conscendentis.

Deinde quum Apostolus non loquatur absolutè, sed comparatè, hæc vasa inter se conferens, si condere ad dedecus idem declararet, atque condere ad confractionem, quid aliud consequetur, quàm sola vasa condita ad decus superesse, reliquis vasorum nomen amittentibus? Vas enim confractum, vas esse desinit. Quod si vas non est, quomodo vas erit dedecori seruiens? Oportet ergò ex hac similitudine vasa vtraque permanere, & in eo quòd vasa sint, in se paria esse, quorum discrimẽ in decore & dedecore positum sit, non autem in eo, quòd alia quidem permaneant vasa, alia verò esse vasa desinant. En quò euadant hominis istius argutiæ.

pag. eiusdem dialogi 136. & 119. Alius quidam in hunc locum sic scribit: (*similitudo* (inquit) *figuli, & luti, non hoc consilio à Paulo producitur, vt omnia eius membra applicentur. Satis enim est similitudinem in principali scopo*

Ppp.i.

rei præsenti respondere. Concedo. Sed quis hîc est præcipuus scopus? *Ostensa, inquit, diuersitate inter figulum & Deum, multò etiam magis Dei Iustitiam ab improbo murmure hominum vindicare.* Concedo & istud. Sed quo argumento vindicat? *Isto*, inquit, *Si nemo reprehendit figulum, vt maximè ex vna eadémque massa efformet vasa diuersa, alia quidem ad vsus honestos, alia verò ad vsus minus decentes: quātò minus Deus reprehendi debet, aut potest, si quorundam misereatur, quosdā verò indurari permittat, qui scilicet per incredulitatem & impœnitentiam contra ipsum insurgunt. sicut Pharao fecit? Nam in homine est repugnantia, quem oportuit Deo obedire: in vase verò figuli repugnantia locum non habet. Figulus enim ipsemet præparat vas vtrumque, vnum ad decus, alterum ad dedecus, voluntate efficaci: Deus verò vasa iræ non efficit, sed nos omnes natura filios iræ inuenit, eos qui Euangelio non obediunt, à Deo, vt dictum est, indurari permittit, quos hoc modo ad interitum iustissimè dicitur apparare.*

Hæc ille. In quibus multa dico nec verè, nec appositè dici. Primùm enim obiectio, ad quam respondet Apostolus, non ex Indurandi sed ex Volendi verbo nata est, vt ex ipsis verbis apparet. Nec enim quæritur in hac obiectione cur induret Deus: sed de eo agitur quînam Deus habeat iustam de induratis expostulandi occasionem, si induratio pendet à Dei decreto & voluntate, cuius euentus sit necessarius. Ad hāc autem obiectionem ineptissima fuerit eius responsio, qui de voluntatis diuinę vi rogatus, de causis Indurationis, in ipso homine hærētibus, respondeat. Ac proinde non ad hāc obiectionem, sed ad superiorem ineptè responderet Apostolus, eo, de quo rogabatur, prætermisso.

Deinde si Dei voluntatis rationem, (vt iste vult, perpetuò voluntatem seu decretum Dei, quo nihil dari superius potest, cum eius exequutione confundens) demonstrare voluit Apostolus, nempe corruptionem & repugnantiam, propter quas Deus aliquos indurari permittat, vt iste loqui mauult, non occluserit os Apostolus aduersario, sed potius aperuerit. Perget enim quærere, quū omnes pariter corruptos inueniat Deus (hoc enim negare manifestus est Pelsgianismus) id est, ne ad cogitanda quidem, quæ Dei sunt, nedum ad credenda dispositos, vnde fiat, vt ex pariter corruptis alii quidem obediant, alii verò repugnent. Hoc enim discrimen (non autem hîc quæro cur qui repugnent Dei voluntati, sed quî fiat vt ex pariter ad obediēdum ineptis, alii tamen obediant, alii repugnent) necesse est vel ab ipsis hominibus oriri, vel ex eo, quòd Deus vnis quidem credendi gratiam donet, aliis verò non item. Ab hominibus autem oriri nemo dixerit nisi vel prorsus vel aliquatenus Pelagianus. Superest igitur vt hoc sit ex mera Dei voluntate, qui quum perdere omnes posset, aliquos duntaxat per misericordiam seruet, & quidem quos ipsi libet. Hæc autem omnia nihil ad hanc posteriorem obiectionem faciunt, manente semper posterioris istius obiectionis, sumptæ ex summæ illius diuinæ voluntatis, quo alios dedecori destinauit, immoto prorsus & necessario, etiam per cōtingentes causas medias, euentu. Præterea, si valeat illa interpretatio, simplex erit hoc loco argumentum à comparatis sumptum, veluti quum dicitur, Ps. 2, Dominus sceleratos, tanquam vas figuli, confracturus, & vt Ieremias Iudæos quantumuis elatos & turgentes, instar lagenæ cōfringendæ futuros dicit. At hoc in loco res ipsa ostendit Apostolum sic à comparatis argumētari, vt sit etiam quædam allegorica similitudo, in qua figulus Deum hominum conditorem, lutea vasa humanum genus, destinatio ad decus destinationē ad gratuitam salutem, destinatio ad dedecus destinationem ad exitium, repræsentat.

Insuper verba ista, *Condere vasa ad dedecus ex luti massa*, qua tandem rationis specie accipientur pro permittere indurari? Nam induratio vasis iam corrupti, necessariò præsupposuerit ordine causarum (nec enim de tēporis ordine quærimus) non tantùm corruptionem, sed etiam creationem, quandoquidem quod non est, corrumpi non potest. Immò ne massæ quidem nomen corrupto vasi cōuenerit, quia vas nondum est, quod est luti massa.

Postremò quum disertè Apostolus ex eadē massa vtrumq; horum vasorum genus conditum dicat, neque massæ nomen (sicut modò diximus) iam conditis, sed condendis vasis conueniat, quis non videt summum illud Dei decretum & æternum & immotum nobis hîc proponi, quod ipsam creationem ordine causarum antegrediatur? Deum enim oportuerit, priusquàm hominem crearet & de ipso creando, & ad quem finem omnes ex eo deinceps propagandos homines crearet, apud se statuisse, nedū vt corruptionis prænotio fuerit [illegible] ipsius decreti causa. Ex quibus omnibus nemo non videt, opinor, quàm non conueniat propositæ obiectioni & Apostoli responsioni, ista huius loci interpretatio.

Quid si verò volens Deus iram ostendere, & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate Ver. 22.
vasa iræ, ad interitum coagmentata: & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam?

Tertia hæc est Apostoli ad superiorem vltimam obiectionem responsio, cuius hæc summa est, Nō esse in subalternis finibus, nempe neque in vnorum decore, neque in aliorū dedecore vt de diuini decreti (quod in superioris obiectionis refutatiōe Apostolus vtrinq; ab omni iniustitia asseruerat) æquitate vel iniquitate statuatur, subsistēdum, sed ad vltimū vsque finem esse pergendum: vt si huius diuini decreti sicut auctorem, nō minus potentem, quàm sapiētem & iustum, sic etiam optimum finem & exitū esse cōstiterit, nullus iam locus relinquatur istiusmodi decreti tanquam iniqui reprehensioni. Hunc autem finem triplicem esse declarat Apostolus. Vnum, vt ad dedecus conditos iustè (nempe non nisi vt corruptos ac sceleratos) seuerissimis æternis pœnis addicēdo, potentiā illam suam summā, & à Iustitia nunquam aberrātem Deus demōstret: alterum, vt in ipsa seueritatis suæ ostensione lenitatem etiam suam aliquatenus patefaciat, quandoquidem vasa quoque ad dedecus comparata diu sæpissimè tolerat, maximisque in hac

vita

vita beneficiis frui, quã iumuis indignè ipsis abutentes, tolerat. Tertium, vt ex contrariorum collatione, id est comparatione, seuerissimi sui iudicii (qua de re postea plenius agit Apostolus infra 11.22.) cũ ea summa benignitate, qua erga vasa ad decus præparata vtitur, quanta sit ipsius misericordiæ amplitudo, appareat.

Sic igitur Apostolus disputationem totã de Fidei solidissimæ firmitatis fundamento, id est, de æterna eorum, quos Deo visum est, ad salutem gratis cõsequendam, Prædestinatione cæteris iusto iudicio destinatis, *ἀναλυτικῶς* quidem tum in gentium Vocatione, tum in Iudæorum Reiectione propositam, *θετικῶς* verò applicatã absoluit: idque quidem accuratè, vt stabilita ea perspicuis Scripturæ testimoniis doctrinæ summa, quicquid aduersus eam proferre humana sapiẽtia potest, ad duas obiectiones, quasi duo summa capita, reuocarit: quarũ prior fertur aduersus causas medias quarum interuentu Deus æternum suum decretum exequitur: posterior verò aduersus ipsum æternum & immotum Dei decretum torquetur.

Sed rursum hîc nobis refutanda sunt quæ à nonnullis aduersus istam huius loci certam & perspicuam interpretationem afferuntur.

Tolerantia, inquiunt, *eorum non est, quæ ipsi scientes & volentes facimus & approbamus. Quum igitur iræ vasa non sine multa animi lenitate toleret Deus, sequitur quòd ea non faciat, sed, vt inquit Apostolus, ferat, siue toleret.* Est autem in hac obiectione multiplex error. Primùm enim manifestus est paralogismus in his verbis, *vasa fieri*. Potest enim hoc accipi de ipsa creatione primi hominis in quo condita est tota ipsius posteritas: potest & de corruptione primi hominis intelligi, in quo omnes homines, non quidem destinatione, sed naturæ suæ deprauatione, & quatenus in eo omnes peccauerunt, Rom.5, 12. iræ filij nascuntur, Ephes.2, 3. Sed & tertiò intelligi potest de singulorũ Reprobationi destinatorum ortu, ac demum ẽtiã referri ad ipsam singulorum reproborum rebellionem: quæ omnia distinguẽda sunt, vt quo sensu vera vel falsa sit illa conclusio intelligatur. Aio igitur non me, sed Apostolum, aut potius ipsum Dei spiritum perspicuè dicere Deum esse conditorem vtrorumque vasorum, & quidem ex eadem massa. Itaque si vasa iræ accipiantur pro vasis ad iram destinatis, & verbum *fieri* ad illam primam humani generis in vno homine creationem referatur, non minus blasphemum fuerit negare iræ vasa ab eo ipso facta, qui vasa misericordiæ condidit, quàm si quis *αὐτουσίαν* siue Deitatem ipsis reprobis tribueret, quum vnus Deus sit à se ipso *ἀναίτιος καὶ ἄναρχος*.

Et ne quis excipiat, vasa quidem ipsos factos fuisse in Adamo, at non vasa iræ, quoniam ira præsupponat peccatũ, quod à Creatione nõ est: respondeo quod & antea & modò dixi, nempe non cœpisse Deum, sapientissimum opificẽ, de fine primi illius hominis & singulorum ex ipso propagandorum cæitu deliberare postquam illum condidisset, nec illum vt iam creatum & lapsum considerasse: sed ordine causarum priusquam illum conderet de fine, cuius causa illum erat conditurus, ac demum de causis ipsis medijs, per quas ipsos erat ad constitutum finem adducturus, constanter & immoto proposito statuisse. Ex quo consequitur rectè & verè dici omnes reprobos factos esse in Adamo simul, eodẽmque momẽto, sicut Deus ab æterno constituerat, non tantùm vasa id est homines, sed etiam vasa iræ, id est homines iustæ per medias causas in ipsis reprobis hærentes, damnationi per media quidem contingenter sequuturæ, ex decreto Dei autem prorsus necessariò euenturæ destinatos.

Sin vero istud *Vasa iræ fieri* vel ad protoplasti lapsum voluntarium, in quo totum humanum genus ab ipso propagatum comprehenditur, siue ad natiuam corruptionem cuiusque hominis, siue ad singulorum reproborum realem rebellionem refertur, quoniam videlicet huius interpretationis auctor vtitur verbo *fieri*, non *facta esse*, dico hanc obiectionem nihil ad Apostoli scopum siue ad nostram interpretationem pertinere. Nec enim Apostolus de exequutione diuini decreti vel mediis ipsius exequutionis causis agit quarum (sicuti iam toties repetiimus) principium efficiens & *κύριον αἴτιον* est spontaneus malæ voluntatis humanæ motus, sed de ipso diuino decreto, cuius causam *περιεργότερον* alibi, quàm in ipso Deo quærere, & in Deo non adorare potius, quàm scrutari, mera est insania.

Hac eadem ratione euanescit rancida illa calumnia, nobis toties reposita, de Stoica necessitate, cuius reus esset ipse Apostolus, si verè in nos torqueretur, vt qui hanc obiectionẽ refellẽs à necessario huius de qua hîc agitur diuinæ voluntatis euentu sumptã, cõcedat & hanc esse Dei voluntatẽ, & huic volũtati resisti nõ posse. Etenim Stoici nõ tãtùm humanas volũtates siue humanarũ actionũ principium, sed quæcunque fiunt & eueniunt, illius suæ Necessitatis vinculis adstringebant: & ita quidem, vt medias causas non subiicerent Deo, sed ipsum potius Deum causis mediis deuincirent. Nos autem ex Dei verbo edocti fatemur quidem falli non posse, nec mutari Dei voluntatem, & nihil prorsus temerè euenire: sed causas medias Dei voluntati subiicimus, illas secundum ipsarũ naturam sic libera voluntate mouentis, vt illarum & ordinem & effecta, quando, & quomodo libuit, & sicut ab æterno decreuit disponat, variet, & immutet, nedum vt illi, ordine aliquo præscripto, sit obnoxius: &, quum hominis voluntas ex Dei ordinatione sit actionum humanarum intrinsecum spontaneumque principium, illarum, quod ad ipsas attinet, contingentem effectum, necessario diuini decreti, cui sese illa vltrò & sponte, nõ coactè accommodet, euentui minimè repugnare docemus.

Sit igitur Corruptio, cum suis fructibus à spontanea humanæ voluntatis à recto defectione: sit autem iustum aduersus peccatores iudicium à Deo vt peccatorum vltore: sit & à Deo ad hoc iustum iudicium iusta destinatio, necessaria quidem, quod ad euentum, sed neminem cogens: & tum ipsis reprobis os occludẽs quorum nullos nisi damnationem meritos, da-

mnat: tum gratuitò Electis, Vocatis, Iustificatis, Glorificatis considerandæ & agnoscendæ misericordiæ ipsius magnitudini singularem occasionem præbens.

Sed nondum expeditus videtur nodus illius obiectionis præcipuus, quòd videlicet tolerantia non sit eorum quæ ipsi scienres & volentes facimus & approbamus: ex quo cōsequatur vasa iræ non fieri à Deo, sed tolerari. Agnosco argumentum ex Castellionis lacunis haustum, sed quod sit prorsus elumbe. Primùm enim sæpe iam diximus dici vasa iræ fieri à Deo, non quatenus ipsa in sese, partim ob corruptionem natiuam, quæ vel sola cunctos reddit iræ filios, partim ob corruptionis fructus, peccata videlicet, irā Dei merētur, sed quatenus iræ destinantur. An nō autē insignis hæc etiā est erga ipsos iræ destinatos Dei lenitas, & patientia, quòd illos non statim & ab ipso exortu, licet perditioni destinatos, & in se ipsis iam perditos, tamen & huius vitæ vsura, & multis aliis commodis frui patitur, faciens oriri solem suum super bonos & malos? Neque tamen id facere Deus existimādus est, qua ratione putat ille Castellio, quasi speret vel expectet Deus eorum resipiscentiam: quæ merum est ipsius Dei gratuitum donum 2. Tim. 2, 25. nec quibusvis etiam oblatum: sed ideirco vt & suam lenitatem tardè ad seueritatem iudicii procedentem (vnde & μακροθυμία dicitur) patefaciat, & vt mensuram suam implentes, suæ ipsorum conscientiæ testimonio magis ac magis conuicti tandem, vt loquitur Petrus Act. 1. 25. in locum suū. i. sibi ab æterno destinatam & iusto tandem Dei iudicio reipsa assignatam perditionem abeant. Nam vt resipiscere non possunt, sic etiam nolūt: cuius, vt ita loquar, Noluntatis, & ad omne malum pronitatis ipsi quoque naturæ legi contrariæ nō est auctor ipse Deus, sed spontaneus humanæ ex se ipsa corruptę voluntatis motus.

Deinde non dicit Apostolus *vasa iræ fieri*, id est iræ, sicuti diximus, destinari per Dei tolerantiam (quînam enim tolerarentur, qui nondum existunt?) sed licet iusto exitio ab æterno destinata, & ab ipso exortu iustam damnationem promerita, singulari lenitate tolerari: adeò quidem, vt testetur Sapiens ille, ex prosperis, vel aduersis huius vitæ rebus, non posse diiudicari quos oderit, & quos diligat Deus, Eccles. 9. Hoc verò non animaduersum Epicureos ad negandam Dei Prouidentiam impulit, & sanctissimos etiam homines valdè exercuit vt ex Psal. 73. & aliis eiusdem operis locis, & ex Habacuc Propheta liquet.

Denique quid absurdius esse possit, quàm tolerantiam opponere ei, quod aliquis sciens & prudens faciat, & approbet, quum è contrario nullus propriè dicatur quippiam tolerare, qui inuitus aliquid toleret?

Sed aliam etiam audiamus obiectionem. *Deus, inquiunt, dicitur ab Apostolo* προητοίμασε, verbo videlicet actiuo, *vasa ad gloriam: vasa verò ad dedecus dicuntur* κατηρτισμένα, *passiuo verbo, ad interitum, nēpe non à Deo, sed à Sathana & à se ipsis.* Agnosco Chrysostomi in hunc locum obseruationem, quæ etsi rectè intellecta verum sensum pariat, tamen fundamento admodum infirmo nititur. Nam & Electis passim passiua tribuuntur, verba, veluti quum dicuntur κλητοὶ, ἠγαπημένοι, ἠλεημένοι, num quęso à seipsis? & quum cōtra Exitio destinati dicuntur à Iuda πάλαι προγεγραμμένοι, id est, iam olim descripti ad iudicium, num quæso à seipsis descripti dicuntur? Meritò igitur Syrus interpres vtramq; illam vocem hoc loco passiuè conuertit. Iud. 4.

Et quorsum quæso longius abeamus, quum nihil absurdius dici possit, quàm vas aliquod non à figulo, sed à seipso καταρτίζεσθαι, id est, construi, & compingi?

Sed & Apostolus tam de vasis ad decus, quàm de vasis ad dedecus, Deum quidem cum figulo, vasa verò non vt iam ficta, sed vt ad contrarios vsus fingenda, cum hominibus, non vt iā conditis, nedum corruptis, sed aliis quidem ad exitium, aliis verò ad gloriam condendis conferens, vnico verbo actiuo, ποιῆσαι, eóque non geminato, sed vtrique membro communi vtitur, vt similiter prorsus, quod ad figuli destinationem attinet, in vtroque membro necessariò sit explicandum. Num igitur, inquies, vt salutis causarum id est, fidei & ipsius fructuum in Electis suis, sic etiā exitij causarū, id est corruptionis & peccatorū in reprobis auctor existimabitur? Absit à nobis hæc blasphemia. Etsi enim vt antea ex Augustino diximus, nisi Bonū fuisset etiā Malū esse, Deus illud esse nō siuisset, siuit autem vtiq; , nō nolens sed volens: & peccata, quatenus peccatorum præcedentium sunt pœnæ, à Deo vt iusto iudice infliguntur: tamen nullius Mali, neq; iniquitatis vllius causa vel efficiēs vel adiuuans existimādus est, vtpote quę à voluntatis humanę sponte nō coactè (vbi enim coactio est voluntas non est) sese ad Malū mouentis motu initium habeat. Sed quoties iam à nobis dictum est longè aliud esse, de æterno & immoto Dei decreto omnes inferiores causas iustè ordinante quærere, quàm de causis mediis agere, per quas æternum illud decretum suis temporibus exequens?

Ergo huius quidem decreti aliam causam nullam, quàm meram, eamque nunquam tyrannicam, sed semper in sese & ex sese optimā, ac sapientissimam voluntatem afferri posse declarat in huius secundæ obiectionis responsione Apostolus. Executionis autem huius decreti causas nobis & verbo Dei, & ipsa experientia, nostræque adeò conscientiæ sensu, patefactas, edidit idem Apostolus, priorem alteram obiectionem diluens: nempe quod ad eos quidem attinet, quos decori & gloriæ destinauit, gratuitam in Christo misericordiam: in eos verò, quos itidem exitio destinauit, indurationem, ac proinde corruptionem & peccata, in quibus iustè indurantur: vt meritò tandem Paulus post totam hanc & θετικῶς & ἀναλυτικῶς explicatam tractationem, exclamet, *ô profundas diuitias &c.* quæ exclamatio nullum certè locum haberet, nisi diuini non minus in vasis ad dedecus, quàm in vasis ad decus destinatis decreti summū & αἰτιῶν αἴτιον esset mera Dei voluntas: nostrum quidem illa captū (quum nihil aliud sit ipsa, quàm Deus ipse) infinitè superans, sed tamen semper in sese

in sese & ex sese sapientissima & optima, iustitiæ nimirum normam, non aliunde sumens, sed causis ipsis secundis & mediis omnibus, quatenus ab ipsa ordinantur, tribuens.

Denique quum sequuti perspicuam Apostoli sententiam dicimus, quoniam, vt in gratuita in electos misericordia, sic etiam in illa iustissima in reprobos seueritate Dei gloria, sommè videlicet sese in vnis quidem misericordem, in aliis verò seuerum Mali vltorem reipsa patefacientis, declaratur: idcirco tã in Electionis quàm in Reprobationis decreto considerandam nobis esse necessariò summam illam Dei voluntatem, non à causis mediis suspensam, sed causas medias ordinantem, & ad fines ordinatos perducentem: excipit quidam nouus huius loci interpres, *Deum hac seueritatis suæ manifestatione in ira vasis non indiguisse, ac proinde necessarium non fuisse ad hanc ipsius in iudicando potentiæ declarationem, vt aliqua vasa dedecori destinarentur, quum huius suæ potentiæ ac seueritatis amplissimum documentum, & exemplum ediderit, tum in lapsis angelis, tum in morte filij sui, quam pro nobis acerbissimã pertulit, vt nulli in humano genere essent reprobi, sed omnes in Christo seruarentur.* Ego verò respondeo hanc obiectionem, & per se absurdam, & à consequente impiam esse. Quid enim tandem fecit Deus quo ad suam gloriam patefaciendã indiguerit? Absit igitur à nobis, vt sic sentiamus, aut loquamur. Ac proinde viderit istius obiectionis auctor, in quos illã torqueat. Nos quidẽ docemus expresso Dei verbo edocti, Deum omnia fecisse propter seipsum, etiam impiũ ad diẽ malum, Pro.16.4. non quòd vlla re creata siue bona siue mala indigeat, vel quòd vllius salute, vel vllius exitio gloriosior in sese euadat: sed quòd illi ita visum est, gloriam suam tum misericordiæ, tum seueritatis suæ in ipsis etiam hominibus declaratione, patefacere. Disputet igitur iste quantum volet: ego contrà in hac vna conclusione conquiescam.

Quod autem ait, *Christum ex Dei consilio luisse pœnas peccatorum nostrorum vt nulli essent reprobi, sed omnes, id est, homines quotquot nascerentur, in ipsum crederent, & in ipsã seruarentur*, falsitatis manifestæ coargui dico ex ipsius Christi verbis, & ex eo quòd impia plurima inde necessariò consequantur. Ego scio, inquit Christus, quos elegerim Ioann. 13,18. & 17.9. Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi, & pro iis qui per eorum sermonem credituri sunt in me. Nec dicitur Christus missus, vt singuli credant in eum, sed vt quisquis crediderit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Cedo verò, num omnium, id est, singulorum est fides? Negat Apostolus 2. Thess. 3. 2. Immò paucissimorũ semper præ aliis fuit Fides. At nonne dispositio, siue aptitudo ad Fidẽ omnibus offertur? Nequaquã. Est enim Fides ex auditu: auditus autem ex prędicantis voce: nequaquam autem singulis hæc vox mittitur. Notus enim in Iudæa Deus, nec sic fecit omni genti, Psal. 76, 1, nec omnes dicit vocari Christus, sed multos. Immò ne tot quidem electos dicit Christus, quot sunt vocati, sed multos vocari, paucos eligi.

Quid amplius? Etiamsi verbũ Dei nobis hîc non præluceret, annon ipsa veritas omnium sæculorum quotidianis innumeris exemplis docet & esse mortuos, & quotidie mori, & deinceps probabiliter morituros, quibus nunquam vllo modo oblatum Euangelium fuerit?

Neque quum hoc dico vel Deum arguo, cuius potius immensam misericordiã in ea re quoque admiror, quòd vel homini vnico gratiam Euangelii offerat, vel homines excuso, quibus damnandis absque Euangelii cõtemptu, vel sola natiua corruptio sufficit. Sed istud dogma falsissimum reprehendo, ex quo tam falsa & absurda plurima consequantur, & quidem in primis Pelagianismus necessariò stabiliatur. In quod præcipitium abreptus miser ille Castellio scripsit non modò nasci omnes cum libera Euangelium amplexandi potestate: sed etiam asserit modò quidem non fore pœnas eorum æternas, quibus Spiritus sancti lux in Euangelio non fuerit oblata, modò verò se id nescire. Ex quo certè necessariò efficitur vel vitam æternam esse extra Christum, ac proinde falsum esse, quod ipsemet Christus ait, Ioann. 17,3. vel nullos magis esse extra mortis æternæ periculum, quàm qui de Christo nihil vnquam audiuerunt. En quo tandem isti ferantur, qui tamen nos vt arcanorum Dei scrutatores reprehendunt. Dialogo 2. de Electione pag. 155. & deinceps.

De Prædestinationis certâ cognoscenda πληροφορίας sibi ab vnoquoque applicandis.

QVos etiam vocauit nimirum, *nos non solum ex Iudæis verum etiam ex gentibus.* Ver.24

Nihil æquè obscurauit doctrinam de æterna Dei Prædestinatione, atque confusa & perturbata tractatio, dum simul & coniunctim de ipsa doctrina & de ipsius vsu siue applicatione disseritur, quum tamen hæ duæ quæstiones plurimùm inter se differant, ac proinde distinctè sint in Ecclesia tradendæ, quod & Paulus optimus ac sapientissimus Theologicæ methodi, in hac præsertim epistola, magister, accuratè obseruauit. Hactenus enim ab huius cap. versiculo 6. ad 23. toto Prædestinationis loco pertractato, nunc demum quomodo singulis applicanda, siue vnde, & quomodo sit nobis cognoscenda salutis nostræ firmitas (qui verus est doctrinæ superioris vsus) demonstrat. Idque seruata prorsus ea ipsa docendi ratione, quam in ipsius doctrinæ tractatione sequutum illum fuisse ostendimus, κλῆσιν videlicet in his verbis, *quos & vocauit*, ac deinceps ἐκλογὴν in Electis, quidem ab his vocabulis *nimirum nos non solùm ex Iudæis verum etiam ex gentibus*, vsque ad versiculũ 27. In reprobis verò à vers. 27. proposita Iudæorum gentis maxima ex parte Reiectiõe, vsque ad Capitis 11. versiculum 32. finientem: vbi demum totam superiorem disputationem à vers. 16. primi capitis inchoatam concludit diuinissimo Epiphonemate vsque ad 12. cap. initium: inde demum totius Christianæ doctrinæ πρᾶξιν & vsum nõ minus accurata methodo explicaturus.

Summa verò Apostolicæ huius doctrinæ de nostræ Electionis ac proinde sequuturæ glorificationis certioratione, hæc est: Petendam illam esse nobis non in illa profundissima æterni Diuini decreti abysso, captũ omnium etiam

Angelorum superantem, sed à mediis, per quæ nobis illud in sese ab æterno absconditum Deus ipse animis nostris per aures certissimè patefacit.

Patefactio autem ista nomine Vocationis significãtissimè declaratur: quòd nimirum hæc Vocatio sit veluti vocale: testimonium tanquam ab ipsius Dei ore profectum, quo nihil certius aut expressius esse possit, quum Deus sit ipsamet veritas. Quum autem Filius Dei, qui vnus nobis audiendus est saluificæ diuinæ voluntatis interpres, non iam ipse sicut quum in terris loqueretur, nobiscum loquatur, sed Sancti sui Spiritus virtute & efficacia: & hic rursus Spiritus Sanctus non essentialiter, siue αὐτοπροσώπως in aurem loquatur, vt Phanatici & Enthusiastæ somniant, sed per Pastores & Doctores ad hoc ipsum à Filio missos, Ioan.20.21. & Ephes.4.11. & à Spiritu Sancto, legitima videlicet vocatione, constitutos Act.20.28: efficitur Vocis siue Vocationis Dei appellatione ordinarium Euãgelii ministerium, siue Euangelii vocem in Ecclesia Dei sonantem hominum ministerio, & Sacramẽtorum administratione ex ordinatione Dei sancitam intelligi.

Neque id tamen sic accipiendum quasi Dei virtus simpliciter & sine exceptione sit hominum ministerio alligata, quum possit etiam Deus ἀμέσως homines docere, & abundantissima suorum arcanorum cognitione donare: aut quasi non possit etiam quispiam per priuatam diuinorum scriptorum lectionem ac meditationẽ verus Christianus euadere: sed quòd hunc sacri ministerii ordinem ad vocandos & obsignandos Electos suos instituerit, in quo acquiescere nos miraculis nec quæsitis nec facilè creditis oporteat.

Neque rursum hoc ita accipiendum est, quasi vox hominis cor lapideum cuiusquam in carnem mutsre possit, eique Fidem promissiones salutis amplectentem, & delectationem in Lege Dei inserere (Totum enim hoc opus secundæ creationis, quæ Tractionis nomine significatur Ioan. 6. 44. & à qua noui homines, & Nouæ creatururæ dicimur, est virtutis vnius diuinæ quæ hominem nondum existentem condidit) sed quoniam id, quod verba à Verbi ministro prolata auribus nostris significant, & quod præterea Sacramenta aliis quoque sensibus nostris renunciant, Spiritus Sanctus, sua vnius vi ne Angelis quidem ipsis communicabili, mẽtibus nostris insculpit, illas simul & dociles reddens, & efficaciter tum in intellectu, tum in voluntate docens: vt verè sint, quod ait Esaias, omnes docti à Deo, corda videlicet nostra aperiente, vt non tãtùm attendamus, sed etiã quæ per aures audiuimus, certa Fide nobis applicemus, quam eadem Dei virtute odio Malj & Recti studio pro viribus testificemur.

Itaque nobis hîc à duplici præcipitio summopere cauendum est, nempe ne, quod vnius Dei opus est, ad hominem cum Magis superstitiosis, & idololatris transferamus: vel ordinarium illud Dei in Electis suis opus ab opere hominis vsque adeò distinguamus cum Enthusiastis, vt etiam separemus, quum plurimum inter se differãt Distinctio & Separatio, in Electis, inquam, idque eo demum tempore, quo visum fuerit Deo suam in illis Electionẽ patefacere, & priorem illorum siue simplicem, siue affectatam quoque ignorantiam, atque adeò contumaciam & rebellionem curare, vt ex omnium sæculorum perpetua experientia liquet.

Nam quod ad reprobos attinet, fatendum est omnino internum Spiritus sancti ministerium cum externo hominum ministerio interdum quidem nulla prorsus ex parte esse coniunctum, vt iis euenit, quibus Euangelii prædicatio nihil aliud est, quàm stultitia aut offendiculum: interdum verò coniunctum quidem, at nõ eousque vt auditores illos vera illa Fide, qua vt propria nota Electi à reprobis dignoscuntur, Viti illi nostræ vt sibi oblatam salutis doctrinam, sibi singulariter amplexaturos, & cum vite indiuulsè cohærentes ac frugiferos palmites futuros inserat: de quibus excindendis palmitibus agitur Matth.12,45. Ioan.15.2. 1,Corinth.10.5. Heb.6,4.& 10,26.& 2.Petr.2.13. & 22. & alibi sæpe. Neque ex eo consequitur Deum homines ludificari, aut simulatorem esse, nisi quibuscumque suam gratiam foris externo ministerio, intus quoque per Spiritum Sanctum offerat: quam obiectionem antea suo loco refutauimus.

Duplex est igitur vocatio à Deo: vna interna Spiritus per externum hominum ministeriũ ad trahendos efficaciter auditores: altera externa quæ per homines fit duntaxat, vt iusto exitio deuoti magis ac magis reddantur ἀναπολόγητοι.

Itaque non omnis Vocatio externa ea est, ad quam veluti certissimam æternæ nostræ Electionis certiorationem nos reuocat Apostolus. Sed illa demum, quæ cum interna Spiritus efficacia coniuncta est, dicente Domino, multi vocati, pauci electi: quarum discrimen ex ipsa Spiritus Sancti voce ostenditur. Spiritus enim hic vocatur duplex Sancti Spiritus effectum Electis solis proprium, ac peculiare. Vnum, vera illa Fides, excellens illud videlicet donum Dei, quo fit vt promissiones æternæ vitæ per gratuitam in Christo propitiationem & in Verbo, & in Sacramentis oblatas, (id est, Spiritus Sancti testimonium, quod nostro Spiritui tum per Verbum, tum per Sacramenta testificatur) Electi singuli peculiariter amplectuntur: Alterum, Renouatio nostri, vt iam non cogitare solùm, sed etiam velle, & facere incipiamus, quæ Dei sunt, nouo homine paulatim crescente, & vetere sensim intereunte.

Ex his autem duobus coniunctissimis & nunquam separandis effectis, efficacitas vocationis, & intus à nobis ipsis intelligitur, & externis etiam effectis sese foris prodit, vt neque de externo illo peculiaris nostræ Electionis decreto magis possimus ambigere, quàm si Deũ ipsum ab æterno vidissemus oculis nostris illud de salute nostra nobis consciis decernentem: nec de ipsius in omnibus tentationibus opitulatione magis ambigere, quàm si præsentem

tem illum nobis succurrentem cerneremus: nõ magis denique de nostra suo tempore sequutura tandem glorificatione dubitare, quàm si iam vnà cum illo in Cælis consideremus.

Hinc illa, quæ docemur, Rom. 5, 2. 5. & 8. 9. 16. 25, 38. 1. Corinth. 2, 10, 11. & 2. Corinth. 1, 22. Hebr. 4. 16, & 1. Ioan. 2, 5. & 3, 10. 19, 24. & 4, 13. & 5. 10. & alibi passim. Hinc etiam illa Pauli exhortatio, 2. Cor. 13. 5. vos ipsos tentate annon sitis in fide: vos ipsos probate. Annõ agnoscitis vosmet ipsos Iesum Christũ videlicet in vobis esse? Et illa Petri admonitio, 2. Pe. 1, 10. Quapropter fratres studete Vocationẽ & Electionẽ vestrã firmã efficere in animis videlicet nostris.

In summa igitur sicut ex operibus verè bonis ad Sanctificationis donum, à Sanctificatione ad Fidem perpetuo nexu cum ea cohærentem & quæ haud secus quàm ignis splendet, ascendimus: ita ex certis illis effectis nõ quamuis Vocationẽ sed efficacem illam, & ex hac Vocatione Electionem & ex Electione demum Prædestinationem in Christo tam firmam, quàm immotus est Dei thronus certissima connexione effectuum & caussarum colligimus, vbi defixa anchora, spe illa subuecti, quæ nunquam pudefacit, superatis tentationum tempestatibus, per Dei Spiritum victores, in glorificationis tãdem portum euasuri pergimus. Est igitur hæc de Prædestinatione doctrina vnica Fidei & Spei nostræ basis, hac demum ratione nobis applicanda, vt quibus gradibus præfatus est Apostolus, Rom. 8, 30. Deum ad nos adsciscendos, descendere iisdem vicissim ad eum ascendamus.

Peccant igitur grauiter, qui seu ascendendo seu descendendo vel vnicum gradum huius scalæ prætermittunt: vt ii faciunt, qui quum eos ad intelligendam æternæ electionis declarationem oportuerit ab imo gradu, id est, à Regenerationis fructibus inchoare, vno saltu ad æternum Dei propositum conscendunt: item qui prætermissis Fidei fructibus veram fidem se habere somniant: item qui & fidei fructibus & fide prætermissis ad externam Vocationem assurgunt, quasi extrinsecus vocari sit sufficiens Electionis testimonium: item qui à suis operibus, quæ bona esse somniant, ad Dei propositum transcendunt, quasi Electio à præuisis ipsorum operibus promanet, id est, qui quod summum est deorsum, & quod deorsum est in summo vertice collocant: vt & ii denique qui Fidem præuisam faciunt diuini de Eligendis decreti caussam.

Sic etiam patet eorum error, qui hanc doctrinam calumniantes argutantur, si necessariò seruabuntur, qui saluti destinati sunt, & necessariò peribunt, qui exitio sunt destinati, caussam non esse cur Verbum Domini, vel Fidem, vel bona opera curemus. Nam è contrario, non nisi ex Fide, resipiscentia, & resipiscẽtiæ fructibus vt subordinatis ad Electionis exequutionem mediis ad salutem, quæ est huius diuini decreti complementum, peruenitur. Et, quæso, cur non etiam isti colligunt sibi nec comedendum, nec bibendum esse, quoniam dies omnium constituit Dominus, quos præterire nemo mortalium possit?

Non dissimilis est eorum insania, qui hac doctrina putant homines securitate quadam imbui, & ad bona opera pigros reddi, quòd qui semel verè crediderint, nunquam excidere posse doceamus. Nos quidem certè docemus ex Dei Verbo tam esse ἀμεταμέλητον veræ Fidei donum quàm æternum Dei decretum est παλινάγρετον, οὐδ' ἀτελεύτητον, οὐδ' ἀπατηλόν, vt ipsi quoque alioqui profani poëtæ decantant. Sed simul addimus, sicut nunquam excidunt vera fide præditi, ita eos consueuisse auditione & meditatione Verbi diuini seria, & vehemente tum pietatis tum charitatis studio, adiunctis precibus, Fidem & Resipiscentiam in sese cœptas fouere: aut (quod nimium sæpe in grauibus tentationibus accidit) ad tempus interruptam illam repetere, & velut sopitã ἀναζωπυρεῖν, vt noster Apostolus loquitur. Huc spectant illæ Pauli exhortationes, vt cum timore ac tremore nostram ipsorum salutem cõficiamus, Philipp. 2. 12. & altera eiusdem, Ne currendo defatigemur, donec ad metam in altero sæculo perueniamus: & illa Petri, vt semel elapsi ex corruptione, quæ est in mundo studeamus Vocationẽ & Electionem nostram firmam efficere, id est, Fidei fructuum testimonio nos ipsos magis ac magis in Electionis nostræ πληροφορίᾳ confirmare.

Hoc qui nõ faciunt, viderint quo iure veram Fidem sibi arrogent. Nam quomodo tandem Fides corda nostra pacificauerit, nisi in Christum Electorum omnium caput respiciens, & fide ea effectis quæ diximus verè in nobis agnita, ad diuini vsque illius immoti æternique de nostra salute in Christo decreti velut arcem nos subuehat, ibique demum conquiescat? Et quid tandem in grauissimis tentationibus, aut etiam lapsibus animos nostros recreauerit, & gemitus illos inenarrabiles per Spiritum sanctum in nobis ciere possit præter illam particularis, particularis inquam, Electionis (vt sua cuique Fides particularis est ad salutem necessaria) certiorationem?

Neque illud obstat, quòd interdũ (siue quòd ita Deus nos exploret, siue quòd hæc sit nostra negligentia) tam languida & parua sint Sanctificationis olim in nobis inchoatæ effecta, vt penè nulla esse videantur: & tam parum sonorum Spiritus sancti testimonium in nobis, vt penè non exaudiatur, immò etiam interdũ ipsius Dei recordatio perterrefaciat nos potius quàm soletur, quod & ipsi Dauidi accidisse videmus Psal. 77, 4. Nam idem Psalmus remedium aduersus hanc tentationem certissimum, nobis suppeditat, iubens nos superiorum temporum recordari & firmitate promissionum Dei immota niti, aperturos Deum suos Electos quantumuis sua ipsorũ culpa grauiter lapsos, sicut ad inferos ad tẽpus detrudit, sic etiã ab inferis suo tempore reducere resipiscẽtiæ Spiritu donatos, quod omnibus Electis semper contingit & cõtinget. Neque his rursum obstat illud, *Qui stat, videat ne cadat*: nec illa parabola de his quorum posteriora deteriora sunt prioribus 12. 45: & quod scribit Petrus de iis qui ad vomitum redeunt 2. Petri 2, 21: & Paulus de ijs qui exciderunt ex fide 1. Tim. 4. 1. quasi certum non sit & ἀμεταμέλητον veræ Fidei pignus, vt malè quidam colligunt. Nã si res ita se haberet, efficeretur mutabile esse

Dei consilium, aut à nobis ipsis suspēsum, neque Fidem esse proprium Electorum donum, neque pacificari Fide nostras conscientias posse: quæ omnia vsquo adeò falsa & absurda sunt, vt ea existimem nulla refutatione indigere. Fatemur ergò interrumpi sæpe posse veram Fidem ac veluti sopiri & quasi amitti quod ad effectus attinet, sed nihilominus postquam semel illius vel scintilla electo cuipiam data est, tunc quoque illam quasi sub cineribus sopitam manere, & rursum à Spiritu sancto veluti flabello quodam excitari & accendi credimus, haud secus quàm vino ebriis & lethargo correptis non mens ipsa, nunquam illis erepta, sed mentis vsus restituitur. Sirua autem Deus quibuscunque veram Fidem donat, perseuerantiam quoque quantumuis sæpe interruptam largitur, vt pote opus suum nūquam deserens Psal. 138. 8, nec suos vnquam supra vires tentari sinens 1. Corinth. 10. 13: sic etiā media cōstituit, per quæ perseueret, & quātumuis grauiter lapsi restituantur. In hunc finem exhortationes illæ spectant, non autem vt Electos excidere posse, quod ad certum Dei propositū attinet, ex iis colligatur: cæteros vero non vera sed προσκαίρῳ Fide præditos, ab eo, in quē vsque peruenerāt gradu excidere, & tantò grauius sibi iudicium accersere, mirū non est, quū ad verā illam Electionem & in Christum insitionem nūquā pertinuerint. Stat enim illud 1. Ioann. 2. 19. Si ex nobis fuissent, permansissent vtique nobiscum. Et de Electis quidem hactenus.

Quod ad Reprobos autē attinet, magna hîc cautione opus est. Etsi enim fides, & ἀπιστία inter se opponuntur: tamen non sicut vera fides est certum vnicuique suæ Electionis τεκμήριον, ita etiā ex ἀπιστίας fas fuerit simpliciter Reprobationis argumentum capere, vtpote quæ sit non reprobis simpliciter propria, sed omnibus & singulis hominibus ab ipso etiam in hac vita exortu communis (ἀπιστίαν enim vocemus Fidei defectum) nos autem ex nobis ne eogitare quidem possimus, quæ Dei sūt, 2. Corint. 3, 5: nec Christum nobis reuelet caro aut sanguis Math. 16, 17. Sin verò ἀπιστίαν dicamus illam natiuæ corruptioni superuenientem contumaciam, qua fit, vt quidam audientes non audiant, & aduersus sese offerentem veritatem oculos vltrò claudant, quod facere maxima pars hominum consueuit, tum quoque initio quidem hoc fuerit etiam Reprobis vocatis cū Electis etiam vocatis cōmune, sed tantisper dūtaxat dum in electis per Dei gratiā modò citius, modò serius, prout ipsi placet electorum suorum corda aperire, sanetur. Certissima igitur hæc est conclusio auctore Spiritu sancto, per veræ Fidei effecta: ego credo: sum igitur Electus in Christo ab æterno, & in ipso iustificatus seruabor. Ista verò absit vt vera sit, Christum ignoro, vel Euangelio non credo, neque Fidei effecta in me sentio: sum igitur reprobus, & damnabor. Quis enim etiam Electorum natus est cum Christi cognitione, & quotusquisque statim Euangelio credidit? Itaque, non est magis necessarium hoc argumentum quàm si quis media nocte ita collegerit: Sol non est ortus, ergo non orietur: quæ responsio si in mentem venisset iis qui miserum illum Spieram in illa desperatione laborantem conuenerunt, illum sanè recreassent, si modò sanabilis fuisset. Quid ergo? Nempe quum ipsi Electi ex incredulis per Dei gratiam euadant fide præditi, & quidem interdum extremo vitæ halitu & momento, immeritò ex præsente incredulitate, & nullo effectorum Fidei sensu, quenquam Reprobum esse concluserimus, quum nemo sit Reprobus, nisi qui incredulus moritur. Bono sit animo potius quem hæc tentatio exercet, & propositum sibi Verbum Fidei vel inuito sibi audiendum esse persuadeat: precetur etiam vel inuitus, nec temerè sese tot aliis hominum millibus postpositis, vocari cogitet: & hoc adeptus vt incredulitatem suam sentiat & in ea sibi incipiat displicere, tum sese pedem alterum in salutis via posuisse agnoscat, nec prius cesset, quàm quod petit, id est, veram resipiscentiam & Fidem, obtinuerit, nunquam profectò si hoc semel in animum induxerit, operam lusurus: quoniam hoc vix vnquam vllus, nisi qui ex Electorum numero fuerit, facere in animum induxerit. Quod enim in contrariam sententiam nōnulli ex Hebr. 12, 17, de Esauo citant, malè ab ipsis intelligi dico, quum ibi non de pœnitentia à Deo impetranda agatur, sed Esauus frustra dicatur apud patrem egisse, vt benedictionem quam per fraudem impartitus erat Iacobo, reuocaret, qua in re sit à patre passus repulsam, quamuis hoc ab illo cum lachrymis expetiuisset.

De doctrina Prædestinationis vsu quod ad verbi Dei ministros & alios de aliis iudicantes attinet.

QVum verò, vt inquit Apostolus, nemo verè norit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo, 1. Corinth. 2. 11. & sola Fides per Spiritum sanctum, mentem Cbristi, siue consilium & decretum salutis nostræ in Christo teneat, efficitur necessariò vnumquēque Electum propriè esse sibi Electionis suæ conscium. Quia tamen Dominus instruendi, corrigendi, consolādi, redarguendi partes ministris suis ad hoc opus vocatis mādauit, quod sine aliqua interioris hominis notitia fieri nequit, & quum alii alios rectè incedentes iuuare, & aberrantes in viam reuocare prout tum illa Christianorum omnium communis, tum singulorum particularis Vocatio postulat, teneamur, meritò quæri solet an, & quatenus ista de Prædestinstionis applicatione doctrina locum in aliis dignoscendis habere possit. Respondeo magnum hîc etiam esse huius doctrinæ vsum, sed magna cautione adhibendum. Quum igitur ex fructibus sit nobis arbor æstimanda, adiuuandi quidem sunt nobis, & sedulò cohortādi, atque adeò in Electionis suæ testimonio magis ac magis confirmandi, quos bonas esse arbores veluti ipsius Dei manu plātatas, & Spiritu rigatas, ex ipsorum dictis & factis cognouerimus: sed ita vt ad perseuerātiam, & constantiam in resipiscētia semper illos co-

hortemur, sedulóque moneamus, vt quod intus est, ei quod foris est respondeat, ne hic fortè fallamur, aut ipsi sese potius fallant, quis de alioru particulari Electione, nônisi probabiliter statuere possumus. Euangelici verò mysterii prorsus ignaros benignè & patienter ex verbo Dei instituamus oportet: infirmos quoque in Fide clementer tolerandos monet Apostolus. Pertinaciter resistentes acrius sunt vrgendi: Euangelii denique cognitione abutentes, propositis quoque minis tum legalibus, tum quæ aduersus Euangelii contemptores in sacris literis perscriptæ sunt, & horrendis Dei iudiciis seuere sunt obiurgandi, ac grauissimis etiam Ecclesiasticis censuris, quod vltimum est remedium, quasi vi quadā adhibita in rectam viam, si fieri possit, reuocādi. Sic denique cum peruicacissimis etiam quibusuis peccatoribus agendum, vt ne de iis quidem in quibus Reprobationis notæ potiusquàm Electionis apparēt, prorsus desperemus, quoniam immēsa est Domini Dei nostri misericordis in extremo etiam vitæ halitu. Et hîc quoque sæpe multa præter omnem hominum spem accidunt. Nec tamen temere monuit Ioannes quoddam esse peccatum ad mortem, pro quo non sit rogandum, quum nunquam remittatur 1. Iohan.5. 16. qua doctrina non egeremus, si nunquam illud nobis in aliquo pateficeret: & cuius rei perspicuum testimonium præbuit Iulianus ille Apostata. Verùm quum periculosissima sint eiusmodi iudicia, tutius est illa in genere ad sceleratissimos etiam perterrefaciēdos proponere, quàm cuiquam sigillatim applicare, sicut fecisse videmus Christum indefinitè de hoc horribili peccato in Spiritum sanctum differentem, quamuis proculdubio non tantum, quatenus Deus, sed etiam quatenus homo erat singulari sapientiæ luce donatus, in quos istud competeret, optimè nosset, quos etiam vt in conspectu suo positos nominatim notare potuisset. Sic etiam Paulus indefinitè, vtinam, inquit, excindantur, qui vos conturbant, Gal. 5. 12. Sic denique hoc ipso loco Apostolus de maxima partis Iudæorum reiectione differens, & in illo tristissimo exemplo spectandam nobis proponēs actualis illius Reiectionis causam, nēpe Euangelii cōtemptum insanabilem, neminem tamē nominatim notat. Et ne quis ex eo, quod ibi dicit Iudæos excisos, esse tandem restituendos: & gentes nunc insitas, si efferantur, rursus excisum iri, quod euertere, quę diximus de immoto æterno Dei decreto videtur: meminisse oportet non de singulis aliquibus Iudæis, aut gentilibus illic agi, sed de ipsis populis vniuersaliter consideratis, quorum status ex eo æstimetur, quod in genere gens quæpiam amplecti se profitetur. Verum enim est modò per Dei misericordiam ascisci gentem, quæ antea propter suam contumaciam reiiciebatur, & vicissim iusto Dei iudicio repudiari qui gratia Dei fuerint abusi, manente semper immoto Dei de singularibus personis siue eligendis & seruandis siue reprobandis & perdendis decreto. Idem tamen Apostolus, fateor, Alexandrum illum fabrum, 2. Tim. 4.14. sic execratur, vt eum satis ostendat pro semel Reprobo & damnando habendum: & apud Dauidem quoque & alibi talia quædam exempla occurrunt, sed quæ non sint in exemplum trahenda, quum sancti illi Dei homines longè alia, quàm nos Spiritus mensura præditos ex peculiari potius vel reuelatione vel sancti Spiritus afflatu sic loquutos fuisse probabile sit potius, quàm præbere nobis imitationis exemplum voluisse.

VT autem totius huius Epistolæ partis dogmaticæ à decimo sexto primi capitis versiculo vsque ad vndecimi finem tota methodus, summam Christianæ religionis diuinissimè simul & eruditissimè traditam complectēs, velut oculis subiicitur, visum est nobis totam hanc tractationem in has theses ordine suo digerere.



DE IVSTIFICATIONE

Prima thesis.

I.

Iustitia & salus, seu vita æterna, necessariò cohærent. Rom. 1. 17

II.

Omnes & singuli homines tum impietatis in Deum, tum iniustitiæ aliorum in alios sunt rei coram Deo. Rom. 1. 18. vsque ad 3. 20.

III.

Aut pereant igitur homines omnes ac singuli necesse est, aut ab alio quopiam hanc iustitiam mutuentur.

IIII.

Christus verus Deus & homo (Rom. 1. 3. & 4.) is est vnus in quo hæc iustitia inhæret, ac proinde in quo solo olim quidem promisso, nunc autem exhibito quærenda est. Rom. 1. 2. & 3. 21.

V.

Causa efficiens & *κύριον αἴτιον* huius Iustitiæ per imputationem gratuitam adipiscendæ est Spiritus Sanctus: instrumentalis autē extrinseca Verbi Dei prædicatio (Rom. 1. 21.) intrinseca verò Fides: formalis autem, Imputatio ex aduerso respondens ei imputationi, qua Christo imputata sunt omnia nostra peccata, omnis noster reatus, omnis denique naturæ nostræ corruptio: materialis ipse Christus: finalis gloria Dei summè simul iusti & misericordis. Rom. 3. 21. vsque ad 26.

VI.

Huius Christi iustitiæ cuius vnius gratuita imputatione iustificati seruamur, prima pars posita est in pœnis, quibus peccata omnia nostra in se recepta Christus plenissimè expiauit vt absolutam eorum remissionem in ipso vno nanciscamur. Rom. 3. 27. vsque ad 5. 10

VII.

Altera pars huius iustitiæ constat Christi obedientia siue perfecta totius legis pro nobis præstatione, quæ omni nostro reatui tum natiuo, tum aliis innumerabilib' peccatis con- Rom. 4. 11. vsque ad cap. 6.

tracto opponitur: quandoquidem non tantùm non peccare, sed etiam plenè Deo obedire tenemur.

VIII.

Tertia eiusdem iustitiæ pars est ipsa naturæ nostræ in nostra carne à Christo assumpta perfectissima instauratio, de qua mox dicetur thesi vndecima.

IX.

Rom. 6. 1. & 2. Hanc iustitiam Christo tanquam subiecto inhærentem sequitur perpetuo noua sanctificatio in nobis, iisdem illis causis, quas suprà thesi quinta commemorauimus inchoata, itidémque corruptioni nostræ quæ & vetus homo dicitur opposita.

X.

Rom. 6. 3. vsque ad Rom. 8. Huius inchoatæ in nobis sanctificationis partes sunt, corruptionis nostræ mortificatio: eiusdem sepultura, id est, cœptæ abolitionis progressus: ac demum noui hominis inchoatio, quæ viuificatio & resurrectio Spiritualis dicitur: quę tres partes tribus obiectis respondent, Christi videlicet morti, sepulturæ & resurrectioni, nobis visibilibus baptismi Symbolis repræsentatæ.

X I.

Rom 8. vsque ad 5. Quoniam hæc inchoata in nobis sanctificatio aliquatenus duntaxat natiuam naturæ nostræ corruptionem sanat, idcirco longè alia eiusdem naturæ nostræ instauratione nobis penitus opus est, vt coram Dei tribunali, apud quem perfecta integritas, quantæ quidem capax esse res creata potest, necessariò requiritur, consistere citra condemnationem possimus. Ea verò vt & superiores veræ iustitiæ partes sicut in vnico eodem Christo inest pro nobis homine facto, vt abolito prorsus peccato humanam naturam absolutissimè instauraret: ita in eodem cui per Fidem inserimur, nobis imputatur, vt ius illud omne quod lex à nobis requirit, plenissimè in Christo per gratuitam imputationem nanciscamur.

XII.

Rom. 8. 5 vsque ad 38. Hæc igitur sanctificatio in nobis inchoata, nos coram Deo nulla ea parte absoluit, tantum abest vt vitæ coronam vllo modo mereatur, sed nostræ in Christum insitionis, ac proinde gratuitæ in eodem absolutionis, certissimus est duntaxat testis, quantumuis duriter in hac vita affligamur.

XIII.

Rom. 8, 29 vsque ad finem capitis. Quum hæc iustitia nō nisi Electis per Fidem tribuatur, necessariò coniunctum habet perseuerantiæ donum, vt omnino glorificari tandem necesse sit, quicunque hanc iustitiā sunt in Christo per Fidem adepti: quòd credentium salus non illorum propriè Fide, sed æterno & immutabili Dei proposito de Electis in Christo per Fidem apprehenso seruandis nitatur, à quo tum Fides ipsa, tū omnia eius effecta proficiscuntur.

DE PRÆ-

DE PRÆDESTINATIONE

Thesis

I.

CErtissimum quidem est & firmissimū Dei fœdus de vita æterna in Christo suo donanda, sed ne iis quidem omnibus destinatum est, qui in Ecclesia etiam ex sanctis nascuntur, nedum vt ad eos, qui sunt prorsus extranei, & extra Ecclesiam perpetuò mansuri sunt, pertineat.

I I.

Deus enim ab æterno ex mera sua voluntate omnia, quod ad causarum etiam ordinem attinet, antecedente, ac proinde nulla neque dignitatis neque indignitatis præuisæ habita ratione, eos duntaxat, quos ipsi visum est, siue singulares homines, siue integros etiam populos, alios quidem amori & saluti, alios verò odio & exitio destinauit. Rom. 14. vsque ad 23.

III.

Deus tamē propterea iniustus neque in his, neque in illis censeri potest, quoniam etsi quos ipsi visum est, amori & saluti ex mera sua voluntate, nulláque vllius in ipsis dignitatis habita ratione destinauit, tamen illos ex æterno illo suo decreto non nisi per gratuitam in Christo imputatam iustitiam, amat re ipsa & seruat, quibus antea diximus gradibus: & vicissim quāuis quos ipsi libuit mera ex sua voluntate ab æterno, nulla vllius ipsorum indignitatis habita ratione, odio & exitio destinarit, tamen reipsa non odit, nec perdit nisi sua ipsorum corruptione, vel etiam indomita contumacia odium & exitium meritos. Aliud enim est amori destinare, quàm reipsa amare & seruare: & aliud est odio destinare, quàm reipsa odisse, & perdere, quū inter destinationem & eius exequutionem: causæ mediæ à Deo ordinatæ intercedāt, ipsum ab omni iniustitiæ specie absoluentes. Rom. 9. 14. vsque ad 18.

IIII.

Hoc Dei decretum prorsus est immutabile, ideóque nullis humanis conatibus infringi potest, nec tamen propterea Deus Reprobis immeritò succenset: aut iniquum ipsius æternū & immotum decretum habendum est. Rom. 9. 19 vsque ad 21.

V.

Primò quia summum ius est Deo conditori in res omnes à se condendas, quo iure abuti ne velle quidem potest, quum voluntas ipsius sit vnica & certissima omnis iusti & recti regula, vt pudere oporteat homines, hac in re Deo responsantes, perinde, acsi Iutum sibi iudicis partes arrogaret.

VI.

Secundò quoniam hac demum ratione, quam & in perdendis malis, & in seruandis in Christo iustificatis tenet, quàm optimè & quàm sapientissimè sese, qualis ipse est, patefacit, nempe summè misericordem (præsertim ex comparatione seueritatis in vnos cum misericordia in alteros) & summè iustum: sic etiam iustum suum iudicium Rom. 9. 22 & 23.

cium aduersus sceleratos exercēt, vt ne illos quidem suæ beneficentiæ prorsus expertes sinat.



DE PRÆDESTINATIONIS

Applicatione particulari in Electis Theses non tantùm ex Pauli contextu desumptæ, sed etiam methodicè aliquot certis rationibus confirmatæ.

Thesis I.

DEi consilia & decreta, quæcunque vult ab hominibus intelligi, cognoscuntur aut à posteriore, aut quatenus effecta in caussis naturalibus latēt, aut ex ipsius reuelatione. A posteriore, vt quum aliquid euenit, & iam extitit, tū intelligimus antea fuisse decretum à Deo vt eueniret. Ab effectis in caussis naturalibus latētibus, vt Austro flante colligimus Deum decreuisse pluuiam. Hæ verò caussæ naturales, aut sunt necessariæ ex hypothesi, id est, Dei ordinatione, vt cognoscuntur deliquiorum Solis & Lunæ momenta: aut sunt incertæ, & planè contingentes, & tum notitiam certam gignere non possunt. Ex reuelatione vel simpliciter & vniuersaliter, vt Noachus cognouit diluuium, & nos scimus vltimum diem futurum: vel vniuersaliter quatenus ad totum aliquem populum, siue ciuitatem, siue familiam attinet; cuiusmodi multa prædixit Dominus per Prophetas: vel indefinitè vniuersaliter, vt promittitur salus cuiuis credenti, vnde cognoscimus quosuis credentes saluos fore: vel definitè particulariter, vt Abraham cognouit ex se nasciturum Messiam: Moses se destinatum esse populo liberatorē: Saul & Dauid se Reges fore: & multa eiusmodi, quæ Deus siue ad huius vitæ cursum pertinentia, siue ad regnum cęleste, hominibus patefecit.

II.

Decretum æternum de Electione singulorū ad vitam æternam tum demum reipsa cognoscetur à posteriore, quando glorificati fuerint Electi. Idem ex caussis naturalibus intelligi non potest, quoniam ex naturalibus caussis nō pendet, sed ab æterna supernaturali Dei voluntate. Ergò ex patefactione cognoscendū est, quæ tamen vniuersaliter tantùm & indefinitè considerata non pacificaret singulorum conscientias.

III.

Huius autem patefactionis modus si particularis & personalis esset, id est, si Electionis æternum decretum oporteret singulis hominibus seorsim ab ipso Deo patefieri, oporteret vicissim Deum totidem hominibus apparere, quot sunt homines Electi. Hoc autem ipsi non placere, liquet ex eo, quòd communem potiùs quandam rationem & modum patefaciendi saluifici sui æterni consilij extare in Ecclesia voluit, toti Ecclesiæ communem, nempe verbi diuini prædicationem & sacramentorum administrationem.

IIII.

Deum tamen nolle vniuersaliter, hac ratione quatenus est toti Ecclesiæ communis, decretum Electionis suæ singulis hominibus patefacere, ex eo liquet, quòd non omnes, qui audiunt sunt Electi, sed ij tantùm qui audiunt & credunt.

V.

Oportet igitur quadamtenus generalem esse rationem huius decreti cognoscendi, quatenus videlicet omnes Electi auditione Verbi Dei & Sacramentorum administratione ad salutē suam vocantur: & rursum quadamtenus esse particularem, quatenus videlicet ad singulares personas cum efficacitate dirigitur.

VI.


Hinc est quòd illam Patefactionem, quæ vocatio dicitur, duplicem facimus: vnā externam quæ præstetur hominum ministerio, omnibus audientibus communi: alteram particularem & personalem, eam videlicet, quæ præterquā quòd externa est, est etiam interna, cum illa externa cohærens (ne quis sibi peculiares extra prædicatum Dei verbum enthusiasmos comminiscatur) estque non hominum, sed sancti Spiritus opus in solidum solis Electis quos sic trahit proprium & peculiare.

VII.

Exterior igitur illa Vocatio sensibus corporis percipitur: interior verò menti per Spiritum sanctum insculpitur, & ex duobus perpetuò ac necessariò consequentibus effectis agnoscitur: quorum vnum est Spiritus sancti quasi cordibus nostris sonorè loquentis sonora testificatio, quòd filij Dei simus, vt intrepidè clamemus Abba, pater, cuius certiorationis plenissimum testimonium præbet Apostolus Rom. 8, 37 & deinceps. Alterum autem in eo positum est, quòd tum intellectus noster cognitione veritatis illustratur, tum voluntas nostra immutatur, vtpote quæ bene velle & facere incipiat.

VIII.

Ergo vt habeamus nostræ Electionis testimonium in cordibus nostris obsignatum, sicut cogitationes mutuas non in aliorum mente indagamus, vtpote quam perspicere nō possimus, sed ex sermone & verbis dignoscimus: ita quoque Dei de nobis seruandis decretum æternum illud in ipso Dei velut pectore abditum frustra scrutaremur, quod ex ipsius demū voce in Ecclesia sonante & in animis nostris (vti diximus) efficaci intelligendum est. Itaque sicut ille ad nos vsque ex alto per caussas medias descendit quas explicat Paulus Rom. 8. 29 & 30. ita nos ex effectis ad caussas, & sursum gradatim ad ipsum vsque subuehi & ibi anchoram figere oportet, ab effectis videlicet Regenerationis ad Iustificationem: à Iustificatione ad veram Fidem, à vera Fide ad Vocationem efficacem: ab efficaci denique Vocatione ad æternum & immotum illud Dei de nobis seruandis decretum assurgendo, vt inde certam illam victoriæ & glorificationis in Christo nostræ spem aduersus omnes tentationes concipiamus.



DE PRÆDESTINATIONIS

doctrinæ applicatione in Reprobis.

Thesis I.

Eadem quidem est contrariorum doctrina.

quam ob causam diximus eandem & parem prorsus esse æterni Diuini decreti tum in Electionis, tum in reprobationis destinatione rationem: sed quum ad causas medias ventum est, per quas Deus suum illud decretum reipsa exequitur, dissimilis est illarum, quamuis inter se oppositarum, ratio, ac proinde nõ est eadem in illis statuenda conclusio.

II.

Nam Fides quidem ex effectis suis, sicuti diximus, vt & Vocatio efficax, vnde ad æternum Electionis decretum ascenditur, est prorsus non à natura, sed à mera Dei gratia, & donũ Dei ἀμεταμέλητον, solis Electis peculiare. At contrà Corruptio mater ἀπιστίας & omniũ peccatorum, est à natura, non tamen qualis creata est, sed qualem ipsa sese vltrò & spontè effecit, nulla Creatoris culpa, quãuis nõ absque ipsius decreto: & præterea tum Electis, tum Reprobis communis, donec Electi regenerentur, ac proinde non est in quibusuis perpetua.

III.

Firmißima est ergò & tam immota quàm ipsamet Dei veritas, hæc conclusio: Ego verè credo, sum igitur Electus. Absit autem vt hæc absolutè vera sit, Ego non credo, vel Fidei effecta nulla sentio, ergò sum Reprobus: quòd non minus ineptè colligitur, quàm si dixeris, Sol non est ortus, ergò nunquam orietur, vel Ebrius iste non ratiocinatur, ergò iste nunquam ratiocinabitur.

IIII.

Itaque neque ex incredulitate, neque ex peccatorũ grauitate, aut multitudine, neq; ex quauis quantumvis peruicaci cõtumacia necessariò colligitur Reprobatio, sed ex ea demum ἀπιστίας & peruicacia, quæ ad extremum vsque halitum perseuerat, quousque interdum Dominus Fidei & Resipiscentiæ donum differt.

V.

Qui tamen Fidei & salutis viã ingredi negligũt, sedulò & à se ipsis & ab aliis, præsertim quibus hoc onus à Deo impositũ est, admoneantur oportet: alioqui perituri, quoniam etiamsi ex ἀπιστίας & eius fructibus necessariò, & absolutè non colligatur Reprobatio, propter immensam Dei misericordiam: tamen propter incertissimum huius vitæ exitum & iustum Dei iudicium probabiliter & penè necessariò omnino colligitur perituros, & occlusas fores inuenturos operarios iniquitatis Math. 7,23. & Psal. 5, 21, & 95, 7, & 8.

VI.

Excipitur peccatum illud in Spiritum Sanctum, quod est ad mortem, ac proinde certissimum Reprobationis ac damnationis τεκμήριον, sed quod potius à Deo quàm ab hominibus dignoscitur, vt planè sit satius illud Deo relinquere, quàm sigillatim cuiquam citra exceptionem applicare.

FINIS.

CHRISTIANO LECTORI.

Visum est operapretium, Christiane Lector, his nostris subijcere præcipua aliquot loca ex D. Lutheri libello de seruo Arbitrio aduersus Diatriben Erasmi, excerpta: vt ex ijs quis sit, semperque fuerit noster cum eo in hoc de Prædestinatione Dei dogmate, cõsensus, omnes liquido perspicere possint. Quod tibi non minus gratum quàm vtile futurum confidimus, hoc præsertim tempore quo hæc ipsa Doctrina à nonnullis, qui se pro fidelibus Lutheri discipulis venditant, & obscuratur & in controuersiam aduersus nos vocatur. Vale & fruere.

EX LIBELLO DE SERVO ARBITRIO

aduersus Diatriben Erasmi Tom. 2. VVittebergensi.

De voluntate Dei tum occulta, tum manifestata.

Pag. 485. b.



CVR alii lege tanguntur, alii non tanguntur vt illi suscipiãt, & hi cõtemnant gratiam oblatam alia quæstio est. Nec loco illo Ezech. 18. tractatur, qui de prędicata, & oblata misericordia Dei loquitur, non de occulta illa & metuenda volũtate Dei, ordinantis suo consilio quos & quales prædicatæ, & oblatæ Misericordiæ capaces, & participes esse velit. Quæ Voluntas non requirenda, sed cum reuerentia adoranda est, vt secretum longè reuerendißimum Maiestatis Diuinæ, sibi soli reseruatum, ac nobis prohibitum, &c.

Et mox Ibidem.

Aliter de Deo, vel voluntate Dei nobis prędicata, reuelata, oblata, culta, & aliter de Deo non prędicato, non reuelato, non oblato, non cul-

culto disputandum est. Quatenus igitur Deus sese abscondit, & ignorari à nobis vult, nihil ad nos. Hîc verè valet illud *quæ supra nos nihil ad nos*. Relinquendus est igitur Deus in Maiestate & natura sua. Sic enim nihil aliud cum illo habemus agere, nec sic voluit à nobis agi cum eo: sed quatenus indutus, & proditus est verbo suo, quo nobis sese obtulit cum eo agimus, quòd est decor & gloria eius, &c.

Et mox Pag. 486. *a.*

Multa facit Deus, quæ verbo suo nõ ostendit nobis: multa quoque vult, quæ verbo suo non ostendit se velle. Sic nõ vult mortem peccatoris, verbo scilicet: vult autem illam voluntate illa imperscrutabili. Nunc autem nobis spectandum est verbum, relinquendáque illa voluntas imperscrutabilis. Verbo enim nos dirigi, nõ voluntate illa imperscrutabili oportet. Atq; adeò quis sese dirigere queat ad Voluntatem prorsus inscrutabilem, & incognoscibilem? Satis est nosse tantum quod sit quædam in Deo Voluntas imperscrutabilis. Quid verò, cur, & quatenus illa velit, hoc prorsus nõ licet quærere, optare, curare, aut tangere: sed tantum timere & adorare. Igitur rectè dicitur, Si Deus non vult mortem peccatoris, nostræ voluntati imputandum est quod perimus. Rectè, inquam, si de Deo prædicato dixeris. Nam ille vult omnes homines saluos fieri, dum verbo salutis ad omnes venit: vitiúmq; est voluntatis quæ non admittit eum: sicut dicit Matth. 23. *Quoties volui congregare pullos tuos, & noluisti?* Verum quare Maiestas illa vitium hoc voluntatis nostræ non tollit aut mutat in omnibus, quum non sit in potestate hominis: aut cur illud ei imputet, quum non possit homo eo carere, quærere non licet: ac si multum quæras, nunquam tamen inuenias, sicut Paulus Rom. 9. dicit *Tu quis es qui respondeas Deo?*

Et rursus pag. 487. *a. b. Ad illud Matth.* 23. *Quoties volui.*

Nos dicimus, vt iam antè diximus, de secreta illa volũtate Maiestatis nõ esse disputandũ, & temeritatẽ humanã quę perpetua peruersitate, relictis necessariis illã sẽper impetit & tẽtat, esse auocãdam & retrahendam, ne occupet sese scrutandis illis secretis Maiestatis, quæ impossibile est attingere, vt quę habitet lucẽ inaccessibilẽ, teste Paulo. Occupet verò sese cũ Deo incarnato, seu cum Iesu crucifixo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, sed absconditi: per hunc enim abundè habet quid scire, & non scire debeat. Deus igitur incarnatus hic loquitur *volui & tu noluisti*. Deus, inquam, incarnatus, in hoc mundo missus est, vt velit, loquatur, faciat, patiatur, offerat omnibus omnia quæ sunt ad salutem necessaria: licet plurimos offendat qui secreta illa voluntate Maiestatis, vel relicti, vel indurati, non suscipiunt volentem, loquentem facientem & offerentem: sicut Ioan. dicit, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehendunt.* Et iterum, *In propria venit & sui eum non receperũt.* Huius itidẽ Dei incarnati est flere, deplorare & gemere super perditionẽ impiorum: quum voluntas Maiestatis ex proposito aliquos relinquat, & reprobet, vt pereant. Nec nobis quærendum cur ita faciat, sed reuerendus Deus qui talia & possit & velit.

Et paulò post p. 487. b.

Dicet hic ratio nasuta, pulchrè inuentum effugium: vt quoties vi argumentorum vrgeamur, ad voluntatem illam metuendam recurramus, & disputatorem vbi molestus fuerit, ad silentium adigamus. Respondemus non esse nostrum inuentum, sed diuinum scripturis firmatum præceptum. Sic Paul. Rom. 9. *Quid igitur queritur? Quis voluntati eius resistet? O homo tu quis es qui contendas cum Deo? An non habet potestatẽ figulus, &c?* Et Esa. 58. *Me de die in diem quærunt & vias meas scire volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit. Rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo volunt.*

Puto his verbis satis monstrari non licere hominibus scrutari voluntatem Maiestatis: dein de causa est huiusmodi, vt in illa maximè petant peruersi homines, voluntatem illam metuendã: Ideò maximè locus est eos ad silentiũ & reuerentiã hortandi. In aliis causis nõ ita facimus, vbi talia tractantur quorũ ratio reddi potest, & reddi nobis mãdata est: quod si quis pergat scrutari rationẽ voluntatis illius, nec nostræ monitioni cedit, hunc sinimus ire, & Gigantũ more cum Deo pugnare: spectaturi quos triumphos sit reportaturus, certi quod causæ nostræ nihil sit detracturus, & suæ nihil collaturus.

Et pag. 488. *a*

Videntur verba illa coniunctiua *si volueris* (*si vis, si quis vult, si dilexeritis, si mãseritis, &c.*) propter Prædestinationẽ Dei sic poni, vt incognitam nobis: & illam inuoluere, acsi hoc velint dicere, *Si vis, si volueris*. Hoc est si talis fueris apud Deum vt voluntate hac te dignetur, seruandi præcepta, seruaberis. Quo tropo datur intelligi & nos nihil posse, & siquid facimus, Deum in nobis operari.

Et pag. 489. *b*.

Quid si hic ratio nasum ruget, & dicat, Cur Deus ista nimirum hortari, consolari & excitari erigique ad pergendum fideles, promissione mercedis: & terreri ac deiici minis impios vt desinant à malis, ne inflentur, aut insolescãt in peccatis, &c. Cur ista, inquam, Deus velit per verba fieri, quum talibus verbis nihil efficiat: neque voluntas in vtram partem sese vertere possit, sed totum pendeat a virtute & opere Spiritus sancti, qui etiam sine verbo ista omnia posset facere? Dicemus, Sic placitum est ipsi Deo, vt nõ sine verbo, sed per verbum tribuat spiritum, vt nos habeat suos cooperatores, dum foris sonamus quod intus ipse solus spirat, vbi vbi voluerit, quæ tamen absque verbo facere posset, sed non vult. Iam qui sumus nos vt voluntatis diuinæ causã quæramus? Satis est nosse quòd Deus ita velit, & hanc voluntatem reuereri, diligere, & adorare decet coercita rationis temeritate. Nam & Christus Matth. 11. nullam aliam rationẽ adfert cur sapientibus absconditum Euangelium, paruulis reueletur, quàm quòd sic placuit Patri.

De dicto Mosis. Ego indurabo cor Pharaonis, ex 9. pag. 492. *a.*

Nobis non est satis si dixeris, potest hic tro-

di voluntatem & potentiam: ipsi libero arbitrio omnia posse tribuamus sine gratia: quod tamen negauimus.

Causæ falsæ interpretationis horum verborum.

Ego indurabo, &c.

Pag. eadem.

Causas videamus fingēdi tropi hoc loco. Absurdum videtur (ait Diatribe) vt Deus non solùm iustus, sed & bonus indurasse dicatur cor hominis, vt per illius malitiam, suam illustraret potentiam: & Origenes fatetur occasionem indurationis datam à Deo, culpam tamen in Pharaonem reiicit. *Respondetur mox.*

Absurditas ergo vna est principalium causarum, ne verba Mosis & Pauli simpliciter accipiantur. Sed ea absurditas in quem peccat fidei articulum? *Et mox.* Eodem argumento negabis omnes fidei articulos, quòd longè absurdissimum sit Deum esse hominem, virginis filium, crucifixum, sedentem ad dexteram patris. Absurdum talia credere. Fingamus ergo & hic tropos, cum Arianis, & Manichæis: ne Christus sit simpliciter Deus, aut verus homo, sic pulchrè scripturas tractabimus.

Sed nec prosunt tropi ad vitāda absurda. Absurdum enim manet ratione iudice, vt Deus iustus, & bonus exigat à lib. arb. impossibilia, & ei imputet quod non possit velle bonum: & nihilo clementius aut mitius agit, dum non confert spiritū, quàm si induret, aut indurari permittat. Hæc dictabit ratio non esse boni & iusti Dei, quia palpare & videre vult quomodo sit bonus, & non crudelis. Id verò comprehenderet si diceretur de Deo, Neminem indurat, neminem damnat, sed omnibus miseretur, omnes saluos facit: nimirum vt destructo inferno, positóque metu mortis, nulla pœna formidaretur futura. Ideo sic æstuat, & contendit, vt Deum excuset & defendat iustum & bonum. Sed fides & spiritus aliter iudicant, qui Deum bonum credunt, etiamsi omnes homines perderet.

Et pag. 494. b.

Quid refert induretur, an indurari mereatur liberum arbitrium, quum induratio necessariò insit, donec insit impotentia illa, qua non potest velle bonum sine gratia.

Et mox. Quomodo Deus operetur mala in nobis.

Quæritur quomodo Deus mala dicatur in nobis operari, vt, *indurare, tradere desideriis, seducere*, &c. Oportuit sanè verbis Dei contentos esse, & simpliciter credere quod dicunt, quum sint opera Dei prorsus inenarrabilia: Tamen in obsequium rationis, idest stultitiæ humanæ, libet ineptire, & stultescere, & balbutiendo tentare, si qua possimus eam mouere.

Et pag. 495. a.

Primo etiam ratio concedit, Deum omnia in omnibus operari se sine ipso nihil fieri, nec efficax esse. Est enim omnipotens, & pertinet id ad omnipotētiam eius, vt ait Paulus ad Ephes. Iam Satan & homo lapsi & deserti à Deo, non possunt velle bonum, hoc est, ea quæ Deo placent, & quæ Deus vult, sed in sua desideria conuersi, quærūt perpetuò quæ sua sunt. Hæc eorum voluntas & natura sic à Deo auersa non est nihil: sed manet voluntas & natura in vtroque. Et ea non minus subiecta sunt (vt pote creatura, & opus Dei) omnipotentiæ, & actioni diuinæ, quàm reliquæ creaturæ & opera Dei. Hic vides quum Deus in malis, & per malos operatur, mala quidem fieri, Deum tamen non malè facere, quia ipse bonus malefacere non potest, malis instrumentis vtendo, quæ raptum & motum potentiæ suæ non possunt euadere. Vitium ergo est in instrumentis, quæ ociosa esse non sinit, fiuntque mala mouente Deo non aliter, quàm si faber securi serrata, & dentata malè secaret, quis impius non potest non errare, & peccare, dum raptu diuinæ potentiæ motus, ociari non sinitur, sed velit, cupiat, faciat taliter qualis ipse est. Hæc rata & certa sunt si credimus, omnipotentem esse Deum: & Impium esse creaturam Dei: auersam verò relictámque sibi, sine spiritu Dei non posse velle, aut facere bonum. Omnipotentia enim Dei facit, vt impius non possit motum & actionem Dei euadere, sed necessariò illi subiectus pareat. Corruptio eius, seu auersio eius à Deo, facit vt bene moueri aut rapi nō possit. Deus suā omnipotentiam non potest omittere, propter illius auersionem: Impius verò non potest suam auersionem mutare, Ita fit vt necessariò peccet, & erret, donec spiritu Dei corrigatur, &c.

Et mox. Vnde induratio.

Indurationis negotium sic habet: Impius, sicut & Satan eius princeps, totus versus ad se, & ad sua, non requirit Deum, nec curat quæ Dei sunt: sed suas opes & glorias, sua opera, suum regnum omnino quærit, illísque vult in pace frui. Quod si quis illi resistat, aut aliquid horum velit imminuere, eadem auersione qua illa quærit, etiam mouetur, indignatur, & furit in aduersariū. Et tā nō potest non furere, quàm non potest non quærere, & cupere: & tam non potest non cupere, quàm non potest non esse creatura Dei, licet vitiata. Hic est ille furor mūdi aduersus Euangelium,

Et mox pag. eadem, b.

Hæc ipsa irritatio Impiorum, quum Deus illis contrarium dicit, & facit, est ipsorum induratio, & ingrauatio. Peiores enim fiunt dum ipsorum auersioni resistitur, aut detrahitur. Hic Pharaoni impio erepturus Deus tyrannidem, irritauit eum, & magis indurauit, & aggrauauit cor eius, dum illum per verbum Mosi inuasit, & intus spiritum non dedit: sed ipsius impiam corruptionem permisit Satana regnante succensere, furere, & procedere cum securitate, & contemptu.

Et mox.

Non igitur quispiā cogitet Deū, quū dicitur indurare, aut malū in nobis operari (est enim indurare malū facere) id est sic facere, quasi de nouo in nobis malum creet, &c. sed sic cogitet qui hæc vtcunque volet intelligere, in nobis, id est, per nos, Deum operari mala, non culpa Dei, sed vitio nostro: qui, quū simus natura mali, Deus verò bonus, nos actione sua pro natura omnipotentiæ suæ rapiens aliter facere non possit, quàm quod ipse bonus malo instrumento malum faciat, licet hoc malo pro sua sapientia v-

uirtute intelligatur (quod nõ est verum) tamen à Paulo rectè, & efficaciter adducitur, vt probet non per merita Iacob, aut Esau: sed per vocantem dictum esse ad Saram *Maior seruiet minori.* Paulus enim disputat an illa virtute, aut meritis liberi arbitrii peruenerint ad id quod de iis dicit, probátque inuictis verbis Scripturæ quòd non: sed sola vocantis gratia, quòd nondum nati, nihil boni aut mali operati fuerint, &c.

Et mox pag. 501. *b.*

Quid liberum arbitrium iuuit Iacob? quid obfuit Esau? quum iam præscientia, & destinatione Dei vterque nondum natus, nihilque operatus, definitus est qualia esset recepturus: scilicet vt ille seruiret, hic dominaretur. Præmia decernũtur antequam operarii nascantur, & operentur.

Et mox.

Non hoc iam quæritur, An seruitus illa pertineat ad salutem, sed quo merito illi imponatur, qui non meruerat?

Deinde quod non de seruitute sola agat Moses, & quod rectè Paulus de salute æterna hunc locum intelligat conuincitur ex ipso textu, sic enim habet oraculum in Mose, *Duo populi ex vtero tuo diuidentur, populúsque populum superabit*, &, *Maior seruiet minori.* Hic manifestè duo populi discernuntur, Alter in gratiam Dei recipitur, licet minor, vt vincat maiorem, non viribus, sed fauente Deo: alioqui quomodo vincat minor maiorem, nisi sit Deus cum eo? Quum igitur minor futurus sit populus Dei, non solum ibi dominatio externa tractatur, aut seruitus, sed omnia quæ pertinent ad populum Dei, benedictio, verbum, Spiritus, promissio Christi, & regnũ æternum: id quod etiam postea latius scriptura confirmat, vbi Iacob benedici, & promissiones & regnũ accipere scribit, quę omnia Paulus breuiter indicat, dum dicit. Maiorem seruiturum esse minori, nos ad Mosen remittẽs, latius hæc tractantẽ.

De loco Malachiæ Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

pag. 500. *b.*

Triplici industria torquet hunc locum Diatribe. Prima est, Si literam vrgeas, Inquit, Deus non amat vt nos amamus, nec odit quenquam, quum In Deum non cadant affectus.

Et pag. 501. *a.*

Responsio: Quid audio? An quæritur quomodo Deus amet & odiat; ac non potius cur amet & odiat? Pulchrè scimus, quòd Deus non amat aut odit quemadmodum nos, siquidem nos mutabiliter, & amamus & odimus: Ille æterna & immutabili natura amat & odit. Sic nõ cadunt in illum accidentia, & affectus. Atque hoc ipsum est quod liberum arbitrium cogit nihil esse, Quòd æternus & immutabilis sit amor, æternum odium erga homines antequam mundus fieret, non solum antè meritũ & opus liberi arbitrii; omniáque necessariò in nobis fieri, secundũ quod ille vel amat, vel nõ amat ab æterno; vt non solùm amor Dei sed etiam modus amadi, necessitatem nobis Inferat, &c.

Sed esto vt amor Dei sit effectus amoris, & odium sit effectus odii: nũquid illi effectus citra & præter Dei voluntatem fiunt? Si non fiũt nisi volente Deo, iã quod vult Deus aut amat, aut odit: Quo igitur merito amatur Iacob, & oditur Esau, antequam nascãtur & operentur? Stat igitur Paulus optimè inducẽs Malachiam pro sentẽtia Mosis, scilicet quod Deus ideò vocarit Iacob antequam nasceretur, quia dilexerit eum, non autem dilectus sit prius à Iacob, aut merito eius vllo permotus, &c.

Altera industria, est quòd non videtur loqui de odio quo damnamur in æternum, sed de temporaria afflictione.

Responsio, Quid hoc ad rem? quum Paulus probet illam afflictionem sine merito, solóq; Dei odio, illatam Esau? Quæ fuit enim causa amandi Iacob, & odio habendi Esau apud Deũ, quum illi nondum essent? Iam illud falsum est Malachiam solùm loqui de temporaria afflictione, aut de destruenda Edomæa: sed Israelitis exprobrat ingratitudinem, quòd quũ Deus illos dilexerit, illi tamen neque vicissim diligant, vt patrem: neque timeant vt Dominum. Dilexisse autem probat tum ex Scripturis, tum ex opere. Quũ enim Iacob & Esau essent fratres, Gen. 25. tamen Iacob dilexit, & elegit, antequã nasceretur, Esau verò sic odit, vt regionem eius redegerit in solitudinem. Item Iacobum quidem reduxit è captiuitate, & restituit: at Edumæos non siuit restitui, sed minabatur eis destructionem, &c.

Et mox pag. 501. *b.*

Quomodo stabit nunc quod Propheta de temporaria afflictione loquatur? quum euidentibus verbis testetur, sese loqui de duobus populis à duobus Patriarchis natis: Illũ susceptum in populum, & seruatum: hunc verò relictum & tandem destructũ. Suscipere verò in populũ & non suscipere in populum, non pertinet tantum ad temporalia bona vel mala: sed ad omnia. Neque enim Deus noster tantùm temporalium Deus est, sed omnium, &c.

Tertia industria est, Quòd dicatur Deus odisse nondum natos, quia præscit illos gesturos odio digna. Iudæos itaque meritò incredulitatis excisos, gentes verò meritò fidei insertas. & c.

Responsio: Non disputamus de excisione aut insertione: sed an qui possint vel credere vel discredere vi liberi arbitrij: nec qui sint credentes, qui non: nec quid sequatur credentes & discredentes: sed quo merito, quo opere perueniant ad fidem, quâ inseruntur, aut ad Infidelitatem qua exeinduntur, Paulus hîc docet quod nullo nostro opere, sed solo amore, & odio Dei hoc contingat. Vbi verò cõtigerit exhortatur vt perseuerent, ne excindantur. At exhortatio non probat quid nos possimus, sed quid debeamus.

De loco Pauli 2. *Tim.* 2. *In domo magna esse vasa aurea & lutea & c.*

pag. 502.

Tum sequitur similitudo, scilicet esse vasa diuersa, alia in honorem, alia in contumeliam. His absoluitur doctrina quòd vasa non seipsa parent, sed Herus. Hoc vult & Ro. 9. quòd figulus potestatem habet & c. & quod sequitur, *siquis se emundauerit ab istis,* non de sordibus intelligi, sed

de vasis contumeliæ, vt sit sensus, si quis separatus manseris, ac non inter impios magistros misceatur, erit vas honoris & c.

pag. 102. a.

Non enim sequitur quenquam ideo sese vi liberi arbitrij posse mundare. Summa, si ista elusio valet, tota disputatio Pauli nihil valet. Frustra enim induceret murmurantes aduersus figulum Deum, si culpa vasis, & non figuli esse videretur. Quis enim murmuret, si audiat damnari dignum dãnatione? Hinc verò murmura rationis humanæ, videlicet, quòd non vasi, sed figulo sit imputandum, qui creet, & tẽperet lutum, si vas conijcitur in ignem æternum quod nihil commeruit, nisi quòd sui iuris non est. Id verò est quod Paulus dicere facit impios, Quid adhuc queritur? voluntati eius quis resistit? Hoc est illud quod humana ratio neque capere, neque ferre potest. Vult enim Deum agere iure humano, vt faciat quod ipsis rectum videtur, aut rationem reddat cur sit Deus: & ita redigendus erit Deus in ordinem, & præscribendæ illi leges vt non damnet quenquã, nisi qui nostro iudicio id meruerit, & figulus faciat vas in contumeliam ex meritis præcedentibus, &c.

Verũ si sic operatur Deus vt merita spectet, cur illi murmurant & expostulant? Quid opus Paulo, illos cõpescere? Deinde vbi manet potestas figuli faciendi quod vult, si meritis & legibus subiectus, non sinitur facere quod vult, sed exigitur facere quod debet? Pugnat enim
Pag. 103. a respectus meritorum, cum potestate ac libertate faciendi quod vult, vt ille probat Paterfamilias, qui operarijs murmurãtibus, & ius postulantibus, opposuit libertatem voluntatis in bonis suis Matth. 20.

Sed fingamus Deum talem esse oportere, qui merita respiciat in damnandis. Nonne pariter contendemus & concedemus, vt & in saluandis merita spectet? Si rationem sequi volumus ęquè iniquum est indignos coronari, atque indignos puniri. Deum igitur iniquum declarabimus, vt qui malis & impijs delectetur, & impietatẽ eorum præmiis inuitet & coronet. At væ nobis tũc miseris apud illũ Deum. Quis enim saluus erit?

Vide nequitiam cordis humani, Deum, quum indignos sine meritis saluat, imò quũ multis demeritis saluat impios, non accusat iniquitatis, nõ expostulat cur hoc velit, quum sit iniquissimũ, etiam sese iudice: sed quia sibi commodum & plausibile est, æquum & bonum iudicat. At quũ immeritos damnat, quia hoc incommodum sibi est, hoc iniquum, hoc intolerabile est, hic expostulatur, hic murmuratur, hic blasphematur.

Ratio ergo in hac causa non iudicat secũdùm æquitatem, sed secũdùm affectum. Si enim ęquitatem spectaret, æque expostularet cum Deo dum indignos coronat, atque dum immeritos damnat. Æquè etiam Deum laudaret, & prædicaret dum damnat immeritos, atque facit dum indignos saluat. Vtrobique enim par iniquitas, si sensum nostrum spectes: nisi non fuerit æquè iniquum, si Cain ob homicidium laudes, regemque facias: atque si Abel in nocẽtem in carcerem conijcias, atque occidas.

Quum igitur ratio laudet Deum indignos saluantem, arguat verò immeritos damnantem, conuincitur non laudare Deum, vt Deum, sed vt suo commodo seruientem: hoc est seipsam, & quæ sua sunt, in Deo quærit & laudat, nõ Deum, & quæ Dei sunt. At si placet Deus indignos coronans, non debet displicere immeritos dãnans. Si illic iustus est, cur nõ hic iustus erit? Illic gratiam & misericordiam spargit in indignos, hic iram, & seueritatem spargit in immeritos: vtrobique nimius, & iniquus apud homines: sed iustus & verax apud seipsum. Nam quomodo hoc iustum sit vt indignos coronet, incomprehensibile est modo: videbimus autem quum illuc venerimus, vbi iam non credetur, sed reuelata facie videbitur. Itaque quomodo hoc iustum sit vt immeritos damnet, incomprehensibile est modo, creditur tamen donec reuelabitur filius hominis.

Et pag. 524. b.

Conclusio totius disputationis, de damnatione Impiorum, & Dei iustitia.

Si autem id mouet, quod difficile sit clementiam, & æquitatem Dei tueri, vt qui damnet immeritos, hoc est impios eiusmodi, qui in impietate nati, non possunt vlla ratione sibi consulere, quin impij sint, maneãt, ac damnentur: coganturque necessitate naturæ peccare, & perire (sicut Paulus Dicit, *Eramus omnes filij iræ*, quemadmodum & cæteri) quum tales creentur ab ipsomet Deo, ex semine vitiato, per vnius Adæ peccatum. *Resp.* Hic honorandus, & reuerendus est Deus clementissimus, in iis quos iustificat & saluat indignissimos, donandumq; est nonnihil Diuinæ eius sapientiæ, vt iustus esse credatur, vbi iniquus nobis esse videtur. Si enim talis esset eius Iustitia, quæ humano captu non posset iudicari esse iusta, planè non esset diuina, & nihilo differret ab humana iustitia. At quum sit Deus verus & vnus, deinde totus incomprehensibilis, & inaccessibilis humana ratione, par est, imò necessarium est, vt & iustitia sua sit incomprehensibilis, sicut Paulus etiam exclamat, dicens, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt Iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Rom. 11. Incomprehensibilia verò non essent, si per omnia capere valeremus, quare sint Iusta. Quid est homo comparatus Deo? &c.

& pag. 525. a.

Si fatemur, natura etiam Magistra, humanam potentiam, sapientiam, scientiam, & omnia nostra nihil esse, si ad diuinitatẽ conferãtur, quę est nostra peruersitas, vt solam iustitiã, & iudicium Dei vexemus? & iudicio nostro tantùm arrogemus, vt diuinum iudicium comprehendere, iudicare, & æstimare velimus? Quare non similiter & hic dicimus, Iudicium nostrum nihil est, si diuino iudicio comparetur? Consule rationem ipsam, si non conuicta cogetur sese stultam, & temerariam confiteri, quod Iudicium Dei non sinit esse incomprehensibile, quum cætera diuina omnia fateatur incomprehẽsibilia. Scilicet, in omnibus aliis Deo concedimus maiestatem diuinam, in solo iudicio parati sumus id negare, nec tantisper possumus credere eum esse iustum, quum nobis promiserit, fore, vbi gloriam suam reuelarit, vt omnes tum videamus, & palpemus, eum fuisse, & esse Iustum.

Dabo

Dabo exemplum ad confirmandam hanc fidem, & consolandum illum oculum nequam qui Deum suspectum habet de iniquitate. Ecce sic Deus administrat mundum istum corporalem, in rebus externis, vt si rationis humanæ iudicium spectes, & sequaris, cogaris dicere aut nullum esse Deum, aut iniquum esse (vt ille ait, Sollicitor nullos sæpe putare Deos) quod prosperrimè habeant mali, contra infelicissimè boni, testantibus prouerbiis & experiētia. Iob.19. Psal.73. Nonne omnium iudicio iniquissimum est malos fortunari, & bonos affligi? At ita fert cursus mundi. Etsi verò hic non solùm summa ingenia eò lapsa sint, vt Deum esse negēt, & fortunam omnia temerè versare fingat, sed & Prophetæ Ier. Iob. Dauid, & alii pii, qui Deum esse crediderunt, magis de iniquitate Dei tētati fuerint: tamen hæc tētatio, & iniquitas Dei tollitur facillimè per lucem Euangelii, & cognitionem gratiæ: qua docemur, Impios quidem corporaliter florere, sed animā perdi: estque vitam post hanc vitam, in qua quicquid hic non est punitum, & remuneratum, illic punietur, & remunerabitur, &c.

Sic igitur lux Euangelii, quæ solo Verbo & fide valet, tantum efficit, vt ista quæstio omnibus seculis tractata, & nunquam soluta, tam facilè dirimatur. Quid putas futurum vbi cessante lumine Verbi, & fidei, Maiestas diuina per sese reuelabitur? Annon putas quod tum lumen gloriæ hanc quæstionem facillimè soluere possit, quæ in lumine verbi, aut gratiæ est insolubilis, quum lumē gratiæ tam facilè soluerit quæstionem in lumine naturæ insolubilem? Tria mihi lumina pone, Lumen naturæ, lumen gratiæ, & lumen gloriæ, &c.

pag.525. b.


In lumine naturæ est insolubile, hoc esse iustum, quòd bonus affligatur, & malus benè habeat. At hoc dissoluit lumen gratiæ. In lumine gratiæ est insolubile, quomodo Deus damnet eum, qui non potest vllis suis viribus aliud facere quàm peccare, & reus esse. Hic tam lumen naturæ, quàm lumen gratiæ dictant, culpam esse non miseri hominis, sed iniqui Dei: qui hominem impium gratis, sine meritis coronat, & alium non coronat, sed damnat, forte minùs, vel saltem non magis, impium. At lumen gloriæ aliud dictat, & Deum, cuius iudicium modò est incomprehensibilis iustitiæ, tunc ostendit esse iustissimæ, & manifestissimæ iustitiæ: tantùm vt interim credamus, moniti & confirmati exemplo luminis gratiæ, quod simile miraculum in naturali lumine implet.

Et mox.

Hic arbitror pio, & qui veritati sine pertinacia cedere volet, abunde satis esse factum. Si credimus verum esse, quod Deus præscit, & præordinat omnia, tum neque falli, neque impediri potest ipsius præscientia, & prædestinatione. Deinde nihil fieri, nisi ipso volente (id quod ratio ipsa cogitur concedere) simul vel ipsa ratione teste, Nullum potest esse liberum arbitrium in homine vel Angelo, aut vlla creatura.

Hæc hactenus, ex Lutheri libello, De seruo Arbitrio, aduersus Erasmum, excerpta sunt.

F I N I S.



Errata sic corrigito.

Pag. 1, lin. 38. lege *efficacia.* p. 2, l. 38. lege *petendum.* p. 4, l. 34 lege *vides.* p. 5, l. 31. lege *τὸ κατὰ χεῖρας* l. 47. lege *χειρῶν.* l. 48, lege *χειρὸς.* p. 12, l. 2. lege *vnde scilicet virgo.* p. 13, l. 64. post *Israelitae* adde, *circa concursum dierum cuius causa traditionem illam muexerant.* p. 14, l. 34. dele *vno die.* p. 15, l. 9. lege *reipsa non existeret.* p. 21, l. 50. lege *vt ne refutatione.* p. 25, l. 10. lege *denique tota humano.* p. 27, l. 28. lege *Apostoli in prima illa Cœna institutione spiritualiter.* l. 42. dele *in.* l. 55. lege *resumpserit.* p. 30, l. 53 lege *vnum.* p. 34, l. 39. dele *in.* l. 41. lege *fuerit.* l. 61. pro *atque*, lege *sicut.* l. 62. pro *positum*, lege *accipi.* p 37, l. 18. lege *quod illorum.* l. 46. adde post 1 *Pet.* 407. *Ex ne longiùs quæram quod est pro foribus quis tuus est iste tantus stupor vt saltem nō animaduerteris quod ibidem dicit Apostolus sumpsius interpres, Propterea, inquit multi inter vos infirmantur & ægrotant, & permulti obdormierunt.* p. 55, l. 59. l. *dissimularunt.* p. 99, l. 26. pro *fidem*, repone *veritatem.* p. 100, l. 44. dele *ac.* p. 101, l. 55. l. *Dominum.* p. 102, l. 18. l. *hoc vno.* p. 120. l. 37. pro *Christum*, l. *Deum.* p. 156, l. 32. lege *excudi.* p. 188, l. 56. l. *faciet.* p. 229, l. 36 l. *Dominicus.* p. 232. l. 2. l. *vestri.* p. 236, l. 51. l. *ministros aut digni sunt.* p. 245, l. 58. l. *imprudentissimè.* p. 305, l. 31. l. *Petrus.* p. 317, l. 44. l. *attributa.* p. 314, l. 30. l. *propria sunt humanitati.* l. 55, l. *nostra salutis.* p. 315, l. 52. l. *sic.* p. 318, l. 47. dele *alterum nobis.* p. 319 l. 30 l. *foret.* p. 375, l. 58. l. *peremeatus.* p. 380, l. 60. l. *vrgente.* p. 397. l. 19. l. *vtrisque.* p. 402, l 50. c b. l. *fixum perducit.* p. 404, l. 38. c d e. l. *mouente.* c b. l. 41. pro *ipse*, l. *hic homo.* l. 48. l. *illius carnè non homo.* p 405, l. 36. c a. l. *electi.* p. 407, l. 12. c a. l. *ἀναμνησιν.* l. 51, l. *& qua.* p. 410, l. 23. c a. l. *omnium non regeneratorum.* l. 63. dele *eius.* p. 412, l. 1. c b. l. *liberata voluntate.* p. 413, l. 41. c b. l. *& propterea.* p. 416, l. 14. c a. dele *si.* p. 421, l. 36. c a. l. *ἐσφραγίσατο.* l. 43. l. *ἐσφραγισμένα.* c b, l. 2. l. *externum.* p. 423, l. 32. c b. l. *quia si.* p. 427, l. 35. c b. dele *tum.* l. 43. l. *sunt.* l. 45. dele *proinde.* p. 430, l. 31 c a. l. *cur aliqui.* p. 431, l. 15. c a. dele *quidem*, & lege. *tam.* p. 434, l. 1. c a. l. *superante.*



INDEX RERVM INSIGNIVM QVÆ HOC TERtio volumine Tractationum TH. Bezæ continentur.

Circun-

D

Diacon

E.

Q

R

T

vocatio

INDEX.

F I N I S.



LOCI SCRIPTVRÆ DILIGENTIVS *explicati.*

Priores numeri caput & verſum locorum citatorum denotant: poſteriores verò epiſtolam & paginam commonſtrant.

F I N I S.

